
COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
Ο ΒΙΟϹ
ΒΡΑΧΥϹ Η
ΔΕ
ΤΕΧΝΗ
ΜΑΚΡΗ

STEPHANI BLANCARDI
LEXICON MEDICUM

IN QUO ARTIS MEDICAE TERMINI

ANATOMIAE, CHIRURGIAE, PHARMACIAE, CHEMIAE, REI BOTANICAE, ETC.

PROPRII DILUCIDE BREVITERQUE EXPONUNTUR.

EDITIO NOVISSIMA

MULTUM EMENDATA ET AUCTA

A

CAROLO GOTTLOB KÜHN

MED. AC CHIR. D. PHYSIOLOG. ET PATHOLOG. IN LITERAR. UNIVERSITATE LIPSIENSI PROFESS. PUBLICO ETC.

VOL. II.

M — Z.

LIPSIAE

SUMTIBUS BIBLIOPOLII SCHWICKERTIANI

CIƆIƆCCCXXXII.

M.

M simplex, in praescribendis formulis positum immediate post alicuius herbae nomen, denotat *manipulum*, scribitur saepe tribus literis, ut *Man.* Si de fluidis agatur, *mensuram* significat, ut aquae, vel vini M. IV. Mensurae quatuor. In fine formularum significat *misce.*

[**MABIT** in libro Galeni spurio *de motibus manifestis et obscuris* p. 66. D. articulatio appellatur, quae est in compositione ossis adiutorii s. quae os humeri cum ossibus antibrachii iungit. In Gohlii autem *Lex. Arab.* p. 6. col. 2. hac voce insignitur postica femoris et cruris iunctura, fere sinuosa, ex adverso respondens genu. Vid. Additam. mea ad Fabricii elench. med. vet. Spec. XVII.]

MACER, MACIR VETERUM est cortex, colore, sapore et viribus prorsus cum cortice Simarubae conveniens, ita ut a nonnullis pro eodem habeatur. Adfertur ad nos, raro tamen, ex India orientali et Barbaria. Vide *Simaruba* et *Macis.*

MACERATIO est species infusionis, quando dura quaedam corpora in aqua, aliove liquore, mediante frigore, aut calore, infunduntur per magnum temporis spatium, ut partes emolliantur et ab aqua penetrentur, cum illa misceantur, vel aptae evadant miscelae, si decoquantur; omnia enim hoc modo magis aperiuntur et facilius extrahuntur. Ge. *Das Einwässern, Wässern, Maceriren.* Ga. A. *Macération.* B. *Weeking.*

MACHINA in genere est corpus, ex variis partibus, singulari artificis ingenio inter se unitis, constructum, eo consilio, ut certos et ordinatos motus producat. In chirurgia vero dicitur instrumentum aliquod grande, cuius ope magnus motus in resistens parva vi potentiae applicatae potest excitari, uti scamnum, scala, ambe etc. quibus membra luxata restitui solent: dum enim luxatio plerumque plurium hominum vi et opera indigeat in restitutione, ope artificiosarum machinarum, in hos usus accommodatarum, chirurgus solus omnium aliorum viribus satisfacit. Gr. *Μηχανὴ, μηχάνημα.* Ge. *Eine Maschine, Werkzeug.* Ga. *Machine, instrument.* A. *An engine.* B. *Werktuig.*

[**MACHLOSYNE** a Swediaur *l. c.* II. p. 358. definitur perfrenum in feminis coitus desiderium, frequenter cum tumore, calore et pruritu immani genitalium coniunctum. A *μαχλὸς, lascivus, impudicus, μαχλοσύνη, libido, impudicitia.*]

MACIES est minor quidam atrophiae gradus, talisque

corporis constitutio, in qua pinguedo deficit. Haec tamen quibusdam est nativa, neque ullam functionum laesionem comitem habet. Ge. *Magerkeit.* Ga. *La maigreur.*

MACIS quid sit, vide sub *moschata nux*. Ge. *Muskatblume.* Ga. *Le macis, ecorce ou ce qu'on appelle improprement fleur de muscade.* A. *Mace.* B. *Foeli, bloem van notemoscaat.* — *Macer veterum,* [ut paulo ante dictum est,] est ligni cuiusdam cortex lignosus, crassus, rubescens, ex Barbaria afferri solitus, gustu valde amarus et adstringens, adeoque differt a maci, quamquam interdum a modernis confundantur. Est et genus maceris insularum orientalium, quod forsan idem cum veterum maci, scilicet cortex cortici simarubae admodum similis, ut non male forte pro eodem habeatur, cum exigua ratione crassitiei vel saporis magis aromatici, differentia a cultura, vel climate pendere possit. Vide *Simaruba* et *macer.*

MACROCEPHALOS, sive **CAPITO** est is, qui magnum habet caput. Ex μακρὸς, *magnus*, et κεφαλὴ, *caput.* Ge. *Ein Grosskopf.* Ga. *Qui a une grosse tête.* A. *Great headed.* B. *Groothoofd.*

MACROCOSMUS denotat mundum universum, sicuti homo *microcosmus*, sive minor mundus, in comparatione a quibusdam dicitur. Ex μακρὸς, *magnus*, et κόσμος, *mundus.* Ge. *Die grosse Welt.* Ga. *L'univers.* A. *The great world.* B. *De groote waereld.*

MACROPIPER est Piper longum. Vide *piper.*

MACULAE in genere constituunt ordinem morborum ad classem vitiorum, scilicet primam Ill. *Sauvagesii,* pertinentem, consistunt in mutatione coloris nativi [in una alterave corporis parte]. Plures ergo sub hoc ordine morbi comprehenduntur, ut *leucoma, vitiligo, ephelis, gutta rosacea, naevus, ecchymoma.*

MACULA EPATICA, vel **HEPATICA** est macula fusci coloris, vel ex flavo nigricantis, lata palmi magnitudine, inguina inprimis, pubem ac dorsum occupans, imo totum pectus interdum obtegens, cum cutis quadam levi asperitate, quae squamas, aut furfures quasi emittit. Illae tamen non uno loco haerent, sed hinc inde disseminantur et modo evanescunt, modo rursum emergunt. Vide *ephelis.* Ge. *Leberflecken.* Ga. *Taches du foye.* A. *Liver spots, freckles.* B. *Lever-vlekken.*

MACULA MATRICALIS, *Naevus Cic.* Gr. Κηλὶς, σπέλωμα, σπῖλος est macula, vel vitium quoddam cutaneum, quod cum foetu nascitur et a quibusdam imaginationi maternae adscribitur, magis, vel minus rubicundi, vel obfusci coloris, constanter locum suum occupans; indifferenter per totam cutim spargitur, uti est in facie, manibus, dorso etc. Aliquando rei alicuius imaginem exprimere creditur, ut mu-

ris, mori, suberis etc. Licet quidem hae maculae manifeste in degeneratione quacunque vasculorum cutaneorum consistant, nondum tamen adeo certe constat, an et quomodo imaginatio matris rei vel desideratae, vel exosae, effigiem tenello foetui imprimere possit. *Muttermaal, Mutterflecken.* Ga. *Envies.* A. *Mother spot.* B. *Moeder-vlekken.*

MACULA VOLATICA est macula rubra, vel purpurea, in cute hinc inde serpens, quae si orificium aliquod, os puta, nares, oculos, aures, nates, attingit et eousque penetrat, vel si intempestive repellitur, malum letale fit, infantibus infestum. Videtur esse species erysipelatis maligni, ad gangraenam vergentis. *Maculae volaticae* etiam dicuntur phantasmata ob oculos volitantia, quae plerumque a vasculis retinae turgidis oriuntur. Ge. *Rothe Flecken.* Ga. *Tache volante.* A. *Flying spot.* B. *Roode-vlek.*

MADAROSIS est capitis glabrities, sive capillorum defluvium, in specie vero de *lapsu ciliorum* dicitur. A *μαδαρόω, laevem* et *depilem facio.* Ge. *Das Ausfallen des Haars.* Ga. *La pélade.* A. *Baldness of the head.* B. *Het uitvallen des hairs.*

[**MADESIS** (penult. longa) est capillorum lapsus transitorius, paulatim et sparsim ita factus, ut pili rariores fiant, nulla tamen parte penitus depili. Gr. *μάδησις* a *μαδάω, depilis sum.*]

MADOR sumitur pro humore illo aquoso, qui in syncope et virium exsolutione, calidus, vel frigidus, sudoris instar ex cute emergit. Saepe tantum in genere transpirationem aliquantum maiorem, sed sudore minorem, denotat. Ge. *Feuchte.* Ga. *Moiteur de la peau.* A. *Moisture of the skin.* B. *Vogtigheid.*

MAGALEP, MAHALEP SEMEN sunt nuclei, vel nuces contentae in drupa arboris, quae est species Cerasi sylvestris, Ceraso affinis *Bauh.* Cerasus foliis ovatis *Hall.* *Prunus Mahalep* floribus corymbosis, foliis ovatis *Linn.* Habitat in Helvetia, Gallia, Anglia. Nuclei ob fragrantiam, [haud dubie ab acidi borussici praesentia pendentem,] licet quibusdam minus gratam, cum ad odorem cimicum accedat, in odoramentis adhibentur, [et globulis saponaceis immiscentur.] Lignum arboris durum, densum, rubicundum et *lignum sanctae Luciae* dicitur, eiusque usus mechanicus est. Ge. *Mahalebkirschen, Dintenbeeren, wohlriechende Kirschen.* Ga. *Mahaleb bois de St. Lucie.* [Cerise odorante.] A. *Mahaleb, perfumed cherry.* [B. *Welriekende kers.*]

MAGDALEONES sunt cylindraceae emplastrorum, vel aliarum rerum massae. A *μάσσω, pinso.* [Schol. ad Aristoph. Equit. vs. 412. explicat *μαγδαλιὰ* per *τὰ τῶν ἀλφίτων ἀποβλήμια.* *Gloss. man. ad scr. med. et inf. lat.* IV. p. 477. ex hebraica lingua *Migdal* et *Migdol*, i. e. turris, quae plerumque figuram cylindricam habeat, derivat, et locum e Marc. Emp. c. 20. adfert, ubi magdaliae cum trochiscis, ut

synonyma, coniunguntur. Videtur igitur pro *Magdaleones* scribendum esse *Magdaliones*, et sic quoque Krausius corrigendus.] Ge. *Eine Pflasterrolle.* Ga. *Une roue d'emplâtre.* A. *Masses of plaister made up in form of a cylinder.* B. *Eene rolle zalf.*

MAGISTERIUM pulverem designat proprie solutione ac praecipitatione paratum, improprie resinosam materiam simili modo productam, quae verius extracti nomine donatur. Magisteria ut varia sunt, ita et varie parantur; semper materiae siccae, si fieri potest, pulverisatae, aut, si necessarium, calcinatae, affunditur liquor solvens, qui pro diversitate eius diversus est, acetum simplex, aut destillatum, tum per se, tum acuatum per spiritum nitri, vitrioli, salis etc. lixivium ex sale tartari et aqua paratum, spiritus vini etc. Soluto affunditur liquor, praecipitationem efficere valens, ut oleum tartari per deliquium, spiritus vitrioli, nitri etc. Quae scilicet solvuntur a menstruis acidis, praecipitantur per addita alcalina, quae per alcalina solvuntur, praecipitantur ab acidis; aqua affusa praecipitat, quae a spirituosis soluta sunt. Sic plerumque affusa solutis mineralibus et animalibus aqua communi, aut aluminosa in vegetabilibus secedit ad fundum vitri coagulum exsiccandum, et, si necessitas urgeat, primum edulcorandum, postea igniendum. Plura huiusmodi magisteria tali modo praeparata in officinis prostabant olim, ut magisterium coralliorum, cornu cervi, cranii humani, ungulae alcis, Ialappae, Iovis, lapidum cancrorum, Marcasitae, Saturni, Sulphuris etc. quae plerumque viribus cum eo, e quo praeparata sunt, corpore conveniunt et rarius nunc adhibentur. — — *Magisterium argenti,* idem quod *crystalli lunae.* Vide *Argentum.* Ge. *Meisterpulver, präcipitirtes Pulver.* Ga. *Magistère.* A. *A magistery.* B. *Meester poeder.*

MAGISTRALIA MEDICAMENTA, quae etiam *usualia* dicuntur, sunt medicamenta, quorum compositionem medicus iuxta indicationes in singulis morbis singulisque aegris obvenientes instituit atque praescribit, sicque ab *officinalibus* distinguuntur, quippe quae iam composita in officinis prostant. Ge. *Verschriebene Arzneien.* Ga. *Remèdes magistraux.* A. *Magistrals remedies.* B. *Meester-stukken.*

MAGMA spissum unguentum est. Sed dicuntur quoque ita faeces post succorum expressionem, aut decoctionem relictae. A *μάσσω, pinso, subigo.* Ge. *Das Dicke, welches sich auf den Grund setzt.* Ga. *Le marc.* A. *Dregs.* B. *De vuiligheid, het dikke.*

MAGNA ARTERIA, i. q. *aorta.*

MAGNANIMITATIS AQUA, quibusdam in officinis prostans, est spiritus vini formicis et quibusdam aromatibus superfusus et praevia digestione destillatus. [Si formicae a sordibus purgatae, solae, cum aequalibus partibus spiritus

vini et aquae destillationi subiieiuntur, aqua magnanimitatis simplex vocatur, eomposita autem, si formicis varia aromata adduntur.] Interne ad venerem languidam excitandam, externe ad artieulos a paralysi debilitatos corroborandos commendatur.

MAGNES, *ferrum magnes* attraetorium *Linn.* Ferrum mineralisatum, minera ferrum trahente et repellente et polos mundi ostendente *Wall.* est minera, vel lapis, plerumque eoloris e rubicundo nigricantis, polos mundi ostendens, ferrum chalybemque, aliaque corpora, particulas ferreas eontinentia, attrahens, praesertim ferreo circulo armatus; plerumque duobus locis polaribus maximarum virium gaudens. Reperitur eirea ferri fodinas in diversis Germaniae, Norvegiae, Sueciae et Italiae locis. Vegetior plerumque caeteris esse solet, qui ferri colorem rufescentem habet. Etiam album magnetem reperiri lego, quem Itali *calamita bianca* vocant. Olim admiscebatur magnes quibusdam emplastris, ut ferrum ex vulneribus attraheret, sed frustra, cum magnes pulverisatus et praesertim ustus, vires suas magna parte amittat, saltem non ostendat. Sanguinem quoque sistit. Magnetem armatum denti dolenti applicatum eius dolores saepe tollere dicitur. Sed etiam frusta chalybis vi magnetica imbuta, quae *magnetes artificiales* dicuntur, variis eorporis partibus applicare, ad plures tollendos systematis nervosi morbos, vario cum suecessu nostris temporibus tentatur, deque huius medelae efficacia adhucdum lis ventilatur. [De magnetis viribus medieis egit praeter Baldingerum et Boltenium Heinsius (*Beitr. z. d. Versuch., welche m. künstl. Magneten in versch. Krankh. angestellt word.* Leipz. 1776. 8.) et Andry u. Thouret's *Beob. u. Untersuch. üb. d. Gebr. d. Magn. in d Arzneik.* A. d. Fr. Leipz. 1785.] *Λίθος μαγνῆτις* et *ἡράκλειος*, dicitur et sideritis. Ge. *Magnetstein.* Ga. *Aimant.* A. *Load-stone.* B. *Magneet-steen, zeil-steen,* quia nautae acu versatili, super eo ducto, utuntur.

MAGNES ARSENICALIS est materia lapidis instar indurata, nata ex eolliquatione partium aequalium arsenici crystallini, antimonii erudi et sulphuris flavi. Ingreditur *emplastrum magneticum,* sieque voeatur, quia olim eredebatur malignitatem bubonis pestilentialis extrahere, ut magnes ferrum attrahit.

MAGNESIA, [addito epitheto *nigra*, ut ab alba diseernatur,] ferrum mineralisatum, minera fuliginea, manus inquinante, quae sparsim striis eonvergentibus eonstat *Wall.* *Ferrum tractabile* fuseum, inquinans, particulis micaceis striatis *Linn.* est substantia friabilis passim in fodinis ferri et plumbi reperiunda, e rutilo-nigricans, quae num quidquam ferri contineat dubium est, eum nonnulli terram tantum aluminosam ei inesse putent, quae, addito aeido, in vali-

dissimum stypticum et adstringens abeat. Usus plerumque vitriarius est, dum vitro fuso addita peregrinos colores tollit, purumque et nitidum vitrum reddit. [Quae a Blancardo de magnesia nigra, quae et Manganum vocari solet, allata sunt, ea multiplici emendatione egent. Minime enim terra est, uti Pottius et Scheele contendebant; neque ferri speciem constituit, sed peculiare est metallum, quod cum principio metallico alcalium magnam similitudinem habet. Fortissime enim attrahit retinetque oxygenium, difficulter in metallicam formam redigi, in eaque non aliter servari potest, quam cum ab omni aëris contactu remotum, omnium optime sub oleo petrae rectificato, retinetur. Quatuor oxydationis graduum capax est: quorum primus oxydulum, secundus oxydum, tertius hyperoxydum, quartus denique *acidum manganicum* (Ge. *Mangansäure.*) efficit.] Ge. *Braunstein.* Ga. *Manganaise.* A. *Manganese.*

MAGNESIA ALBA est terra tenera alba, in omnibus acidis solubilis et in liquorem amarum et purgantem abiens, in igne non in veram calcem mutabilis. Praeparatur haec *Magnesia nitri* ex lixivio a nitri crystallisatione residuo, vel per evaporationem huius et dein ignitionem materiae residuae, vel per praecipitationem, affusionem scilicet solutionis salis alcalini, et liquoris a pulvere albo ad fundum deturbato decantationem. Videtur nasci e parte cinerum vegetabilium, quippe quorum exustorum pars in acidis solvitur, veraque videtur esse magnesia. Si calx viva ad praecipitationem adhibeatur, multum quoque de natura calcis magnesia praecipitata participat et cum acido vitriolico in Selenitem mutatur. Purissima magnesia obtinetur, si solutioni salis cathartici amari solutio alcalina affundatur, pulvisque fundum petens aqua abluatur et siccetur, quae *magnesia salis amari*, seu *Edinburgensis*, vocatur. Frequentissimus eius hodie in medicina usus est. Possidet enim vires absorbentes et praesente in primis viis acido, catharticas, immo leniorem subinde diuresin atque diaphoresin provocat. Optime in ardore ventriculi, aliisque morbis, in quibus copiosa saburra acida in ventriculo et intestinis hospitatur, conducit. Angli eam ad expulsionem aëris fixi hodie calcinationi subiiciunt, quod alii tamen inutile, imo si magnesia calcaream forte terram contineat, noxium esse putant. Absente omni acido, rarissime effectum laxantem edit et apud sicciora subiecta alvum subinde magis obstruit. Dosis ordinaria, si per se exhibeatur, apud infantes, qui adhuc lacte nutriuntur, et frequentissime morbis ex acido oriundis laborant, a granis quatuor ad scrupulum semis et apud adultos a drachma dimidia ad drachmas duas, tres adscendit. Dicitur etiam *Panacea anglica*, seu *solutiva*, *terra foliata nitri*, *fecula alcalina* etc. Ge. *Weisse Magnesia.* Ga. *Manganaise planche.*

MAGNESIA OPALINA vocatur *Regulus antimonii medicinalis,* scilicet ex antimonio cum sale communi et tartaro fuso praeparatus, qui in vitiis lymphae ut insigne remedium commendatur. Vide *Antimonii regulus.*

MAIORANA est planta gymnotetrasperma, verticillata, (Didynam. Gymnosperm.) quae habet plures parvos caules, pedem circiter altos, lignosos, ramosos, tenues, parum villosos, et rubicundos. Folia sunt sibi invicem opposita, obrotunda, minima, Origanum vulgare referentia, sed multo minora, mollia, albescentia, odoris aromatici penetrantis et grati, saporis parum acris et amari. Flores in summitate caulium crescunt, congesti in spicas, aut capitula rotunda, densa, breviora Origano, conflata ex quaterno foliorum squamatim sibi mutuo incumbentium ordine, monopetali, ringentes, galea erecta, bifida. Flori succedunt semina obrotunda quatuor, odorata, minima, amara, coloris rufi. Radix minima. Species officinalis et maxime frequens est Maiorana vulgaris *Bauh.* *Origanum maiorana* foliis ovatis, obtusis, spicis subrotundis, compactis, pubescentibus *Linn.* Ob qualitatem fragrantem et amaricantem viribus nervinis, cephalicis, ptarmicis et stomachicis gaudet. Prostant in officinis aqua, conserva, balsamum, oleum destillatum et butyrum, quorum illud in dystocia, hoc in gravedine infantum summopere laudatur. *Σάμψυχον,* vel *Ἀμάρακον,* Gr. dictam volunt, quod maiori cura diligentiaque, quam caeterae colatur. [*Σάμψυχον* et *ἀμάρακον* fuerunt inter Graecos, qui unam eandemque plantam designasse contenderent. Vid. Sprengel ad Diosc. III. 41.] Malunt alii eandem Maioranam Marum nominari. Forte Maiorana diminutivum a maro erit. Cum dicitur et Amaracus, volunt illam derivari ex *α* priv. et *μαραίνω,* quia haec planta non facile marcescit. Ge. *Maioran*, *Masoran*, *Meyeran.* Ga. *Marjolaine.* A. *The sweet* sive *knotted majoram.* B. *Marjolein.*

MALA, seu **GENA** est illa pars faciei in utroque latere, quae est infra oculos et supra maxillam inferiorem, propter delicatam et transparentem cutem amoene rubens. Sic dicta est ob protuberantiam. Ge. *Wangen, Backen.* Ga. *La jouë.* A. *The cheek.* B. *De wange, de koon.*

MALABATRUM, quid proprie hoc sub nomine intellexerint veteres, incertum est, nec de eo inter se scriptores conveniunt. *Dioscorides* [I. c. 11. ad q. l. cons. Sprengel.] folia haec in aquosis crescere locis aquisque innatare scribit, ut Lens palustris. *Garcias ab Orto,* ut et alii scriptores, esse folia arboris aiunt, invenirique copiose in India, ac maxime in Cambaia, procul ab aquis. Quod hodie sub nomine Malabathri, aut folii Indi prostat, est folium satis simile folio Citri, vel Lauri, e virore splendens, trinerve, qualitatis parum aromaticae et acris vixque, nisi conteratur, fragran-

tis. Arbor, e qua desumitur, crescit in Malabaria, estque Katou-Karva *Rheed.* *Laurus cinnamomum* foliis trinerviis, ovato-oblongis, nervis versus apicem evanescentibus *Linn.* Veteres hace folia theriacae, mithridatio aliisque electuariis addiderunt, rarus tamen eorum hodie usus est, et in theriaca et mithridatio nunc passim iis flores Macis non male substituuntur. Utrum ergo *Malabathrum* hodiernum cum veterum Malabathro idem sit, id est, de quo ambigitur: consultius est credere, nomen hisce foliis inditum a regione *Malabar.* Forte ob folium, quod habet magnum, per excellentiam quoque *folium* dictum. Indi *Betre,* aut *Tamalapatra*, a quo *Malabathrum.* Ge. *Indianisches Blatt.* Ga. *Malabatre, feuille indienne.* A. *Indian leaves.* Arab. *Cadegi Indi.*

MALACHE est medicamentum alvum molliens, et tumores duros. A *μαλάσσω, mollio.* Ge. *Erweichendes Mittel.* Ga. *Remèdes émolliens.*

MALACHITES est lapis, Iaspidis species, non translucens, Malvae virescentis colore, vocatur quoque *Molochites,* in febribus calidis olim laudatus, etiam lactantibus ad lac augendum, et infantibus ad praeveniendos terrores superstitiose appendebatur. Hodie hoc sub nomine minera cupri intelligitur, scilicet *aerugo nativa solida Wall.* Ge. *Kupfergrün, Malachit.* Ga. *Malachite, cuivre carbonaté verd. Verd d'Azur. Verd de montagne.* A. *Malachite. The montain green.*

MALACIA, PICA MALACIA, Latinis *mollities, effoeminatio*, est in genere habitus suis cupiditatibus indulgendi, etiam ratione refragante; praecipue vero est cupiditas illa, qua interdum praegnantes in aliena et saepe absurda feruntur. [Hanc notionem vereor, ne e graeco scriptore possimus firmare, qui *μαλακίαν* illum languorem corporis vocarunt, qui ex morbo aut superato, aut praesente adhuc oritur. Poll. *onom. III.* 104. Latinis scriptoribus autem malaciam pro languore ventriculi, cuncta fastidientis, aut absurda appetentis, in gravidis saepe observato, in usu fuisse, docet Plin. *h. n. XXIII.* 6. Malicorium expetitur gravidarum malaciae, quoniam gustatu moveat infantem.] Item corporis mollities. A *μαλάσσω, mollio.* Ge. *Gelüste der schwangern Frauen.* Ga. *Envie.* A. *Depraved appetite.* B. *Een verdorven honger, maagde honger, vreemte eetzucht.*

MALACTICA, sive EMOLLIENTIA sunt, quae mediocri sua calefaciendi et humectandi facultate partes inter se firmius cohaerentes relaxando, dissolvendo, et nonnulla dissipando, molles reddunt. Hinc emplastrum *Apollinis malacticum,* dictum. *Malagma* idem maioribus sonat, quod *cataplasma.* A *μαλάσσω, emollio.* Ge. *Lindernde Arzeney, erweichende Mittel.* Ga. *Remèdes emolliens.* A. *Softning remedy.* B. *Verzagtende, weekmaakende middelen.*

MALAGMA, i. q. *Malacticum.*

MALA INSANA dicuntur fructus duarum plantarum, quae hodie ad *Solana* referuntur, flore monopetalo rotato, (Pentandr. Monogyn.) a quibus tamen eas *Tournefortius* ob fructus in plura loculamenta divisos separavit, et sub speciali nomine *Lycopersici* et *Melongenae* proposuit. Fructus hi rubicundi, tenera cute vestiti, in succulenta pulpa multa semina compressa reniformia continentes, ad ovi fere magnitudinem accedentes, passim largiter inter cibos et acetaria sine noxa esitantur. Externe applicatis vis emolliens tribuitur. Dicuntur Neapolitanis *Melanzana,* ab aliis *Amoris poma.* Dicta sunt, non quod lethalia sint, sed quod difficulter concoquantur. *Amoris* autem *poma* propter elegantiam et pulchritudinem. Ge. *Goldapfel, Paradiesapfel.* Ga. *Pomme d'amour, pomme dorée.* A. *Gold-appel.* B. *Gulden-appel, dol-appel.*

MALAXATIO est, quando massae quaedam pilularum in massam cum aliis rebus subiguntur, sive id manu fiat, sive pila, vel simili instrumento. Est etiam propria emplastris durioribus, quae cum oleo appropriato miscentur, ut debitam mollitiem, ad illinitionem aptam, recipiant. Ge. *Das Kneten.* Ga. *Pétrissement.* A. *A kneading.* B. *Kneeding.*

MALDIVICA NUX, s. **COCCUS DE MALDIVA** est fructus Palmae Maldivensis, quem incolae ob magnas, quas ei tribuunt, virtutes magni faciunt; hinc raro ad nos affertur. Vide *Palma* et *Coccus.*

MALICORIUM quasi corium mali, est *Mali punici* s. *granati* putamen. Potentius adstringit, quam flores. Vide *Balaustium,* et *Granatus.* [Continet enim e Reussii analysi in centum partibus principii scytodepsici 30, mucilaginis 37, resinae 1, principii scytodepsici oxydati et iacturae 6, extracti 23, acidi gallarum vestigium].

MALIGNUS MORBUS est, qui symptomatibus suis saevit vehementius, aut perseverat diutius, quam indoles eius prae se ferre prima fronte videtur, quive facilius per contagium propagatur, in quo subita animadvertitur et plenaria virium prostratio, et qui medicinae non auscultans, mortem saepe inducit, ut febris pestilens, ulcus cacoëthes, etc. Ge. *Bösartige Krankheit.* Ga. *Maladie maligne.* A. *A malignant disease.* B. *Kwaadartige ziekten.*

MALINATHALLA est *Cyperi* species, *Thrasi* Italorum, cuius nomen *Malinathalla.* Ex *ἀνὰ,* et *θάλλω,* conflatum videtur, quod Latinis *germino* significat, vel ex *μάλα, valde,* et *ἀναθάλλω, regermino.* Sata enim unica radix innumeras alias producit. Hae radices rotundae, tuberosae, carnosae, extus flavescentes, interne albidae, viribus pectoralibus, resolventibus, demulcentibus, et iuxta nonnullos aphrodisiacis pollent, et in decoctis adhibentur. Abunde in Europa au-

strali proveniunt. Est *Cyperus esculentus Linn.* Ga. *Souchet sultan*, sive *sucré*, sive *long de Provence.* [Ge. *Erdmandeln, essbares Cypergras.* In Italia inter bellaria mensae secundae ob dulcedinem apponuntur. In mortario cum saccharo contusae et cum aqua tritae emulsionem praebent grati saporis, quae in variis morbis pectoris commendata est. Chemici magnam mucilaginis quantitatem, amylum et oleum pingue ex his radicibus extricaverunt. Ingens copia surrogatorum fabarum Coffeae nuper his radicibus aucta est.]

MALIS, MALIS HYPODERMATITIS, *Lancisii* **PASSIO BOVINA** vulgo est morbus, tum pecora, tum homines infestans, in quo insecta vermiformia, vel larvae insectorum, ut plurimum ex tumoribus abcessibusque corporis prodeunt, vel in eius ulceribus nidulantur. Insecta sunt vermiformia, seu apoda., aut larvae, et sic a pediculis comitantibus distinguuntur. [A graeco *ὑπὸ, sub,* et *δέρμα, cutis.* Compositio vocis non probanda, cum potius *ὑποδερματικὰ* nominanda sit affectio.] Ge. *Wurmkrankheit.* Ga. *La clavelée.*

MALLEABILITAS chemicis significat talem metallorum conditionem, qua ductilia, vel tractabilia sunt sub malleo, et opponitur friabilitati. Ge. *Malleabilität.*

MALLEOLUS, sive **MALLEUS,** Gr. *σφυρὸν, πέζα Polluci,* [II. 192. *τὸ ὑπὸ τῇ κνήμῃ μέρος καλεῖται, σφυρὸν καὶ πέζα.* Blancardi *σφυρά*, tertio loco additum, non est nominativus singularis numeri, uti *σφυρὸν* et *πέζα*, sed est numerus pluralis *τοῦ σφυρὸν.* Ruf. Eph. *p.* 33. *τὰ ἄκρα ἀμφοῖν τοῖν ὀστοῖν* (tibiae et fibulae) *τὰ πρὸς τῷ ποδὶ σφυρὰ καλεῖται.*] Est duplex, *externus,* qui est inferior in pede ossis fibulae processus, vel *internus*, seu processus inferior ossis tibiae. Ge. *Die Knorren, Knöchel.* Ga. *Malléole, la cheville.* A. *The anckles.* B. *De enkel.*

MALLEOLUS in vegetabilibus est novellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus a similitudine rei, quod ex ea parte, qua deciditur ex vetere sarmento, prominens utrinque malleoli speciem praebet, vel, quod capillatus utrinque et surculatus solebat seri. Ge. *Ableger.* Ga. *Rejetton.*

[**MALLEUS** nomen morbi equorum, quem Vegetius Renat. *art. veterin. I. c.* 3. his describit verbis: „Humidus morbus est, cui de naribus pro mucis humor defluit male olens et spissus, colore pallido. Huius gravatur caput, oculi lacrymantur, et stridet pectus, fit gracilis horrentibus pilis, tristis aspectu, quem profluvium atrum (alii *atticum,* quod Niemann in *Tasch. d. Veterinär-Wissensch. p.* 429. probabili modo ab *αἰθὸς*, *combustus*, hinc *niger*, *ater* ortum esse putat) veteres vocaverunt etc." Ga. *Merve.* Ge. *Rotz.*]

MALLEUS est ex ossiculis illis quatuor in aure contentis unum, a figura ita dictum, quod crassius sit altera sui ex-

tremitate, quae *caput* dicitur, et tenuius altera, quae *manubrium* appellatur. Hoc ossiculum membranae tympani a parte posteriori versus interiora applicatur; habet caput superficiem ex una parte hemisphaericam, ex altera parte inaequalem, duabus protuberantibus eminentiis cum cavitate intermedia donatam pro articulatione cum corpore incudis: hoc locatur in foveola quadam, in parte anteriori, superiori, et media, tympani exsculpta, absque ulla tamen cum eadem connexione, quo efficitur, ut penitus liberum et mobile sit hoc capitulum in ginglymorum incude. Manubrio suo longiori, tenuiori, incurvo, secundum membranae tympani interiora protenditur, ultra eius medium, vel centrum, recta descendit, ei interim firmiter accrescit, praesertim extrema manubrii parte, ubi illud paulo planius est, et sic pro actione musculi proprii dictam membranam introrsum trahit, atque efficit, ut tensa admodum, interim intus versus tympanum conice gibba, extus vero versus meatum auditorium concava sit, sicque varios sonos etiam vario modo propaget. Habet praeterca manubrium duas apophyses, quarum una possidet processum breviorem, crassiorem, acuminatum, tympani membranae parti superiori anteriori quodammodo infixum, eamque versus meatum auditorium aliquantum elevantem. Alter vero processus longissimus, gracilissimus, tenerrimus, incurvus, flexilis, elasticus, fragilis, a plurimis neglectus et praetervisus, a *Caecilio Folio* primum inventus, et postea a *Th. Bartholino*, et *I. I. Rau* animadversus, locatur in sulco quodam ad finem meatus auditorii ossei in hunc finem excavato. Variis musculis malleus regitur. Ge. *Der Hammer im Ohr.* Ga. *Le marteau.* A. *Hammer, beetle.* B. *Het hamertje.*

MALLEUS PEDIS, vide *Malleolus.*

MALOGRANATUM et **MALUM PUNICUM** seu **GRANATUM** est cartilago *xiphoides*, sic ab Arabibus nominata. — Alias fructum denotat.

MALTHACODES [Gr. *μαλθακώδης, mollis,* neutr. *μαλθακώδες*] est medicamentum cera emollitum. A *μαλάσσω, emollio*; *μάλθη* est *cera emollita* secundum Galen. *gloss. Hipp. p.* 518. *μάλθη ὁ κηρὸς, καὶ μάλιστα ὁ μεμαλαγμένος.*]

MALTUM est substantia constans ex seminibus variarum plantarum cerealium, leni calore humido ad germinationem usque fotis, tum exsiccatis, vel tostis. Adhibetur ad coquendam cerevisiam, sed etiam eius infusum recens nostris temporibus summopere in scorbuto commendatur. Ge. *Malz.* Ga. A. *Malt, byne.*

MALVA: hoc sub nomine integra plantarum familia comprehenditur, quae *malvaceae*, vel tubiformes, vocantur, (Monadelph. Polyandr.) a quibus genus Malvarum calyce exteriori triphyllo distinguitur. Plures species ob florum elegan-

tiam in hortis coluntur, aliae plures sponte proveniunt. Quae in usum medicum plerumque adhibetur, est Malva sylvestris folio subrotundo, vel sinuato *Bauh. Malva rotundifolia* caule prostrato, foliis cordato-orbiculatis, obsolete quinqueloba-tis, pedunculis fructiferis declinatis *Linn.* Est haec planta, quae plures habet caules longos, satis crassos, rotundos, medullosos, villosos, ramosos, aliquando rubicundos, repentes. Folia sunt rotunda, aliquantum incisa, villosa, mollia, coloris virido fusci, in margine dentata, caulibus adhaerentia. Flos est monopetalus, campaniformis, patens et multifidus, ex cuius fundo emergit tubus pyramidatus, staminibus plerumque onustus. Ex calyce vero exsurgit pistillum, infimae floris parti adinstar clavi infixum, quod deinde abit in fructum planum orbiculatum, quandoque acuminatum, calyce ut plurimum involutum, e plurimis capsulis constantem, axi ita circumhaerentibus, ut singulae eius striae capsulam suam quasi articulatione quadam excipiant, semine foetam, non raro reniformi. Radix simplex, longa, exigua, alba, saporis dulcis et viscosi. Qualitatis est fatuae et mucilaginosae, viribusque emollientibus, inviscantibus et lubricantibus pollet. Prostant flores, herba et radix, et interne in decocto contra stranguriam, externe in cataplasmatibus et clysteribus adhibentur. Est prima inter herbas quatuor emollientes. Usus olim cibarius fuit. — Eiusdem prorsus qualitatis et virium est *Malva arborea Pharm.* Malva rosea folio subrotundo *Bauh. Alcea rosea* foliis sinuato-angulosis *Linn.* Ge. *Grosse Pappeln, Stockrosen.* Ga. *Mauve des Jardins.* B. *Stock-roosen.* — Gr. *Μαλαχή*, ab emollienda alvo nomen traxit: *μαλάττειν* enim *mollire* significat. Quin etiam sic Latinis, *Varro Malvam,* quasi *Molvam,* quod alvum molliat, dictam esse contendit. Ge. *Pappeln, Käsepappeln, Gänsepappeln.* Ga. *Mauve.* A. *Mallow.* B. *Kaasjes bladen, maluwe.*

MALVATICUM IUNIPERINUM est Rob Iuniperi in spiritu iuniperi solutum, quod ut eximium remedium stomachicum, antiscorbuticum et antinephriticum commendatur.

MALVAVISCUM, vide *Althaea.*

MALUM MORTUUM est [leprae s. gravissimae] scabiei genus, dictum, quod corpus nigrum et quasi mortificatum appareat. Est [lepra s.] scabies cum tumore, livore et nigredine, ac pustulis crustosis, nigris et foedis, sine sanie et sensu ac dolore, in coxis et tibiis praesertim saeviens. [Vid. Sennert *med. pr. V. pars I. c. 27.* extr.] Ge. *Oelschenkel, Todtenbruch.* Ga. *Mal mort.*

MALUS est arboris genus, quod quam plurimas species et varietates, pro loco, vel cultura, inter se sapore, odore, colore magnitudine differentes comprehendit, et cuius truncus habet externe corticem cinereum, asperum, interne fla-

vescentem et politum, lignum durum, album aut albescens. Folia sunt oblonga, obrotunda, quaedam acuta, altera obtusa, leviter in margine crenata, ubi tenera in parte inferiori aliquantulum lanuginosa. Finis pedunculi fit ovarium, cuius margo superior explicatur in coronam, instar calycis monophylli explicatam in quinque magna segmenta expansa. Flos est rosaceus, pentapetalus, ovario intra coronam innatus, habet petala nata ex interstitiis segmentorum, et stamina viginti orta ex calycis interno ambitu. Ovario aucto, petalis excussis, elapsis staminibus, marcescunt quinque tubae longae ovarii, centro emissae. Contrahitur calyx fitque fructus pomum umbilicatum, quinqueloculare, carnosum. Ill. *Linnaeus* Malum, Cydoniam et Pyrum sub idem genus *Pyri* refert, (Icosandr. Pentagyn.) et Malum vocat *Pyrum malum* foliis serratis, umbellis sessilibus. In fructu tamen mali transversim dissecto apparent decem puncta in circulo posita, quae sunt orificia decem canalium, quorum bini e singulis capsulis seminalibus in stylum adscendunt; haec puncta in Pyro desunt. Qualitas malorum, cumprimis cultura emendatorum, est acidula, esculenta, sapida, visque tonica et refrigerans, dulcium magis laxans. Succus expressus per fermentationem in liquorem vinosum abit, qui *vinum pomaceum* (Ge. *Aepfelwein.* Ga. *Cidre.* A. *Cider.*) dicitur. Mala in aqua superhausta facilius digeruntur quam si vinum superbibatur. Malus dicitur, forte a verbo *malo*, desidero, expeto; propter insignem usum alimentarium, cibariumque, vel a Gr. *Μῆλον.* Ge. *Apfelbaum.* Ga. *Pommier.* A. *Apple-tree.* B. *Appel-boom.* [Mala continent acidum peculiare, a Scheelio detectum 1785., per totum regnum vegetabile diffusum. Purum difficulter in parvas crystallos indefinitae adhuc formae abit, quae in massas globuliformes coacervantur; in calore leni liquescit; saporemque exserit admodum acidum. Impurum autem fusci, spissi, et viscidi syrupi formam assumit, in crystallos redigi nequit, odore omni caret, et modice acidum est. Chemicae disquisitioni expositum e principiis carbonico, hydrogenetico et oxygenio constare repertum est, quorum rationes a Vauquelino et Döbereinero diversimode definitae sunt. Carbonici enim in centum acidi partibus ille 28, 3. hic 32, 7. hydrogenii ille 16, 8, hic 2, 8, oxygenii denique ille 54, 9, hic 64, 5, invenit.]

MALUM ADAMI, it. MALUS MEDICA vide *Citrea malus.*

MAMMAE, MAMMILLA, UBER grammaticorum senatus curiosior *ubera*, interiora, *mammas* ipsas eminentias dici voluit, *μαζὸς*, *μαστὸς*, *τιτθὸς*, *τιτθίον*, *μῆλον Suidae*, ob mali in rotunditate similitudinem, *οὖθαρ Hom.* *ὑπηθρον Suidae*, uter proprie pro ubere animalium sumitur. Est corpus

globosum, album et molle, utrinque musculo pectorali anterius in pectore incumbens, integumentis communibus tectum, in viris et foeminis ante pubertatem non multum tumens, in virginibus post annum quartum decimum increscens, in gravidis, puerperis, et lactantibus valde turgens, intus ex glandulis conglomeratis, intertexta multa pinguedine, constructum, quo mediante lac a sanguine arterioso segregatur, in *ductus* aliquos maiores colligitur, qui *galactophori* [a *γάλα*, gen. *γάλακτος*, *lac* et *φέρω*, *porto*] dicuntur, et ex plurimis parvis ramis in maiores, seu folliculosos, confluunt, ex quibus per tubulos minimos circiter quindecim papillam transeuntes, foras in usum foetus convehitur. [Interdum in monstrosam excrescunt magnitudinem, cuius observationem rariorem exhibuit L. Cerutti in Meckelii *Arch. f. Anat. u. Physiol.* 1830. p. 281—310.] Ge. *Die Brüste.* Ga. *La mamelle.* A. *The breasts.* B. *De borst*, *mammen.*

MAMMIFORMES PROCESSUS, MAMMILLARES, MASTOIDEI sunt duae portionis petrosae ossium temporalium apophyses, inferiores, subrotundae, in tenellis infantibus nondum conspicuae, in adultis intus cavae, multisque anfractibus ad partes internas organi auditus pertinentibus donatae, insertioni musculorum inservientes. Ge. *Die Brustförmigen Fortsätze.* Ga. *Apophyse mastoide*, *apophyse mammiforme.* B. *Mamwyze uitsteeksels.* Vide *Mastoidei.*

MAMMILLA idem quod *mamma*. Plerumque de mammis virorum dicitur.

MAMMILLARES PROCESSUS vocantur productiones duae medullosae, planae, albae, utrinque orientes partim ex fine anteriori lobi anterioris cerebri et ex principio crurum cerebri, tum ex lobi anterioris et posterioris intervallo, ipsisque corporibus striatis, tum antrorsum prodeuntes ad latera *cristae galli* ossi cribroso incumbentes, per cuius foramina tenuissima filamenta demittunt, quae per nares dispersa veros nervos olfactorios constituunt.

[**MANATI LAPIDES** s. *Auris Ceti:* sub hoc nomine olim in officinis pharmaceuticis prostabant ossicula, quae forma et magnitudine varia conspicua erant, et eboris duritiem albedinemque prae se ferebant. Quamquam autem S. Hahnemannus illorum sententiam maxime probabilem esse putat, qui illa corpora nihil aliud esse opinantur, quam os petrosum Manati, tamen I. F. Blumenbachii auctoritati hac in re plus fidendum est, arbitrantis, illa ossa ad Trichechum plane non pertinere, sed fragmenta meatus auditorii externi et cavitatis tympani Balaenae Mysticeti esse. Inde quoque diversa corporum illorum figura commode explicari potest. Ad vomitum ciendum, ad dolores ischiadicos leniendos et ad calculos urinarios solvendos olim Manati lapides commendatos esse

Lemery (*Materialien-Lex.* p. 688.) auctor est, qui et adipem, qua Trichechus maxime dives est, propter emolliendi virtutem admodum laudatam esse refert.]

MANDIBULA, MAXILLA, Gr. *γαμφήλη, σιαγὼν, γένυς, γένειον,* [mentum, non mandibulam denotat,] *γνάθος.* Estque superior vel inferior. *Superior* e tredecim componitur ossibus, utrimque sex, cum uno impari. 1. Ad angulum oculi externum, et cum processu ossis temporum anteriore coniunctum, apophysi sua *os iugale* producit. 2. Oculi canthum internum constituit *os unguis,* meatu praeditum amplo, seu canali nasali, per quem ad nares redundans oculorum humiditas descendit. 3. Intra oculi orbitam, reliquis duobus interposita est pars *ossis palatini* orbitalis, quod os etiam palati ossei partem posteriorem efficit. 4. *Os maxillare* maximum omnium, genarum et palati potissimam absolvit partem, *antrum Highmori,* s. *sinum maxillarem*, efformat, in nares patens, et cavernas, seu alveolos, quibus dentium superiorum radices infixae sunt, continet, imo anteriorem palati ossei partem format. 5. Iuxta cum pari suo nasum constituit *nasale.* 6. *Ossa turbinata* sic dicta *inferiora* in narium cavitate latent, et aditum ad sinum maxillarem ex parte angustant. 7. Est impar, quod *vomer* dicitur, narium sepimentum fulciens. — *Inferior maxilla* in infantibus ex ossibus binis componitur, quae per synchondrosin iunguntur, vigente vero aetate in os unicum coalescit, duritie, crassitudine, adeoque robore insigne, quoniam varios et fortissimos motus in mordendo mandendoque sustinere debet. Habet processus duos, acutum unum, qui *corone*, [Oribas. *anat. p.* 182. *εις τὴν γένυν ἀυτὴν παρὰ τὴν ἔκφυσιν τῆς κορώνης.*] vel *coronoideus* dicitur, et cui musculus temporalis inseritur, tum retusum alterum, qui in capituli formam collectus et articulationi inserviens, *condylus* appellatur. Foramina interna possidet duo, totidemque externa vasis et nervis egressum concedentia, inferiores dentes cavernulis excipit, et ossi petroso per processum *condyloideum* coarticulatur. Ge. *Der Kinnbacken.* Ga. *Machoire.* A. *The jawbone.* B. *Kinnebakken*, *Kaakbeenen.*

MANDIBULARES MUSCULI, i. q. *Masseteres.*

MANDRAGORA planta est, quae habet folia immediate ex radice erumpentia, longa, in medio ampla, in fine angusta, polita, coloris viridis, subfusci, odoris ingrati. Flores sunt monopetali, multifidi, campaniformes (Pentandr. Monogyn.). Post florem sequitur fructus mollis, globosus, carnosus, continens semina compressa, ut plurimum reniformia. Radix est longa, crassa, bifida, externe cinerea, ferruginea, interne pallida, odore ingrato et viroso, caput feriente et narcotico. Refert radix fere hominem, inferne duo crura habet, et si superne leviter vulneretur ab utroque

latere, tum excrescunt quasi brachia, et tum superne facile caput formari potest, cui etiam, implantatis hordei, vel milii, granis, capilli affingi possunt. Plantae huic qualitas phantastica et stupefactiva tribuitur, sed per experientiam constat, eam ad convulsiones usque evacuationes provocasse. Hodie, fere ut cum aliis plantis venenatis fit, experimenta institui incipiunt, ut, quas forte sub cauto usu virtutes exserat, innotescat. Tribuunt vero externe in cataplasmate adhibitae resolventem vim in scirrhosis tumoribus, interne anodynam virtutem in arthritide ostendit. Vocarunt quidam ob similitudinem quandam fictitiam anthropomorphon, ab *ἄνθρωπος, homo*, et *μορφὴ, figura,* quasi figura hominis; vel, ut aliis placet, quasi *τῆς μάνδρας τὸ γέρας, speluncarum stabulorumque honos,* quod ad mandras pecorum aliasque speluncas proveniat. *Μάνδρα* enim est spelunca, pecorum stabulum. Gr. *Κιρκαία, Ἀνθρωπόμορφος,* Latinis *canina,* aut *terrestris malus.* Qui *Circaeam* vocarunt, nomen illi a Circe fecerunt, quoniam creditur radix eius ad amatoria conducere. Agyrtae et impostores illi circumforanei radices humana effigie insignitas circumferunt, quas Mandragoras esse testantur, et de iis multa absurda et superstitiosa fabulantur, cum tamen constet, eas esse fictitias, et manu factas ex Cannarum radicibus humana specie sculptis, postea plantatis. In iis radiculae parvae repraesentant capillos, barbam, pectinis pilos. *Terrestre malum* Romani quoque dixerunt. Mas vocatur *μώριον,* et candida est. Foemina nigra, Gr. *θριδάκιας* a similitudine foliorum. Nonnulli *Dudaim* esse contendunt. [Diosc. IV. c. 76. de Mandragora, eius variis nominibus, deque virtutibus, quas in corpus nostrum exserit, egit, ad q. l. cons. Sprengel. De etymo ampla disputatio legitur in Matth. Martinii *lex. philol. praec. etym.* s. v. a Kraus. citato.] Ge. *Alraun.* Ga. *Mandragore.* A. *Mandrake, mandrage.* B. *Alruin, mandraagers-kruid.*

MANDUCATORII MUSCULI, i. q. *Masseteres.*

[MANGLES CORTEX ad Rhizophoram Manglen, arborem admodum proceram pertinet, a Linnaeo Dodecandriae Monogyniae tributam. Foliis acutis, fructibusque subalato-clavatis insignis est, crescitque in locis paludosis et ad fluviorum ripas Asiae, Africae atque Americae. Arbori nomen *ῥιζοφορὸς, radices transportans,* propterea datum est, quoniam plures e trunco prodeunt rami, quae ad terram inclinati radices agunt, atque sic sylvas densissimas et fere impenetrabiles producunt. Color corticis est e flavo fuscus, saporque admodum adstringens. Hinc cortici Peruviano ad febres fugandas suffectus est: Vireyo teste ex hac arbore succus resinosus, *Guarana* dictus, coloris rubri, albis cinereisque punctis distinctus, paratur, qui bene siccatus in frusta conchata dissilit. Ge. *Leuchterbaum, Lichtwurzelbaum.* Ga. et

Lus. *Mangle.* B. *Wilde runboom.* A. *The black mangrove tree.*]

MANGONIUM, MANGONISATIO in genere quidem vilioris rei fuco inducto exornationem denotat. Medicis vero dicitur, dum pretiosioribus simplicibus viliora fraudulenter immiscentur et pro genuinis venduntur: ut si oleis aethereis pretiosis alia viliora, vel aetherea, vel unguinosa, addantur, sicque illa adulterentur, quae tamen artificia variis experimentis sat facile saepe deteguntur.

[MANGOSTANA. Hoc nomine arbor procera, lenti admodum incrementi, insularum Moluccensium, omninoque Indiae orientalis insignitur, addito epitheto *Garcinia.* Vocatur quoque inverso ordine Garcinia Mangostana, aut Laurifolia Iavanensis. Garciniae nomen a Linnaeo in honorem Laur. Garcini, qui de plantis Indiae bene meruit, huic generi tributum est. Incisus ramorum cortex succum fundit flavum. Fructus bacca est corticalis, octosperma, coronata, admodum grati odoris, saporisque paulum adstringentis, unde et in diarrhoeis, inprimis in dysenteria laudatur. Ge. *Der Mangostanbaum.* Ga. *Le mangoustan cultivé.*]

MANIA est imaginationis et iudicii depravatio, seu sensuum internorum perturbatio circa obiecta quaevis, cum excandescentia, et plerumque pravo nocendi, aut evadendi desiderio, caute dissimulato, sine febri et timore. Itaque gradu tantum a melancholia differt. Oritur a quacunque praeternaturali affectione sensorii communis. [Etymologia illustratur in Diss. doctissima Moebii de mania et insania. Ien. 1603. 4.] A *μαίνομαι*, *furo*, *insanio.* Dicitur et *rabies, furor.* Gr. *μανία*, *μανικὴ ἔκστασις*, *λύσσημα*, Ge. *Das Toben, Unsinnigkeit, Wahnwitz, Raserei.* Ga. *Fureur.* A. *Madness.* B. *Dolligheid, razerny.*

MANICA HIPPOCRATIS est sacculus laneus, figura pyramidali, quo vina aromatica et medicamentosa aliique liquores percolantur. Ge. *Filtrirsack.* Ga. *Chausse d'Hippocrate.* A. *Strainer with a narrow end.* B. *Mouw.*

MANIODES est delirium maniae simile. A *μανία, furor,* et *εἶδος, forma.*

MANIPULUS est mensura sicca medicis in praescribendis formulis familiaris; est enim determinata quantitas, quantum scilicet unica manu comprehendi potest; hoc pondere plerumque herbae mensurantur, sic ut manipulus unus tres drachmas pondere aequet. *Manipulus Celso,* quod *Scribonio Largo* fasciculus. Caeterisque omnibus a manipulo differt fasciculus. *Ovidius* manipulum scite circumscripsit, quantum manus una prehendat. Notatur vulgo signo M. vel Man. Ge. *Eine Handvoll.* Ga. *Une poignée.* A. *An hand full.* B. *Een hand vol.*

MANNA est succus mellcae dulcedinis, primo limpidus, sensim vcro a solis calore magis durescens et flavescens, odoris submellci, in aqua, et, accedente calore etiam in spiritu vini totus solubilis, qui in maximo aestivo calorc, aut sponte, aut praevia incisione, ex foliis, ramis et trunco fraxini magna copia exstillat et condensatus colligitur, magis exsiccatur, et ad nos transmittitur. Arbor haec est Fraxinus humilior, folio tenuiore *Bauh.* *Fraxinus ornus* foliis serratis, floribus corollatis *Linn.* (Polygam. Dioec.) et Fraxinus rotundiorc folio C. *Bauh.* *Fraxinus rotundifolia Milleri*, quae in Europa australi, maxime vero in Calabria et Sicilia, nascuntur. Hinc quae in officinis prostat, *manna calabrina* vocari solet, quarum altera, quae purior est, *manna in granis*, vel *electa*, (Ga. *Manne en larmes.*) dicitur, quippe sponte ex arbore prima aestate exstillans, quamve incolae *manna spontana*, vel *manna di corpo* nominant, altera vero, quae provectiori acstate non nisi ex arbore vulnerata defluit, minusque pura cst, et in cannis, vel arundinibus colligitur, *manna cannulata* dici solet, quae humida et quasi deliquio solvi coepit, *manna in lacrymis* vocatur. Sed in regionibus calidioribus ctiam ex aliis arboribus, ut pino, ilice, iunipero, olea, huiusmodi succus mannae prorsus similis exsudat, rarius tamen, ut etiam *manna Brigantina* s. *laricina*, in regionc Brigantina Galliae australis ex Larice exstillans, ad nos pervenit. E frutice spinoso, Alhagi Maurorum *Rauwolfio* et *Tournef.* *Hedysarum Alhagi* foliis simplicibus etc. *Linnaeo* dicto, in insulis quibusdam maris Acgci, Arabia, Persia et australibus regni Astrachanensis limitibus obvio, exudat *manna Tereniabin*, s. *Trunschibin*, s. *manna Persica* dicta, quae plcrumque in lacrymis reperitur, et ab incolis dictarum rcgionum loco calabrinae adhibetur. Huius apud mcdicos Arabes frequens fit mentio. Mannae Calabrinae frequentissimus in medicina usus est; eximiis enim leniter laxantibus, obtundcntibus, demulcentibus et thoracicis virtutibus pollet, et tutissime etiam infantibus et maxime debilibus a drachma una ad unciam et ultra propinatur. Ob qualitatem tamen aliquantum flatulentam non male ei lenior stimulus salinus, cum aromate quodam carminativo, additur. In sero lactis soluta calculosis, mictui cruento obnoxiis, levamen adfert. Mannam quidam veterum fuisse saccharum suspicantur, quod tamen *Plinius sal Indum* vocat. [Analysis chemica mannae cannulatae, a Buchholzio instituta, docuit, centum eius partes contincrc Mannitae s. Mannines 60, materiae extractivae gummosae 0, 75, fibrosae glutini similis matcriae 0, 25, gummi dulcis parumper 1, 50, sacchari mucosi, cum principio colorante iuncti, 5, 50, aquae et iacturae 32.] Gr. *δροσόμελι* et *ἀερόμελι*. Ge. *Manna.* Ga. *Manne.* A. *Manna.* B. *Manna, honingdauw.* — *Manna* dicuntur semina in graminis quadam specie provenientia. Est

haec *Festuca fluitans* panicula ramosa erecta, spiculis subsessilibus teretibus muticis *Linn.* (Triandr. Digyn.) Gramen mannae esculentum *Loes.* Passim in Europa, praecipue vero abunde in Polonia, sponte circa rivos et stagna provenit. Gramen ipsum iumentis suavissimum et utilissimum pabulum praebet. Seminis vero hodie frequentissimus usus culinaris et cibarius est, dum vario modo coctum eximium etiam maxime exhaustis nutrimentum suppeditat. Ge. *Mannaschwingel, Schwadengrass.* Ga. *Manne.* A. *Float-grass.*

MANNA CHYMICORUM, item **MERCURII** est destillatum quoddam ex praecipitato albo, nivis instar albissimum. Alii *mercurium dulcem solarem* nominant. Vocatur et *aquila coelestis.*

[**MANNA LARICINA.** Vide *Larix.*]

MANNA THURIS, vide *Thus.*

[**MANNITA** s. **MANNINE**, a Fourcroy et Vauquelino detecta, vocatur illud principium saccharaceum, quod maximam mannae electae partem efficit. Crystallos parvas, albas, pellucidas, admodum tenues, quadrilateras, dulcem linguae saporem imprimentes, format, quae, Saussureo teste, e carbonii 47, 82, oxygenii 45, 80, hydrogenii 6, 06, azoti 0, 32 constant. In alcohole frigido non solvitur, in calefacto parum, in spiritu vini calido tanta in copia, ut liquor refrigeratus a crystallorum formatarum multitudine quasi congelascere videatur. Ga. *Mannine.* Ge. *Mannazucker.*]

MANSORII MUSCULI, i. q. *masseteres.*

MANUS in genere sumitur pro ea parte a summo humero ad digitorum extremitates. Sed stricte dividitur in *brachiale,* vel *carpum,* in *postbrachiale* et *digitos.* Interna postbrachialis pars *vola,* seu *palma,* exterior autem dicitur *dorsum.* Gr. *Χεὶρ.* Ge. *Die Hand.* Ga. *La main.* A. *The hand.* B. *De hand.*

MANUS CHRISTI est saccharum perlatum, scilicet saccharum in aqua rosarum coctum, additis perlis. Sic forte dicitur, quod cardiaca ingreditur, quo utuntur morte proximi. Ge. *Perlenzucker.* Ga. *Sucre de perles.* A. *Pearle suggar.* B. *Paerel-suiker.*

[**MANUSTUPRATIO** s. **MASTURBATIO** vocatur perniciosissima libido, qua digitorum ope partes naturales tam diu titillantur, donec seminis eiaculatio fuerit perfecta.]

[**MARANTA** *arundinacea,* culmo ramoso herbaceo, foliis ovato-lanceolatis subtus pilosiusculis. Willden. (Monandr. Monogyn.) Olim pro ea planta Indiae orientalis habita est, cuius radices amylum largiuntur, quod sub nomine *Arrowroot* nuper ex Anglia, ubi iam diu in usu fuit, ad nos quoque transfertur. Vires eius admodum nutrientes laudantur, ob quas cum et facile concoctu sit, iis, qui e gravi morbo con-

valuerunt, infantibus scrophulosis et atrophicis, et feminis ob lactatum multum debilitatis valde commendatur. Praeter nutrientes exserit quoque medicas vires demulcendo in raucedine, catarrho vehementi similibusque morbis. Marantam indicam sunt, qui idem amylum largiri asserant, v. c. auctores *Dictionn. de méd. chirurg. art. veter. pharm.* etc. p. 60. Alii autem, v. c. Martius Erlangensis ex Sagittariae sagittifoliae radicibus amylum illud praeparari volunt, et ad suam sententiam firmandam provocant ad nomen germanicum: *Pfeilwurzelmehl.* Vide *Sagittaria.* Cons. D. Kummer ad Richardi *medic. Botan.* I. p. 167. II. 1244. et Jos. Schneider *üb. Systemsucht, nebst ein. Anhange üb. Arrowroot u. Crotonöl.* Fulda 1823.]

MARASMODES est *febris,* quae lento gradu tabem accersit. Ex *μαρασμὸς, tabes,* et *εἶδος, forma.* Ge. *Abzehrendes Fieber, Schwindsucht.* Ga. *Fièvre lente,* ou *de langueur.* B. *Een uitdroogende* sive *uitteerende koorts.*

MARASMUS est tabis species sine febre, oriens a nimia rigiditate solidorum defectu fluidorum et exsiccatione corporis; oculi aegrorum hoc malo laborantium sunt concavi, collapsa tempora, nares acutae, prominentes malae, costae protuberantes, scapulae instar alarum et claviculae instar arcus eminent: exserit se spina dorsi, collabitur venter, clunes pendent, aut consumuntur, manus aridae sunt, incurvantur ungues, cadunt pili, atque tota cutis evadit flaccida, arida, fusca et in rugas contrahitur, venis interdum conspicuis et eminentibus. Urget interdum inexplebilis sitis, fames perit, respiratio existit summe difficilis, denique alvi fluor et tandem mors insequitur. Huic morbo senes obnoxii sunt, quo placide exspirant et hic proprie *marasmus senilis* vocatur. A *μαραίνω, marcesco.* Ge. *Fieberlose Abzehrung.* Ga. *Consomption, phthisie, langueur.* A. *Consuming fever, consumtion.* B. *Uitteerende, sleepende ziekte.*

MARATHRUM est *foeniculum,* antiqui vocarunt *ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν, τοῦτ᾽ ἐστὶ λάμπειν, καὶ ἀθρεῖν,* quod est videre, lucere, quia visus aciem excitat. Recentiores vocarunt, quod foliis teneris mollibusque sit, vel quod molliendi vim habeat. Nonnulli tamen deducunt *ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι,* a *marcescendo,* cum eius usus multus, cum marcuerit et marcidum fuerit, ad condienda plurima sit. Vide *Foeniculum.* [A. *The fennel.* Ga. *Le fenouil.*] Ge. *Fenchel.* B. *Venkel.*

MARCASITA, sive **BISMUTHUM,** vel **WISMUTHUM,** est semimetallum, Wismuthum *Wall. Wismuthum nativum commune Linn.* scilicet substantia mineralis, semimetallica, colore plumbi et stanni intermedia, utroque durior, stibio similis, fragilis et scissilis, fractum splendens et strias latas habens, ante ignitionem liquescens, tinniens, manus inficiens, in acido nitroso solubilis, sed acido vitriolico resistens.

Reperitur in Germaniae potissimum fodinis et albo nitore argentum aemulatur, stanno vero et plumbo additum in massam abit, quae lenissimo caloris gradu liquescit. [Vocatur haec mixtio *metallum d'Arceti.*] Wismuthi minera, quae vulgo marcasita audit, hoc semimetallum arsenico et cobalto mineralisatum continet. — (*Marcasitis* nomine, Ge. *Marcasiten*, *Giftsteine*, etiam a nonnullis crystalli pyriticae insigniuntur.) Veteribus incognita fuit, cum huensque tantum in Germaniae fodinis reperta sit. Usus ad quosdam labores chymicos. *Flores marcasitae*, qui per sublimationem ex minera praeparantur et arsenicales sunt, atque magisterium, quod per praecipitationem fit, qualitate exsiccante pollent, hinc praecipue in collyriis et inter remedia cosmetica adhibentur. [Sub nomine *Blanc d'Espagne* Gallis, nostratibusque *Schminckweiss* notum, quamquam sanitati minus inimicum est, quam cerussa, tamen hoc incommodum habet, quod et a solis radiis, et ab exhalatione cutanea eius albedo flavescat.] Usus internus valde suspectus est. [Experimenta Odieri, qui internum eius usum primus contra spasmodicos morbos commendavit, aliorumque luculentissime probant, hac in re Blancardum erroneam fovisse sententiam. Vid. Bass. Carminati *opusc. therap.* to. I. Dosis eius $\frac{1}{4}$ usque ad 12 grana.] Ge. *Wismuth*, *Marcasit.* Ga. A. B. *Marcasite*, *bismuth.*

MARCOR, i. q. *marasmus.*

MARGA: hoc nomine solent indigitari varia terrarum genera, quae tamen multum ac vere inter se differunt. Aliud genus margae est id, quo nunc nostra aetate adeo frequenter utuntur oeconomi ad agrorum fertilitatem promovendam, quod cum natura sponte in aëre fatiscit, tenaces nimis terras egregie corrigit. Hoc ex argilla et calcarea terra, sive, ut alii putant, ex argilla et arena, sive ex argilla, arena et calcarea terra simul mixtum, ut plurimum in stratis horizontalibus occurrit et eius variae species colore, tenacitate, mixtione differentes, a mineralogis recensentur. Alterum genus, quo uti quondam et medici solebant ad roboranda laxa intestina, vel ad compescendas haemorrhagias, in saxorum rimis et fissuris invenitur, hinc et *medulla saxorum* appellatur. Hoc ex mera pingui argilla constat, quae a ferro saepius aliisve metallis vel rubicunda, vel vario colore tincta est, et ratione duritiei maioris minorisve variat, ita, ut laxius cohaerens *agaricus mineralis*, falso tamen; durius vero soleat dici *lithomarga stenomarga*, addito in officinis pharmaceuticis a solo natali desumto cognomine, e. g. *lithomarga Rochlizensis; marga lemnia* etc. Effoditur in Saxonia species quaedam lithomargae egregie variis coloribus picta, quam *terram miraculosam Saxonicam* nominant, quam multi marmor nondum perfectum esse censent, inepte tamen, cum nil calcarei in se contineat. Usus medicus lithomargae nunc

prorsus obsolevit, licet quondam inter terrarum sigillatarum farraginem omnino locum obtinuerit. Prius *oeconomorum marga* est. Ge. *Mergel.* Ga. *Marne, agaric mineral.* A. *Marl.* B. *Mergel.* — Alterum, *marga* nimirum *medica*, Ge. *Erd-* oder *Steinmark.* Conf. *Lithomarga.*

MARGARITAE *perlae* dictae et *uniones*, si magnae sint, quoniam non sine magno labore aliae aequalis magnitudinis, formae et albedinis reperiri possunt. Sunt lapides, sive calculi, plus vel minus rotundi, in conchis plerisque bivalvibus reperiundi, et ex eadem substantia, vel succo ex animali exsudante et per lamellas sibi accrescentes geniti, e quo ipsae concharum valvae formantur et increscunt. Quae proprie *margaritae orientales* vocantur, habitant intra valvas conchae, quae est *Mya margaritifera*, pertinens ad vermes testacea, scilicet animalia mollusca, simplicia, domo calcaria propria obtecta. In mya est animal exserens proboscidem apice biperforato, testa bivalvis hians, cardo dente solido, crasso, patulo, nec inserto testae oppositae. Species est mya testa ovata antice coarctata, cardinis dente primario conico, natibus decorticatis. Intra has ergo valvas plures huiusmodi globuli inveniuntur, ideoque ipsae valvae *mater perlarum* vocantur. *Occidentales* ex *Mytulo margaritifero*, qui in rivulis Europae habitat, obtinentur. Orientales occidentalibus splendidiores sunt, adeoque caeteris praeferuntur, et praesertim Persicae. Hae lactescunt, minusque sunt splendidae. Maiores itidem, rotundae et nitidae, censentur minoribus et minus rotundis maturiores et praestantiores. In medicina dicuntur cor roborare, sed vix aliae vires, praeter absorbentes, quas cum ipsa matre perlarum, coralliis, similibusve communes habent, in iis observantur; hinc praecipue margaritarum vires consistunt in temperando. Arab. *Lulu.* Gr. *Μαργαρίτης.* Ge. *Perlen.* Ga. *Perles.* A. *Pearls.* B. *Paerel.*

MARGARITA, vide *leucoma.*

MARIS est mensura decem choarum Atticarum, vel librarum octoginta trium cum unciis quatuor.

MARISCA est tumor in margine ani enatus, ruber, saepe dolens et cruorem fundens, sponte dein recedere solitus. Vide *Ficus.* Ge. *Feigwarzen.* Ga. sed minus proprie, *hémorrhoides.* [Hoc ipso tamen sensu Callisen syst. chirur. II. §. 153. voce *marisca* usus est pro tumore haemorrhoidali.]

MARMARYGAE sunt oculorum fulgores et coruscationes et scintillae, magis vel minus fugitivae, ob oculos versantes, rursumque subito disparentes, hinc Latinis *suffusio scintillans* dicuntur, et a quacunque tunicae retinae affectione, ab aliis causis, quam a radiis lucis, pendente, oriri possunt. [Incongrue derivavit Blancard. a *μαραίνειν*, ipsique falsam tribuit *resplendendi* notionem. Nam *μαραίνειν* non nisi de

flamma, quae corpora consumit, exsiccat et debilitat, adhibetur. Sed rectius vox *marmarygae* derivatur a *μαρμαίρειν*, quod, Suida et Zonara testibus, *lucere* significat.] Ge. *Funken vor den Augen.* Ga. *Berluë éntincellante,* ou *rayonante.* B. *Het vuur, dat uil de oogen springt.*

MARMELATA et **MARMELADA** est succus cydoniorum in gelatinam crassiusculam cum saccharo condensatus: eaque tum simplex est, tum aromatisata, idque pro usu medico, aut domestico. Venit a voce Lusitanica et Hispanica. *Marmelos* enim et *Marmellos* illis [Lusitanis] malum cydonium est. [Hispani illud *membrillero, membrillo,* aut *membrilla* vocant.] Dicitur etiam Miva. Ge. *Quittenbrod, Quittenlatwerge, Marmelate.* Ga. *Marmelade, cotignac.* A. *Marmelade.* B. *Marmelade, quee-vleecsh.*

MARMOR lapis est calcarius, igne scilicet in calcem mutabilis, chalybe rasilis nec scintillans, nisi metallo impraegnatus, cum acido effervescens et solubilis, in maxima saxa concrescens, triplo fere aqua gravior, insigniter durus, ac ad splendorem accipiendum, si poliatur, ita aptus, ut statuae, vel columnae egregie nitentes inde sculpi possint. Genera multa, ut et plurimae species sunt, cum nec certa illis figura, nec color certus sit etc. Gr. *Μάρμαρος, a splendore.* Ge. *Marmelstein, Marmor.* Ga. *Du marbre.* A. *Marblestone.* B. *Marmersteen.*

MARMORARIA seu corrupte *Mamolaria* est *Acanthus,* seu *Branca ursina,* sic olim Romanis dicta, quod eius folia columnarum maxime Corinthiarum capitulis insculpebantur, quarum identidem tam scapi, quam vertices, marmore splendebant.

MARMORATA AURIUM est liquor tenax, pinguis, flavus, amari saporis, collectus in meatu auditorio externo, secretus ex glandulis, meatum illum ambientibus, et hunc liquorem in folliculis colligentibus, et per tenues ductus evehentibus; inservit liquor inunctionibus membranae intimae meatus auditorii, ut servetur mollis, aequalis, polita, ab aëre defendatur, inviscetque omnia animalia et sordes cunctas, quae alioquin ad tympanum usque reperent, vel hanc membranam laederent. Gr. *Κυψελὶς,* et inde *Κυψελόβυστος* nuncupatur [is, cui a cerumine aurium accumulato meatus auditorius externus obturatus est.] Item *ὤτων ὠρενὸν* [?], *aurium sordes.?* Vide *Cerumina.*

MARRUBIUM est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) cuius species officinalis est *Marrubium album* vulgare *Bauh.* *Marrubium vulgare* dentibus calycinis setaceis, uncinatis *Linn.* Habet caulem lanuginosum, quadratum, ramosum, excavatum. Folia obrotunda, sibi invicem opposita, rugosa, crassa, nervosa, in margine incisa, lanuginosa, villosa, albescentia, odo-

rantia, saporis acris et amari. Flores sunt minimi, albi, in verticillis densis distincti, circa caules nudi, labio superiori elato, et velut in cornua fisso, inferiori tripartito, media portione plerumque bifida. Semina quatuor oblonga. Radix fibrosa, nigra, odoris aromatici, penetrantis, et grati. Crescit haec planta in locis incultis. Vocatur ita, quod marcescentibus et tabescentibus prosit; vel quod eius folia marcida et squalentia videantur, quasi a rubigine exesa forent. Putredini resistit, hinc externe in gangraena, interne in ictero, summopere laudatur. Sed etiam specificae ei virtutes anthelminthicae et praecipue emmenagogae tribuuntur, hinc infusum frequenter ad provocandos menses, nec minus in asthmate humido, eximio cum effectu adhibetur. Ge. *Weisser Andorn, weisser Dorant, Lungenkraut.* Ga. *Marrube blanc* sive *commun.* A. *White hore-hound.* B. *Witte andoren, malrove, longekruid.*

MARRUBIUM NIGRUM, vide *Ballota.*

MARS, belli deus, sed a chymicis sumitur pro ferro, aut chalybe. Unde *martialia* dicuntur medicamenta, quae ex Marte parantur. Vide *Ferrum.* Ge. *Eisen, Stahl.* Ga. *Fer, acier.* A. *Iron, steel.* B. *Yzer, staal.*

MARSUPIALIS MUSCULUS, sive **BURSALIS** et **OBTURATOR INTERNUS** est stratum fibrarum muscularium undique margini foraminis ovalis ossium innominatorum, et membranae tendineae id foramen obturanti in superficie interna adhaerens, et compactis fibris et fine tendineo inter spinam et tuberositatem ischii exiens atque inter musculos geminos decurrens, tandem superiori et internae parti trochanteris maioris femoris inseritur, et actione sua femur una cum sociis rotat, sic scilicet movet, ut calx pedis introrsum, digiti extrorsum dirigantur. Ge. *Der verstopfende Schenkelmuskel.* Ga. *L'obturateur interne.* A. *The bursal muscle.* B. *De innerlyke stop-spier, beurs-spier.*

[**MARSUPIUM** est pars quaedam, quae in oculis omnium avium, si unam *Ardeam virginem* exceperis, deprehenditur. Vid. infra *Pecten.*]

MARTAGON est *Lilium* purpureo-croceum, petalis reflexis. Est et vox chymica, obscurae significationis. *Martagon* est vox origine Gallica, et forte ex Turcia translata. Ge. *Türkischer Bund, Goldwurzel.* Ga. *Lis sauvage, lis martagon.* A. *Martagon,* sive *turks cap.* B. *Berg leli, martagon, krul-lelie.*

MARTIALIA, vide *Mars.*

MARTIATUM UNGUENTUM olim fuit duplex, *maius,* vel *minus.* Sed minus maiori praestat, ideoque solum fere in officinis prostat. Ex variis herbis aromaticis, oleis, cera, adipibus, gummis etc. componitur, et adversus nervorum et tendinum mala commendatur; sed et laudabilis eius in in-

farctu et obstructione viscerum effectus est, cumprimis si cum unguento de Arthanita coniungatur. Nomen a *Martiato* medico invenit. Ge. *Nervensalbe.* B. *Zenuwzalf.*

MARTIS EXTRACTUM est Gallicis pharmaceutis ferrum cum cremore tartari unitum et ad consistentiam extracti inspissatum. Apud nos solutio ferri, mediante quovis acido vegetabili, ita vocatur. Hinc extractum martis pomatum, cydoniatum e. s. p. in nostris officinis prostant.

MARTIS OLEUM, massa, quae sub praeparatione florum salis ammoniaci martialium in retorta remanet, si deliquescat, hoc nomine insignitur. [Synonyma: *Oleum Martis per deliquium, Liquamen Martis.*] Ge. *Eisenöl.*

MARTIUS PANIS, vel **PASTA REGIA**, fit ex amygdalis excorticatis, instar pulmenti crassioris cum aqua rosarum contusis, et saccharo ana, vel amygdalarum partibus duabus, sacchari parte una: tum supra ignem in aheno diligenter agita, usque dum superflua humiditas evaporaverit, depseque simul in massam manui non adhaerentem, ex qua deinde lautia praeparantur. Ge. *Marcipan.* [Vide infra *Panis St. Marci.*]

MARUM seu **MARUM SYRIACUM**, vel **VERUM** est planta flore monopetalo unilabiato, galea scilicet carente, hinc ad Teucria pertinens; *Teucrium marum* foliis integerrimis, ovatis, petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis, oppositis *Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) Marum Cortusi *Bauh.* Qualitatis est spirantis, acutissimae, sed per exsiccationem illico pereuntis. Commendatur ut remedium nervinum, emmenagogum, errhinum et cordiale, et in variis morbis nervorum proficuum. Nascitur in regionibus calidis, ut Insulis Stoechadibus, Creta, Hispania, indeque ad nos translatum passim colitur. Ge. *Katzenkraut, Schlagkraut, Katzen-Gamander.* Ga. *Maron, germandrée maritime, herbe aux chats.* A. *Syriack marum, the cat-thyme.* — *Marum vulgare* s. *Mastichina* est *Thymus mastichina Linn.* Ga. *Amberkraut.* Ge. *Maron.* A. *Herb-mastick, mastick-thyme.* — Dici volunt a rege quodam Thraciae, cui nomen *Maro* fuit, sed verisimilius ab Amaraco, per apocopen, nomen impositum.

MAS in regno animali et vegetabili id dicitur, quod partibus in certum finem structis gaudet, quibus alterum eiusdem speciei foecundare, et sui similis procreationem efficere potest. Sed in chirurgia sic vocatur instrumentum oblongum et acuminatum, quod modiolo, sive trepano, inditur, ut trepanum in initio firmiter consistat. Vide *Modiolus.* Ge. *Das Männchen im Trepan.* Ga. *La pyramide du trepan.* A. *A borer* seu *trepan.* B. *Het mannetjes panboor.*

[**MASCHALOPANUS** pro *pano* h. e. abscessu axillari, non tolerandum, cum vox hybrida sit. A *μασχάλη*, *axilla,*

et *panus*, quod suo loco videndum est. Si graeca denominatio magis, quam latina: *panus axillae*, placeret, poterat *μασχαλοφύγεθλον* morbus vocari. Ge. *Achselbeule*, sive etiam *Achseldrüsengeschwulst*.]

[**MASLACH** s. potius M*oslich*, مصلح, est vox arabica, quae *emendans*, *restaurans* denotat. Hoc nomine, quo quodlibet remedium, vires amissas reficiens insigniri potest, in India orientali illud inprimis medicamentum significatur, quod praecipue opium, quod apud Arabas *Afiun*, أفيون (conf. Kempferi *am. exot.* p. 19.) s. *Ofium* est, ingreditur. Posterius nomen e vocis pronuntiatione, Persis *a* uti Suecorum å efferentibus familiari ortum est. Medicamentum, teste viro docto in Itiner., in *Eph. N. C.* an. II. obs. 69. exhibito, componitur e seminibus Cannabis sylvestris, Araca, saccharo et opio, in electuarii aut pilularum formam redactis, atque ab iis assumitur, qui aut Martis, aut Veneris proelia inire cupiunt. Kempferus *l. c.* similem medicinam regi Persarum, qui in tenera adhuc aetate Veneri nimium litaverat, a medicis commendatum memorat, quae ex opio cum ambra, moscho et aromatibus subacto constabat. Vid. et Muradgea d'Ohsson *Schilder. d. Othoman. Reichs* Th. II. p. 222.]

MASSA dicitur de quibuscunque rebus compositis. Saepe nominatur omnis sanguis, in toto corpore simul sumtus, massa humorum, vel sanguinis. — *Massa* dicitur quoque omnis compositio ex pulveribus aliisque rebus siccis, cum fluidis et resinis in unam substantiam redactis, uti sunt massae pilularum, massae emplastrorum etc. — Sic et *massa* vocatur carnis quaedam excrescentia. Ge. *Ein Teig.* Ga. *Paste, masse.* A. *Past, masse.* B. *Een deeg, masse.*

MASSETERES, MANSORII, seu **MANDUCATORII,** et **MANDIBULARES** sunt *musculi* maxillae inferioris crassi et carnosi, qui amplo validoque principio, a maxillae superioris osse primo et osse iugali producti, maxillae inferioris margini inferiori exteriori per spatium quatuor fere digitorum inseruntur. Maxillam inferiorem fortiter adducunt ad superiorem. In canibus, praecipue molossis, hi musculi valde conspicui sunt. A *μασσάομαι*, *manduco.* Ge. *Die Kaumuskeln.* Ga. *Les masseters.* A. *The muscles of the lower jaw.* B. *Kaauw-spieren.*

[**MASSICOT.** Sic vocatur plumbi oxydum, flavi coloris, quod ex sic dictis *cineribus Saturni*, dum per unam alteramque horam caloris gradui, ad plumbum fundendum idoneo, exponuntur, obtinetur. In pictorum usum solummodo cedit. Ge. *Massikot, Bleigelb.*]

[**MASSOY CORTEX** ex arbore Novae Guineae botanicis nondum cognita desumitur, quam sunt, qui Myrtum caryo-

phyllatam esse putent, de quo Hahnemann. *Apothekerlex.* Th. II. p. 64. dubitat. Cortex tenuis est, extus epidermide subcana, striata tectus, intus tum colore, tum sapore Laurus Cinnamomi cortici similis, odoremque dulcem et gratum spargit. Incolae illius terrae recentem cum cortice Culilavan contusum, et in pultem redactum corpori hyemis tempore ad frigus arcendum inungunt. Hinc adversus perniones proficuus esse creditus est. Ex odore et sapore cinnamomeo fortasse eius virtus stimulans roboransque colligi poterit.]

MASTICATIO, et **MANDUCATIO** est actio, quae maxillam inferiorem versus superiorem adducendo, varie declinando, et antrorsum, retrorsum, dextrorsum et sinistrorsum movendo, interceptos cibos dentibus comminuit, et salivae in ore admiscet; ideoque nexum eorum recludit, et succis dissolventibus, qui in ventriculo sunt, faciliorem ingressum ad ulteriorem resolutionem parat. Ge. *Das Kauen.* Ga. *L'action de mâcher, mastication.* A. *Knawing, mastication.* B. *Kaauwing.*

MASTICATORIUM est medicamentum, quod ore detentum, saepius masticatum et dentibus contritum, acrimonia sua glandulas ductusque salivales stimulat et hac ratione salivam prolicit; ex *pyrethro, sale, mastiche, semine sinapi, nasturtii, cardamomo* etc. praeparatum. Ge. *Eine Arznei die man kauet, Kaumittel.* Ga. *Masticatoire.* A. *Masticatory.* B. *Kaauw-middel.*

MASTICHINA, est *Marum vulgare.*

[**MASTITIS** est mammae inflammatio, quae vel acuta, vel chronica esse potest. Prior ut plurimum lactationis tempore obvenit, et nisi mature medicamentis discutientibus oppugnata fuerit, suppuratione terminatur. Altera mastitidis forma rarius quidem occurrit, sed nihilo minus medico practico scitu necessaria est, quoniam magnam cum scirrho similitudinem alit. Nam durus, dolorificus, in mammae profunditate sedem habens tumor cum aucti caloris sensu, pulsatione atque pungentibus doloribus coniunctus adest, qui, nisi apta hirudinum et cataplasmatum discutientium applicatione tractetur, in suppurationem abit. A μαστὸς, *mamma.* Ge. *Entzündung der Brüste.* Ga. *Inflammation de mammelles.*]

[**MASTIX** s. **MASTICHE**, s. **RESINA MASTICHES** provenit e Pistacia Lentisco L. quae in Oriente insulisque Archipelagi, nec non in australibus Europae terris crescit. In insula Chio arbuscula illa, decem vel duodecim pedes alta, diligenter colitur, pagique plures, qui prae caeteris huic culturae operam dare solent, nomen inde adepti sunt. Resinae huius obtinendae ratio haec est. Mense Augusto cortex Pistaciae transversim inciditur, e quibus vulneribus, modo tempestas serena et sicca fuerit, succus tam copiose propullulat, ut in terram depluat, et interdum satis magnas for-

met massas, coloris ex albo citrini et non nihil viridescentis, modicaeque duritiei, plus minus pellucidas, friabiles, quae in superficie pulvisculo albo obtectae sunt, diffractae superficiem levem et splendentem offerunt, et manducatae aeque ac prunis candentibus iniectae gratum odorem spirant. Hinc regionum orientalium feminae, ut ipsarum anima suaviter oleat, gingivae roborentur dentesque conserventur, fere semper mastichen masticare solent. Duo sunt eius genera, quorum alterum guttas seu grana refert, indeque *mastiche in granis s. guttis* nominatur, alterum e granis puris, impuris, viridescentibus, subcoeruleis, nigris constans, quibus sordes intermixtae sunt variae, viliori pretio habetur, et nomen *mastiches in sortis* accepit. A fraudulentis hominibus cum Sandarachae, pini aliarumque arborum resinis mangonisatur. Prius cognoscitur, quod mandicata non lentescit, sed in fragmenta dissilit, nec oleo terebinthinae solvitur; posterius odor iniectae in prunas candentes talis resinae ingratus prodit. Chemicam mastiches rationem diligenter Pfaffius (*Mat. med.* III. p. 96. ss.); praeparata autem in medicos usus facta Murray (*Appar. medic.* to. I. p. 131. ed. sec.) enumeravit. Vires huic resinae olim leniter roborantes, adstringentes et balsamicae tribuebantur, eamque ob causam post sedatum haemoptoës insultum, contra alvi fluxum diuturnum, aut fluorem album, ventriculi debilitatem etc. interne adhibebatur. Eidem fini quoque inservit extus sub suffitus forma partibus debilitatis, laxis, aut dolentibus admota. Mastiches nomen iam Etym. Gud. p. 381. a *μαστίζω* derivavit, quod aut a *μάσσω, mollio,* aut ab *ἱμάσσω, caedo flagellis coriaceis,* deductum esse putat. Eiusmodi flagellis, e quatuor lineis coriaceis constantibus, in insulis maris mediterranei Pistaciam Lentiscum, ut e vulnerato cortice succus exstillet, caedi testatur Krausius (*Griech. etym. Lex.* s. v.) — Ge. *Mastix.* Ga. *Du mastic.* A. *Mastick.* B. *Mastik.*]

[MASTODYNIA est dolor aut continuus, aut periodicus vel unius, vel utriusque mammae, adeo interdum acutus, ut aegrota nec levissimum partis dolentis attactum, quin ne aëris quidem paulo frigidioris afflatum perferre queat. Cuius quidem mali simplicissima forma nullam omnino, praeter dolorem, partis affectae mutationem in sensus incurrentem ostendit, adeoque soli nervorum irritationi tribuenda est. Interdum una alteraque mammae pars paululum intumescit, et praecipuam dolorum vehementissimorum sedem constituit. Dolores non semper intra mammae fines continentur, sed saepius usque ad axillam brachiumque lateris affecti propagatur. Morbus hic, a materia rheumatica, arthritica etc. pendens, feminas quoque extra graviditatis puerperiique tempora infestare solet. Optime de eo egit Iustamond. Tracts. 4. p. 380. ss. A *μαστὸς, mamma,* et *ὀδύνη, dolor.* Ge.

Nervöser Schmerz in den Brüsten. Ga. *Douleur de mammelles.* A. Astl. Cooper alteram morbi formam, cum intumescentia mammae coniunctam, vocat *the irritable tumour of the mamma.*]

MASTOIDEI et **MASTOIDES** sunt processus mammiformes, qui a latiore basi in obtusum verticem protenduntur, et vaccinum uber figurae similitudine exprimunt, ossibus temporum acereti, siti ad latus et infra meatum auditorium. Item sic vocantur *musculi capitis flexorii*, seu *sternomastoidei*, qui duobus distinctis principiis a sterno et clavicula orti, in mammiformem processum terminantur, et caput antrorsum flectunt. Ex *μαστὸς, mamma,* et *εἶδος, forma.* Vide *Mammiformes processus.*

MASTOIDES, i. q. *mastoidei.*

MASTOS, i. q. *mamma.*

[**MASTURBATIO** vide *manustupratio*].

[**MATALISTAE RADIX** ad nos per mercatores Batavos ex India orientali adfertur. Arbor, unde desumta est, ignoratur. Sub orbiculorum, aliquot lineas crassorum, variaeque diametri (nam occurrunt, quorum diameter quinque pollices aequat) forma in officinis Batavis prostat. Horum orbiculorum color ab exteriore parte rugosa cinereus, versus interiora albidus; textura autem undulata et rara, unde pondus, satis magnum, mirum est; firmitas denique exigua. Vires alvum moventes huic medicamento tribuuntur in *Pharm. Bat.* II. p. 101. Hinc ad resinam inde extrahendam adhibetur, quae pro resina Ialappae vendi solet.]

MATER, i. q. *matrix*, seu *uterus.* Praeter hoc significat foeminam, quae peperit.

MATER ut *Sol pater*, chymicis dicitur *luna*, vel *argentum.*

MATER DURA, DURA MENINX, [*μῆνιγξ, membrana* quaelibet, inprimis cerebri, *σκληρὰ, dura,* s. *παχεῖα, crassa.* Sic statim ab initio Oribas. *anat. p.* 2. etc.] quam Arabes *matrem* dixerunt, aut quod arabico idiomate operimentum, quo alia corpora defenduntur, mater appelletur, aut quod ab ea, ut a pia, membranas corporis humani reliquas gigni persuaderentur, est membrana elastica, insensilis, densa, e fibris valide implexis constans, cuius lamina exterior arcte undique internae cranii superficiei adhaerens, per omnia foramina cranii prodit, in orbitam, eumque nervorum itineribus et cum periosteo capitis et vertebrarum continuatur. Lamina vero interior cerebrum et cerebellum, interiecta tunica arachnoide et pia matre, arcte obtegit, et productiones medullares vaginis involvit et comitatur, sicque nervos constituit. In cranio deorsum producta sua substantia, quae *falx* vocatur, cerebrum in duo hemisphaeria distinguit, tum transversim producta substantia, quae *tentorium* dicitur, cerebrum a subiecto cerebello separat. Duae laminae passim a se disce-

dentes, prismaticos quasi canales formant, qui *sinus* vocantur, et in quos venae encephali sanguinem effundunt, ulterius ad venas iugulares transmittendum. Horum *sinuum* praecipue sunt quatuor, *falciformis*, *occipitalis*, et *duo transversales*, qui inter cerebrum et cerebellum simul conveniunt; quae coniunctio ab *Herophilo torcular* vocatur. Ge. *Die dicke Hirnhaut, oder Hirnfell.* Ga. *La dure mère.* A. *The thick membrane of the brain.* B. *Het dikke hersen-vlies.*

MATERIA MEDICA, vide *Hyle.*

MATERIA PERLATA vocatur pulvis albus fundum petens, dum lixivio, in quo antimonium diaphoreticum coctum est, et filtratione separatum, spiritus vitrioli instillatur. Insignes ei vires diaphoreticae tribuuntur.

MATERIALISTA est mercator, qui medicamenta simplicia, quae materiam medicam constituunt, vendit. Vocatur etiam *seplasiarius.* Ge. *Arzeneyverkäufer.* Ga. *Droguiste.* A. *Druggist, grocer.* B. *Drogist.*

MATER PERLARUM, NACRA PERLARUM, seu **MARGARITARUM** sunt conchae et testae, quae intus splendore margaritarum nitent, praecipue earum concharum, quae margaritas continent. Qualitas est calcarea et absorbens, eadem quae margaritarum. Vide *Margaritae.* Ge. *Perlenmutter.* Ga. *Nacre des perles.* A. *Mother of pearles.* B. *Paerel moer.*

MATER PIA, vel TENUIS, [μῆνιγξ λεπτὴ Oribas. *anat. p.* 20. etc.] est membrana tenera, quae cerebrum et cerebellum immediate investit sub dura matre, et tunica arachnoide, omnes gyros et anfractus illius intrat, eosque a se invicem distinguit, vasculis sanguineis quam uberrime perfusa. Nervis ex cranio egredientibus tunicam concedit. Est nil aliud, quam tenuis cellulosa multis vasis picta. Ge. *Das dünne Hirnhäutchen.* Ga. *La pie mère.* A. *The thin and inner membrane of the brain.* B. *Het dunne hersen-vlies.*

MATERSYLVA nonnullis olim vocatum *Caprifolium*, forte inde nomen habet, quod in sylvis, quasi mater, priores partes habet. Vide *Caprifolium.* Conf. *Matrisylva.*

MATRACIUM nihil aliud est, quam sacculus, cui inest tartarus calcinatus, vel simile quid; etiam crucis in modum interpungitur, ut salia contenta inde in cella humida in liquoris formam resolvantur. — Porro dicitur et vitrum tenue et purum, urinis inspiciendis accommodatum, quod etiam *matula* vocatur, habetque formam fere rotundam, cum collo satis spatioso. — Vel etiam ita vocatur vitrum amplioris fundi, colli longi et angustioris, quod, imposito alembico, digestioni, vel etiam sublimationi, inservit. Ge. *Ein Uringlas, gläsern Gefäss.* Ga. A. *Urinal, matras.* B. *Matras, pis-glas, urinaal.*

MATRICALIA sunt, quae matricis morbis destinantur, medicamenta.

MATRICARIA est plantae genus flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Superfl.) semine non papposo. Species officinalis est Matricaria vulgaris, s. sativa, *Bauh. Matricaria Parthenium* foliis compositis, planis; foliolis ovatis incisis, pedunculis ramosis *Linn.* Habet haec plures caules, satis crassos, rigidos, firmos, cannulatos, medulla alba, fungosa repletos, in plures ramos divisos. Folia sunt satis lata, in segmenta divisa, ad unam costam coniugatim posita. Flores habent calycem squamosum, subrotundum, suntque in umbellam congesti; sed plerumque laxiorem. Semina oblonga, saporis ingrati, amari, et odoris fortis. Qualitas totius plantae est amara, nidorosa et halituosa, hinc viribus anodynis, emmenagogis et lactifugis pollet. Commendatur in anorexia, hysteria, colica, et iliaca infantum. Ingreditur etiam remedia quaedam composita. Gr. *Παρθένιον:* ita dicitur, quod matrici prosit. Ge. *Mutterkraut, Mutterkamille, Jungfernkraut, Fieberkraut.* Ga. *Matricaire officinale.* A. *The common feverfew.* B. *Moederkruid, gemeene maartel.*

MATRISYLVA est planta flore monopetalo, baccis duabus siccis coalitis (Tetrandr. Monogyn.). Rubeola odorata montana *Bauh. Asperula odorata* foliis octonis lanceolatis, florum fasciculis pedunculatis *Linn.* Provenit in Europae sylvis umbrosis. Qualitate gaudet ambrosiaca, viribusque resolventibus, diureticis et exanthematicis, hinc in scabie et ictero [et rabie canina vid. Iawand d. exh. observ. medic. Gott. 1787.] commendatur. Infusum etiam in arthritide profuit. Dicitur etiam *Hepatica stellata.* Ge. *Stern-Leberkraut.* Ga. *Muguet des bois.* A. *Sweetscented woodroof* Ital. *Asperola odorosa.* B. *Welriekend rawkruid.*

MATRIX, i. q. **UTERUS.** — Inter vegetabilia tamen denotat medullam, sive cor alicuius plantae. In regno minerali *matrix* vocatur illa substantia, quae reliqua fossilia in se continet, estque vel calcarea, vel argillacea, vel cretacea etc. Ge. *Die Matrix, Mutter.* Ga. *La matrice.*

MATRONALIS FLOS, seu **VIOLA**, *Viola Damascena*, est *Hesperis matronalis Linn.* Dicitur, quod odoris gratia a matronis atque virginibus coli soleat, iisque in deliciis sit. Ge. *Damastblume.* Ga. *La Julienne des jardins, damas violette, violette de dames.* A. *The garden rocket, dames violet.* B. *Damast bloemen, damasten, mast-bloemen, winterviolier.*

MATURANTIA sunt medicamenta, quae partes inflammatas emolliendo, vel earum poros occludendo, vel etiam leniter irritando, obstruentem materiam hac actione sic solvunt, ut in pus mutata colligatur in unum locum, ex quo, apertura facta, omne suppuratum una vice expelli possit. Ge.

Reifmachende Arzneyen. Ga. *Maturans.* B. *Rypmaakende middelen.*

MATURATIO, Gr. *Πέπανσις*, chirurgica vox est, et dicitur de tumoribus, quorum materia in pus mutatur. Item de variolis. — Chymicis veteribus quaedam exaltatio est rerum crudarum in maturiorem et gratiorem statum; estque *digestio, circulatio, fermentatio* et *proiectio.* Ge. *Die Zeitigung.* Ga. *Maturité.* A. *Ripeness.* B. *Rypwerding.*

MAXILLA, vide *Mandibula.*

MAXILLARIS GLANDULA est glandula conglomerata, quae utrinque [in interstitio inter utrumque caput musculi digastrici maxillae inferioris] sita est ad partem interiorem maxillae inferioris, seu angulum eius. Ductum habet excretorium, qui ab inventore *Whartonianus* vocatur, et qui a parte eius posteriore ortum habens antrorsum progreditur, et terminatur in cavo oris circa locum, ubi lingua freno suo illi alligatur, humorem salivalem exonerans. Ge. *Die Kinnbackendrüse.* Ga. *Glande maxillaire.* B. *Kaakbeensklier.*

MAYS, FRUMENTUM TURCICUM, vel **INDICUM**, *Zea Linn.* (Monoec. Triandr.) est planta flore apetalo, tribus nempe staminibus ex gluma biflora, bivalvi surgentibus constante, sed sterili: embryones enim, seu germina, stylo omnium longissimo instructa, connascuntur in spica vel receptaculo longo, maximo, excavato, a floribus masculis remoto, foliis obvoluto vaginae ad instar tubulatis et abeunt in semina subrotunda pisi magnitudine basi angulata, ad dimidiam partem in fructum demersa, calyce proprio cincta. Varietates a differentibus seminum coloribus pendent. Ad altitudinem plurium pedum excrescit. Primum in India et Turcia proveniens, nunc passim magna copia apud nos seritur. Caulis arundinaceus medullam spongiosam albam continet, aeque dulcem, ac arundo saccharifera, iamque, num exinde verum saccharum confici possit, tentatum est. Seminum usus oeconomicus est et cibarius: ob eximias enim vires nutrientes non solum ad saginanda plura animalia, verum etiam farina ad panificium adhibetur. Sunt, qui fructus immaturos, granis adhucdum lactescentibus, igne leviter tostos in deliciis habeant; e seminibus in aqua maceratis et liquorem vinosum et spirituosum eliciunt Americani. [Chemicae disquisitioni et semina et pollen huius plantae subiecta sunt a Gorhamo, Vauquelino et Johnio. Primus peculiarem materiam in seminibus detexit, quam *zeïnem* appellavit. Insignis est hisce qualitatibus: colore flavo, cerae cum adspectu, tum mollitie et flexibilitate similis, tenax, elastica, aqua ponderosior est, et odore fere, sapore penitus caret: neque aqua, neque oleis pinguibus, alcohole autem, aethere et spiritu terebinthinae penitus, acidis denique mineralibus dilutis et alcalibus ex parte solvitur. Vauquelinus, in

cuius analysi videtur diligentia et subtilitas, quam eius disquisitiones chemicae alias produnt, desiderari, de zeïne silet. Iohnius denique, qui pollen chemice perscrutatus est, in eo illam materiam, quae ab aliis in polline Cannabis sativae, Phoenicis dactyliferae, Coryli avellanae, Piniquc sylvestris detecta est, in Tulipae Gesnerianae polline praesentem reperit. Qualitates huius materiae enumeratae sunt infra in *Pollenine.*] Ge. *Türkischer Waizen, [türkisches,* sive *indisches,* sive *welsches Korn, Mays.*] Ga. *Blé de Turquie.* B. *Mays, spansche tarw, indiaansch,* sive *turksch koorn.* A. *The indian corn, maize.*

MAZA est species panis apud veteres, quae tempore *Hippocratis* et *Galeni* coquebatur. Constabat maxima ex parte ex farina hordei tosta, oleo et melle. Sed posterioribus temporibus compositio ex amygdalis et saccharo facta fuit, et *mazae*, seu *mazae panes* et *Gallis macrons* et *macarons* dicitur. *Apollodorus* apud Athenaeum a *μασᾶσθαι, manducare, comedere,* derivari scribit. Ipse vero *Athenaeus* a *μάττω, pinso,* derivat, quem et *Eustachius* [sive potius Eustath. ad Iliad. 4. vs. 190. ὅτι τὸ μάττειν καὶ ἐπὶ τοῦ φυρᾶν ἄρτους τίθεται, ὅθεν καὶ ἡ μάζα.] sequitur.

MEATUS, Gr. *Πόρος*, est canalis, ut vena, arteria, vasa lymphatica, ductus chyliferi etc. per quem aliquid transit. Alii sunt recti, alii ramosi, tortuosi etc. Ge. *Ein Gang.* Ga. A. *Passage.* B. *Een doorgang, weg.*

MEATUS AUDITORIUS, quem nonnulli *meatum auditorium externum* vocant, canalis est, a cartilagine auriculae, et quidem eius parte, quae concha vocatur, continuata, angustata, originem ducens. Sic externo sui extremo ab auricula principium sumens, porro temporalis ossis parti petrosae insculptus, sic dictum os perforans, oblique ad anteriora excurrens, quodammodo ellipticus, ad extremam tympani membranam, qua terminatur, progreditur. Ab ea obliqua sectione clauditur sic, ut faciat cum hac obtusum angulum parte superiori et posteriori; acutum vero anteriori et inferiori. Canalis istius longitudo, in ipsius quidem medio desumta, in homine adulto circiter novem lineas, altitudo quatuor, latitudo vero tres aequat, quae tamen latitudo in ipsius principio maior est. Constat hic meatus partim cartilagine conchae elastica, continuata, partim osse petroso, protuberantiis quibusdam cartilaginem excipientibus, ut et ligamento validissimo ab extremitate conchae proveniente. Vestitur interna eius superficies iisdem, quibus auricula, integumentis communibus, teneris et glandulis ceruminosis et folliculosis scatentibus. Vide *Marmelata.* Hic ductus vere soniferus est, dum radios sonoros, ab auricula receptos, natos, impulsos, recipit, retinet, redire et iterum ad exteriora egredi impedit, reflectit, et quidem creberrime, et effi-

cit, ut omnes in medium sui finis, hoc est, in membranae tympani centrum uniti, illibati, illaesi incurrant, dum interim huius canalis obliquitas et tortuositas eius longitudinem superficiemque augent. Loca reflexionum, ipsasque reflexiones multiplicant, et simul cum pilis et cerumine impediunt corpusculorum heterogeneorum facilem ingressum, et transitum ad interiora. In foetu quidem is meatus auditorius nondum adest, sed eius loco tantum annulus osseus, fere ellipticus, exiguo segmento hians, in sulco interno membranam tympani continens, cuius demum margo externus increscens et protensus in meatum hunc osseum mutatur. Ge. *Der Gehörgang.* Ga. *Le conduit auditif.* A. *The auditory passage.* B. *Het gehoor-gat.*

MEATUS AUDITORIUS INTERNUS, ita nonnullis foramen in superficie interna partis petrosae ossis temporum conspicuum vocatur, quod portio dura et mollis nervi auditorii ingrediuntur. In fine coecum quasi est, minora tamen foramina adsunt, quorum unum, quod *aquaeductus* sic dicti *Fallopii* initium est, nervus durus, reliqua minora filamenta nervi mollis intrant, quae ad conchae vestibulum et canales semicirculares tendunt.

MEATUS URINARIUS, vide *urethra.*

MECHANICA MEDICINA vocatur scientia, quae functiones naturales et praeternaturales in corpore vivo, sano et infirmo, e solis principiis physicis et mathematicis explicare, hisque methodum medendi superstruere docet.

MECHOACANNA est radix alba, Bryoniae instar, quae ex India occidentali et praesertim ex Hispania nova [eiusque provincia Mechoacan, quae plantae quoque nomen dedit,] et Brasilia, in taleolis ad nos mittitur, interius et exterius albescentibus, insipidis fere et inodoris; diutius tamen manducata aliquem acrimoniae et ardoris sensum linguae imprimere dicitur. Planta est *Convolvulus Mechoacanna* Americanus, Mechoacan dictus *Linn.* Ieticucu *Marcgr.* Folia habet obscure virentia et lata, in acutum desinentia, caules repentes, lactescentes. Radix etiam dicitur *Bryonia Mechoacanna alba*, *Ialappa alba* et *Rhabarbarum album.* Parum admodum partium resinosarum continet, viribus tamen securissime et lenissime laxantibus, sed per coctionem illico amittendis et virtute roborante gaudet. Hinc, licet a nonnullis explosa, ab aliis tamen, in affectibus arthriticis, rheumaticis, hydrope, nec minus pro infantibus summopere laudatur. Usus eius, cum alia similia remedia praestantiora nobis non desint, obsolevit. — *Mechoacanna nigra* et *Ialappa.* — Ge. *Weisse Rhabarber*, *Mechoacanna.* Ga. *Mechoacan.* A. *White mechoacan.* B. *Witte mechoacanna, rhabarber van Mechoaca.*

MECON, Latin. *Papaver*, Gr. *μήκων*, a *μὴ κονεῖν*, [*pulverem haud movere*] hoc est, ministrando, quod suis fungi muniis vescentes non patiatur, nam sensibus papavereo sopore vinctis, membra nequicquam agere possunt.

[**MECONICUM ACIDUM**, a Serturnero detectum, ad partes opium constituentes pertinens, paratur hoc modo: morphio e solutione opii aquosa per ammoniacum praecipitato, liquor per filtrum separatus calori exponitur, ut superflua ammoniaca abigatur, dein baryta muriatico acido soluta guttatim affunditur, quam diu praecipitatio locum habet. Praecipitatum, ex acido meconico, baryta, et materia extractiva constans, aqua destillata eluitur et calore leni siccatur. Ut hunc pulverem a materia extractiva liberemus, cum alcohole digerendus eluendusque est: relinquitur baryta meconica, quae ab addita idonea acidi sulphurici copia resolvitur. Separato per filtrum baryte sulphurico fluidum remanens lenissimo calore inspissatur, et in loco frigido ad crystallisationem seponitur. Cum crystalli colore plus minus sordido suam ipsorum impuritatem indicent, acidum, quod continent, purius reddendum est aut sublimatione, leni igne instituenda, aut, quod praestat, solutione, cum carbonum pulvere digestione et crystallisatione. Ge. *Mohnsäure*, *Meconsäure*. Ga. *Acide meconique*.]

MECONIUM est opium, sive condensatus papaveris succus. Licet alii exactius *opium* vocent succum ex sauciis papaveris capitibus exstillantem et condensatum, (vide *opium*) et *meconium* illum succum, qui aut ex tota planta exprimitur, aut decoctione extrahitur, tandemque inspissatur. Ge. *Mohnsaamensaft*. Ga. *La colle*, vel *la poix*, sive *la larme au pavot*, *le meconium*. A. *Juice of poppies*, *meconium*. B. *Slaapsap*, *mankopsap*. — — Item excrementa foetus, post partum intestinis adhuc inhaerentia, a papaveris succi nigredine sic dicta. A *μήκων*, *papaver*. Inde a retento meconio oriuntur tormina infantum, quae *colica meconialis* dicuntur. Ge. *Der Unrath bei neugebornen Kindern*, *Heidendreck*. Ga. *Meconium*.

MECONOLOGIA est opii descriptio. Ex *μήκων* et *λόγος*, *doctrina*, *sermo*.

MEDELA, i. q. *curatio*.

MEDIANA VENA est illa sita in cubiti flexura inter cephalicam et basilicam media, orta ex confluxu rami venae cephalicae et rami venae basilicae, quorum etiam ille vena mediana cephalica, hic vena mediana basilica dicitur, et cuius propagines in musculos radii et ulnae distribuuntur. Ea tumefacta a perito chirurgo tuto satis pertunditur, sed imperito non sine periculo laesurae tendinis subiacentis, musculi bicipitis, vel arteriae, unde saepe dira mala oriuntur. Ge.

Die Medianader. **Ga.** *La veine mediane.* **A.** *The median veine.* **B.** *De mediaan ader, middel ader.*

[**MEDIASTINITIS** est inflammationis pleurae varietas, a sede morbi desumta. Vide Swedianr *nosol. meth. syst.* I. p. 84. Denominatio proptcrea damnanda, quod hybrida est.]

MEDIASTINUM est sepimentum membranosum, thoracem ct pulmones bifariam iuxta longitudinem dividens, estque ipsum duplex, *anterius* et *posterius*, dum pleura cingens thoracem ab utraquc parte in medio assurgit, laminisque sibi iunctis hoc sepimcntum constituit, hinc anterius sternum attingit, posterius dorsi vertebras, superins ingulum, inferius diaphragma vestit et pericardium, vasa maiora, asperam artcriam, oesophagum etc. in sc recipit. **Ge.** *Das Mittelfell, Scheidewand der Brust.* **Ga. A.** *Le mediastin.* **B.** *Het middelschot.*

MEDICA, MEDICAGO est plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Dccandr.), legumine compresso, longo, inflexo, vel cochleato, vcl falcato, seminibus pluribus, vel reniformibus, vel angulatis. Folia omnibus sunt terna, instar Trifolii. Plurcs dantur huius generis species, quae plerumque ab oeconomis in pascuis expetuntur, cum praestantissimum pecoribus et iumentis alimentum praebeant et equos ipsos languentes reficiant. Sic dicta, quod in Media plurimum crescat, unde nobis primum advecta; quae et unica semente durat annos decem; cum milium aliaeque plurcs plantae alimentariae annuam postulent curam. **Ge.** *Schneckenklee, Sichelklee, wilder St. Foin, Ackerklee.* **Ga.** *Luserne, herbe au limasson, Saint Foin.* **A.** *Medick, trefoil bardned, hedge-hog trefoil.* **B.** *Klaver-rupsen.*

MEDICA MALUS, eadem est, quam *Citrea malus.*

MEDICAMENTUM est quidquid corpori animali applicatur, vel ingeritur eo fine, ut sanitas in integrum restituatur, vel quicquid corporis affectum depcllit, vel mitigat. Estque vel *actuale,* quod primo contactu corpus nostrum ea, qua praeditum cst, qualitate afficit, ut ferrum candens, aqua frigida. Vel *potentiale,* cuius vis non primo contactu, sed tum demum sesc cxscrit, cum illa ex aliqua in corpore mora et accedente actione vitali, in medicamento excitatur, ut piper, raphanus, salia acria etc. Dividitur etiam in *externum* vel *internum, simplex* vel *compositum, evacuans* vcl *alterans. Medicamentum* cst triplex, desumtum scilicet ex *chirurgia, pharmacia* et *victus ratione,* hique vocantur *fontes* therapeutici. Vocatur etiam medicamen, *ἴαμα, φάρμακον, ἀλέξιον, remedium, iuvans* et *indicatum.* **Ge.** *Arznei, Arzneimittel.* **Ga.** *Médecine, médicament, remède.* **A.** *A medicine, remedy.* **B.** *Een genees-middel.*

MEDICASTER vocatur, qui artem medicam, quam rite

non intelligit, tamen exercere audet, estque idem, quam *agyrta*.

MEDICINA est scientia rationi et experientiae innixa, qua per convenientia remedia, quantum possibile est, restituitur sanitas amissa, conservatur praesens in corpore humano. A *Galeno* definitur a fine, quod sit *ars praesentis* sanitatis *conservatrix* et *labefactatae instauratrix*, et libro introductorio, *scientia sanitatis protectrix et morborum expultrix*; ab *Herophilo* autem ex subiectis, *scientia salubrium*, *insalubrium et neutrorum*. *Medendi methodus* a *Sylvio de le Boe* sic difinitur: *Ars inveniendi et rite usurpandi remedia reparandae ac restituendae valetudini amissae maxime convenientia.* *Sennerto* aliisque medicina in quinque partes dividitur; in *physiologiam* nempe, in qua agitur de constitutione humana, quatenus sana; ad hanc pertinet *anatomia,* quae structuram, et *physiologia*, proprie sic dicta, quae functionem partium in corpore vivo docet. 2. *Pathologiam*, in qua agitur de morbosa corporis nostri constitutione. 3. *Semeioticam,* in qua agitur de signis sanitatis et morborum. 4. *Hygieinam,* quae de regimine sanitatis conservandae leges pronunciat. 5. Et *therapeuticam*, quae docet *diaetam, chirurgiam* et *pharmaciam.* Prima et generalis medicinae divisio bimembris tantum est, et una medicinae partem *theoreticam* constituit, altera vero *practicam.* Medicinae subiectum est corpus humanum, quatenus sanabile. Eiusque scopus, seu *finis*, est *sanitas. Hippocrates* vocat eam *artem longam,* cum dicit, [Aphor. I. aph. 1.] ἡ δὲ τέχνη μακρή, e contra *Paracelsus* eam ponit *brevem;* quidam Arabes eam μικροτέχνην appellarunt, artem parvam, revera tamen ars magna et longa est, ita ut exclamare cogamur: *Quantum est, quod nescimus.* Gr. Ἰατρικὴ ab ἰάομαι, *medeor.* Ge. *Arzneikunst.* Ga. *Medecine.* A. *Medicine, the art of physick.* B. *Genees-konst.*

MEDICINALES DIES, vide *Critici dies.*

MEDICUS est vir artis medicae summe gnarus, eamque apud clinicos exercens. Si autem rationem experientiae observatisque aliorum adiungit, *dogmaticus* vocatur; si solam consulit experientiam et a similitudine concludit, dicitur *empiricus.* Gr. Ἰατρὸς ab ἰάομαι, *medeor.* Ge. *Ein Arzt.* Ga. *Un médecin.* A. *A physician.* B. *Een arts, genees-heer, een die ervaaren in de genees-konst is.*

MEDIMNUS est mensura aridorum apud veteres. Attica continet choenicas quadraginta et octo, sive centum et octo libras mensurales, seu modios sex, non medicos, sed georgicos. Eius nota fuit μ, et in summitate ε.

MEDITULLIUM est media pars rei cuiusdam, inprimis ossis. In specie vero vocatur spongiosum illud inter duas cranii laminas. Gr. ἐγκάρδιον, quod quamquam proprie de medulla arborum dicitur, tamen et de ossium medulla,

et in universum de contentis in medio cuiuscunque rei usurpari potest.] Vide *Diploë*. Ge. *Das zellichte Wesen zwischen den Tafeln der Hirnschaale*. Ga. *Diploë*. B. *Tafelscheidsel*.

MEDIUS DIGITUS est is, qui indicem sequitur et reliquos longitudine superat. Ge. *Der Mittelfinger*.

MEDIUS VENTER, i. q. *thorax*.

[**MEDORRHOEA** secundum I. Pt. Frankium (*Epitom. to. V. p.* 1. *p.* 149.) est vel seri, muci, vel puriformis praeser tim, sanguinolentae interdum, materiae ex verendis effluxio morbosa. Utrumque sexum medorrhoea laborare posse, contendit Frankius. Sed tunc inepta erit nominis denominatio. Nam μήδεα de partibus tantum naturalibus virorum usurpantur, teste Eustathio ad Hom. Il. π'. 120. Praeterea male excogitatam fuisse hanc morbi denominationem, olim (*Opusc. acad. med. phil. to.* II. *p.* 288.) propterea observavi, quoniam omnes cum ῥοια compositae voces illud, quod exit, fluidum, non autem locum, unde effluit, indicant, v. c. *αἱμόῤῥοια, βλεννόῤῥοια, δακρυόῤῥοια, πυόῤῥοια, ὑδρόῤῥοια*.]

MEDULLA inter mineralia pinguem terram denotat, quae in saxis nonnunquam reperitur. Ge. *Steinmark*. B. *Merg der steenen*. Vide *marga, lithomarga*. — Inter vegetabilia est media cuiuslibet caulis, seminis, fructus pars mollior ac praestantior, quam et cor et matricem appellant. — Quoad animalia medulla est pars mollior et pinguior, quae in ossium cavitatibus maioribus et minoribus, cellulis suis conclusa, continetur, eorumque nimiam siccitatem et fragilitatem prohibet; sive oleum blandissimum, suavissimum et subtilissimum, quod in cellulas ossium deponitur. Ge. *Das Mark*. Ga. *Moelle*. A. *The marrow*. B. *Merg*. Vide *medulla ossium*.

MEDULLA CEREBRI vocatur substantia cerebri alba, in cortice cerebri contenta, ab adsperso sanguine flavescens, rubicundior, quo iunior homo est, in Aethiopibus subnigre flava, mollis, cortice tamen tenacior et firmior in sanis hominibus. Eius medullae fabrica obscura est, quantumque sensus, nullo praesidio adiuti, declarant, uniformis est pulpa, nulli alteri in corpore humano parti similis, unice passim ab arteriis venisque rubris longe perforata; haec vasa tenerrima e cortice in medullam se immittunt, totusque cortex cum medulla inseparabili nexu ita coniungitur, ut in iis locis, in quibus medulla quasi in flammas colligitur, alternis processibus cortex in medullam producatur et in corticem medulla. Ut adeo firmissimo per analogiam argumento concludi possit, ut cortex e propaginibus tenuissimis vasorum, et magnam partem iniectione replendis, constat, sic etiam substantiam medullarem e corticis propaginibus tenuissimis atque tubulis constare, fluidum nerveum aut secernentibus,

aut iam in substantia corticali secretum ulterius ad organa sensuum et motus distribuentibus. [Qui medullam cerebri pro uniformi pulposa materia habent, ii longissime a penitiori structurae medullae cerebri cognitione absunt. Hac de re Gallius et Reilius optime meruerunt. Cons. Rudolphi *Grundr. d. Physiol. II. p.* 17. sq. et Treviranus *Biolog. V. p.* 324.] Ge. *Das Mark im Hirn.* Ga. *La substance blanche médullaire du cerveau.* A. *The marrow like part of the brain.* B. *Het herssen - merg.*

MEDULLA LACTIS, sive LACTIS FLOS est quodvis butyrum.

MEDULLA OBLONGATA est substantia conflata ex coniunctione substantiae medullaris cerebri et cerebelli, sita pone sellam turcicam in cavitate ossis sphenoidalis et novem paribus nervorum e cranio egredientibus originem praebens. Ea e cavo cranii egrediens medullam spinalem constituit. Ge. *Das verlängerte Mark.* Ga. *La moelle allongée.* A. *The long marrow.* B. *Het lange merg.*

MEDULLA OSSIUM est substantia pinguis, in ossium cavitatibus, porositatibusve ab arteriis deposita. Medulla haec membranulis et cellulis continetur, et omni prorsus sensu caret; in fistulis maioribus rubicunda est et oleosa, in minoribus alba, in ossibus spongiosis mollis et succulenta. Gr. *Μυελὸς.* Ge. *Das Knochenmark.* Ga. *Moëlle de l'os.* A. *Marrow of the bones.* B. *Been - merg.* Conf. *Medulla.*

MEDULLA SPINALIS, sive DORSALIS, Gr. *Μυελὸς, ῥαχίτης,* seu *νωτιαῖος*, seu *διαυχένιος*, seu *ψοΐτης*, est medulla oblongata nunc per foramen magnum ossis occipitis transiens, quae per annulos vertebrales, vel fistulam sacram, descendit, et in plures funiculos nerveos tandemque in *caudam equinam* fissa in partes adiacentes distribuitur. Tegitur membrana dura, laxius adhaerente, arachnoide et pia, et praeterea cingitur exterius tunica ligamentosa et cellulosa. Habet etiam substantiam eandem et usum cum cerebro, sed hoc cum discrimine, ut exterius sit alba et medullaris, interius rubicundior et corticalis. Nervorum coagmentatio est, quorum etiam usum possidet; superius fibrae quaedam sese decussantes conspiciuntur; hinc alterutra parte compressa, *hemiplegia,* sive paralysis unius lateris, oritur; utrimque triginta nervorum paria ad artus, ventres, caeterasque corporis partes emittit, qui *nervi spinales* dicuntur. Si convenienti liquore diligenter lavetur, in plurimas fibrillas dispescitur. Ge. *Das Rückenmark.* Ga. *La moëlle de l'epine.* A. *The marrow of the back bone.* B. *Het rugge - merg.*

MEGALOSPLANCHNUS est, qui viscera magna et tumida habet. A *μέγας, magnus,* gen. *μεγάλου* et *σπλάγχνον, viscus.* Ge. *Der grosse Eingeweide hat.* B. *Die grote ingegewanden heeft.*

MEL, Gr. *Μέλι* est substantia liquida crassiuscula ex albo flavescens, saporis dulcissimi, nata in vegetabilium floribus, et praecipue eorum nectariis, et ab apibus in iisdem collecta. Mel differt tum ratione temporis, et loci, tum ratione plantarum, ex quibus colligunt illud apes. Sic veteres locuti sunt de melle venenato, ubi in vicinia erant multa Rhododendra. Mel caeterum eximiis viribus edulcorantibus, abstergentibus, expectorantibus, diureticis et emollientibus gaudet, hinc amplissimus eius in medicina, tum internus tum externus, usus est. Id, quod sponte absque ignis ope e favis stillat, magis aestimatur et *mel virginum* vocatur. [Albidi aut leniter flavescentis coloris, grati, subdulcisque saporis, et aromatici odoris est, et crystallos in grana collectas et intra dentes crepitantes offert. Quod serius e favis exprimitur mel, obscuriore colore, minusque grato odore et sapore conspicuum est. Quae cum melle institutae sunt chemica experimenta, ea ipsi praeter vaporem aromaticum acidi liberi, cuius crystallisationem impedientis natura nondum definita est, vestigia, saccharum melleum, crystallisabile et alcohole difficulter solvendum, syrupum, in crystallos non cogendum, muci exiguam quantitatem, et interdum non nihil ceraccae materiae inesse probarunt.] Ge. *Jungfernhonig.* Ga. *Miel vierge.* Vide *Apis, Cera.* — — Pharmacopoeis denotat aliquando succum simplicem, ad mellis consistentiam inspissatum, melque sapore aemulantem; sic convenit cum sapa sive Rob; uti mel passulatum, iuniperinum. Non raro etiam refert syrupum cum melle paratum, ut mel rosarum, anthosatum, diamorum etc. Ge. *Honig.* Ga. *Miel.* A. *Honey.* B. *Honing.*

MELA, Gr. *Μήλη*, est instrumentum chirurgicum, *specillum* dictum. Imperiti olim a tentando *tentam* vocabant. Conficitur ut plurimum ex argento, vel ebore, vel osse balaenae, idque ad exploranda ulcera, vel calculum urethrae infixum extrahendum etc. aptum, pro vario usu varias habet formas. Ge. *Sucher, Wundeisen, Sonde.* Ga. *Sonde.* A. *A probe, searcher.* B. *Een tentyzer, een tintelyzer.*

MELAENA, MORBUS NIGER, FLUXUS SPLENETICUS est alvi fluxus, materiae nigricantis, atro-rubrae, deiectione, aut vomitione frequenti notatus, oriens ab infarctu viscerum diuturno, scorbuto inveterato, vel etiam quacunque laesione vasorum internorum. [A graec. *μέλας*, *niger*, fem. *μέλαινα*, *nigra;* subintelligitur *νόσος*, *morbus.*] Ge. *Die schwarze Krankheit.* Ga. *Maladie noire.* A. *Black sikness.*

[**MELAENORRHAGIA**, a *μέλας* et *ῥήγνυμι*, *rumpo.* Uti *αἱμοῤῥαγία* sanguinis profluvium e vasis sanguineis ruptis, ita *μελαινοῤῥαγία* denotat effluxum materiae nigrae e ruptis

varicibus aut ventriculi aut intestinorum. Pro melaena usus est Swediaur *l. c. I. p.* 198.]

[**MELAINE** vocatur a Bizio, Italo, illud principium nigrum, quod in humore, vesicam atramentariam Sepiarum replente, reperitur. A *μέλας*, fem. *μέλαινα*, *niger*, *nigra*.]

MELAMPODIUM: appellatur sic *Helleborus niger*, (quoniam Melampus, caprarum pastor, furentes regis Proeti filias hoc primum purgasse et sanasse fertur) foliis Platani.

MELAMPYRUM, s. *Melampyrum arvense Linn.* est planta flore monopetalo ringente, labio superiore galeato, inferiori semitrifido, (Didyn. Angiosp.) Caulis est quadratus, lanuginosus, purpureus, ramosus. Folia sibi invicem opposita per intervalla, quaedam angusta instar Linariae, alia ampla, et profunde incisa, aspera, coloris virido-fusci. In summitate plantae adsunt folia brevia, satis lata, coloris purpurei. Flores ex alis foliorum erumpentes in foliaceas spicas congeruntur. Post florem sequitur fructus, aut testa subrotunda, ab inferiori parte ad superiorem in duas partes dehiscens; quae singulae in duo loculamenta sunt divisae, continentia semina oblonga, nigra instar tritici, quae panem nigrum et amarum, non tamen noxium reddunt. Radix parva, lignosa, fibrosa. Haec planta crescit in locis humidis, in pratis, et inter segetes, quasi Triticum nigrum: vocatur etiam *Triticum bovinum et vaccinum.* Ex *μέλας*, *niger*, et *πυρὸς*, *frumentum.* Ge. *Kuhweizen*, *Wachtelweizen.* Ga. *Blé noir*, sive *de vache*, sive *de boeuf*, *rouge herbe.* A. *Horle flower*, *the purple cowwheat.* B. *Paards-bloem*, *akkering zwaartkoorn.*

[**MELANAEMA** vocat Goodwyn (*v. d. Wirkung d. Ertrinkens.* Leipz. 1790. p. 75.) suffocationem, quoniam tunc non solum cor sinistrum, sed omnes omnino arteriae, inde originem sumentes, atro sanguine repletae sunt. A graec. *μέλας*, *niger*, et *αἷμα*, *sanguis*.]

MELANAGOGA sunt medicamenta atram bilem (veteribus putatitiam) evacuantia. Ex *μέλας*, *niger*, et *ἄγω*, *educo.* Ge. *Mittel die schwarze Galle abzuführen.* B. *Geneesmiddelen tegen de zwarte gal*, sive *de zwaarmoedigheid.* [Auctores *Diction. de term. de medec.* etc. melaenagoga scribunt. Kraus. hanc quoque vocem significare putat ea medicamenta, quae excrementa nigro tingunt colore. Ne talem notionem graeca admittat lingua, metuo.]

MELANCHOLIA, *bilis atra* est delirium diuturnum et pertinax circa unum obiectum absque febre, quo aegri sine causa manifesta admodum tristantur et metuunt, vel interdum effuse laetantur; horrenda, nonnunquam etiam ridicula, imaginantur, et sibi persuadent; color cutis externus est pallidus, flavus, vel fuscus. Solitudinem amant, ut suae indulgere possint meditationi; anxietatem, repletionemque

ab assumtis in hypochondriis sentiunt, ructibus, flatibus, palpitationibus cordis, insomniis terrificis et spasmis frequenter sunt obnoxii, famis, sitis et frigoris maxime patientes, parum dormientes etc. Ge. *Melancholie. Schwermuth.* Ga. *Melancholie.* A. *Melancholy.* B. *Droefgeestig, zwaarmoedig.* — Veteribus vocatur hic morbus *atra bilis*, quum illa sanguinis et humorum crassities ac malignitas acris aderat, unde hic morbus producebatur, sive tum a causis corporeis, sive a mente, haec dispositio inducta fuerit. Videbant enim vere, quod in hoc morbo aegri saepe evomebant materiam aterrimam instar picis, quae omnium malorum causa fuerat. Ex *μέλαινα, nigra,* et *χολὴ, bilis.* Ge. *Schwarze Galle.* Ga. *Melancholie, la bile noire.* A. *Black bile.* B. *Zwarte gal.*

MELANCHOLICUM TEMPERAMENTUM id dicitur, in quo sanguis est spissus, terra abundans, solida vero densa, stricta, parum irritabilia, hinc pulsus omniumque functionum tarditas. Ge. *Melancholisches Temperament.* Ga. *Complexion mélancholique.*

MELANOPIPER, vide *Piper.*

[**MELANOCHLOROSIS**, a *μέλας* et *χλώρωσις, viror cutis,* icterum nigrum denotare fertur. Derivat Kraus. *l. c.* a *χλωρόω, e viridi flavum reddo.* Sed talè verbum non agnoscit graeca lingua. Fortasse rectius morbi nomen *μελανοχλωρίασις*, a *χλωριάω*, quod lexica adferunt, derivaretur.]

[**MELANOPHYMA** secalinum, a graec. *μέλας*, gen. *μέλανος, niger,* et *φῦμα, tumor*, a Roberto secale cornutum vocatum est. Ge. *Schwarzgewächs des Roggens, Mutterkorn.*]

[**MELANOSIS**, a Gr. *μελανόω, nigrum reddo*, est morbus chronicus, in hominibus aeque ac in brutis obveniens, qui sese tuberculis nunc maioribus, nunc minoribus, intense nigris, homogeneis, parum ab initio, cum adhuc dura sunt humidis, serius autem, quando mollescere coeperunt, humorem subrubicundum, tenuem, cum grumulis parvis mixtum exsudantibus, tandemque, ubi penitus emollita sunt, sese in massam pultaceam nigram convertentibus manifestat. Pigmenti nigri naturam varii chemici eruere studuerunt. Vauquelinus enim et Berzelius eam convenire cum pigmento tunicae choroidis contenderunt. Cons. Ca. Aug. Noack d. i. *de melanosi cum in hominibus, tum in equis obveniente.* C. II. tabb. aen. ad natur. coloratis. Lips. 1826. 4. et inprimis egregia disp. inaugur. Ed. Schillingi *de melanosi.* Francof. a. M. 1831. fol. c. V. tab. lithogr. ad nat. pict.]

MELANOSMEGMA est sapo niger. Ex *μέλαν, nigrum,* et *σμῆγμα, sapo,* a *σμάω, abstergo.*

MELANTERIA, vide *Vitriolum.*

MELANTHIUM est *Nigella,* ut et aliae florum species.

Sic appellatur a nigro seminis colore. A *μέλας, niger,* et *ἄνθος, flos.* Vide *Nigella.*

MELAS, vide *Alphus.*

MELAS ICTERUS, vide *Icterus niger.*

MELASMA, ECCHYMOMA MELASMA, Latinis *Nigror,* est macula nigricans, diuturna, constans, senibus familiaris, quae potissimum tibias infestat, sine causa manifesta oriens. Mulieribus a catameniis suppressis supervenit. [Haec mortificatio s. sphacelus partis plerumque praegresso dolore pedis cum exigua macula nigra in digito aliquo pedum incipit, sensimque sese per totum digitum, saepeque per plures, quin per omnes interdum, et per pedem integrum expandit, sensu partis affectae omni deleto. Cons. Callisen *chirurg. rat. syst. to. II.* §. 537. Swediaur *l. c. II. p.* 449.] Ga. *Ecchymose noire.* Ge. *Schwarzer Fleck an den Füssen.*

MELE, vide *Mela.*

MELEAGRIS est *Fritillaria.* Sic dicitur ab ave meleagride, seu perdice Barbariae, cuius plumas dicunt referre. Vide *Fritillaria.*

MELIA est *Fraxinus;* dicitur et *Milia.* A *μελίζω* fortasse, *trunco,* quod homines ea truncarentur. Hastae enim ex ea fiebant.

MELICERIA, idem quod *hydarthrus,* seu *hydrops articulorum,* vel *ichor.* Vide etiam *Synovia.*

MELICERIS, MELLIFAVIUM est tumor tunica propria conclusus, haerens vel in folliculis glandulosis quacunque in corporis parte, vel ubi membrana cellulosa vulgo adipem colligendo dicata reperitur, materia mellis consistentiam imitante plenus, indolens, rotundus, digitis facile cedens, sed ilico rediens. A steatomate et atheromate consistentia tantum humoris contenti differt. Ex *μέλι, mel,* et *κηρίον, favus.* Ge. *Ein Honiggeschwür, oder Geschwulst.* Ga. *Meliceris.* A. *Hony tumour.* B. *Een honig-gezwel,* sive *puist.*

MELICRATUM est hydromel, sive mulsum, quod componitur ex una parte mellis et octo partibus aquae pluvialis. Pollet virtute bechica, et ob adiecta aromata virtute stomachica. A vulgo ad eruptionem variolarum promovendam adhibebatur. Ex *μέλι* et *κεράννυμι, misceo.* Ge. *Meth.* Ga. *Eau miéllée, hydromel.* A. *Metheglin, mede, hydromel.* B. *Honig-water, meede.*

MELIGEION est vox vix [et ne vix quidem] usitata, denominatio sumitur a *μέλι,* estque chirurgis humor ex ulceribus manans oleosus et fere mellis consistentia, saepe cum ossis carie, cum foetore fere in modum eboris recens raspati. [Vox nihili, sive compositionis rationem, sive sensum cum illa coniungendi obscuritatem, sive originis incertitudinem spectemus.]

MELILOTUS est species Trifolii odorati, Melilotus offi-

cinarum Germaniae *Bauh.* *Trifolium melilotus officinalis* leguminibus racemosis, nudis, dispermis, rugosis, acutis, caule erecto *Linn.* (Diadelph. Decandr.) Habet unum pluresve caules rotundos, striatos, excavatos, flexiles. Folia terna, Foenum graecum referentia, sed magis alba, in margine crenata. Flores sunt exigui, papilionacei, vel leguminosi, in spicam longam dispositi, coloris flavi, aliquando albi, odoris grati, praecipue in herba exsiccata. Flori succedit capsula nigricans, nuda, non recondita in calyce, ut in Trifolio, foeta uno, vel altero semine rotundo, exiguo, pallido. Radix longa, exigua, alba, flexilis, fibras multas habens. Crescit haec planta abunde in pratis atque arvis Europae australis. Qualitatis est fragrantis et mucilaginosae, viribusque eximiis resolventibus, emollientibus et lubricantibus pollet; hinc usus eius in medicina frequentissimus est, plerumque tamen externus, in cataplasmate, clystere et gargarismate, in hoc tamen ultimo cavendum, ne semina, ut facile contingit, rancida sint, suaque acrimonia magis fauces irritent. Prostat in officinis aqua, et celebre emplastrum de Meliloto. Planta haec nomen gerit propter melleum saporem, qui in caule eius et radice deprehenditur, dum comeduntur. Ex *μέλι, mel,* et *λωτὸς, lotus:* nam inter Loti species etiam recensetur. Vocatur etiam *Sertula campana,* quod flos eius coronamentis dicatus sit, et ex ea antiquitus coronae et serta factitata sint, nec non *Corona regia,* quoniam luteis floribus superne coronatur, atque superbit. [Chemica herbae analysis duo edocuit, acidi benzoini praesentiam, et insignem cinerum, ex eius combustione oriundorum quantitatem.] Ge. *Honigklee, Meloten, Steinklee.* Ga. *Melilot.* A. *Melilot-trefoil, clower, clivers.* B. *Meloten, malloten, welriekende klaver, geele steen-breek.*

MELIPHYLLUM est *Melissa.* Ex *μέλι* et *φύλλον, folium.* Quia apes Melissam amant, et ex ea mel colligunt.

MELISSA, *Melissophyllum,* seu *Citrago,* vel *Apiastrum* est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) quod habet caules quadratos, duros, ramosos. [Melissophyllum hodie non est synonymum Melissae, sed potius nomen speciei generis Melittis. Vide paulo post *Melittis.*] Folia oblonga, acuta, satis ampla, aspera, lanuginosa, aliquantulum in margine incisa, coloris viridis, subfusci, splendentis, odoris Citri, grati, saporis aliquantulum acris sunt. Flores in foliorum alis nati, annulos quasi formant, qui tamen non sunt integri circa caulem, neque omnino verticillati; galea erecta, subrotunda, bifida, barba tripartita. Calyx tubulosus est, quinquefidus, longus, tribus segmentis maioribus et binis inferioribus sic unitis, ut bilabiatus appareat. Floribus decidentibus succedunt quatuor semina obrotunda, oblonga, sibi invicem adiuncta, in

calyce florum inclusa. Radix fibrosa, longa, divisa, rotunda. Huius nominis variae plantae in usum medicum adhibentur, tum sponte nascentes, tum apud nos in hortis cultae, scilicet: *Melissa citrina Pharm.* quae est Melissa hortensis *Bauh. Melissa officinalis* racemis axillaribus verticillatis, pedicellis simplicibus *Linn.* e qua in officinis aqua, spiritus, syrupus et oleum prostant. — Tum *Melissa canaria Pharm.* quae est Cedronella Canariensis viscosa, floribus plerumque ex eodem pedunculo ternis, *Comm. Dracocephalum canariense* floribus spicatis, foliis compositis *Linn.* et denique *Melissa turcica*, s. *moldavica, Pharm.* Melissa peregrina folio oblongo *Bauh. Dracocephalum moldavica* floribus verticillatis, bracteis lanceolatis, serraturis capillaceis *Linn.* Gaudent omnes hae plantae qualitate admodum grata et fragrante et aromatica, viribusque resolventibus, excitantibus, pellentibus et cordialibus, hinc in melancholia, hypochondriasi, hysteria, et debilitate summopere commendantur. Id tamen notandum, Melissam canariam, seu Cedronellam, reliquas qualitate spirante multum superare, et fragrantissimam esse, ut, si Marum excipias, vix parem habeat. Melissa vocatur, vel a melle, quod apes eius foliis gaudeant: vel ab apibus, quae Gr. *μέλισσαι* et *μέλιτται* vocantur, vel dicitur quasi *μῆλον*, *malum*, nempe citreum, et *ἵζω*, *sedere facio*, quia citreus odor huic herbae insideat, seu inhaereat. [Quae derivatio ridicula propterea locum habere nequit, quod non *μήλισσα*, sed *μέλισσα* scribitur.] — — — — Pari ratione Latini *Apiastrum* haud dubie dixerunt, quod ea herba apes plurimum laetantur, adeo ut si ea alvearia confricentur et perungantur, detentum in eis examen non fugiat. *Citrago* autem ab odore ad citrum accedente dicta est. — *Melissa montana* est *Melittis melissophyllum Linn.* passim in montibus sponte proveniens. Ge. *Melissen, Mutterkraut, Citronenkraut.* Ga. *Melisse*, ou *herbe de citron.* A. *Balm.* B. *Melisse, citroen* sive *limoen-kruid, confielle de grein, byenkruid.*

MELISSOPHYLLUM, i. q. *Melissa montana*, s. *Melittis melissophyllum Linn.* Vide *Melissa.* [A. *The bastard balm. The balm-leaved archangel.* B. *Melissebladig kruisbloem.* Ga. *Le melissot, melisse sauvage*, sive *bâtarde*, sive *de montagne*, sive *de bois.*] Ge. *Bergmelisse.* [*Melissenblatt. Bienenkraut* etc.]

MELITEMA est Trageae species ex melle et medicamentis subacta. Ge. *Honigkuchen.* B. *Medicinale honigkoekjes.*

MELITENSIS FUNGUS, Fungus typhoides coccineus melitensis *Boc. Cynomorium coccineum Linn.* Vide *Fungus melitensis.*

MELLAGO est medicamentum quodlibet ad consistentiam

mellis redactum. [Num rectius fortasse *melligo* scribi debeat, quaerere quis poterat, qui hanc vocem bis apud Plinium *h. n.* VI, 6. et XII, 27. occurrere meminerat. Sed quantum ex obscura melliginis descriptione, a Plinio exhibita, de qua Dalecampius, Ruellius et Harduinus conqueruntur, intelligi potest, maximopere differunt melligo Plinii, et mellago pharmacopoeorum.]

[**MELLITES** vocatur fossile, plerumque mellei coloris, admodum fragile, transparens, semper crystallisatum, ponderis specifici = 1666. Crystallos format pyramides in utraque extremitate quadrilateras. Klaprothio auctore centum partes continent terrae aluminaris 16, acidi benzoici 46, aquae 39. Ga. *Mellite.* Ge. *Honigstein.*]

MELO est planta e cucurbitacearum familia, (Monoec. Syngenes.) Melo vulgaris *Bauh. Cucumis melo*, foliorum angulis rotundatis, pomis torulosis *Linn.* cuius quam plurimae apud nos coluntur varietates. Planta haec habet caules longos, sarmentosos, repentes, asperos. Folia Cucumeris, sed minora, rotundiora, minus angulosa. Flores sunt monopetali, campaniformes, flavi, quorum alii masculi sunt, seu steriles, nulli embryoni adhaerentes, alii foeminini, seu foecundi, insidentes embryoni, qui per maturitatem fit fructus, in initio aliquantulum villosus, figurae et magnitudinis diversae; est enim vel tuberculosus, vel glaber, rotundus, vel rugosus, magnus, vel parvus, habens corticem durum, crassum, coloris viridis flavi et cinerei. Caro est tenera, medullosa, humida, glutinosa, flava, aut rubicunda, odoris et saporis dulcis, et valde grati, in terna loculamenta bifariam secta divisus, continens semina oblonga, plana, ex flavo albescentia, habentia corticem durum, foetum amygdala albissima, dulci et oleosa. Ea inter semina quatuor frigida maiora recensentur, et emulsiones, quae in febribus acutis propinantur, frequenter ingrediuntur. Loculamenta, in quibus reconduntur semina, continent medullam liquidam rubicundam, boni saporis, et qualitatis humectantis et refrigerantis. Dici volunt a numeroso semine, sive millenis seminibus, vel fortasse a *μῆλον, pomum,* quod figura pomum, seu malum, referat. Ge. *Melonen, Pfeben.* A. *Melon, common melon.* B. *Meloen.* Ga. *Le melon, le cocombre reticulé.*

MELOCACTUS idem quod *Melocarduus.* Ex melo, et *κάκτος, carduus.*

MELOCARDUUS, MELOCACTOS, POMUM SPINOSUM, OPUNTIA, ECHINOMELOCACTUS est planta exotica, plerumque Americana, cuius plures species in hortis coluntur, et in cuius superficie spinae erumpunt. Ad *Cactos Linn.* refert. Ex Melo et Carduus nominatur. Caules eius sunt crassi, striati, lanuginosi, spinosi, eius habitus est singularis, succulentus, echinatus, polygonus. Flores mo-

nopetali, (Icosandr. Monogyn.) campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, ovario insidentes, intus gerentes multa stamina. Ovarium est carnosum, molle, fungosum, pulposum, foetum multis seminibus parvis, oblongis. Fructus huius plantae sunt edules, et in multis speciebus in caput quoddam elegans colligitur, subrotundum, angulatum, et hae proprie *Melocacti* vocantur, *Cerei* autem proprie sunt plantae longae cylindracco-angulatae, *Opuntia* est ramosa, dichotoma, *Pereskia* arborea, foliosa, fructu folioso. Ge. *Die grosse*, sive *gerippte Melonendistel, indischer Dornapfel.* Ga. *Chardon des Indes occidentales,* [*Cactier à côtes droits,*] *cierge, cardasse.* B. *Geribde meloendistel, indiaansche Doorn-appel.*

MELOCARPUS est *Aristolochiae* fructus, ob melonis minoris similitudinem. Dictus ex melo, et *καρπὸς*, *fructus.*

MELON, Gr. *μῆλον*, fructus arboris Mali. Forte a *μήλω,* quod idem atque *φροντίζω, curo, sollicitus sum,* quod prisci, ut nunc, de malis admodum essent solliciti, eaque omni cum diligentia et studio colerent. [Prolapsus quoque iridis tantae magnitudinis, ut palpebris amplius contineri et tegi nequeat, melo vocari solet.]

MELONGENA est species *solani* et quidem Solanum pomiferum, fructu oblongo *Bauh. Solanum melongena* caule inermi herbaceo, foliis ovatis, tomentosis, integris, calycibus aculeatis, fructu pendulo *Linn.*. Ex Asia, Africa et America ad nos delata planta satis nunc in hortis nostris frequens est. Fructum fert succulentum, qui passim acetariis additur. Folia externe in haemorrhoidibus dolentibus, cancro et inflammatione commendantur. Ge. *Melanzanäpfel,* [*Eierpflanze, spanische Eier, Tolläpfel.* A. *The eggplant, mad-apple.*] Ga. *Mayenne, mélongene, merangéne, aubergine.*

MELOPEPO est Cucurbitae species, inter Melonem et Peponem media, ex Melo et Pepo. Est *Cucurbita verrucosa* foliis lobatis, pomis nodoso-verrucosis *Linn.* et *Cucurbita Melopepo* foliis lobatis, caule erecto, pomis depresso nodosis *Linn.* cuius cirrhi sunt in caule, quamvis non scandat, nec procumbat. Fructum habet carnosum, subrotundum, striatum, angulosum, in quinque partes sectum, continentem semina compressa, placentae spongiosae affixa. Ge. *Eine runde Melone,* [*Melonenkirbis, Schildpepone, Melonenpfebe.* A. *The sqash gourd.* B. *Schildvormige kalabas, een ronde meloen.*] Ga. *Potiron,* [*pastisson, bonnet d'electeur.*]

MELOPLACUNTION, [diminutivum *τοῦ μηλοπλακοῦς*] est electuarium, quo veteres usi sunt, ab *Aegineta* [lib. 7. c. 11.] descriptum, quod parabatur e malis cydoniis in vino coctis, addito melle, aniso et pipere. Vires sunt roborantes et stomachicae. [Ab Iberis quoque olim edulium sub nomine

μηλοπακοῦντος paratum fuisse, Galenus retulit (*de alim. fac. II. c.* 23. *to. VI. p.* 603.]; quod ab omni eorruptela liberum adeo servari poterat, ut patinae recentes illo refertae Romam transportarentur.]

MELOSIS est exploratio chirurgiea, speeillo facta. A μηλόω, *specillis exploro*, [qua voee saepius Hippoerates usus est.] Ge. *Untersuchung mit einem Wundeisen.* B. *Een onderzoeking, tenteering.*

MELOTIS, Gr. μηλωτὶς et μηλωτρὶς, idem quidem quod *mela*, sed minori forma, ut est speeillum auriculare. Ex μήλη, *specillum*, et οὖς, *auris*. [Quae quidem derivatio quamquam a Galeno (*de rem. s. g. compos. I. c.* 10. *p.* 407. *to. XIII.*) probata est, tamen a Lobeekio ad Phrynich. p. 255. recte reiieitur. Causa autem, ob quam derivatio illa reiicienda est, mihi haec esse videtur, quod, si μηλωτρὶς specillum auriculare denotare deberet, voeum, substantivum illud componentium, ordo invertendus esset ὠτομηλωτὶς.] Ge. *Ohrlöffel.* B. *Een klein provêt, een klein oortenter.*

MEMBRANA est substantia fibrosa, ex fibris vario modo vel lateraliter sibi appositis et connexis, vel intertextis, vel aeeretis, aut tela cellulosa eonstipata, eomposita, lata, plana, alba et dilatabilis, viseera, ventres, museulos ete. investiens, convolutione vasa eonstituens, varias partes inter se conneetens. Gr. Ὑμὴν. Ge. *Eine Haut, Membrane.* Ga. *Membrane, tunique.* A. *A membrane.* B. *Een vlies.* [De membranis in universum, earumque variis formis vid. Xav. Bichati egregia eommentatio: *Abh. üb. die Häute im Allgem. u. üb. die versch. Häute insbesond. A. d. Fr. v. C. F. Dörner.* Tub. 1812. 8. et editio nova Fr. Hildebrandtii *Handb. d. Anat. des Mensch.* Thl. I. Brunswig. 1830. quae doetissimis animadversionibus Ern. H. Weberi maximopere aueta atque ornata est.]

MEMBRANA ADIPOSA, TUNICA ADIPOSA sic proprie tela eellulosa nominata est, quae renes cingit, multo adipe referta. Verum nulla est museulosa pars eorporis, quantilla quoque sit, quae non involvatur membrana, eellulis multis eonstante, in quibus eolligitur pinguedo, pro illinienda parte, ne motu atteratur, vel areseat, quae ideo pariter adiposae membranae nomen meretur. Ge. *Das Fetthäutchen, die Fetthaut.* Ga. *Membrane adipeuse.* A. *The fat-* sive *adipous membrane.* B. *Het vet-vlies.*

MEMBRANA CARNOSA, i. q. *panniculus carnosus.*

[MEMBRANA MUCOSA a eute differt sie, ut sit mollior, levior, magis lubrica, facilior dilaeeratu, et, eum fere ubique glandulis mucosis tum simplieibus, tum compositis referta sit, muei seeretorium organum praebeat. Ab externa eorporis superficie per omnia foramina et aperturas ad internas partes tendit, easque investit. Maxime dives est

vasis sanguiferis et nervis, adeoque inflammationi et exulcerationi saepe subiecta. Huius affectionis, saepius aut non intellectae, aut neglectae dignitatem post Broussaisium docuit Fr. Lesser (*die Entzünd. u. Verschwär. d. Schleimh. d. Verdauungskan. Berl.* 1830. 8.) et I. Fr. Albers in libro: *Die Darmgeschwüre.* Leipz. 1831. 8.]

MEMBRANA PITUITARIA [est ea membranae mucosae universi corporis pars, quae] nares, omnesque earum cavitates et sinus intus investit, mucum, qui nervos olfactorios defendit et effluvia odorifera inviscat et diutius retinet, ex sanguine arterioso secernens. Ge. *Die Schleimhaut der Nase.* Ga. *Membrane pituitaire.* B. *Snotvlies.*

[MEMBRANAE SEROSAE sunt expansiones, e tela cellulosa conflatae, tenerae, transparentes, admodum lubricae, vasis sanguiferis orbatae, maxima autem vasorum absorbentium copia instructae, ex una tantum lamina compositae, quae omnibus visceribus externum praebent velamentum, non continuum quoddam, per universum corpus excurrens, quemadmodum membrana mucosa, formant, sed saccis a se invicem seiunctis viscera includunt, atque laevitate et humiditate sua attritum superficierum, sese mutuo contingentium perpetuoque motarum, impediunt. Plura dabit Bichatus *l. l. p.* 99—153.]

MEMBRANOSUS MUSCULUS, sive FASCIALIS LATUS et FASCIA LATA est musculus sat tenuis, quinque circiter digitos longus et tres latus, oriens a labio externo spinae superioris ossis ilei et utrinque aponeurosi inclusus, quae proprie *fascia lata*, vel *vagina femoris*, vocatur et quae labio externo marginis superioris ilei, ligamento Fallopii et aponeurosi musculi obliqui externi adhaerens, retrorsum trochanteri maiori et margini ossis sacri affixa, supra totum femur, tibiam et fibulam descendit, omnes subiectos musculos arcte involvit et inter ipsos musculos immergitur, tandemque in partem inferiorem fibulae inseritur. Sunt, qui hunc musculum actione sua femur introrsum rotare putent, cum tamen, si quis exactius huius fasciae decursum supra omnes musculos consideret, magis tantum horum actionem fulcire, et in valida constrictione secessum fasciculorum impedire videatur. Ge. *Der Muskel der breiten Binde.* Ga. *Muscle aponeurotique*, sive *muscle du fascia lata.* A. *The membranous muscle.* B. *De vlies-spier, breede windel-spier.*

MEMBRUM, Gr. κῶλον et μέλος, est corpus organicum ex variis similaribus partibus compositum, actionibus voluntariis perficiendis destinatum. Ge. *Ein Glied.* Ga. *Membre.* A. *Member* seu *part limb.* B. *Een lid.*

MEMBRUM VIRILE, vide *penis.*

MEMORIA est sensus internus, vel facultas, occasione unius ideae aliam, quae aliquando cum priori fuit connexa,

etiam absente obiecto, ita reproducendi, ut simul sciatur, hanc rem iam perceptam esse. Quae vero facultas per varias affectiones cerebri et causas corporeas minui, hinc etiam interdum commodis medicamentis restitui potest. Ge. *Das Gedächtniss.* Ga. *La mémoire.*

[**MENAGOGA** medicamenta sunt, quae mensium fluxum promovent, alias *emmenagoga* vocata. A *μὴν, mensis*, et *ἄγω, duco.*]

MENDOSA SUTURA, sive **SQUAMOSA** est connexio ossium squamosa, ut in osse temporum cum bregmate apparet. [Gr. *λεπιδοειδὴς ῥαφὴ* ap. Ruf. Ephes. *de part. c. h. p.* 34. aut *λεπιδοειδὲς προσκόλλημα* ap. Oribas. *anat. p.* 136. Lexica graeca voce *προσκόλλημα* augeri posse, obiter noto.] Vide *Lepidoides sutura.*

[**MENINGINA** a Chaussierio vocata est coniunctio piae matris cum inferiore superficie tunicae arachnoidis. Ge. *Meningine.*]

[**MENINGINITIS** est inflammatio, in hac utriusque tunicae cerebri, arachnoidis et piae matris, coniunctione locum habens.]

[**MENINGITIS** est inflammatio meningum, in primis durae. Ge. *Entzündung der harten Hirnhaut.*]

MENINGOPHYLAX est meningis, sive membranae cerebri, custos, ut lamina aurea et argentea, quae aperturis cranii accommodatur, vel etiam instrumentum, quo in trepanatione dura mater defenditur. Ex *μένιγξ, membrana cerebri*, et *φυλάσσω, custodio.* Ge. *Hirnbeschirmer.* Ga. *Meningophilax.* A. *Preserver of the meninges.* B. *Herssen-beschermer.*

[**MENINGORRHOEAM** sunt qui appellent effusionem sanguinis aut supra duram matrem, aut intra utramque meningem. Iam supra sub *Medorrhoea* causam attuli, ob quam haec similiumque vocum formatio mihi non probanda esse videtur.]

MENINX, graec. *μένιγξ*, est membrana in genere, speciatim vero *mater dura* et *tenuis*, seu *pia*, de quibus suo loco.

[**MENISCHESIS** falso a Ploucqueto pro *menoschesis* dictum est, quod vide.]

[**MENISPERMAS** est sal ex acido menispermico et basi salificabili compositus. Ge. *Menispermsaures Salz.*]

MENISPERMUM COCCULI, vide *Cocculus.*

[**MENOCRYPHIA**, a *μὴν, mensis*, et *κρύπτω, occulto*, idem, quod amenorrhoea, significare dicitur. Vid. *Encyclop. Wörterb. II. p.* 176. Sed non exstat substantivum *κρυφία*, etiamsi adiectivum *κρύφιος* occurrat, longe alio tamen sensu, quam qui morbo illi significando convenit.]

[**MENOLIPSIS**, a *μὴν*, gen. *μηνὸς, mensis*, et *λεῖψις*,

cessatio, est menstruorum fluxus ante tempus consuetum evanescens. Ge. *Zufrühes Aufhören des Monatsflusses.* Vocari quoque hoc vitium potest *menopausis*, a *μὴν* et *παῦσις*, *cessatio.*]

[**MENOPLANIA** vocatur menstruorum, e locis inconsuetis v. c. e gingivis, papillis mammarum, digitis, ventriculo, renibus etc. profluvium. Ex *μὴν* et *πλάνη*, *error.*]

MENORRHAGIA dicitur omnis effluxus sanguinis vitiosus ex utero, saepe etiam ex vagina, vel quantitate nimia, vel difficultate peccans. [Posterius menstruationis vitium alio nomine, nempe *dysmeniae*, insignitur a *δὺς*, quae particula in compositione difficultatem significat, et *μήνια*, *menses.* Kraus. derivat vocem a *δὺς* et mensis, errore calami.] Ge. *Blutgang.* Ga. *Perte de sang des femmes.*

[**MENOSCHESIS**, a *μὴν* et *σχέσις*, *retentio*, (cuius quidem notionis exemplum nullum in promptu habeo, sed e significatione adiectivi *σχετικὸς*, *qui cohibendi seu retinendi vim habet*, illam derivo,) est cohibitus menstruorum fluxus.]

[**MENOSTASIA** s. **MENOSTASIS**, plerumque pro menstrui fluxus cessatione, extra graviditatem contingente accipitur. A *μὴν* et *στάσις*, quae vox cum statum corporis indicet, motui oppositum, proprie illam menstruorum conditionem, qua in universum non fluunt, significare videtur. Haec autem menstrui fluxus absentia in corpore quoque maxime sano locum habet. Usu tamen receptum est, illo vocabulo morbosam tantum menstruorum cessationem insignire.]

MENSA est dentium molarium pars latior, quae cibum comminuit et etiam corona dicitur. [*Τράπεζα* *Rufo* Ephes. 4. 49. *τράπεζαι δὲ τὰ πλατέα τῶν γομφίων.* Poll. *onom.* II. 93.] At pars, quae gingivam contingit, *βωμίσκος*, dens molaris *Poll.* [*l. c.* *τῶν μέντοι μύλων τὸ μὲν πρὸς τῇ σαρκὶ, βωμίσκον καλοῦσι.* Unde patet, non totum dentem molarem, sed eius tantum partem, quae gingivae contigua est, *βωμίσκον* vocari.] — Sic et machinae quaedam chirurgis et anatomicis dicuntur *mensae.* Ge. *Ein Tisch, die Krone der Backzähne.* Ga. *La couronne de la dent*, ou *une table.* B. *Een tafel, de kroon.*

MENSES sunt sanguinis excretiones, quae singulis mensibus proveniunt in mulieribus, generationi aptis, idque ex ipso utero, aut eius collo, vel nonnunquam ex vagina. Triduum utplurimum durat haec evacuatio, quandoque tamen ad plures dies extenditur. Incipiunt, cum iuvenculae pubescunt, anno scilicet duodecimo, vel decimo quarto et plus sanguinis conficiunt, quam pro nutriendo suo corpore requiritur, unde oritur plethora, quae maxime in vasis uteri collecta ob minorem eius, quam aliarum partium, compressionem, per oscula vasorum huc hiantium dilatata exit, donec, imminuta iam sanguinis quantitate, vasa rursus contra-

hantur. Desinunt vero in gravidis, lactantibus et effoetis, plerumque post quadragesimum nonum, vel quinquagesimum annum. Sanguinis ipsius excreti quantitas admodum diversa est pro aetate, victu, habitu corporis, climate etc. nec unquam exacte determinari potest. Qualitate hic sanguis vix a reliquo sanguine differt et fabulae sunt aniles, quae de venenata eius indole vulgo dictitantur. Inter animalia, quantum hucusque innotuit, soli foeminae humanae et quibusdam speciebus simiarum est periodica haec sanguinis excretio. Vocantur etiam *flores*, quia indicium praebent aptitudinis ad foetum concipiendum. Aliis *menstruum, profluvium mulierum, lunare virus Ovidio, profluvium genitale Plin. tributum lunare, μῆνες, καθάρσεις, ἔμμηνοι, ἔμμηνα, γυναικεῖα Theophr. καταμήνια.* **Ge.** *Die monatliche Reinigung, Monatzeit, Frauenzeit.* **Ga.** *Les menstrues, les regles, les mois, les ordinaires.* **A.** *Womans courses, menses.* **B.** *De stonden, stonde-vloed, maandstonden, roode bloemen.*

MENSIS est determinatum temporis spatium, in quo scilicet vel luna orbitam suam percurrit, in **XXVII.** vel **XXVIII.** diebus et hoc *mensis lunaris* dicitur, vel sol duodecimam zodiaci partem transit in **XXX.** vel **XXXI.** diebus, qui *mensis solaris* vocatur, et quorum duodecim annum absolvunt. Ad foetum ergo humanum perfectum requiruntur decem menses lunares, vel novem menses solares. Est vero quoque differentia inter menses *lunares synodicos,* qui sunt, quando luna a sole digressa ad eundem redit et *periodicos*, quando luna ad idem zodiaci punctum regreditur. Ducenti et octoginta dies ut partus legitimi tempus novem menses synodicos et quindecim dies, decem vero menses periodicos et septem dies conficiunt.

MENSIS CHYMICUS, seu **PHILOSOPHICUS** constat ex quadraginta diebus.

MERSTRUA ALBA, vide *Fluor albus.*

MENSTRUUM: hoc sub nomine varia quidem a chymicis intelliguntur; vel enim est id, quod in vase destillatorio est et destillationi exponitur; vel liquor, quo metalla corroduntur et lapides solvuntur, ut acetum, aqua fortis, spiritus vini etc. Sumi etiam potest pro capite mortuo a destillatione relicto. Rectius tamen vocatur corpus, quod lege artis applicatum alteri illud dividit in minutas quidem partes ita, ut particulae solventis inter partes divisas soluti sint penitus intermistae. Distinguuntur, licet satis improprie, *menstrua* in *dura,* vel *solida* et in *fluida*; nam quamdiu corpora talia sub forma dura consistunt, tamdiu neutiquam agent, ut menstrua. Magis ergo proprie sub *menstrui* nomine intelligitur fluidum, quod substantias solidas ita in se recipit, ut in unum, visu homogeneum, corpus abeat, easque nisi exhalatione, aut praecipitatione, separatas non dimittat. De

menstruo universali, omnia scilicet solida solvente passim dictum est, sed merito de eius existentia dubitatur, cum praeter plura argumenta et vas, quo contineri posset, quaeri oporteret. Gr. a *μένω, maneo,* vel a *mense,* quod res dissolvendae quadraginta dierum spatio, sive per mensem philosophicum, agitantur et dissolvuntur. Ge. *Ein Auflösungsmittel.* Ga. *Menstrue.* A. *Menstruum.* B. *Een scheirocht, uittreksel.*

MENSTRUUM MULIERUM, vide *menses.*

MENSURA est tam aridorum, quam liquidorum quaedam determinata quantitas. Gr. *Μέτρον.* Ge. *Ein Maass.* Ga. *Mesure.* A. *Measure.* B. *Een maat.*

MENTAGRA est species lichenis ferae, quae tempore *Claudii* adhuc incognita erat. [Plin. *h. n.* XXVI. *c.* 1. morbum hunc a quodam Perusino equite, Romano quaestorio scriba, ex Asia sub Claudii imperio in Italiam importatam fuisse narrat.] Morbus dictus a mento, a quo incipit, et faciem, pectus, manusque foedo quodam furfure occupat. Ge. *Eine Schwinde, Flechte, Zittermaal am Kinn.* Ga. *Dartre.* A. *A tetter,* sive *ring-worme.* B. *Gevlekte* sive *schubagtige lazerie in het aangezigt.*

MENTHA est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) quod caules habet quadratos, rubicundos, ramosos. Folia sunt ut plurimum oblonga, satis angusta, acuta, in margine incisa, aliquantulum lanuginosa, coloris virido-fusci. Flores in spicas congesti in ramorum summitatibus, parvi, bilabiati, coloris albi, punctis quibusdam rubris notati. Singulis floribus succedunt quatuor semina oblonga, tenuia, floris calyce comprehensa. Radix longa, fibrosa et repens. Huius generis plures dantur species, spicatae, capitatae, aut verticillatae, inter quas quatuor praecipue in usum medicum apud nos adhibentur, scilicet 1) *Mentha auricularia Pharm.* Maiorana foetida *Rumph. Mentha auricularia* spicis oblongis, staminibus corolla longioribus, foliis oblongis pilosis *Linn.* 2) *Mentha sylvestris Pharm.* Mentha sylvestris folio longiore *Bauh. Mentha sylvestris* spicis oblongis, foliis oblongis, tomentosis, serratis, sessilibus, staminibus corolla longioribus *Linn.* [A. *The horse mint.* B. *Wilde munt.* Ga. *Menthe sauvage.* Ge. *Wilde Münze, Rossmünze, Rosspoley.*] 3) *Mentha crispa Pharm.* Mentha crispa danica, seu germanica speciosa *Moris. Mentha crispa* floribus capitatis, foliis cordatis, dentatis, undulatis, sessilibus, staminibus corollam aequantibus *Linn.* [A. *The curled mint.* B. *Krusemund.* Ga. *Menthe frisée* sive *crèpue.*] Ge. *Krausemünze.* 4) *Mentha piperita Pharm.* Mentha spicis brevioribus et hebetioribus, foliis menthae fuscae, sapore fervido piperis *Rai. Mentha piperitis* spicis capitatis, foliis ovatis, serratis, petiolatis, stami-

nibus corolla brevioribus *Linn.* Ge. *Pfeffermünze.* A. *Peppermint.* [B. *Peperminte.* Ga. *Menthe poivrée.*] — Gaudent cunctae hae species qualitate suavi, aromatica, amaricante et spirante, qua tamen sequentes singulae praecedentes superant. Fortissima est menthae piperitis, acrimonia sua sensum quasi refrigerii linguae inprimentis. Scatent omnes menthae oleo aethereo atque fragrante et viribus pollent nervinis, resolventibus, pellentibus, carminativis, antaphrodisiacis, emmenagogis et stomachicis. Menthae crispae usus frequentissimus est, e qua in officinis conserva, syrupus, aqua, spiritus et oleum destillatum prostant. In Anglia quoque frequenter *mentha spicata*, A. *Spearmint*, adhibetur. Nomen accepisse putatur a *Mintha*, Plutonis pellice, in hanc plantam conversa. Alii dicunt nomen accepisse, quod odore suo mentem excitet, aut quod grato odore mensas percurrat. Nonnulli derivant a mentula, quia ad coitum excitat, hominesque enervat. Gr. *μίνθη* et propter suavem odorem ἡδύοσμος. Ge. *Münze.* Ga. *Mente.* A. *Mint.* B. *Munt.*

MENTHA CATARIA est *nepeta.*

MENTHASTRUM est menthae species et quidem *sylvestris*, vel *rotundifolia*, unde et ei nomen devolvitur. Ge. *Wilde Münze.* A. *Horse mint.* B. *Wilde munt.*

MENTIGO est morbus ovibus infestus, idem qui in hominibus *mentagra* dicitur.

MENTOBICORNEUS *Verheyeno* idem musculus est, quam *geniohyoides.*

MENTULA, i. q. *penis* et *clitoris.*

MENTULAGRA est morbus membri genitalis virilis, in quo musculi illud erigentes vel convulsi, vel contracti sunt, qualis spadonibus saepe accidit.

MENTUM est inferior pars faciei sub inferiori labio, seu pars anterior et inferior maxillae inferioris. Gr. *Γένειον.* Ge. *Das Kinn.* Ga. *Le menton.* A. *The chin.* B. *De kin.*

MENYANTHES, *Menyanthes trifoliata*, foliis ternatis *Linn.* *Trifolium palustre*, *aquaticum*, vel *fibrinum Pharm.* est planta flore monopetalo, quinquefido, (Pentandr. Monogyn.) capsula ovata, crescens passim in Europae paludibus. Qualitatis est amarissimae, viribusque balsamicis, tonicis et stomachicis gaudet, hinc pluribus in morbis adhibetur. Prostant conserva, aqua, essentia et extractum. [De scribendi ratione monendum est, non *μηνυανθὲς*, quod latino *menyanthes* responderat, sed *μινυανθὲς* dicendum esse. Hanc enim scripturam tuentur Theophr. *hist. plant. IV. c.* 10. *s.* 4. Nicandr. *ther.* 522. eiusque Scholiasta, Hesych. Galenus *de med. simpl.* VIII. c. 19. to. XII. p. 144. alii Cons. Schneider. in ind. ad Theophr. et Salmas. *exerc. Plin. p.*172. qui plantae nomen non a *μὴν*, *mensis*, sed a *μινὺς*, *pau-*

cus, brevis, derivandum esse ostendit: per breve enim tempus eius flores durare.] Ge. *Fieberklee, [Wasser-, Lungen-, Bitterklee.* B. *Driebladige ruigbloem, water-drieblad.*] Ga. *Méniante, [trefle aquatique* sive *de marais*, sive *de Castor.*] A. *Marsch treefoil, buckbeam.*

[MENYANTHINE a Trommsdorffio detecta est, cum Menyanthen trifoliatam analysi chemicae subiecisset. In illius enim herbae recentis succo expresso invenit amylum viride, ex albuminis 0, 76. et substantiae resinae similis 0, a qua color viridis tincturae spirituosae pendet; materiam, cum principio amaro intime coniunctam, e Gmelini coniectura cum illo eandem, a principio scytodepsico praecipitandam; materiem extractivam amaram, aqua et spiritu vini solubilem, et solutiones ferri oxydati colore smaragdino tingentem; gummi fuscum, arabico simile; acidum malicum liberum et kali aceticum, denique materiam amylaceam, e granulis exiguis, rotundis albisque constantem, quae aquae ferventis ope solvuntur, ex illa autem frigefacta denuo praecipitantur. Hanc Trommsdorffius *Menyanthinen* vocatam ad Inulinem propius accedere, cum hac autem penitus convenire Gmelinus (*Chemie* II. p. 798.) contendit.]

MEPHITIS proprie quidem foetorem sulphuris accensi denotat, latiori vero sensu sumitur pro congerie quorumcunque vaporum foetidorum a putredine natorum, aut noxiorum, unde v. c. *vapores* e variis speluncis egredientes *mephitici* vocantur.

MERCURIALIA dicuntur omnia, quae ex mercurio praeparantur. Ge. *Arzneien von Quecksilber.* Ga. *Mercuriaux.* A. *Mercurial medicine.* B. *Quikbereidsels.*

MERCURIALIS est plantae genus flore apetalo stamineo, seu sterili, et cuius embryones et fructus in aliis speciebus nascuntur flore carentibus, (Dioec. Enneandr.) dum olim contrario plane sensu species capsulas biloculares ferentes dicebantur testiculatae, seu mares, quae tamen revera foeminae sunt, et species, quae flores, seu stamina ferebant, dicebantur foeminae, quae tamen revera mares sunt. Habet haec planta caules rotundos, politos, in parvos ramos divisos. Folia sunt oblonga, satis ampla, acuta, polita, viridia, in caule bina opposita, in margine crenata. Calyx florum monophyllus, expansus in tria segmenta, tam in mare, quam in foemina. Flos in mare apetalus, stamineus, habens stamina novem, vel duodecim, in spicas congesta. Ovarium calyci triphyllo insistit gemellum, rotundum, instructum tuba fimbriata: semina ovalia, vel rotunda, includuntur in capsula obrotunda. Radix fibrosa est. Quae in officinis prostat, est Mercurialis testiculata, seu mas *Bauh. Mercurialis annua* caule brachiato, foliis glabris, floribus spicatis *Linn.* Ob indolem quandam mucilaginosam haec inter plan-

tas emollientes refertur. Non immerito tamen alii qualitatem ei suspectam, hypnoticam, purgantem et repellentem tribuunt, cum incautum foliorum in obsonio esum dira mala secuta esse observatum sit. [A. *The annual* sive *the french mercury*. B. *Jaarlyks bingelkraud.* Ga. *La mercuriale, foirolle, vignoble* etc. Ge. *Jähriges Bingelkraut, Bengelkraut, Kühkraut, Speckmelde.*] Species Mercurialis, quae *Cynocrambe* dicitur, *Mercurialis perennis* est caule simplicissimo, foliis scabris *Linn.* Ge. *Hundskraut, Hundskohl, beständiges* sive *wildes Bingelkraut.* Ga. *Chou de chien,* [*mercuriale sauvage* sive *de montagne.*] A. *Dogs-mercury,* vere venenata est [inprimis ovibus.] Confer. *Cynocrambe.* Gr. *Λινόζωστις* et *Ἑρμοῦ βοτάνιον,* planta sic dicta [Diosc. IV. 188.], quod, ut ferunt, a Mercurio sit inventa.

MERCURIFICATIO quibusdam chemicis, s. alchemicis, ea dicitur corporum fixorum mutatio, qua volatilia redduntur, ita ut ope ignis sublimari possint. Putant, inprimis metalla ope huius operationis in fluidum metallicum mercurio vivo simile, sed ponderosius, mutari, aut mercuriale metallorum principium ea separari. Ge. *Mercurificirung.* Ga. A. *Mercurification.*

MERCURIUS, sive *argentum vivum,* ita dictum, quia splendore suo metalli illius fulgorem provocat et tremula sua fluiditate et mobilitate vitalis quidpiam referre videtur. Summo tamen frigore [— 32° R. sive, ut Iohnius vult, — 34° R.] illum in corpus solidum malleabile mutari posse, experimenta, quae recentioribus temporibus cum eo Petroburgi primum instituta fuerunt, probant. Vocatur etiam *hydrargyrum,* quasi diceres argentum aqueum, et *Hermes,* sive *Ἑρμῆς.* Est metallum, seu potius semimetallum, post aurum [et platinum] ponderosissimum, simplicissimum, parvo igne, sed paulum maiori, quam ebullientis aquae, totum volatile, candidi coloris, gravitatis specificae, respectu aquae, ut 1 ad 14. minime ductile sub malleo, dum fluidum est, sed parva vi divisibile in partes minimas, quae tamen, quoties ad se mutuo iterum accedunt, quam facillime in mutuos ruunt amplexus, atque adunatis particulis unum formant globulum; superficie tam glabra donatum, ut nervis etiam acutissime sentientibus adplicatum, per se nullum doloris sensum imprimat. [Caloris gradu, a 285° usque ad 360° R. aequali ebullit. Experimenta enim hac de re instituta multum variant.] Auro omnium facillime adhaerescit, dein plumbo, argento, stanno, difficilius cupro, vix ferro. Cum pinguedine spissiori subigi se patitur, in qua disparens caerulescentem tantum colorem unguento conciliat. Invenitur passim in metallifodinis Hungariae, Istriae, Hispaniae, Palatinatus et Americae, vel mercurius purus, qui *nativus* et *virgineus* dicitur, vel materia lapidea, aut sulphure mineralisatus, qui ultimus *cinnabaris*

nativa vocatur. A veteribus pro veneno habebatur. Arabes primo externe mercurio usi sunt, et in principio saeculi decimi sexti interne adhiberi coepit, summamque in lue venerea tum pullulante exseruit efficaciam. Ob maximam enim cum pondere divisibilitatem minima corporis vascula penetrat, hinc in plurimis morbis a lympha viscida, impura atque infecta oriundis ea praestat, quae nullis aliis remediis obtineri possunt, humores fundendo et ad excretionem disponendo. Insecta omnia fere enecat, et in morsu canis rabidi optimo saepe cum eventu adhiberi coepit. Frequentissimus eius tum internus, tum externus usus est. Adhibetur vel crudus, vel vario modo solutus, praecipitatus, vel sublimatus, maiorisque, vel minoris est, pro diversitate praeparationis, efficaciae. Ingens prostat pluribus in pharmacopoeis huiusmodi praeparationum numerus, adhucdum novis quotidie inventis auctus. Vide *calomel, lacerta viridis, panacea, turpethum* etc. — Mercurius interdum chimicis dicitur omnis liquor, qui non inflammatur, sive sit spirituosus, acidus, vel aquosus. Alii sumunt pro spiritu e plantis, vel animalibus educto, vel pro liquore quovis acido, arte chymica parato. Hinc veteribus nonnullis dicitur triplex, mineralis, coelestis et chymicus. Appellatur sic ab ethnico Deo Mercurio, qui ob agilitatem negotiatoribus praesidere existimatur. Ge. *Quecksilber.* Ga. *Mercure, vif argent.* A. *Quicksilver, mercury.* B. *Quickzilver.*

MERCURIUS ANIMATUS quibusdam chymicis dicitur mercurius aliquoties cum auro et argento in amalgama redactus et per retortam in balneo arenae destillatus.

MERCURIUS PHILOSOPHORUM est alchemicis terra mercurialis a metallis per mercurificationem separata. Ga. *Mercure des philosophes.*

MERCURIUS VITAE, s. *pulvis Algaroth*, est pulvis albus fundum petens, dum butyro antimonii aqua affunditur. Emeticum est summe drasticum, a quo prudens medicus omnino abstinet.

MEROBALINEUM [vox hybrida, adeoque damnanda] est species semicupii, in quod unicum membrum, vel plura immerguntur. A *μέρος, pars,* et balineum, seu balneum. Ge. *Ein Gliedbad.* Ga. *Bain pour un membre,* ou *une partie.* A. *A bath for a particular membre,* or *more.* B. *Een lidbad.*

[MEROCELE, a *μηρὸς, coxa, crus,* et *κήλη, hernia.* Denotat igitur herniam cruralem. Ga. *Schenkelbruch.*]

[MERORRHEXIS, a *μηρὸς* et *ῥῆξις, ruptura.* Recte Krausius *l. c.* monet, hanc vocem, sive *merorixis*, sive *merorrhexis* scribatur, male formatam, e lexicis medicis proscribendam esse.]

[MESARAEON, idem quod mesenterium, teste Galeno

de an. admin. VI. 5. *to II.* 561. ed. Lips.), qui et p. 563. differentiam, inter utrumque nomen intercedentem, addidit. Nomen enim mesenterii a situ, mesaraei a peculiari substantia desumtum esse putat: quare non audiendus Krausius *l. c.* est, cum recte quoque *μεσόραιον* dici posse opinatur. Nam termini technici non, quomodo recte possint efferri; sed quomodo ab eorum inventoribus adhibiti fuerint, nisi contra linguae peccent rationem, retinendi sunt. *Μεσόραιον* lingua graeca non habet. A Gr. *μέσος, medius,* et ἡ ἀραιὴ, quod *ventrem* denotat. Hesych. ἀραιὴ γαστὴρ· τὰ ἔντερα. Quamquam autem Phavorinus in coniungendis invicem vocibus γαστὴρ et ἀραιὴ consentit, tamen equidem commate distinguendas esse puto.]

[MESARAICA vasa sunt arteria mesenterica superior et inferior, et vena mesenterica maior et minor. Ge. *Gefässe des Gekröses.* B. *Scheelvaten.* (Vidcant, qui belgicae linguae cognitionem ampliorem, quam ego, habent, utrum haec vox recte habeat, an legendum sit *scheeladern,* cum lexica *scheelvet* explicent per pinguedinem intestinorum.) Ga. *Vaisseaux mesaraïques.*]

[MESENTERICAE arteriae duae sunt, superior et inferior. Illa haud procul a coeliaca oritur, descenditque pone pancreas et ante finem duodeni. Ramos inter utramque mesenterii laminam ad intestina ieiunum, ileum, coecum et colon mittit. Haec s. inferior profundius, quam altera, pollicem fere supra aortae bifurcationem, orta in duos ramos, colicam sinistram et haemorrhoidalem internam, dividitur. Ge. *Gekrösschlagadern.* Ga. *Artères mesentériques.* B. *Scheelslagader.*]

MESENTERICAE VENAE originem habent partim ex extremis arteriis mesentericis, partim ex villis intestinorum resorbentibus; inde in maiores ramos confluunt, quae eodem modo, ut arteriae, per mesenterium decurrunt. Accedunt iis venae mesocolicae, pancreaticae, epiploicae et haemorrhoidales. Omnesque tandem conveniunt in unum ramum, lineae amplitudine maiorem, qui se in venam portarum exonerat. Ge. *Gekrösblutadern.* Ga. *Veines mesentériques.* B. *Darmscheel-ader.*

MESENTERIUM est peritonaei membrana duplicata, ad corpora vertebrarum lumbarium utrinque concurrens, glandulis, nervis, arteriis, venis, vasis chyliferis et lymphaticis dotata, quae in interposita tela cellulosa decurrunt; medium abdominis occupat et intestina ordine quodam miro continet, iisque primam tunicam largitur. In medio glandulam magnam habet, *pancreas Asellii* nominatam, quod in ovibus et canibus quidem obtinet, sed in homine numerosae, molles, tam maiores, quam minores, conglobatae, lymphaticae, interspersae glandulae reperiuntur, quas *Ruyschius* ex subtilissi-

mis vasculis sanguiferis, pulposa substantia simul apposita, constare per iniectiones deprehendit: *Glandulae mesentericae* vocantur, in iunioribus longe maiores. Ad eas lactea primi ordinis vasa ex intestinis tendunt et ab hepate aliisque partibus vasa lymphatica descendunt; ab hisce iterum lactea secundi ordinis vasa ad sacculum chyliferum adscendunt, et in eius sinum chylum magis elaboratum exonerant. Ex *μέσον*, *medium*, et *ἔντερον*, *intestinum*. Gr. *Μέσαρχον*, *μεσάραιον*, *μεσόκωλον*, *Hippocr.* *Ἀνωχεὺς τῶν ἐντέρων Rufo.* *Ἐπιχορδὶς* apud veteres, teste *Aretaeo morb. ac. II.* 6. Ge. *Das Gekröse.* Ga. *Mesentére.* A. *The mesentery.* B. *Het darmscheel, scheitsel, middeldarm - vlies.*

MESEREI BACCAE, vide *Laureola* et *mezereum.*

MESOCOLON est pars mesenterii, quae crassis intestinis adhaeret. Ex *μέσον*, *medium*, et *κῶλον*, *intestinum colon.* Ge. *Das kleine Gekröse.* Ga. *Mesocolon.* A. *The little mesentery.* B. *Het kleine*, sive *karteldarm scheel.*

[MESOGASTRICA regio est in abdomine inter epigastricam et hypogastricam sita, quae alias umbilicalis dicitur. Vide Aug. Ca. Bockii liber: *Der menschl. Körp. nach seinem äuss. Umfange.* u. s. w. Leipz. 1824. fol. A *μέσος*, *medius*, et *γαστρικὸς*, *qui ad ventrem pertinet.*]

MESOGLOSSUM, i. q. *genioglossum.*

MESONYCTIUM est media noctis pars. Ex *μέση*, *media*, et *νὺξ*, *nox.* Ge. *Mitternacht.* Ga. *La minuit.* A. *Midnight.* B. *Middernagt.*

MESOPLEURII sunt costarum spatia intermedia, ut et musculi intercostales, in utroque latere viginti duo, undecim externi et totidem interni, numerantur. Ex *μέση*, *media*, et *πλευρὰ*, *latus.* Vide *Intercostales musculi.* Ge. *Die Muskeln zwischen den Rippen.* B. *Tusschen - ribbig.*

[MESOTHENAR: supra sub *Hypothenar* monuit Blancardus, unum e musculis pollicis hoc nomine a quibusdam insigniri.]

MESPILUS est arbor mediocriter alta, cuius plures dantur passim species. Quae apud nos frequentissime colitur, est Mespilus Germanica folio laurino, non serrato *Bauh.* *Mespilus germanica* inermis, foliis lanceolatis, subtus tomentosis, floribus solitariis sessilibus *Linn.* Eius scilicet truncus est tortuosus, rami duri et non flexiles. Folia Lauri, sed lanuginosa et in parte inferiori alba. Flores sunt magni, (Icosandr. Pentagyn.) rosacei, coloris albi, aut rubri. Post florem sequitur fructus rotundus, post maturitatem rubicundus, carnosus, qui vocatur *mespilum.* Eius cutis est tenera, caro dura, alba, saporis austeri; sed post maturitatem dulcis, vinosi et grati, quatuor, vel quinque ossicula dura, oblonga, inaequalia et rubicunda habet. In singulis ossiculis haeret semen oblongum. Mespilum in arbore raro fit ma-

turum, sed postquam ad suam magnitudinem naturalem pervenit, carpitur et supra stramen deponitur, donec maturescat, tumque gaudet qualitate stiptico-farinosa, esculenta, viribusque subadstringentibus et grate refrigerantibus; hinc in diarrhoea et laxitate intestinorum esus proficuus est. Gr. μεσπίλη arbor mespili est, μεσπίλον fructus, pro quo recentiores dixerunt μούπουλον. Fortassis nomen imposuerunt Scythae, qui lunam μέσπλην vocarunt. *Hesychius* μέσπλη ἡ σελήνη παρὰ Σκύθαις. Verisimilius nomen accepit, quod fructus mollior et esui idoneus pulpa constat sordida et adspectu ingrata, μέσπιλος ergo, quasi μεσόπιλος. Ge. *Ein Mispelbaum.* Ga. *Néflier.* A. *Medlar-tree, melder, medeler.* B. *Mispel-boom.*

MESPILUS ARONIA est species mespili, scilicet mespilus apii folio laciniato, *Bauh. Crataegus* foliis obtusis, subtrifidis, subdentatis *Linn.* (Icosandr. Trigyn.), quae in Italia et Gallia australi colitur, cuius fructus inde ad nos adlati a multis ob gratissimam aciditatem, vimque refrigerantem et analepticam in deliciis habentur. Ge. *Lazaroläpfel, welsche Espeln.* Ga. *Azérole.*

METABASIS est transitus ab una indicatione in aliam, ab uno remedio in aliud, qui cum prudentia et non temere fieri debet. A μεταβαίνω, *transgredior.* Ge. *Uebertretung, Veränderung.* Ga. *Transition, changement d'indication.* A. *A transgression from one thing to another.* B. *Een overtreding, verandering.*

METABOLE est temporis, aëris vel morborum mutatio. A μεταβάλλω, *muto.* Ge. *Veränderung der Sachen.* B. *Verandering der zaaken.*

METACARPUS et **METACARPIUM** est manus pars posterior: constituitur ex ossiculis quatuor oblongis, seu cylindricis, volam manus expandentibus, quae parte superiori cum digitis, inferiori cum carpo connexa sunt. Dicuntur *postbrachialia.* Ex μετὰ, *post,* et καρπὸς, *manus iunctura.* Vocatur item *torus manus, tubercula,* μετακάρπιον. Ge. *Die Hinterhand, Mittelhand.* Ga. *Metacarpe.* A. *The wrist, the back of the hand.* B. *De agterhand, naahand, voorhand.*

METACONDYLI, [Rufo *d. part. c. h. p.* 30.] sunt postremi digitorum articuli unguibus tecti; quemadmodum medii [κατ' ἐξοχὴν] *condyli* et primi metacarpio proximi *procondyli* dicuntur. Ex μετὰ, *post,* et κόνδυλος, *nodus, tuberculum in digitorum iunctura.* Ge. *Die Knöbel,* oder *vorderste Gelenke der Finger.* Ga. *Metacondyle.* A. *The utmost bones of the fingers.* B. *De voorste vingerleden.*

METALLUM, Gr. μέταλλον, est substantia mineralis, seu fossilis, admodum ponderosa, solida et rigida, malleabilis, igne fusilis, frigore concrescens, quae in montibus et

cryptis subterraneis aut nativa effoditur, aut e mineris protractis liquando vario modo extrahitur atque separatur. Sunt aurum, ferrum, argentum, cuprum, plumbum, stannum et secundum veteres argentum vivum, quod tamen magis ad semimetalla pertinet. Omnia illa hoc versiculo continentur, ut:

Sol, Mars, Luna, Venus, Saturnus, Iuppiter, Hermes.

Recentioribus etiam temporibus *platina* ut novum metallum proprii generis innotuit. Vide *platina*. Inter metalla [post platinum] aurum solidissimum est. [Hic septenarius metallorum numerus hodie septies fere auctus est. Eorum duplex classis constituta est, quorum altera metalla levia, altera ponderosa continet. Illa in duos iterum ordines divisa est, nempe in metalla alcalina, quo kalium, natrium, lithium, baryum, strontium et calcium pertinent, et in terrestria, quo magnium, yttrium, cerium, glycium, alumium, zirconium, thorium et silicium referenda sunt. Ponderosa quoque in duos ordines distribuuntur, in ignobilia et nobilia. Illa aut aspera atque fragilia, aut lenta atque ductilia sunt. Priora aut difficulter fundi possunt, ut titanium, tantalium, scheelium, molybdaenum, chromium, uranium, manganium et cobaltum, aut facile funduntur atque in vapores resolvuntur, quemadmodum arsenum, antimonium, tellurium et bismuthum. Nobilia, hucusque detecta metalla sunt mercurius, argentum, aurum, platinum, rhodium, iridium et osmium. Hisce metallis omnibus addita sunt nuper vaneadium et plurianium.] ex *μετὰ*, *post*, et *ἄλλος*, *alter*, quia, una inventa vena, altera invenitur. Ge. Ga. A. *Metall.* B. *Metaal.*

METALLURGIA est illa scientia, quae metalla ex fodinis eruere et vario artificio e mineris eliquare docet. Ge. *Metallurgie.*

METALLURGUS, seu **METALLICUS** est, qui scientia metallurgica imbutus est, vel etiam qui in terrae visceribus metalla scrutatur, et circa eorum eductionem et separationem versatur. Ex *μέταλλον*, *metallum*, et *ἔργον*, *opus*. Ge. *Ein Schmelzer*, *Bergmann.* Ga. *Metallurgiste*, *maitre de mines.* A. *Diggers of metall*, *miners.* B. *Een metaal-werker*, *berg-* sive *myn-werker.*

METAPHRENUM, Gr. *μετάφρενον*, [quid sit, non inter omnes constat. Antiquissimos enim *μετάφρενον* vocarunt eam dorsi partem, quae opposita pectori est, uti ap. Homer. Il. 2. vs. 265. *σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω πλῆξεν.* Eodem modo strenuus Homeri imitator, Aretaeus *de caus. m. ac.* I. c. 6. p. 9. ed. Lips. *ἐπ᾽ ἶσον τοῖσι μεταφρένοισι τῶν ἰσχύων ἐξωθουμένων.* Oribas. *anat. ex Galen.* p. 282. ed. Dundas. ubi de nervorum spinalium distributione agit: *αἱ δὲ ἄλλαι συζυγίαι κατὰ τὴν ἔκφυσιν ἀντίκα μέρος τε τοῖς ῥαχί-*

ταις μυσὶ διδόασι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς κατὰ τὸ μετάφρενον, οἷον τοῖς τε τὰς ὠμοπλάτας κινοῦσι. Contra ea Rufus *de part. c. h.* p. m. 30. *μετάφρενον δὲ τὸ μεταξὺ τοῦ νώτου καὶ ὀσφύος κατὰ τὴν τῶν νεφρῶν πρόσφυσιν.* Eustath. ad Hom. *l. c. μετάφρενον δὲ λέγεται τὸ ἀπὸ αὐχένος ἕως ὀσφύος, μᾶλλον δὲ τὸ ἀντικρὺ ὄπισθεν τῶν φρενῶν.*] Ex *μετὰ, post,* et *φρὴν, praecordium.* Ge. *Der, der Brust gegenüberliegende Theil des Rückens.*

[**METAPODIUM** a gr. *μετὰ* et *ποδίον, pediolus.* Quis hanc vocem pro *metatarso* usurpaverit, mihi notum non est. Hoc autem scio, metapodium non, multo minus metapedium apud Graecos inveniri.]

METAPTOSIS est morbi in alium morbum degeneratio; ut febris quartana in tertianam, et vice versa: apoplexiae in paralysin etc. A *μεταπίπτω, recido, relabor, degenero, transeo.* Ge. *Veränderung der Krankheit in eine andere.* B. *Verandering der ziekte.*

[**METASCHEMATISMUS** est morbi in novam plane faciem (*σχῆμα*) conversio, quomodocunque tandem illa fiat. Potest autem duplici modo ea locum habere: nam aut morbi tantum forma mutatur, natura eiusdem semper eadem manente, aut, forma ne minimum immutata, natura morbi prorsus alia fit. Priorem metaschematismi speciem nosologi *metaptosin,* posteriorem *diadochen* vocant.]

METASTASIS est humoris morbosi ex parte, in qua natus fuit, aut ex tota massa humorum, translatio in unam aliquam partem, cessante plerumque, vel remittente, morbo, sed insequente alio: quae depositio, si ad partes minus nobiles fiat, aegrum servat, si ad viscera nobiliora, in summum praecipitat periculum. Ut si in febre acuta materia ad inguina deponatur, aperto et evacuato abscessu, convalescit aeger, si vero materia podagrica caput repetat, deliria, apoplexiam, ipsamque mortem inducere potest. A *μεθίστημι, transloco, transfero.* Vide *Apostema.* Ge. *Weichen der Krankheit aus einem Ort in einen andern, Versetzung der Krankheit.* Ga. *Metastase.* B. *Verplaatsing der ziekte.*

[**METASYNCRISIS** fuit terminus technicus, quo Thessalus immutationem rationis, inter poros et atomos intercedentis, insigniebat et ad quam medico recurrendum esse praecipiebat tunc, cum a communibus contractionis et relaxationis indicationibus remedium morbi repeti haud posset. Galenus eandem rem voce, ad intelligendum faciliore, exprimebat per *μεταποροποίησιν* i. e. *meatuum in corpore mutationem.* Caelius Aurel. *acut.* 3, 4. recorporativas vires, quas Graeci *σύγκρισιν* vocant. Et medicamenta, quibus haec pororum immutatio et in naturalem statum reductio perfici posse credebatur, medicamenta *συγκριτικὰ, recorporativa,* voca-

bantur. A *μετὰ,* quae praepositio in compositione mutationem indicat, *συγκρίνω*, *comparo*, *contendo inter se.*]

METATARSUS sunt quinque ossicula cylindrica, in parte anteriori cum prima phalange digitorum, in parte posteriori cum ossibus tarsi per arthrodiam connexa, quae plantam pedis constituunt. Ex *μετὰ, post,* et *τάρσος*, *crates, tarsus.* Ge. *Das Fussbret.* Ga. *Metatarse, le dessous du pié.* B. *Agter-voet.*

METATHESIS vocatur causae morbi, non prorsus removendae, in alium locum translatio, ubi minus actiones turbare potest; ut si calculus urethrae impactus in vesicam repellatur, aut lens crystallina obfuscata acu deprimatur. [Necessario in definitione causa morbi accuratius definienda est addita voce *solidae,* quam recte apposuit denominationis auctor Rolfink. Id etiam probant duo allata exempla.]

METEORISMUS est intumescentia fugax abdominis, vel tantum epigastrii, aut hypochondrii, a flatibus contentis, cum exiguo, vel nullo dolore, distincta sic a colica flatulenta et tympanite. A *μετέωρος, sublimis.* Plurium morborum hoc symptoma comes est. *Hippocrates* tamen saepe, dum de meteorismo loquitur, orthopnoeam, vel catarrhum suffocativum, intelligit. Ge. *Aufblähen des Leibes.* Ga. *Météorisme.*

METHODICA MEDICINA est, cuius auctor fuit *Themison Laodiceus*, excultor *Thessalus Trallianus,* qui artem sex mensium spatio addisci posse clamitabat. Hi, signis et causis neglectis, ad laxum, strictum et mixtum in omni morbo respiciebant. [A graeco *μέθοδος*, qua voce Themison viam intelligebat medicinam exercendi, quae aeque longe a rudi empiria, ac a severe dogmatica ratione distabat.]

METHODICI sunt medici quidam veteres, qui compendium artis methodo quaesiverunt, scil. *laxi*, *stricti* et *medii* cancellis omnia comprehendentes. Hi diaetam praeterea exactissimam infirmis inculcarunt, et ad frangendas vires primis tribus diebus nil quidquam alimenti concesserunt, hinc etiam *Diatritarii* vocabantur. Utebantur plerumque insolatione, frictione, balneis etc. [Optime de methodica medicina exposuit Curt. Sprengelius (*Vers. ein. pragm. Gesch. d. Arzneik. Th. II. p.* 28. sq.).]

METHEMERINA, **CATHEMERINA**, idem quod *Amphimerina*, *Hemitritaeus*, *Latica* seu febris maligna putrida. [A graeco *μετὰ* et *ἡμέρα* descendit *μεθημερινὸς*, *diurnus,* uti a *κατὰ* et *ἡμέρα* *καθημερινὸς*. Apud medicos alia notione utramque vocem occurrere, quam apud reliquos scriptores, auctor est Galenus; iuniores enim medicos refert illis febrem designasse, quae non intra viginti quatuor horas exacte finiatur, sed in alterum adhuc diem extendatur: contra ea *amphimerinam* ab illis vocatam esse eam, cuius decursus viginti quator horis exacte terminetur. Vid. Gal. *d. differ. febr.* II.

c. 7. to. 7. p. 354. comm. 3. in Hipp. epidem. I. 2. to. XVII. 1. p. 221. Unde patet, Blancardum graviter errasse, dum amphemerinam, cathemerinam et methemerinam febrem unam eandemque febrium esse formam contenderet.] Ge. *Ein bösartiges tägliches anhaltendes Fieber.* Ga. *Quotidienne continue.*

METHODUS, METHODUS MEDENDI est pars medicinae, qua per indicationes ratiocinando ex datis principiis auxilia inveniuntur et debito modo, tempore et quantitate adhibentur, ut deperdita hominis sanitas restituatur. Ex *μετὰ, cum,* et *ὁδὸς, via.* Ge. *Heilart.* Ga. *Methode.* A. *Method.* B. *Beleid van geneezing.*

[**METHOMANIA**, a *μέθη, ebrietas,* et *μανία, furor, immoderatum desiderium.* Vide *Dipsomania.*]

METOPIUM, vide *galbanum.*

METOPUM est frons, sive pars faciei supra oculos. Ex *μετὰ, post,* et *ὢψ, oculus.*

[**METREMPHRAXIS** secundum Haninum idem esse dicitur, quod scirrhus uteri, a *μήτρα, uterus,* et *ἔμφραξις,* quam vocem Scribon. Larg. comp. 47. per *oppilationem* interpretatur. Oppilationem autem explicuit Cp. Barth. *adv.* 40, 4. per arctam obstructionem. Quam explicationem firmare videtur Hesych. *Ἔμφραξις, πόνος ὤτων.* Cum autem oppilatio a scirrho plurimum differat, falsam esse Hanini expositionem intelligimus.]

METRENCHYTES est instrumentum chirurgicum, seu sipho, quo liquores vaginae et utero immittuntur. Ex *μήτρα, matrix, uterus,* et *ἐγχύω, infundo.* [Falso scribitur *metrenchyta.* Nam vocem *ἐγχύτη* graeca lingua non habet. *Μητρεγχύτης* autem saepe ap. medicos graecos occurrit, v. c. ap. Antyllum Oribas. p. 323. ed. Matth. *ἐγχυματισμοῖς χρώμεθα ἰδίως ἐπὶ ὑστέρας διὰ μητρεγχύτου.* Galen. *meth. med.* V. 5. to. X. p. 328. ed. Lips.] Ge. *Ein Muttertrichter, eine Mutterspritze.* Ga. *Métrenchyte.* A. *Mother-funnell.* B. *Een moedertrechter.*

METRETES, [Graec. *μετρητὴς*] est mensura maxima [liquidorum] apud Atticos, capiens choas duodecim, sive libras centum et octo. Alia centum et viginti libras continet, et olei circa centum et quinque. [Definiunt alii hanc mensuram septuaginta duobus sextariis, s. cotylis centum et quadraginta quatuor aequalem.]

METRITIS [Gr. *μητρῖτις* a graeco *μήτρα, uterus*] est inflammatio uteri, cuius praecipuum symptoma est tumor regionis uteri cum ardore, dolore, gravitate et pyrexia acuta. Immisso in vaginam digito, os uteri tactum non tolerat, rubet, retractum est; febris est continua, synochus ardens, quandoque amphimerina lypiria, cum horrore perpetuo, frigore extremorum, delirio, iactatione; caput, potissimum

vero sinciput dolet, nec non oculi; convulsiones colli, manuum ac pedum accedunt. Pulsus initio magnus, celer, deinde debilis, frequens. Hic morbus puerperis saepe infestus, et, licet nonnunquam lochia ubertim fluant, tamen funestus esse solet. *Sauv.* [Graec. *μητρῖτις*, a *μήτρα*, *uterus.*] Ge. *Entzündung der Gebärutter.* Ga. *Inflammation de la matrice.* A. *Inflammation of the womb.*

[**METROCELE** s. **COLPOCELE** s. **ELYTROCELE** s. **HERNIA VAGINALIS** oritur, quando in illud spatium, quod intra uteri fundum et intestinum rectum, et intra uteri fundum et vesicam relictum est, et in quod peritonaeum, quasi saccum efformans descendit, intestina delabuntur, quae cum aut anteriorem, aut posteriorem vaginae parietem introrsum pellunt, tumorem efficiunt, qui *metrocele* vocatur. Ge. *Mutterscheidenbruch.* A gr. *μήτρα* et *κήλη*, *hernia.*]

[**METRODYNIA**, ingratus sensus in utero percipiendus. A graeco *μήτρα* et *ὀδύνη*, *dolor.* Ge. *Schmerz in der Gebärmutter.*]

[**METROLOXIA**, a graeco *μήτρα* et *λοξὸς*, *obliquus*, denotat obliquum uteri situm, quo eius corpus a linea perpendiculari per verticem ducta sive antrorsum, sive retrorsum, sive ad alterutrum latus deflectit. Graecae linguae rationi convenientior denominatio poterat *μητρολοξότης* esse. Ge. *Schiefe Lage der Gebärmutter.*]

[**METROMANIA** est effraene coitus desiderium, in feminis omnes pudoris decorisque terminos excedens. Vocatur quoque *Andromania*, *Furor uterinus*, *Nymphomania.* Ge. *Mannstollheit*, *Mutterwuth.* A graeco *μήτρα*, *uterus*, et *μανία*, *furor.*]

[**METROPOLYPUS** est polypus uteri s. excrescentia polyposa membranae mucosae, internam uteri superficiem investientis. Ge. *Mutterpolyp.*]

[**METROPROPTOSIS** est prolapsus uteri, qui duplicis generis esse potest. Nam aut uterus tantum ita e cavitate pelvis descendit, ut eius orificium statim pone vaginae orificium positum sit (prolapsus uteri incompletus), aut integrum uteri viscus extra genitalia prodit (prol. ut. completus). A graeco *μήτρα* et *πρόπτωσις*, *prolapsus.* Ga. *Chute* s. *descente de la matrice.* Ge. *Muttervorfall.*]

[**METRORRHAGIA** falso pro sanguinis ex utero profluvio adhibetur. Nam cum a *μήτρα* et *ῥήγνυμι*, *rumpo*, descendat, non potest aliud quid vox illa significare, quam uteri disruptionem, uti *φλεβοῤῥαγία* ap. Hippocratem non sanguinis fluxum e vena, sed solummodo venae disruptionem denotat.]

MEUM seu **MEU**, Gr. *μεῖον* et *μῆον*, Arabibus *Mu*, unde forte nomen, est planta umbellifera, flore rosaceo, (Pentandr. Digyn.) Meum foliis Anethi *Bauh.* *Athamanta meum*, foliis

capillaribus, seminibus glabris striatis *Linn.* vel potius *Aethusa meum eiusd.* foliis omnibus multipartito-setaceis. Huius herbae folia sunt instar Anethi, aut Foeniculi, ideoque a nonnullis *Foeniculum porcinum* vocatur. Eius radix in usu est, ingrediturque theriacam et mithridatium. Ea aromatica, acris et calida est, satis crassa, utcunque obtusa, unde *radix ursina* vocatur in officinis: etiam oblonga, digiti crassitiei, foris ferruginosa, intus pallida, aliquantulum resinosa, saporis et odoris ad Angelicam et Ligusticum accedentis, ob nimiam fragrantiam nonnullis molesta et odiosa, viribusque carminativis, diureticis et emmenagogis pollens. Crescit copiose in sylva Hercynia, aliisque locis montanis, et in montibus campestribus et apricis. Colitur tamen etiam in hortis. Ex fibris radicis, per mucum in ventriculo rupicaprarum compactis, *aegagropilae* oriuntur. Floret Iunio ac Iulio. Ge. *Bärenwurzel, wilder Dill, Bärendill, Bärenfenchel, Mutterwurz, Herzwurz.* Ga. *Meum d'athamante.* A. *Spignel, meu, wild dil.* B. *Beer-wortel, varkens-venkel, wilde venkel.*

MEZEREUM, Thymelaea folio deciduo *Tournef.* Laureola folio deciduo, flore purpureo, *Bauh.* *Daphne mezereum* floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis *Linn.* est planta calyce nullo, corolla monopetala, tubo cylindraceo, limbo quadrifido, (Octandr. Monogyn.) bacca subrotunda, uniloculari, semine unico, subrotundo, carnoso. Habitat in sylvis umbrosis Europae borealis. Qualitatis est drasticae. Vide *Laureola* et *Thymelaea.* Ge. *Kellerhals, Seidelbast.* [Longe plura nomina vide ap. Nemnich. *Polyglotten-Lexic. I. p.* 1375.] Ga. *Bois-genti, garou, mezereon.* A. *Mezereon.* B. *Zeel-bast.*

MIASMA est materia subtilis, halituosa et multiplicativa, quae e corpore infirmo exhalans et ad alterum corpus translata, et ab hoc quocunque modo resorpta, in eo eundem morbum producit; hique morbi *contagiosi* dicuntur. A *μιαίνω, inquino* [minime a *μιάζω*, uti Munckius (*Gehlers physik. Wörterb. B. I. p.* 475.) voluit.]. Ge. *Alles, was anstecket, Ansteckungsstoff.* Ga. *Le virus, contagion, maladie contagieuse.* A. *A contagious infection, contagion.* B. *Besmettelykheid.*

MICLETA dicitur apud *Mesuen* medicamentum sanguinem sistens. [In Nicolai Myreps. *antidot. Sect. I. No.* 200. legitur medicamenti compositio, dysentericis, laevitate intestinorum, eorum inflationibus, omnibus affectionibus coeliacis commendata.]

[MICROCEPHALUS est ille, cui natura caput, quod ad reliqui corporis magnitudinem relatum nimis parvum est, concessit, a graeco *μικρὸς, parvus,* et *κεφαλὴ, caput.*]

MICROCOSMUS: sic homo veteribus nonnullis dicitur, quasi parvus mundus et compendium totius. [Opponitur macrocosmo, s. totius mundi universo.] A *μικρὸς, parvus,* e

κόσμος, *mundus*. Ge. *Die kleine Welt*. Ga. *Microcosme*. A. *The little world*. B. *De kleine waereld*. — Significat etiam animal fabulosum testaceum, marinum, quod prodigiosae interdum magnitudinis esse dicitur, variisque plantis et animalibus marinis tectum, ut pro rupe habeatur. [Aspidochelone quoque dicitur, eiusque descriptiones legi possunt in scriptis Pantoppidani, Egedei, aliorumque. Ga. *Poisson - montagne*. Ge. *Kraken*. Vid. *Blumenbach Handb. d. Naturgesch. Ed. X. p.* 489.]

[**MICROPHONUM** Haninus falso pro instrumento habet, ad debilem vocem augendam apto. Nam *μικρόφωνος*, quod Alexis ap. Bekker. *inedit.* p. 198. adhibuit, denotat *tenui voce praeditum*. Tale potius instrumentum, quo vocem debilem exilemque fortiorem sonantioremque reddere possumus, *auxiphonum*, ab *αὔξω*, *augeo*, et *φωνὴ*, *vox*, vocari potest.]

MICROPHTHALMUS est, qui a nativitate parvos oculos, vel parum fissas palpebras habet. Ex *μικρὸς*, *parvus*, et *ὀφθαλμὸς*, *oculus*. Ge. *Ein kleines Auge*. Ga. *Petit oeil, oeil de cochon*. A. *Little eyed*. B. *Speenvarken oog*.

[**MICTURITIO** est desiderium mingendi nimium atque morbosum. Vox haec in veteribus scriptoribus non legitur, etiamsi verbum *micturire* occurrat.]

MICTUS CRUENTUS, HAEMATURIA, in genere quidem est sanguinis cum urina excretio, qui ex renibus, ureteribus vel vesica urinaria, sive sola anastomosi, sive dilaceratione vasorum, prodit. Speciatim vero dicitur de sanguinis e renibus, vel sinceri, vel cum urina mixti, excretione. Ge. *Das Bluthamen*. Ga. *Pissement de sang*. B. *Bloed - watering*.

MIGMA est [in universum mistura, Aristot. *de gen. an. II. c.*10., dein] mixtio diversorum simplicium. A *μιγνύω*, *misceo*.

MIGRANA idem quod *hemicrania*, sive capitis morbus, qui modo dextram, modo sinistram eius partem tantummodo occupat, et ad suturam usque protenditur, quae doloris interstitium est. Vide *Hemicrania*.

[**MILIARIA**, vid. statim post *Miliaris febris*.]

MILIARIS FEBRIS, PURPURA MILIARIS, FEBRIS VESICULARIS est genus morbi inflammatorii, seu febrilis exanthematici, benigni, vel maligni, in quo minutae, rubrae et milii granis aequales pustulae per cutem sparsae occurrunt, quae [priusquam prodeunt, febris intensionem et pectoris oppressionem efficiunt, sub sudoribus copiosis et foetidis erumpentes] cito in vesiculas sero plenas excrescunt, grano milii non maiores, pellucidas, vel lacteas; qui pro gravitate symptomatum magis, vel minus, periculosus est. *Sauv.* Ge. *Der Friesel*. Ga. *Pourpre blanc, miliaire, millet*. A. *Miliary-fever*. B. *Gierskoorts*.

MILIARES GLANDULAE, ita vocantur propter simili-

tudinem cum grano milii. Nomen praeterea habent a situ, quem in corpore obtinent, ut in labiis, buccis, palato, in integumentis etc. Ad glandulas simplices folliculosas pertinent. Ge. *Hirsedrüsen*. Ga. *Glandes miliaires*. B. *Geerstgewyze kliertjes*.

MILIARIS HERPES, vide *Herpes*.

MILIOLUM est tuberculum exterioris palpebrae, magnitudine et duritie granulum parvum milii referens, ortum ab humore incrassato haerente in folliculo adiposo. Vide *Grando*. *Hordeolum*. Ge. *Gerstenkorn*.

MILITARIS seu **STRATIOTES** est herba aquis innascens flore tripetalo, spatha diphylla, perianthio monophyllo, capsula tecta, sexloculari, polysperma, (Polyandr. Hexagyn.) *Stratiotes aloides* foliis ensiformi-triangulis, ciliato-aculeatis *Linn*. Sic dicitur, quod milites vulnerati ea sanguinem effluentem sistunt. Idem nomen quoque *Millefolium* obtinuit. Vocatur etiam *Aloë palustris*, *Sedum aquatile*, et *Aizoon palustre*. Ge. *Wasseraloë*, *Wasserfenchel*, *Wasserdonnerbart*, *Wasserbitter*, *Wasserfeder*. Ga. *Joubarbe aquatique, aloës d'eau, ananas aquatique*. A. *Water house-leek, water-aloë, water-soldice*. B. *Ruiters-kruid, krabben-klaauw, schaaren, kaarden*.

MILIUM, Milium semine luteo et albo *Bauh*. *Panicum miliaceum* panicula laxa flaccida, foliorum vaginis pubescentibus *Linn*. (Triandr. Digyn.) planta est, olim ex India ad nos adlata, nuncque in agris nostris passim abunde culta. Habet caulem mediocriter crassum. Folia sunt ampla et instar arundinis. Flos apetalus per fasciculos in paniculam laxam dispositus. Singuli flosculi constant plurimis staminibus, ex calyce plerumque bifolio surgentibus. Semina fere rotunda sunt, aut ovalia, flava, aut alba, dura, splendentia, in cortice exiguo, tenero inclusa. Radix fibrosa, albescens. Seminis usus maxime oeconomicus et culinaris est, et ob qualitatem farinaceam insipidam vi nutriente, simul tamen flatulenta, pollet. Cum lacte coctum eximium praebet epithema emolliens. Sunt, qui decocto in variolis uti amant. Gr. *Κέγχρος*, sic vocatur a minutis ficuum granis, sive gygartis, numerosissimis, quas *κεγχραμίδας* appellant. Forte nomen illud inditum a *κεγχρίδι* avicula, quae in altis urbium turribus nidificat. Milium itaque derivari volunt a *μέλειν*, vel *μέδειν*, sed probabilius est, dici a seminum copia, quasi millesimum ferat granum. Ge. *Hirs*, *Hirsen*. Ga. *Mil*, sive *millet*. A. *Millet*, *hirse*. B. *Geers*, *girst*.

MILIUM SOLIS, vide *Lithospermum*.

MILLEFOLIUM est planta flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Superfl.) quae plures habet caules, rigidos, angulosos, villosos, rubicundos, in summitate ramosos. Folia tenuissima et innumerabilibus fere segmentis divisa et

subdivisa, iuxta unam longissimam costam disposita, cui folia omnia sulcata adnascuntur instar avium plumae, odoris satis grati, saporis aliquantulum acris. Flos est congestus in umbellam candidissimam, estque discoideus, radiatus. Calyx subrotundus, squamosus. Semina valde parva, flocco instructa, nuda. Radix est lignosa, fibrosa, coloris fusci. Crescit in locis incultis et arenosis. Huius nominis plures dantur plantae, maxime frequens et officinalis est: Millefolium vulgare album *Bauh.* *Achillea millefolium* foliis bipinnatis nudis, laciniis linearibus dentatis, caulibus superne sulcatis *Linn.* Qualitatis est aromatico-odoratae, viribusque eximiis, tonicis, abstergentibus, pectoralibus et vulnerariis gaudet, hinc praestantissimus eius usus est in hypochondriasi, haemorrhoidibus, haemoptysi, vulneribus. Prostat essentia, extractum, aqua et oleum destillatum, quod pro diversitate soli, in quo planta provenit, modo flavescens, modo viridescens, modo suaviter caeruleum est. Succus expressus specificum in vomica pulmonum creditur. Radices recentes saporis sunt calidi, aromatici, ad Contrayervam accedentis, sed per exsiccationem evanescentis. Millefolium dicitur, quod eius folia in plurima segmenta sunt conscissa et divisa. Gr. *μυριόφυλλον*, vocatur et *Achillea*: narrat enim *Plinius*, *Achillem* a *Chirone* edoctum fuisse medicinam, et artem curandi vulnera, et *Telephum* proprio telo vulneratum hac planta curasse. *Stratiotes*, sive *militaris* etiam appellatur, quod vulnera ferro facta sanet, atque adeo in militia et castris multus eius usus sit. Ge. *Schaafgarbe, Garbe, Tausendblatt, Garbenkraut, Schaafrippe, Jungfernaugen.* Ga. *Mille-feuille commune.* A. *Common milfoil, yarrow.* B. *Gemeene duizend-blad, gerwe.*

MILLEPEDES, ASELLI sunt insecta aptera, pedibus quatuordecim, antennis setaceis, corpore ovali. *Oniscus asellus* ovalis, cauda obtusa, stylis simplicibus *Linn.* Habitant in cellis, muris antiquis, parietibus et lignis putridis. Exsiccati et in pulverem triti, qui *Millepedes praeparati* in officinis dicuntur, vix magnae sunt efficaciae. Sed recentium cum vino contusorum succus expressus praestantissimis viribus resolventibus, incidentibus et diureticis pollet, hinc summo saepe cum fructu in ictero, hydrope, asthmate, praecipue humido, dysuria, nephritide, scrophulis, cataracta et amaurosi adhibetur. Contusi externe in angina prosunt. Ge. *Kellerwürmer, Kelleresel, Assel.* Ga. *Cloporte ordinaire* sive *aselle.* A. *Woodlouce, hoglice, flaters, cheslip.* B. *Duizendbeen, pissebed.* Gr. *Ὄνοι.*

MILPHAE est defluvium pilorum e palpebris. — Item medicamenta, quae huic morbo medendo sunt dicata, ita vocantur. Gr. *Μίλφαι.* [Gal. *de comp. med. sec. loc. IV. c.* 5. *p.* 725. *to. XII.*]

[**MILPHOSIS**, idem quod *milphae.*]

MINA, **MNA**, patet ex *Dioscoride*, pondus fuisse unciarum sedecim, sive drachmarum centum viginti octo. Verum *Attica* levior erat Romana, et pendebat drachmas centum, sive duodecim uncias et semissem. *Romana* pendebat nonaginta et sex drachmas, sive uncias duodecim. *Alexandrina* videtur uncias viginti continere, sive drachmas centum et sexaginta. Forte illa differentia oritur a regionibus, in quibus drachmae differebant. *Mina*, sive *Mna*, videtur significare mille. Ge. *Ein Pfund.* B. *Een mine gewigts, een pond.*

MINERA est terra, sive materia, ex qua mineralia, et maxime metallica, ignitionibus et liquefactionibus extrahuntur, uti sunt minerae auri, argenti, cupri, stanni etc. Ge. *Bergstufen, Erz.* Ga. *Mine.* A. *Mine, ore.* B. *Mineraal.* — Quibusdam auctoribus denotat materiam, quae morbum excitat, vel fovet.

MINERALIA sunt corpora, quae vel in telluris superficie, vel in eius gremio nascuntur, quorum fabrica per solam aggregationem et mixtionem nata est adeo simplex, ut nulla hactenus perspicientia, ne quidem per microscopia acutissima detexerit in his varietatem inter vasa et ea, quae his continentur, sed simillimam omnibus partibus affinitatem toti, licet in plurimis horum fluidarum et consistentium partium concursus certo cognoscatur permistu factus. Huc pertinent metalla, tum metalla imperfecta, gemmae, lapides, terrae, salia, sulphura. Haec omnia iunctim sumta *regnum lapideum*, vel *minerale* constituunt, quod igitur omnes petras, mineras et fossilia comprehendit. Ge. *Mineralreich.* Ga. *Minéraux.* A. *Minerals.* B. *Mynstoffen, Mineraalen.*

MINIUM [seu *hyperoxydulum plumbi*] est plumbum forti igne calcinatum, et in pulverem rubrum redactum, ponderosius, quam ante erat. Usus eius saltem externus est, in quem, ob virtutem exsiccantem et refrigerantem, frequenter adhibetur. Veteribus *scandyx* dicebatur [id quod omnino negandum. Nam scandyx apud Dioscoridem II. c. 167. Plin. *h. n.* XXII. 38. olus denotat] *minium* vero iis id erat, quod hodie cinnabarin vocamus. Ge. *Mennige.* Ga. *Minium.* A. *Red-lead, minium.* B. *Menie.*

MINORATIO dicitur levis quaedam evacuatio, inprimis per alvum. Hinc *minorativa* medicamenta eadem sunt, quam *lenitiva, eccoprotica.* Ge. *Minoratifs.*

MINYANTHES sunt, qui Millefolium exponant. [Hanc veram esse vocis scribendae rationem, non *menyanthes*, docui supra sub *Menyanthes;* ibi quoque attuli etymologiam vocis, probabiliorem allatis a Blancardo, quae tolerari nequeunt.] Si a *μύρια*, mille, et *ἄνθος*, millefloscum denotat. Si a *μηνύειν*, *prodere*, *indicare*, quod flore suo prodat.

An a phoeniceo colore, seu purpureo, floris, tum derivatio esto a minium?

MIRABILE SAL GLAUBERI [seu *natrum sulphuricum* seu *sulphas natricus*] est sal medium constans ex acido vitriolico et parte alcalina salis communis. *Mirabile* dicitur, non quod, asserente *Glaubero*, vinum et cerevisiam etiam aestivo tempore in glaciem convertat, sed quia ab omnibus salibus mediis in eo differt, quod facile in igne fluat, in pauca quantitate aquae solubile sit, et difficillime ac vix igne acidum sibi extorqueri et a parte alcalina separari patiatur. Huic sali analogum in plerisque fontibus soteriis deprehenditur. Pollet viribus incidentibus, digestivis et maiori dosi alvum leniter evacuantibus. [Est sive nativum, sive artefactum. Illud reperitur, licet praeter duas constituentes partes cum aliis peregrinis mixtum, in Glauberite, in variis aquis mineralibus, fucis etc. Hoc componitur e natro et acido sulphurico, quarum partium ratio a variis chemicis varia inventa est. Berzelius centum huius salis partes e natri 43,72 et acidi 56,28 constare asseruit. Addita sufficiente aquae copia crystalli oriuntur rhomboidales quadrilaterae, sex plerumque lateribus acuminatae. Centum harum crystallorum partes, e Berzelii sententia, natri 19,24, acidi sulphurici 24,76 et aquae 58,00 continent.] Ge. *Glaubers Wundersalz.* Ga. *Sel merveilleux de Glauber, sulfate de soude.*

MIRABILIS PERUVIANA, vide *Ialappa.*

MIRACH, Arab. vox, idem est quod *epigastrium.* — — *Mirachialis affectio* est colica, sive dolor intestinorum. [Vid. Swediaur *l. c. to. 1. p.* 405.]

[**MIROCELE** pro *Merocele,* e falsa τοῦ η pronunciatione orta denominatio. Vide supra *Merocele.*]

MISCE scribitur plerumque per M simplex in fine formularum, et denotat mixtionem duorum, vel plurium medicamentorum.

MISERERE MEI, idem quod *Iliaca passio,* et *Chordapsus.*

MISTIO, i. q. *mixtura.*

MISY est vitriolum lapide mineralisatum, seu lapis atramentarius flavus, vitriolici saporis, et quasi chalcitidis efflorescentia, colore aurum imitans, aureisque scintillis, dum frangitur, splendens. Ge. *Gelber Atramentstein.* Ga. *Pierre atramentaire jaune, misy.*

MITELLA est species fasciae, sive linteum, in quo brachium laesum sanciumque suspenditur, idem quod *habena,* seu *suspensorium brachii.* Ge. *Armschlinge, Scherpe, Tragband.* Ga. *Echarpe.* B. *Een arm-band, arm-zwa, dwaal, daar men den zeeren arm indraagt.*

MITHRIDATIUM a rege *Mithridate* compositum, et pro antidoto habitum ad depellenda e corpore venena, ab antiquis plurimi aestimatur, verum quia constat ex simplicibus, quoad

effecta contrariis, nunc temporis non tanti venit. Nam si *Opium* et pauca calida demerentur, tota compositio viribus esset orbata. Huius variae dantur descriptiones. Plerumque in officinis praeparatur iuxta descriptionem *Servilii Damocratis*, medici Graeci, et ideo *Mithridatium Damocratis* vocatur. Ge. *Mithridat.* Ga. A. *Mithridate.* B. *Mithridaat.*

MITRA HIPPOCRATICA s. *fascia capitalis* est fascia, quae in capitis vulneribus potissimum adhibetur. Ge. *Der Schaubhut, Hippocratis Mütze.* Ga. *La capeline, le bonnet d'Hippocrate.*

MITRALES VALVULAE sunt expansiones duae membranoso-musculosae undique tenuibus lacertis circa parietes et limites atrii et ventriculi cordis sinistri affixae, quae irruentem ex atrio sinistro in ventriculum sinistrum sanguinem ad huius parietes appressae admittunt, eius vero refluxum, dum elevantur, impediunt. Ge. *Die mützenförmigen Herzklappen.* Ga. *Les valvules mitrales.*

MIVA est caro, sive pulpa mali cydonei cum saccharo in consistentiam spissam cocta. Vide *Marmelata.* Ge. *Quittenmuss.*

MIXTURA, MISTURA, MIXTIO, MISTIO, CRAMA, CROMA, et **CHRAMA** est substantia solida, vel liquida, ex variis medicamentis commixta. Mixturae pro scopi, quem habet medicus, diversitate variae admodum sunt. Guttis maxime, vel cochlearibus, quandoque haustu usurpandae, conficiuntur vel ex liquoribus solis, quales sunt praecipue aquae destillatae, spiritus et olea, quovis modo inter se mixtis, sic ut aquae misceantur aquis, olea oleis, aquae spiritibus, etc. vel ex iisdem cum syrupis convenientibus, pulveribus, confectionibus, opiatis, sive omnia concurrant, sive unum, aut alterum tantum adsumatur. Solent *mixturae concentratae* vocari, quae e spirituosis constant, et guttatim sumuntur, *potiones*, quas pulveres ingrediuntur, et quae maiori dosi propinantur, et *iulapia*, dum syrupi cum aquis absque pulveribus miscentur. Ge. *Mixtur.* Ga. *Mixtion, mixture, mélange.* A. *A mixture.* B. *Een mengsel.*

MNA, i. q. *mina.*

MOBILITAS vocatur talis dispositio, quando ex minima causa, quae in sano homine motum non concitaret, motus maior et turbatus, vel a solita causa maior turbatio fit. Sic praecipue de sensibilitate et mobilitate systematis nervosi medici loquuntur.

MOCHLIA est ossium luxatorum restitutio: μοχλὸς enim *vectis* est, et μοχλίσκος, *parvus vectis.* [Auct. defin. med. p. 416. to. XIX. ed. Lips. Galeni μοχλίαν exponit simpliciter per repositionem ossis in sedem naturalem, unde vi dimotum erat, nulla vectis mentione iniecta. Hanc quoque omisit Hippocrates in *mochlico*, qui de reducendis in naturalem se-

dem ossibus agit, to. III. p. 271—307. ed. Lips. De vocibus *μοχλία*, *μοχλεία*, *μοχλεύω* et *μόχλευσις* conf. Foes. *oecon. Hipp. p.* 418.]

MODIOLUS, sive *Abaptiston*, vide *Trepanum*, est pars *trepani*, scilicet tubus chalybeus, cylindrico-conicus, margine inferiori dentato, quo circumacto portiones circulares ex ossibus exscinduntur, quae operatio *trepanatio* vocatur, et qua utimur in profundis ossium corruptionibus, contusionibus, fissuris et fracturis, non facile tamen adhibenda, nisi 1) ossium prominentiae et frustula pungant. 2) Cum suprema tabula integra, sed depressa et infima disrupta sit. 3) Cum sanguis extravasatus, pressione, aut corruptione sua, hominem iugularet. 4) Cum frusta cranii fracta et depressa cerebrum comprimunt. Modus perforationis hic est. Derasis capillis cutis in formam crucis usque ad pericranium, prudenter musculos temporales et suturas cavendo, est incidenda et pro hac vice vulnus obligandum, nisi sanguinis profusio tam pauca sit, ut simul etiam pericranium a subiecto cranio diduci possit. Deinde post aliquot horas, sanguinis fluxu cohibito, *modiolum masculum* sumito, cuius cuspis firmiter in cranio est collocanda, sed tam procul a fissura, sive fractura, ne dentibus suis eam, multo minus suturam, attingat; quamquam nonnulli suturas non magnopere vitent, et nos certiores reddant, se eas tam feliciter, quam alia quaevis loca, perforasse. Tum *trepanum* manu sinistra fortiter teneto, id dextra circumducendo, donec circulum mediocriter profundum incideris, postca *foeminam* (in cuius medio nulla cuspis) accipe, aut cuspidem, ut recentiores solent, eximc et eandem, ut ante, circumducito, interim scobem auferto, et modiolum ad lubricandum et refrigerandum in oleo et aqua tingito et madefac. Sanguis iam apparens signum est, te ad diploën et ad secundam tabulam penetrasse, et tum lenius premendum, ne meninx incaute laedatur; ubi vacillare incipit ossiculum, vectim inter crepidines inserito, dissolvito, et illud volsella eximito et vel frusta cranii depressa, vel sanguinem sub cranio extravasatum, removeto. Plura, quae ad hanc operationem et sequentem deligationem pertinent, e lectionibus chirurgicis petenda sunt. Vide *Trepanum*. Ge. *Ein Trepan*. Ga. *Trépan*. A. *Trepan*, *trephine*. B. *Een beenboor*, *een trepaan*, *panboor*.

MODIUS, Gr. *μόδιος*, est mensura, continens sedecim sextarios.

[**MOGILALIA**, vide in sequ., *mogilalos*.]

MOGILALOS est in genere is, qui nonnisi cum difficultate [quasdam literas, aut syllabas recte pronunciat.] Proprie vero *mogilalia*, seu psellismus mogilalia, vocatur impotentia pronunciandi literas labiales, quae vitiose a balbis, minime a mogilalis, proferuntur, vel harum loco aliae sub-

stituuntur. Sic quibus labium alterutrum deficit, ut in labio leporino, vix pronunciare possunt B. P. M., maxime si dentes simul anteriores desint; litera enim V. loco F. vel F. loco P. profertur, maxime si labium inferius moveri nequeat *Sauv.* [Tres mogilaliae formas constituit Jos. Frank (*prax. med. praec. II.* 2. 1. *p.* 60.) Est enim mogilalia aut *ischnophonia,* h. e. „illud vocis vitium, quo verba aut syllabae initiales non nisi per repetita solum, et sibi succedentia conamina tandem proferuntur,“ aut *traulismus,* i. e. loquelae vitium, positum in depravata literae R. pronuntiatione, quae debito vigore destituitur, adeoque haud satis sonora est, aut denique *psellismus* i. e. illud loquelae vitium, quo consonantes e duris in molles convertuntur.“] Ex *μόγις, difficulter,* et *λαλέω, loquor.* Ge. *Schwere Sprache.* Ga. *Bégayement.* B. *Zwaar bespraakt.*

MOLA, PATELLA, seu **ROTULA** est os rotundum et aliquantum triangulare, basi sursum, apice deorsum respiciens, in medio crassius, margine angustiore, antrorsum subconvexum, retrorsum duabus cavitatibus inaequale, substantiae spongiosae et fragilis, articulationi femoris et tibiae impositum, atque aponeurosi valida et ligamentis firmatum, mobile tamen, sicque articulationem fulciendo, stationem et gressionem firmiorem efficiens, et, ut ait Celsus [lib. 8. c. 1.,] inter omnes crurum flexus iuncturam tuens. Non male a nonnullis pro parte tibiae habetur, et *olecranum mobile* dicitur. Olecranum vero cubiti pro patella fixa habetur, et latum, imponitur articulationi femoris et tibiae, ubi genu membranoso ligamento cingitur. Gr. *Κόγχη, κόγχος, μάλη, ἐπιγονατὶς, ἐπιμυλὶς, μυλακρὶς.* [Omnia allata synonyma graeca Poll. *onom.* II. 188. commemoravit.] Ge. *Die Kniescheibe.* Ga. *La rotule.* A. *The knee pan.* B. *De knie schyve.*

MOLA CARNEA, Gr. *μύλη,* est substantia carnosa, quandoque etiam fungosa, aut vesicularis, intus cysticosa, sine ossibus et visceribus, saepe instar sanguinis concreti, nigra, et nonnunquam durissima, loco foetus in utero a secundinarum degeneratione, vel sanguine coagulato, vel sarcomate uteri, producta, vel nullam figuram determinatam obtinens, uterum ingenti nonnunquam mole distendens, et a vera graviditate difficulter, nisi motu debito tempore non accedente, dignoscenda. Sunt, qui in *molas generationis* et *nutritionis* distinguant, hasque ultimas et in castissimis virginibus deprehendi posse contendunt. Saepe tamen molas se excrevisse putant mulieres, in quibus caute perlustratis embryo, seu verus abortus, reperitur. Saepe etiam una cum vero foetu huiusmodi molae geruntur simulque excernuntur. Ge. *Gewächs, Mondkalb.* Ga. *Mole, faux germe.* A. *A mole, or deformed birth.* B. *Een zuiger, vleeschige misdraagt.*

MOLARES, seu **MAXILLARES DENTES** in eo ab aliis

dentibus differunt, quod extremas suas partes, quas *Rufus* [*de c. h. part. p.* 49.] *mensas* appellat, valde amplas habeant et duabus, vel pluribus radicibus instructi sint. Horum in homine viginti sunt, in quovis scilicet utriusque maxillae latere quinque, hi triturando proprie cibos comminuunt. Gr. *Μύλοι* et *γόμφιοι*. Ge. *Die Backen-* oder *Stockzähne*. Ga. *Dents machelieres, molaires*. A. *The cheek-teeth, grinders*. B. *Baktanden, kiezen*.

MOLDAVICA, i. q. *Melissa turcica*. Vide *Dracocephalon*.

MOLLIENTIA, vide *emollientia*.

MOLLUGO est *Aparines* species, a quibusdam ad Galia relata. *Galium mollugo Linn.* ob mollitiem dicta, quod non, ut aparine, praetereuntium vestibus adhaereat.

[MOLLUSCUM EXANTHEMA a Batemano (*Synops. of cutaneous diseases. The fifth ed.* Lond. 1800. 8. p. 274.) vocatur ea cutis conditio, qua undiquaque nodis s. tuberibus deformis conspicitur, qui cum similitudinem cum similibus excrescentiis, in aceris cortice conspicuis et a Plinio *mollusca* vocatis, habeant, morbo huic nomen dederunt. Ge. *Schwammgeschwulst*. Vide Jo. Theoph. Weissenborn *de exanth. mollusco*. Lips. 1829.]

MOLOPES, *vibices, enchymoma, sugillationes*, idem sunt, dicuntur rubores vibicum instar in febribus malignis et pestilentialibus producti. Gr. *μώλωψ, vibex*. Vide *Enchymoma*.

MOLUCCENSE LIGNUM, vide *ricinus*.

MOLY, Gr. *Μῶλυ*, est *allii*, aut *cepae* species, scilicet planta flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) *Allium moly* scapo nudo subcylindrico, foliis lanceolatis sessilibus, umbella fastigiata *Linn.* ab aliis Allii speciebus odore non graveolente differens. [Quae veteres de moly statuerunt, collegit Salmas. in *Homonym. hyl. iatr. p.* 42. f. Recentiorum placita enarravit C. Sprengel ad Diosc. III. c. 47.] Dicitur *ἀπὸ μὴ καὶ ὄλλω*, sive *ὄλλυμι*, quod *ab interitu conservet*, vel *ἀπὸ τοῦ μωλύειν τὰς νόσους*, *a mitigandis sedandisque morbis:* aliud tamen etymon *Ptolemaeus Hephaestion* adfert. *De moly deinde herba apud Homerum agit, quam e sanguine interfecti in Circes insula gigantis enatam ferunt, habereque candidum florem. Circe autem in pugna socium Solem, etiam gigantem, interemisse dicitur, atque inde, quod μῶλος pugnam significet, inditum herbae nomen.* Sic et *Ulysses* hac planta se a *Circes* incantamentis liberasse et *Circe* ex hac planta philtra sua praeparasse dicitur, quorum antidotus Helleborus albus esset. Verum, quae sit planta *Moly Homeri*, vix exacte determinari potest.

MOLYBDAENA, seu PLUMBAGO planta est *Persicaria*; forte sic dicta ob maculas, quibus maculatur, plumbeas. A *μόλυβδος, plumbum*.

MOLYBDAENA, seu **PLUMBAGO** duplex *Dioscoridi* V. c. 100. est, *nativa* et *factitia.* Illa nihil aliud esse videtur quam lapis, sive plumbi minera, seu potius minera plumbi et argenti simul. Ge. *Bleiglanz.* — Factitia est species lithargyrii, videlicet illud recrementum, quod in argenti aurique purificatione cum plumbo, minerave plumbi instituta, fornacis folio concretum et perustum adhaerescit. Exactius vero hodie *molybdaena* dicitur *mica pictoria* nigra manus inquinans *Wall.* [seu *molybdaena membranacea* Cronst. s. *molybdaenum*] e tenuissimis lamellis et squamis absque ordine compositis constans, coloris subsplendidi et plumbei nigricantis, quae nec plumbum, neque, in igne licet flavescens, quidquam auri continet. [Ad illud metallorum genus nunc refertur, quae admodum difficulter fundi possunt. Vide supra *metallum.* Pondus spec. ab Hielmio 7, 5. a Buchholzio 8, 6. inventum est. Scheelius peculiare acidum in illo deprehendit, atque in *Act. acad. r. Suecicae* 1778. descripsit. Huius acidi qualitates sunt: constituit pulverem album, qui aut fusus in massam coit ex cinereo albam radiantem, aut sublimatus splendentes squamulas acusque e flavo albas format; colorem album calefactus in citreum mutat; pondus spec. 3, 4, saporemque acrem atque metallicum habet; laccam musam rubefacit, et in caloris modico gradu funditur, eo autem magis aucto in fumum album abit.] Usus maxime scriptorius et pictorius est. [Paratur inde pigmentum intense coeruleum. Ge. *Molybdaenblaues Zinnoxydul,* male *blauer Carmin.*] Ge. *Schwarzes Bleiweiss, Wasserblei.* Ga. *Mica des peintres.* B. *Potloot.*

MOLYNSIS, i. q. *miasma.* [Cavendum, ne eandem notionem cum voce *μόλυνσις* coniungamus, quam *miasmati* vulgo tribuimus. Denotat enim *inquinamentum* s. *sordes,* a *μολύνω*, *sordidum reddo.*]

MOMORDICA, seu **BALSAMINA MAS** est planta, quae habet caules exiguos, sarmentosos, angulosos, striatos, scandentes. Folia Bryoniae, sed minora, caulibus longis adhaerentia, saporis acris et amari. Flores sunt monopetali, campaniformes, quinquefidi, lati, expansi, coloris flavi, albescentis, e quibus alii, scilicet masculi, sunt steriles nulli embryoni insidentes, alii vero foecundi, seu foeminini, embryonibus adhaerentes, (Monoec. Syngenes.) e quibus dein fiunt elegantes fructus longi, vel rotundi, magis minusve turbinati, cavi, carnosi, triloculares, loculis membranaceis, elastica vi rupti et semina explodentes oblonga, vel ovata, rubicunda, obducta calyptra plana, margine denticulato. Radix est parva, fibrosa. Haec planta [*Momordica balsamina*] proprie in India nascitur, inde ad nos delata nunc satis frequenter in hortis nostris colitur. Fructus eximiis viribus anodynis et vulnerariis pollent, et cum oleo olivarum infusi

praestantissimum in laesione tendinum, haemorrhoidibus, fissura papillarum, pernionibus, exulceratione uteri, partu difficili, exhibent remedium. Ge. *Balsamäpfel.* Ga. *Pomme de merveille,* [*momordique commune, balsamine male* sive *rampante, pomme baume.* A. *Male balsam apple, the common momordica.* B. *Balsem-appel.* — — Ad momordicae genus et *momordica elaterium,* s. *cucumis asininus* pertinet, ex qua planta *elaterium* praeparatur. Vide sub his vocibus.

MONADELPHIA botanicis dicitur classis plantarum decima sexta systematis Linn., in quarum floribus stamina omnia inter se invicem aliqua sui parte, vel cum pistillo cohaerent. [A *μόνος, solus, unus,* et *ἀδελφὸς, frater.*]

MONANDRIA est classis plantarum systematis Linnaeani, quarum flores unum saltem stamen, seu partem masculam continent. [A *μόνος* et *ἀνὴρ,* gen. *ἀνδρὸς, mas.*]

MONANGIAE vocantur [in systemate Boerhaviano classis decimae quintae] plantae, post quarum singulos flores unica saltem capsula seminalis, aut unilocularis, succedit. [A *μόνος* et *ἀγγεῖον, vasculum,* unde penultimam syllabam producendam esse patet.]

MONOCEROS, i. q. *unicornu.* [A *μόνος* et *κέρας, cornu.*]

MONOCLINIA botanicis est classis plantarum, quarum flores omnes hermaphroditi sunt, scilicet stamina cum pistillis in eodem flore. [Nemnich. to. II. 593. vocem idem denotare putat, quod *monoecia.* A *μόνος* et *κλίνη, lectus.*]

MONOCOLUM est *intestinum coecum.*

MONOCOTYLEDONES dicuntur plantae, quarum semen unicum tantum folium seminale continet, [seu ut Linnaei (*Philos. bot. ed.* 2. *p.* 102.) verbis utar, quarum cotyledones intra semen persistunt. A *μόνος* et *κοτυληδὼν, cavitas. Κοτυλήδονες* medicis vocantur venarum arteriarumque intra uterum eminentia ora, per quae et sanguis menstruus evacuari et graviditatis tempore nutritius succus ad foetum traduci olim credebatur. Hinc a Linnaeo cotyledon vocatum est corpus laterale seminis, bibulum, caducum.]

MONOCULUS, s. *oculus simplex,* est fascia chirurgica, qua unicus tantum oculus deligatur. [Insectorum quoque apterorum genus, pedibus natatoriis, corpore crusta tecto, oculis approximatis, testae innatis instructum, hoc nomine utitur incongrue; nam oculorum numerus duo millia excedit. A. *The water-flea.* B. *Watervloe, eenoog.* Ga. *Monocle.* Ge. *Schildfloh, Kiefenfuss, Einauge.*]

MONOECIA est classis plantarum, quarum flores masculi et foeminini, a se remoti, sed in eadem planta sunt. [A *μόνος* et *οἰκία, domus.*]

MONOGYNIA est ordo plantarum eas comprehendens, quarum flores unicum tantum pistillum habent.

MONOHEMERA [sc. *νοσήματα*] sunt morbi, qui [per unum diem durant, seu,] uno die curantur, ut *ephemera* febris. Ex *μόνος* et *ἡμέρα, dies.* Ge. *Eine Krankheit, die nur einen Tag währet.* Ga. *Maladie d'un jour.* A. *A disease of one days duration.* B. *Eendaagse ziekte.* [De medicamentis quoque, quae intra unius diei spatium morbum tollunt, adhibetur a Galeno (*de rem. comp. sec. loc.* IV. c. 3. p. 712. et c. 8. p. 751. to. XII.) Ex utroque loco, qui *μονοήμερον* sine lectionis varietate exhibet, patere videtur, Krausium non recte vocem hanc damnasse.]

[**MONOMACUM** intestinum vocatur in spurio Galeni libro *de nat. hum. s. de compag. membror.* p. 59. ed. Iunt. coecum. Vide *Monocolum,* quo idem scriptor barbarus usus est.]

MONOPAGIA, MONOPEGIA est acutus capitis dolor, unum tantum locum occupans. Vide *Clavus.* Ex *μόνος* et *πηγνύω, compingo.* Ge. *Kopfweh an einer Stelle des Haupts.* Ga. *Migraine.* A. *An acute fixed pain of the head.* B. *Eenzydige hoofd-pyn.* [Vox a latino-barbaro seculi dicimi quinti scriptore, Valesco de Taranta, formata, hemicraniam indicans.]

MONOPETALUS botanicis dicitur *flos,* cuius corolla ex unico tantum folio, seu petalo, constat. Si circularis sit limbus, dicitur *regularis,* sin minus, *irregularis,* vel *anomalus.* Corollae monopetalae regulares sunt, vel campaniformes, vel infundibuliformes, vel hypocrateriformes, vel rotatae: irregulares sunt vel unilabiati, vel bilabiati, ringentes. [A *μόνος* et *πέταλον, folium.*]

MONOPHYLLA vocatur planta, quae unicum tantum folium fert. Calyx vocatur *monophyllus* ex uno tantum folio constans. [A *μόνος* et *φύλλον, folium.*]

[**MONOMANIA** est ille animi status, quo laborantes de uno tantum obiecto delirant, in reliquis omnibus rationi sanae convenienter iudicant.]

[**MONOPODIA** est primae formationis vitium, quo foetus uno tantum pede instructus nascitur. A *μόνος* et *πόδιον, parvus pes.* Vide Dieckerhoff. d. i. *de monopodia.* Hal. 1819. 8.]

[**MONOPTERYGIUS** vocatur piscium, una tantum pinna dorsali donatorum, ordo. A *μόνος* et *πτερύγιον, ala parva.*]

MONOPYRENAE vocantur *baccae* unicam tantum granum, vel *γίγαρτον,* i. e. acinum vinaceum, continentes. [A *μόνος* et *πυρήνη, granum.*]

MONORCHIS vocatur, qui unum tantum testiculum habet. [A *μόνος* et *ὄρχις, testiculus.*]

MONOSITIA vocatur illa consuetudo, qua semel tantum in nychthemero alimenta assumuntur. [A *μόνος* et *σιτίον,* quae vox in plurali numero *alimenta e tritico parata,* omninoque

cibos omnes denotat. Potest quoque monositos eum significare, qui solus, nullo cum conviva coenat.]

MONOSPERMAE dicuntur *plantae* unicum tantum semen, vel nudum, vel capsula inclusum ferentes. [A μόνος et σπέρμα, *semen*.]

[**MONOTREMA**, a μόνος et τρῆμα, *foramen*, (Empedocles ap. Arist. *d. respirat. c.* 7. et saepissime Oribasius in anat. voce τρῆμα utitur. Aristoph. τρῆμα τῆς ἕδρας, *anus.*) proprie denotare simplicem aperturam, a recentioribus autem physiographis pro animali, cui una eademque apertura et faecibus, et foetui educendis inserviat, adhiberi testatur Krausius *l. l. p.* 512.]

MONSTRUM, Gr. τέρας, nihil aliud est, quam foetus, sive homo, sive animal, conformatione sua prorsus ab illa, e qua natum esset, specie recedens, hoc est, capite duplici, pedibus, aut manibus deficientibus, vel abundantibus. Possunt quidem monstrosae huiusmodi conformationes e compressione vasorum et nimia, sublata, vel inaequali evolutione et nutritione partium plerumque explicari, sunt tamen interdum et internae huiusmodi et externae degenerationes, ratione situs, aut vasorum distributionis, qua supra omnem casus potentiam positae sunt, et quarum causas vix ratione nostra assequi possumus. In medicina legali proprie monstrum dicitur corpus solius machinae legibus vivens, a matris sanguine per funiculum umbilicalem adducto nutritum, sine anima, certe sine anima humana; talia sunt, quae tota forma, maxime capitis, ab humana natura abludunt, ut dubitari fas sit, hominem natum esse. *Hebenstr.* *Monstrum* est, cui caput humanum deest; nam intellectus in capite esse praesumitur. Illud vero, in quo natura membra humana mutavit, ampliavit, vel imminuit, vel cuius membra, capite excepto, a forma debita et congrua recedunt, *ostentum*, vel *portentum*, dicitur. *Teichm.* Ge. *Eine Missgeburt.* Ga. *Monstre.* A. *Monster*, or *deformed birth.* B. *Een monster, wanschepzel.*

MONS VENERIS nominatur superior pubis muliebris pars pubescens, a copiosiori substrata pinguedine prae reliquis nonnihil eminentior. Ge. *Venusberg.* Ga. *Eminence,* ou *montagne de Venus.* A. *Mountain of Venus.* B. *Venusberg.*

MORA BACCI, MORA BATI, MORA VACINIA, MORA VACCIA, vide *rubus.*

MORBILLI, quasi parvi morbi, sunt maculae rubrae, parvae, cum tussi sicca, sternutatione, lacrymatione et febre catarrhali, in fronte et facie primum, dein in pectore, ventre et artubus, pulicum morsibus persimiles apparentes, quarum elevatio tactu, non visu, discernitur et quae non in suppurationem, sed post paucos dies in squamulas furfuraceas, ab-

eunt, sicque decidunt. Hic morbus infantes infra et supra septimum annum maxime, singulos tamen semel tantum, adoritur et plerumque per sex circiter menses epidemice grassatur, et pro symptomatum gravitate maius, vel minus periculum infert. Ab Arabibus *Bothor* [secundum Ios. Frank (*Prax. med. praec.* P. I. vol. 3. sect. 1. ed. alt. p. 107.) *El-Haspa*] vocatur. Ge. *Die Masern, die Rötheln*, a colore purpureo. *Flecken.* Ga. *Rougeole, millets, sennespien, senipien.* A. *The Measles.* B. *Mazelen.*

MORBUS, Gr. *νόσημα, νόσος*, a *morte* dicitur, unde est propinqua dispositio ad eam. Etenim quicquid morbi nomine venit, non potest non initium esse, et velut gradus ad mortem, unde patet, differre morbos, iuxta maiorem vel minorem propinquitatem. Diciturque esse eiusmodi corporis constitutio, qua actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus recte obeundis simus inepti. Morbus iuxta veteres dogmaticos est duplex, *pravae conformationis*, vel *succorum incrassatorum*, vulgo *intemperiei*. *Prava conformatio* est sexduplex; consistit enim in numero, magnitudine, figura, cavitate, superficie et situ. *Intemperies*, sive succorum inspissatio, est venenata, sive contagiosa et pestilens, vel benigna, et sunt morbi vulgares, ut per idiopathiam, protopathiam, deuteropathiam et sympathiam. Item morbus est simplex, compositus, multus, complicatus, connexus, disiunctus, congruus, incongruus, periodicus, vagus, magnus, parvus, benignus, malignus, brevis, acutus, longus, continuus, intermittens, salutaris, dubius, lethalis, sanabilis, insanabilis, exquisitus, spurius, haereditarius, nativus, adscititius, sanguineus, biliarius, pituitosus, melancholicus, vernus, aestivus, autumnalis, hybernus, pandemius, epidemius, sporadicus etc. Sicque vario admodum modo, pro differentia, vel essentiali, vel accidentali, morbi considerari et subdividi possunt. Ge. *Krankheit*, *eine Seuche.* Ga. *Maladie.* A. *Sickness*, *disease*, *disorder.* B. *Ziekte*, *krankheid.*

MORBUS ANIMATUS quibusdam dicitur, qui ab animalibus vivis in corpore contentis producitur, e. g. a vermibus. Sunt, qui et scabiem et plura exanthemata huc referant.

MORBUS CADUCUS, *comitialis, herculeus*, vel *sacer*, i. q. *epilepsia*.

MORBUS GALLICUS, vide *Lues venerea.*

MORBUS HISPANICUS, vide *Lues venerea.*

MORBUS INDICUS, vide *Lues venerea.*

MORBUS NAUTICUS, s. *vomitus navigantium* est morbus, quo navigatores inassueti prehenduntur, quive praecipue in nausea et vomitu consistit, aromaticis, stomachicis

et vinosis remediis interne et externe adhibitis citius, vel tardius, compescendo. Ge. *Seekrankheit.* Ga. *Le mal de mer.*

MORBUS NIGER, vide *melaena.*

MORBUS REGIUS, i. q. *icterus.*

[**MORDEXIN** nomen morbi Goae endemici, vomitu enormi, praeter opinionem oriente et saepe non nisi cum morte cessante, sese manifestantis esse, asserunt Auctt. *diction. des termes* etc.]

MORETUS mulierculis olim usitatissimum potionis genus aromatici erat, quod parari faciebant, ubi praesumtio impraegnationis aderat, persuasum nimirum sibi habentes, falsam impraegnationem eo exturbari, veram corroborari. Moretum dicitur, a moris, seu diamoro ingrediente. Est ergo simile aquae mulsae, quam *Hippocrates* hoc in casu bibendam suadet. Ge. *Ein Maulbeertrank.* Ga. *Potion de meure.* A. *A mulberry drink.* B. *Een moerbezie drank.*

MORIA, *stupiditas, fatuitas, stultitia, stoliditas* etc. est iudicii et intellectus defectus. Sed praecipue denotatur hoc nomine ea melancholiae species laeta et iucunda, in qua aegri se caeteris hominibus feliciores existimant, alta quaeque spirant et se principibus, regibus, imo diis pares autumant. Oritur praecipue ab imaginationis et memoriae deliquiis. [Non a *μωραίνω, stulte ago,* ut Blancardus voluit, sed a *μωρὸς, stultus.*] Ge. *Thorheit.* Ga. *Folie.* A. *Stupidity.* B. *Krankzinnigheid.*

MORINGA RADIX est radix pastinacae luteae similis, arboris in Ceylonia et Malabaria provenientis, quae est *Guilandina moringa* inermis, foliis subbipinnatis, foliolis inferioribus ternatis *Linn.* (Decandr. Monogyn.) Radix haec fragrantia aromatica gaudet, eique singulares virtutes bezoardicae, alexipharmacae, et contra morsus animalium venenatorum tribuuntur. Hystrices hac radice adeo delectari, et inde virtutes lapidis hystricis pendere creditur. [A. *The smooth bonduc.* B. *Kellerboom.* Ga. *La ben oléifère.* Ge. *Der Behenbaum, Oelnussbaum aus Ceylan.* Olim *lignum nephriticum* huic arbori male tributum est.]

MOROCHTUS LAPIS, *morochites veterum*, est substantia argillacea indurata, alba, subviridis, tactu quasi pinguis, passim in fodinis reperiunda. Praeter usum oeconomicum pulvis eius in puerorum intertrigine adhibetur. Alii hoc nomine *lac lunae* denotant. Usus internus ad lactis secretionem augendam suspectus est. Ge. *Milchstein.* Ga. *Morochite, pierre de lait.*

MOROSIS, AMENTIA MOROSIS, *stupor, stupiditas,* est facultatis imaginandi, proindeque iudicandi, debilitas, tarditas, abolitio sine delirio. Magnum autem est discrimen inter *amentes* et *stupidos*; amentes satis promte imaginantur et memoria non carent, sed male iudicant et ineptiendo, ple-

raque sinistre, aut ridicule, agendo risum adstantibus movent: ast stupidi imaginatione et memoria carent, nec bene, nec celeriter capiunt dicta, non nugando ac gesticulando, sed barde et insulse se gerunt, sunt hebetes, obtusi. *Sauv.* Ge. *Blödsinnigkeit.* Ga. *Stupidité.*

MORPHAEA, i. q. *alphus* et *melas icterus.* [Cons. C. Sprengel ad Batemani *Hautkrankh. p.* 250.]

[**MORPHIUM ACETICUM** paratur solutione morphii in sufficiente acidi acetici, cum aequali aquae destillatae portione diluti, quantitate: quae solutio perfecte neutralisata et per colum traiecta leni calore ad siccitatem usque evaporatur. Sal obtentus acus tenues, fasciculatim sibi invicem appositas format, in aëre atmosphaerico in pulverem haud fatiscentes, facile aqua, difficilius spiritu vini solvendas. Inter praeparata officinalia nunc relatum est. Ga. *Morphine acetique.* Ge. *Essigsaures Morphin.*]

[**MORPHIUM** seu **MORPHINE** est una e pluribus, quae opium constituunt, partibus, quarum notitiam recentissimis disquisitionibus chemicis, Serturneri inprimis, debemus. Is enim opium aqua fervente tam diu tractabat, donec aqua omnino limpida depluebat. E liquido evaporatione concentrato morphium, impurum adhuc, ammoniacae auxilio deiiciebat. Flocculi praecipitati, ex albo incani, aut repetita in spiritu vini fervente solutione et crystallisatione puriores redduntur, aut idem eorundem solutione in acido sulphurico diluto, praecipitatione per ammoniacam, huius praecipitati ab initio cum diluta ammoniaca, dein cum pauca spiritus vini frigidi quantitate digestione, efficitur. Ex solutione in spiritu vini fervente refrigerata morphium deponitur, quod ulteriore solutione in spiritu vini, et iterata in crystallos redactione purius adhuc, quin purissimum reddi potest. — Alias morphii obtinendi rationes a chemicis propositas attulit Gmelin (*Chem. II. p.* 1360 ss.) et Pharmacop. Borussica. — Crystallos albas, transparentes, fere pellucidas format. — Morphium, maxime efficax opii pars, vires inprimis excitantes exserit. — Orfila (*allgem. Toxicol.* II. p. 50. ss.) venenatas eius vires experimentis probavit. Morphii denominationem contra principia nomenclaturae scientificae peccantem mutari debere ia *Papaverinen*, a Iohnio quondam iamiam propositam, contenditur in *Pharmac. Centr.-Bl.* No. 30. 1830.]

MORPIONES vocantur pediculi illi lati, qui ad pubem genitalium, imo et sub axillis in crinibus, rarius in superciliis, hospitantur. Sunt scilicet insecta aptera, quibus sunt pedes sex ambulatorii, oculi duo, os aculeo exserendo, antennae longitudine thoracis, abdomen depressum sublobatum; cineribus Nicotianae, longe certius vero unguento mercuriali

facile abigenda. [*Pediculi pubis* L. A. *The crap-louse.*] Ge. *Filzläuse.* Ga. *Morpions.* B. *Platluizen.*

MORS medicis est plenaria cessatio omnium actionum vitalium, naturalium et animalium. Ge. *Der Tod.* Ga. *La mort.* A. *Death.*

MORSULI, seu **MORSELLI, TABULAE** medicamenta sunt quadratae figurae ut plurimum, parata ex pulveribus, et similibus sacharo soluto exceptis, superque tabulam ligneam, lapideam cupreamve effusis, ut consolidentur, quorum plures compositiones in officinis prostant. Ge. *Morseln. Morsellen.* Ga. *Tablettes.* A. *Morsels, tablets.* B. *Koekjes.*

MORSUS fit, si maxilla inferior versus superiorem per actionem musculorum temporalium et masseterum tam fortiter comprimitur, ut, quicquid cibi solidi inter dentes continetur, confringatur. Ge. *Biss.* B. *Beet.*

MORSUS etiam est compositi vulneris species: nam, dentibus animalium ad partes molles pressis, generatur contusio, punctura et laceratio, aliis laesionibus peior, si saliva animalis infecta simul communicetur. Ge. *Eine Bisswunde.* Ga. *Morsure.* B. *Byting.*

MORSUS CANIS RABIDI, vide *cynanthropia* et *hydrophobia.*

MORSUS DIABOLI, seu **SUCCISA**, s. Succisa glabra *Bauh. Scabiosa succisa,* corollulis quadrifidis aequalibus, caule simplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ovatis integerrimis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) est planta in pascuis humidiusculis habitans, viribusque subadstringentibus et vulnerariis gaudens. Nomen inde originem ducere creditur, quod vulgus superstitione quadam credat, cacodaemona tantae efficaciae radicem huius plantae invidere hominibus, atque hac ratione, ubi succreverit, statim eam undiquaque circumrodere. Vide *Succisa.* Ge. *Teufelsabbiss,* [*Peterskraut, Rötalwurzel.*] Ga. *Succise, mors du diable,* [*la scabieuse des bois.*] A. *Devils-bit.* B. *Duivelsbeet.*

MORSUS GALLINAE est *Alsine media,* sic dicta, quod gallinis gratum pabulum subministret. Ge. *Hühnerbiss, Mäusegedärm.* Ga. *Morgeline, mouron,* [*blanc* sive *des petits oiseaux.*] A. [*The common*] *chick-weed, henbit.* B. *Hoender-beet, gemeen muur.*

MORSUS RANAE est *Nymphaeae* minoris species, s. *Hydrocharis* [*morsus ranae*] *Linn.* Sic appellatur, quod ranae eius morsu gaudeant. Ge. *Froschbiss,* [*Krötenbiss, kleine Wasserlinsen.*] Ga. *Nenuphar* [*blanc, morene-grenouille, morsure des grenouilles.*] A. *Frog-bit.* B. *Vorsche-beet.*

MORTARIOLA, seu **CAVERNAE** loculamenta sunt, seu *alveoli,* quibus singuli dentes sunt infixi. *Βόθρια Galeno,* *ὁλμίσκοι Poll.* [*onom. II.* 93.] *Rufo.* [*de part. c. h. p.* 27.] Ge.

Qqq 2

Die Zahnhöhlen. Ga. *Les alvéoles des dents.* A. *Caverns of the teeths, sockets.* B. *Tands-hollen*

MORTARIUM est vas ex marmore, aere, ferro, ligno, vel vitro confectum, in quo pistillo ligneo, vitreo, ferreo, aereo, vel lapideo, res quaedam contunduntur, in pulverem comminuuntur atque miscentur. Ge. *Ein Mörsel.* Ga. *Un mortier.* A. *A mortar.* B. *Een mortier, vyzel.*

MORTIFICATIO, i. q. *sphacelus.*

[**MORULA** vocatur a Wallaceo (*Med. chir. Transact.* Vol. 13. p. 477.) excrescentia fungosa, quae ob granulatam superficiem cum fructibus mororum magnam similitudinem habet. Ge. *Maulbeerartiges Schwammgewächs.*]

MORUM, i. q. *pladorosis*, vel *thymus.*

MORUS, MORUM est arbor magna et ramosa, cuius truncus satis est crassus, tortuosus, nodosus, cortice crasso et aspero obductus. Lignum est durum, intus flavum. Folia sunt instar manus ampla, oblonga, acuta, serrata, dura et tactu aspera, saporis dulcescentis et viscosi, bombycibus pabulo inserviunt. Flos est amentaceus, plurimis nempe staminibus e calyce quadrifolia surgentibus constans, sed sterilis, a fructu remotus (Monoec. Tetrandr.) Embryo autem abit deinde in fructum nigrum, succum viscosum dulcem habentem et e glomerulis squamarum, succum viscosum et dulcem continentium, compositum, quae semen amplectuntur subrotundum. Species, quae apud nos frequenter coluntur, sunt: Morus fructu nigro *Bauh.* *Morus nigra* foliis cordatis, scabris *Linn.* et morus fructu albo *Bauh.* *Morus alba* foliis oblique cordatis, laevibus *Linn.* Qualitas fructus subacida dulcis est, viribusque refrigerantibus, analepticis et roborantibus pollet, hinc in febribus putridis, siti, praecipue vero angina summopere prodest. Prostat in officinis rob et syrupus diamoron. Decoctum corticis taeniam expellere dicitur. Sunt qui a Graeco hoc nomen derivent, *μόρον* enim nigrum denotat, quod eius fructus ob saturum colorem rubicundum, nigri appareant. Gr. *Μορέα, συκομινέα* [utramque vocem habet Diosc. I. 180. *μόρον* autem est mori fructus. De nomine Galen. *de alim. fac. II. c.* 11. *to. VI. p.* 585. exposuit.] et *μόρον.* Ge. *Maulbeerbaum.* Ga. *Meurier, mûrier.* A. *Mulberry-tree.* B. *Moerbezien boom.*

MOS in medicina vel significat animi quandam proprietatem, quae sequitur temperamentum corporis et in consuetudinem vergit, unde probe observari meretur; vel modum alicuius rei, veluti morbi: in quo illud, quod determinat, utrum morbus benignus malignusve sit, *mos morbi* dici consuevit.

MOSAICUM AURUM, vide *musivum aurum.*

MOSCHARDINA vocantur trochisci sublinguales ex am-

bra, moscho, aliisque aromatibus praeparati, ad foetorem oris corrigendum. Ge. *Mundküchelchen.*

MOSCHATA GALLIA erat compositio antiquorum, e moscho, ambra et fragrantissimis aromatibus confecta, cui singulares virtutes cardiacae tribuebantur.

MOSCHATA NUX et **MUSCATA** duplex habetur, *oblonga* nempe, quae et *mas* dicitur. Alia est *rotunda,* quae *foeminina* appellatur. Nascitur arbor in ditione sex insulas comprehendente, quae vocatur *Banda,* et insulis moluccis Indiae orientalis, ab incolis *Palo* dicta. Est *myristica Linn.* Nux moschata fructu rotundo *Bauh.* Proceritatem habet arboris pyri. Folia persicae malo haud absimilia, sed breviora et magis subrotunda, imo et latiora sunt. Fructus apposite malum persicum refert, eius vero cortex externe per maturitatem instar Iuglandis non tantum dehiscit, sed eo incolae quoque vescuntur. Hoc remoto, sequitur *macis,* constans ex variis subrubicundis foliolis, oleo aethereo plenis. Haec item durum corticem investiunt, qui ipsam nucem moschatam inclusam servat. Leguntur nuces maturae, lectae, remotis putaminibus, aqua marina consperguntur, et siccantur ad solem, siccatis adimitur macis et postea nuclei lavantur calce, ut eo melius a corruptione serventur. Fructibus est qualitas fragrans, amara atque aromatica; scatent oleo essentiali aethereo et pingui, seu unguinoso et quasi sebaceo, quod tum decocto supernatat, tum expressione elicitur et balsamis variis sub nomine *olei nucistae,* vel *corporis pro balsamo* basin praebet. Ipsae nuces aeque ac macis, quae male *flores nucis moschatae* dicuntur, viribus stomachicis et carminativis pollent, pluraque medicamenta ingrediuntur, tum interna, tum externa. Prostat e nucibus conditura, aqua, oleum destillatum et expressum, e floribus macis vero essentia, aqua et oleum. In diarrhoea, anorexia et vomitu gravidarum praecipue nux moschata torrefacta commendatur. Dicitur et *nux aromatica, moschocaryon, moschocarydion, nux myristica,* seu *unguentaria.* Ge. *Muskatnuss.* Ga. *Noix muscade.* A. *Nutmeg.* B. *Muscaat-noot.*

MOSCHELAEUM est compositio ex moscho et oleo, veteribus usitata.

MOSCHUS est substantia granulosa, pinguis, unctuosa inflammabilis, sanguini congrumato fere similis, coloris ferruginei, saporis subacris, amaricantis, odoris fragrantissimi. Quidam esse saniem ex tumore circa umbilicum alicuius animalis promanantem volunt. Alii falso testiculos eiusdem, alii aliud quid censent. Animal, ex quo obtinetur, seu Moschista caprea, capreae minoris species est, scil. *Moschus moschiferus,* folliculo umbilicali *Linn.* dentibus duobus inferioribus prominentibus praeditus, quadrupes, ungulis bisectis, sine cauda, pilorum colore variegato ex luteo castaneo et maculis

quasi superbit. Pili in abdomine cinerei, in capite ex albo et cinereo castanei sunt et longissimi. Caeterum in abdomine non longe a posterioribus pedibus eminentia quaedam est, rotunda et dura, ovi gallinacei mediocris magnitudine, pilis albis, iisque non flexuosis, sed rectis et ad folliculi fastigium porrectis, obsita. Circa cuius partem inferiorem unica utrinque caruncula apparet, qualis etiam, licet paulo maior, non longe ab istis in sinistro conspicitur latere. Ea autem eminentia, sive tumor, nihil aliud est, nisi folliculus quidam, in quo moschus sanici instar colligitur. Huiusmodi folliculo mares saltem instructi dicuntur, in quo si nimia copia moschi per glandulas internas secreti copia colligatur et irritatione animali molesta fit, ab hoc affrictu ad rupes et arbores exprimitur, sicque passim invenitur. Plerumque tamen ipsi folliculi ex animali mortuo exscissi ad nos transferuntur. Moschi qualitas summe ambrosiaca, visque nervina, cordialis, exanthematica, refocillans, aphrodisiaca. Hinc, licet quibusdam, praecipue mulieribus, nimia sua fragrantia infestus sit, tamen in variis morbis, maxime systematis nervosi, summo cum fructu adhibetur et plura etiam medicamenta composita ingreditur. In delirio et morsu canis rabidi summopere laudatur. Datur a granis sex ad XVI., immo ad drachmam dimidiam, quavis sexta hora. Venditari passim et aliam speciem moschi lego, sed viribus et qualitate vero moscho longe inferiorem. Colligunt enim huius animalis sanguinem, quem quieti aliquamdiu exponunt, deinde serum supernatans decantant, animali mortuo cutim detrahunt et exenterant; reliquum minutim conscindunt, cumque sanguine miscent, hancque massam pelli eiusdem animalis includunt, terrae committunt, et per aliquot dies urina perfundunt, donec materies putrefacta sit; hancque mumiam exsiccatam pro moscho venditant. Nonnulli intestina una cum faecibus adiiciunt. Venit ex India orientali et Tunquinensi inprimis regione et China. [A chemicis pluries disquisitus est, inter quos Blondeau et Guibourt prae ceteris nominandi sunt. Hi invenerunt moschi centum partes siccatione 46,925 aquae, ammoniacae autem 0,325, perdere. Aetheris auxilio extrahebantur materiae, cerae flavae similes, 13,000, quae ab alcohole fervente in tres pinguedinis formas dividi poterat. Steatine enim e fluido refrigerato sub laminarum splendentium forma secedebat, elaïne in alcohole remanente. Quae alcohol haud solverat, cholesteatine erat. Moschus residuus, cum alcohole tractatus, extractum coloris ex aurantiaco fusci, odoris animalis, saporis ingrati, praebuit = 600, quod cholesteatinem, oleum acidum, ammoniacae nuptum, ammoniacam muriaticam, kali, calcem et acidum naturae nondum finitae, cum basibus ex parte saturatum, continebat. Quodsi nunc, extractis his omnibus, moschus cum aqua tractabatur, obscure fuscae, squamas

formantis, materiae obtinebantur 19,000; residuum, excepta pauca quantitate = 2,750, e fibrine, calce et carbonica et phosphorica, crinibus, arena al. constante, ab ammoniaca solvebatur. Vide Trommsdorff. *neu. Journ. IV. p.* 349.] Ge. *Bisam, Musk, Moschus.* Ga. *Musc.* A. *Musk, moschus.* B. *Muskus.*

MOSCOVADE vocatur illa materia cinerei coloris e cannis sacchariferis expressa et ope argillae a succo melleo liberata, e qua ulteriori coctione omnes reliquae species sacchari praeparantur. Ge. *Moskovade.* Ga. *Moscovade.*

MOTOS, Gr. *μοτὸς,* est linteum carptum, quod vulneribus et ulceribus inditur, quo etiam sanguinis fluxus sistitur, vulgo *Charpie.* Inde *μοτόω*, *linteamentum vulneribus indo.* Ge. *Carpie.* Ga. *Charpie.* A. *Lint.* B. *Pluksel.*

MOTUS est actio corporum inter se, qua alio, ac antea, modo coexistere nituntur. Sic fluidorum *motus progressivus* dicitur, quo a solidis propulsa locum mutant, *intestinus* vero, quo particulae coniunctae nunc a se invicem recedunt, et in aliam combinationem transeunt. — Motus corporis cum contraria quiete inter res non naturales refertur. Ge. *Die Bewegung.* Ga. *Mouvement.* A. *Motion.*

MOTUS ANIMALIS dicitur omnis motus fluidorum et solidorum, qui fit in corpore vivo. *Motus tonicus,* s. *elasticus,* qui a sola elasticitate, *motus vitalis* vero, qui ab ipsa vita pendet, et ad eam conservandam tendit.

MOTUS CONVULSIVUS, SPASMUS CLONICUS PARTIALIS est alterna, invita et valida constrictio musculorum antagonistarum, cum inde pendente agitatione coacta cuiusdam organi, vel artus, cuius motivum non percipitur, absque sensuum obscuratione, cum *epilepsia* sit spasmus clonicus generalis cum obscuratione. Vide *Epilepsia.* Ge. *Das Zucken, Gichter, Zuckungen.* Ga. *Mouvemens convulsifs.* A. *The convulsive motions,* sive *fits.* B. *Stuip trekking.*

MOTUS PERISTALTICUS, vide *Peristalticus motus.*

MOXA venit ex China et Iapan. Lanugo quaedam est ab inferiore parte Artemisiae foliis accrescens, quae collecta, postea caro pretio venum exponitur. Inservit ustioni, eodem modo, ut in Aegypto gossypium, et olim *Hippocratis* tempore fungi, seu *μύκετες*. Conficitur ex *Artemisiae vulgaris* (latifoliae) adhucdum recentis foliis exsiccatis, longo tempore in aëre suspensis et obsoletis. Praeparatio moxae nullo artificio absolvitur. Funduntur primum impigro pistillo folia, ad mollitiem rudioris stupae; dein utraque manu agitantur et fricantur assidue, ut priori contusione iam attritis decedant duriores fibrae, et recrementa membranacea. Iis excussis, remanet insignis teneritatis homogenea et pu-

rissima lanugo, coloris cinerei, concipiendo igni aptissima, eoque admisso moderate gliscens, scintilla minus conspicua, ardore temperato, progressu lento, donec in favillam tota fatiscat. Chinensibus et Iaponensibus in frequentissimo usu est, qui ex eadem bacillos exiguos calami crassitie formant, eosque in mania et epilepsia vertici, in affectibus vero arthriticis parti dolenti impositos accendunt. — Iam apud nos coni ex gossypio facti eodem modo adhibentur.

MUCAGO, **MUCILAGO** et **MUCUS** est extractio viscida mediante aqua ex seminibus, gummi, radicibus etc. facta. Ge. *Schleim.* Ga. *Mucilage.* A. *Slime.* B. *Slym.*

MUCHARUM, sive **MUCARUM ROSARUM** vocabulum est barbarum, quo nonnulli infusionem rosarum per se, alii infusionem cum saccharo in syrupum coctam, intelligunt. [Cum Blancardus sibi admodum placeat in etymologiae studio, mirandum est, quod vocis *mucharum* etymologiam, a Libavio (*Alchym. pharmac.* c. 24.) allatam, a *μυχὸς*, *intimus recessus*, et *ἄιρομαι*, *in sublime tollo*, quasi sit arcanum, infusionum frequentia exaltatum.]

MUCILAGINOSAE GLANDULAE vocantur, quae in cavitate articulorum sitae sunt, et liquorem quendam suppeditant, qui lubricandis articulorum cartilaginibus ligamentisque inservit. Ge. *Schleimdrüsen der Gelenke.*

MUCILAGO, i. q. *Mucago.*

MUCRO est acumen, in quod pars quaecunque desinit. — Sic foliorum multorum, siliquarum quarundam, et spinarum omnium extrema in mucronem acuminantur.

MUCRO CORDIS, sive **APEX** est inferior pars cordis cuspidata. Ge. *Die Spitze des Herzens.* Ga. *La pointe du coeur.* A. *The point of the heart.* B. *De punt van't hert.*

MUCRONATA CARTILAGO, **MUCRONATUM OS**, vide *Ensiformis cartilago.*

[**MUCUS ANIMALIS** humor est, peculiari organorum secernentium generi, glandulis scil. muciparis in membranis mucosis reperiundis, originem suam debens, in fila ductilis, caloris ope non coagulans, sed sensim in duram, pellucidam, splendentem, asperamque massam abiens, ab aqua, alcohole atque aethere non, ab alcalibus autem causticis nonnullisque acidis, acetico nempe et phosphorico solubilis. Destillatus partes constituentes easdem cum albumine exhibet. Detegitur eius praesentia in fluidis, quibus continetur, addito aut gallarum infuso, aut solutione muriatis hydrargyri oxydati, aut argenti nitrici, aut plumbi acetici. Omnes corporis animalis superficies, quae aut humidae conservandae, ut lingua, aut contra stimulorum noxiam vim defendendae sunt, v. c. nares, fauces omninoque totus primarum viarum canalis, aspera arteria, interior ductuum

secernentium et excretoriorum superficies, partes genitales sexus feminei etc. membrana investiuntur mucosa.]

MULIEBRIA, vide *Cunnus.*

MULOMEDICINA, i. q. *Veterinaria*, s. *ars veterinaria.*

MULSUM, i. q, *Hydromel.*

MULTIFORME OS, vide *Cuneiforme.*

MULTISILIQUAE PLANTAE vocantur, quibus, post unumquemque florem, nascuntur quinae, pauciores, pluresve, capsulae oblongae, *siliquae* dictae, quae maturae dehiscunt secundum longitudinem fructus, parte aversa manente concreta, atque continent in singula quaque thecarum plurima semina. [Hoc nomine in Linnaei systemate plantarum naturali ordo vicesimus sextus insignitur.]

MUMIA: eius habentur quatuor species, *Arabum* nempe, quae est liquamen, seu liquor concretus, exsudans in sepulchro e cadaveribus, aloë, myrrha, asphalto balsamoque conditis. Altera *Aegyptiorum* est, sive liquamen ex cadaveribus pissasphalto conditis. Nimirum hoc condiebantur cadavera vilioris sortis, adeoque et ipsamet cadavera nonnunquam eo modo condita prostant. Tertia *Pissasphaltum factitium*, id est mixtum pici bitumen, quod pro *mumia* venditant. Quarta, cadaver sub arena solis aestu torrefactum. Fieri hoc veteres scribunt, dum in Arabia, arenarum Syrtes ventorum turbine sublatae incautos viatores obruunt, unde horum cadavera a flagrante solis aestu torrentur et exarescunt, maxima ponderis sui parte amissa, quae *Mumiae albae* vocantur. Quae in officinis prostat, dicitur *Aegyptiaca*, et est substantia dura, friabilis, fusco nigra, saporis amari, odoris fragrantis. Gaudet virtute traumatica atque balsamica, frequentius tamen a veterinariis expetitur, et magis in emplastris, quam interne, adhibetur. [Hodie quamquam ab eius usu veterinarii adeo abstinent medici, monendum tamen, mumiam aegyptiacam praeter asphaltum etiam arsenicum continere. Conf. *Comment. r. soc. scient. Gott.* IV.] Vox unanimi criticorum consensu a vocabulo Persico, (*muminahi*) vel Arabico *Mum*, quod ceram denotat, derivatur. Ge. *Mumie.* Ga. *Momie.*

MUMIA PERSICA NATIVA pertinet proprie ad regnum minerale, est Mumia mineralis *Hasselqu.* *Bitumen mumia* subfriabile piceum *Linn.* scilicet bitumen valde pretiosum, coloris nigri, odoris grati, balsamici, saporis subdulcis, in cavernis quibusdam sub radice montis Caucasi e rupe exsudans, cui mirae in consolidandis ossibus et vulneribus virtutes tribuuntur. [Vid. Blumenb. *Handb. d. Naturgesch.* p. n. 677.] Rarissime apud nos occurrit, nisi forte ambra nigra pro ea sumatur. An forte idem est cum Mumia Arabum?

MUNDATIO, sive **PURIFICATIO** est, quando simplicia a pulvere, corticibus aliisque immundis purgantur. Ge.

Reinigung. Ga. *Purification.* A. *Purifying, Purification.* B. *Zuivering.*

MUNDIFICATIVUM, MUNDIFICANS est tale medicamentum, quo ulcera a sordibus purgantur. Ge. *Reinigende Arzenei.* B. *Zuiverende dingen.*

MUNGOS, *Ophiorrhiza mungos Linn. Lignum colubrinum verum,* est radix plantae, cui ab amaritie Indi, a viverra Lusitani nomen dedere. Patriam habet Iavam, Zeylanam, Sumatram. Radix simplex spithamea, digiti crassitie, crebro vagoque flexu intorta, cortice fungoso, rufo, rugoso, substantia lignosa, dura, fibrarum experte, fragili, albida, amarissima, instar Gentianae, sed subtilioris et minus ingrati saporis. Caulis rectus, tenuis, aequalis, pedalis; ramulis variis alterne adversis. Folia opposita, rariora, angusta, uncialia, lanceolata. Pedunculi ex axillis ramulorum, duorum vel trium digitorum longitudine, tenues, decidui. Flosculi circiter quinquaginta perparvi, in plures fasciculos digesti, et in umbellam tantillam, quam ungue obumbres, conglobati, pulchre rubentes, nudi, tubulati, quinque, aut sex laciniis. Fructus pedunculo insidens, didymus, fastigiis divaricatis, rotundus, parum compressus et turbinatus, osseus, magnitudine seminis coriandri, cute carnosa nigricante, aut pallente, nucleo albo, pingui, fatuo. Huic radici insignis virtus alexipharmaca, praecipue contra venenum serpentis Naiae eiusque morsum tribuitur, eoque magis, cum Mustela quaedam, seu *Viverra Ichneumon,* Lusitanis *Mungo* dicta, cum Naia pugnans, et ab ea vulnerata, illico hanc radicem quaerere, eaque manducata a veneno se liberare dicatur; unde et radici ab hac mustela nomen datum est. Ob amaritiem nonnunquam *rex amaroris* vocatur. [A. *The indian snake-root.* B. *Oostindische slangenwortel.* Ga. *Racine de serpent.* Ge. *Schlangenwurzel, Mungoswurzel, indianische Bitterwurzel, indischer Enzian.*]

MURIA in genere denotat solutionem aquosam cuiuscunque salis medii. Ge. *Salzlake.*

MURIATICA ACRIMONIA est acredo humorum in corporis humani quibusdam morbis peccans, uti in scorbuto etc., quae ad naturam salis marini, vel ammoniaci, accedit. In ea sapor in ore salsus semper, sitis assidua et ingens, siccitas et rigiditas corporis, urina salsa, tarde putrescens, cum sedimento spisso, et cum pellicula tenui pingui innatante. Ge. *Muriatische, oder salzichte Schärfe.*

MURIATICUM SAL idem quam *sal commune, sal culinare.* Vide *Sal.* [Synonyma sunt: *natrum muriaticum, Salzsaures Natrum, Halogennatron, Chlornatrium, Küchen*-sive *Kochsalz.*]

MUS animalculum quidem satis notum ad Mammalia Glires et cryptorchides pertinens, dentibus primoribus inferio-

ribus subulatis. Frequentissima in domibus nostris species est Mus domesticus, seu vulgaris, *Rai.* *Mus musculus* cauda elongata, subnuda; palmis tetradactylis, plantis pentadactylis, pollice mutico *Linn.* Sunt, qui et mures combustos, et stercus, quod *muscerdam*, vel *album nigrum*, vocant, ut remedium contra vermes, urinae stillicidium, immo epilepsiam, commendent. Ge. *Eine Maus.* Ga. *Souris.* A. *Mouse.*

MUS ALPINUS est animal quadrupes ad Mammalia Glires pertinens, cui dentes primores bini supra et infra a molaribus remoti, laniarii nulli. Mus montanus *Matth.* *Mus marmotta* [Marmotta alpina s. Arctomys marmotta] cauda abbreviata, subnuda, auriculis rotundatis, buccis gibbis. Dentes primores inferiores apice divergentes. Habitat in Alpibus Helveticis, Tridentinis. Profunde et celerrime fodit, hybernat alto somno, manibus cibum ori admovet, saepe erectus incedit. In officinis prostat pinguedo, quae contra ariduram et ancylosin laudatur. A. *Marmot, the alpine marmot.* B. *Marmeldier, bergrot, marmot, rot der alpen.* Ge. *Murmelthier, Alpenmurmelthier, Murmelmaus, Bergratze.* Ga. *Marmotte, le rat des Alpes.*

MURES MARINI sunt exuviae, seu potius ova, Raiae piscis, in quibus scilicet Raiae nascuntur, et interdum adhuc in iis reperiuntur. Sunt pelliculae cavae e nigro fuscae, latitudine unius et dimidii pollicis, glabrae, striatae, quadrangulae, compressae, in quatuor angulis oblongos angustosque apices habentes, hinc ob similitudinem *mures*, et, cum in mari et circa littora inveniantur, *marini* dicuntur. Carbonibus iniectorum fumus ano admissus, in haemorrhoidibus dolentibus summopere, et ut remedium specificum, a quibusdam commendatur, non tamen semper eventu spei respondente. Ge. *Seemäuse*, *Meermäuse.*

MUSCAE CAPUT, i. q. *Myocephalum.*

MUSCARI est Hyacinthi species, et quidem Hyacinthus racemosus moschatus *Bauh.* *Hyacinthus muscari* corollis ovatis omnibus aequalibus *Linn.* (Hexandr. Monogyn.) Habet folia longa, angusta, striata, sat crassa, succo plena, intra quae assurgit caulis erectus, sat crassus, rotundus, sine foliis. Flos est hermaphroditus, monopetalus, campanulatus, vel urceolatus, ad oras in sex crenas reflexas divisus, atque in fastigio caulis in racemum congestus, denso agmine aggestum, odoris aromatici et valde grati fere instar Moschi. Flori succedit fructus sat crassus, triangularis, divisus in tres loculos continentes semina rotunda et nigra. Radix est bulbosa, albescens, habens multas tunicas, saporis amari, et viribus valde emeticis pollens. Sic appellatur, quod flores Moschum oleant. A. *The musk hyacinth.*

B. *Muskeerende hyacinth.* Ge. *Traubenhyacinth, Muscari.* Ga. *Oignon musqué, iacinthe musquée.*

MUSCARIA in vegetabilibus sunt in orbem radiatae herbarum comae, cacuminaque in fasces coacta, a flabri similitudine, cuius ventilatu muscae in conviviis abiguntur, dicta.

MUSCERDA dicitur stercus murium. Vid *mus.* — Hoc quoque sub nomine denotantur rotulae, vel trochisci fragrantes, sublinguales ad foetorem oris corrigendum.

MUSCIPULA est species floris Armerii, seu *Viscaria,* scilicet Lychnis sylvestris viscosa, rubra, angustifolia *Bauh. Lychnis viscaria* petalis integris *Linn.* Planta flore caryophyllaeo, (Decandr. Pentagyn.) Ideo dicitur, quod caules eius visciditate obducuntur, qua de causa muscae advolantes visco illo capiuntur. Ge. *Mückenfang, Pechnelke, Theernelke, Marienröschen.* Ga. *Atrape mouche, lychnide visqueuse.* A. *The viscous catch fly.* B. *Vliegenet, keikens, lymerige lychnis.*

MUSCULOSA EXPANSIO, vide *Myodes platysma.*

MUSCULUS est pars corporis animalis organica, vasis sanguineis, lymphaticis, nervis, tendinibus, et fibroso seu carnoso ventre instructa, constante fibris minoribus, parallelis, tela cellulosa cinctis, et in lacertulum collectis, cuius officium est, membra mobilia, appensa movere. Motio illa, seu contractio fit, quando a cerebro, cerebello, vel medulla spinali, per nervos ad fibras musculosas spiritus animales fluunt, et simul in sanguine maior est determinatio ad easdem partes, sicque fibrae musculares sua natura irritabiles irritantur, tum musculi venter incipit tumere et rubere ac in se redit, adeoque partes longitudinales abbreviantur, et tendines ad se invicem accedunt, et pars annexa mobilis ad minus mobilem attrahitur; hac autem determinatione spirituum et sanguinis cessante in fibras musculares, et liquidis per extrema vasorum suorum oscula effluentibus, omnia iterum flaccescunt. Veteres musculi corpus in *caput, ventrem* et *caudam* diviserunt, accipientes pro *capite* musculi extremitatem, parti, ad quam fit contractio, scilicet puncto fixo, connexam; pro *cauda,* musculi finem seu portionem, parti movendae, seu puncto mobili, insertam; pro *ventre* denique partem musculi intermediam, quae carnium mole tumidior conspicitur; deinde pro motu obeundo supponebant musculum circa caput et ventrem intumescere, et deinde quoad longitudinem decurtatam, partem appensam sibi propius attrahere. Musculi sunt vel cavitatibus, vel artubus destinati, quorum priores vel sunt strata muscularia, ut in intestinis, vel veri fasciculi, qui *sphincteres* dicuntur. Musculi a figuris, locis et actionibus variis diversimode denominantur. Plerique inseruntur ossibus, alii tamen cartilaginibus, cuti, vel

quibusdam organis. Gr. *Μῦς*. Ge. *Ein Muskel.* Ga. et A. *Muscle.* B. *Een spier, muskel.*

MUSCUS, Gr. *βρύον* et *μνίον*, quibusdam *σπλάγχνον* et *σφάγνος*, *ὕπνον*, *δορκαδία βοτάνη*. Arab. *Usnea*, sunt plantulae parvae sui generis, arboribus, lapidibus etc. accrescentes. Forte a mucore appellatur, quod instar mucoris efflorescat. Exactius vero hodie muscorum sub nomine ordo plantarum comprehenditur, ad cryptogamias, scilicet quarum fructificatio non satis distincte apparet, pertinentium, et quarum plures saxis, aut arboribus adnascuntur. Plura sunt huius ordinis genera et species, quae passim in medicina adhibentur. *Muscus arboreus* s. *Usnea Pharm.* Usnea vulgaris, loris longis implexis *Dill.* *Lichen plicatus* filamentosus pendulus, ramis implexis, scutellis radiatis *Linn.* Arboribus antiquis adnascens. Qualitatis est siccae et subadstringentis, hinc in excoriatura, haemorrhagiis et hernia umbilicali commendatur. — *Muscus caninus Pharm.* Lichen cinereus *Tournef.* Lichenoides digitatum cinereum, Lactucae foliis sinuosis *Dill.* *Lichen caninus* coriaceus, repens, lobatus, obtusus, planus, subtus venosus, villosus, pelta marginali adscendente *Linn.* Provenit in sylvis acerosis et lapidibus. Huic mirae contra morsum canis rabidi virtutes adscribuntur, et cum pipere nigro mixtus celebrem illum *pulverem antilyssum* constituit, ad duos, aut quatuor scrupulos propinandum. — *Muscus cumatilis Pharm.* Lichenoides subglaucum cumatile, foliis tenacibus eleganter laciniatis *Dill.* *Lichen aphthosus* coriaceus repens lobatus obtusus planus, verrucis sparsis, pelta marginali adscendente *Linn.* Cuius infusum viribus drasticis et anthelminthicis pollet, et ad abstergendas aphthas commendatur. Nondum quidem officinalis, rusticis tamen nostratibus usitatissimus. *Muscus clavatus, Muscus erectus*, vide *Lycopodium.* — — *Muscus islandicus Pharm.* Muscus islandicus purgans *Barth.* *Lichen islandicus* foliaceus adscendens laciniatus, marginibus elevatis ciliatis *Linn.* nascitur in sylvis Europae sterilissimis. Qualitatis est farinaceae, subamarae, viscidae, viribusque eccoproticis, abstergentibus et roborantibus gaudet, hinc eius cum lacte decoctum insigni cum fructu in hectica et phthisi pulmonali propinatur. — *Muscus pyxidatus Pharm.* Lichen pyxidatus, oris coccineis et tumentibus *Vail.* *Lichen cocciferus* scyphifer simplex integerrimus, stipite cylindrico, tuberculis coccineis *Linn.* Frequenter satis in Europae sylvis provenit: in tussi convulsiva eximium creditur remedium. Vide *Usnea.* — *Muscus marinus*, vide *Corallina.* Ge. *Moos.* Ga. *Mousse.* A. *Moss.* B. *Mosch.*

MUSIVUM s. **MOSAICUM AURUM** fit, si duodecim partes stanni liquefacti cum sex partibus mercurii amalgamantur, et amalgama hoc cum partibus septem sulphuris et sex

partibus salis ammoniaci sublimatur. Tunc aurum musivum in inferiore parte sublimati reperitur, quod ex aliqua parte stanni et sulphuris constat. [Plures extant formulae, secundum quas eius praeparatio effici potest. Quam Blancardus habet, cum Pet. Woulfii convenit, ita tamen, ut cum mercurii, tum salis ammoniaci dimidia tantum copia sumatur.] Ad pictorios usus adhibetur, nonnulli tamen ei anthelminthicam vim tribuunt, quae a stanno pendet. Potest etiam sine additione mercurii, [qui nonnisi subtilioris divisionis stanni causa adiicitur,] praeparari. Ge. *Mahlergold.* Ga. *Or musif* sive *mosaique* sive *de iudée.*

MUSIVUM ARGENTUM, ex stanno, bismutho et argento inter se unitis ad pictorios usus paratur. [Wallerius (*Mineral.* p. 574.) illud e stanni bismuthique aequalibus partibus $1\frac{1}{2}$, et mercurii (adeoque minime *argenti*) 2 partibus composuit. Longe minorem copiam mercurii ($\frac{3}{4}$) recentiores adhibent.] Ge. *Mahlersilber.*

[**MUSSITATIO** secundum Ios. Frankium ab *aphonia* sic differt, ut in illa verba cum motibus oris et linguae, sine voce, ita exprimantur, ut, si quis idiomate familiari loquatur, ea divinari possint.]

MUSTARDA paratur e semine Sinapi contuso, in musto decocto, et acetarii instar mensis apponitur. Prodest in anorexia, et digestionem adiuvat.

MUSTELLANCI, vide *Galiancones.*

MUTACISMUS, **PSELLISMUS**, **BALBUTIES** est difficultas recte pronunciandi verba e litteris labialibus conflata, ut B. M. P. ita ut illae litterae saepius repetantur, aliarum loco in sermonem ingerantur, geminentur. *Sauv.* Ge. *Stottern.* Ga. *Bégayement.*

MUTITAS est impotentia voces articulatas edendi, seu sermonem proferendi, ut plurimum a vitio quodam organico pendens. Differt ab *aphonia*, quae plerumque est symptoma aliorum morborum transitorium, et in qua ne ullus quidem sonus edi potest. Ge. *Stummheit.* Ga. *La mutité.*

MYACANTHA, seu **RUSCUS**, aut **BRUSCUS**, sic appellatur, quod eius folia rei conservandae appendantur, ne mures ob acutas spinas eam laedant. Ex μῦς, *mus,* et ἄκανθα, *spina.* Vide *Ruscum.*

MYAGRUM et **MYAGRIUM** est planta, (Tetradynam. Siliculos.) quae habet caules rotundos, duros, politos, ramosos, medullam albam habentes. Folia sunt oblonga, et aliquomodo Isatidis cultae similia, sed pleraque sunt laciniata, et inprimis inferiora. Calyx est tetraphyllus. Flores sunt exigui, quadrifidi, in crucem dispositi, flavi. Post florem succedit fructus rotundus, acuminatus, trilocularis, ea lege, ut loculus primus ad basin contineat semen obrotundum, oblongum, et rubicundum, bini vero vacui appareant.

Seminis sapor ad allium accedit; avibus multis esca gratissima. Oleum ex iis expressum ad oeconomicos usus adhibetur. Radix crassa, alba, uno tantum anno durans. Crescit in pratis, sed apud nos *M. sativum Linn.* colitur. Nomen accepit, quod muscas glutine suo implicet, et retineat, nec non captet. A *μυῖα, musca,* et *ἀγρεύω, capio,* quod tamen myagro non convenit. Ge. *Leindotter.* Ga. *Caméline.* A. *Gold of pleasure.*

MYCETAE, MYCETES sunt *fungi.* Gr. *μύκης,* gen. *μύκητος,* — *μύκητας* vocarunt, ab ensis capulo, vel summo vertice vaginam occludente. *Μύκης, pro ensis theca, gladii capitulo,* lexica ex Herodoto adferunt. A *μύω, claudo.*

[**MYCOSIS** ab Auctt. *diction. des term.* etc. a *μῦκος, fungus,* derivatur, et per excrescentiam fungosam exponitur. Sed etiamsi non urgeam, *τὸ μῦκος* non nisi apud grammaticos occurrere, tamen verbum *μυκόω,* unde *μύκωσις* derivari possit, lingua graeca non agnoscit.]

MYCTERES [Gr. *μυκτῆρες,* quod Eustath. ad Hom. p. 440. a *μύζειν* derivavit,] sunt nares, sive humorum pituitosorum receptacula. Ge. *Schleimbehältnisse, Nasenlöcher.* Ga. *Receptacles de la morve,* ou *de pituite.* A. *The receptacles of pituitous humours.* B. *Snot-ontfangers.*

[**MYCTEROPHONIA** Ploucqueto idem est vocis vitium, quo literae nasales cum sonitu per nares sibilante pronunciantur. Vocatur quoque *paraphonia resonans,* s. *rhinophonia* s. *vox nasalis.* Ga. *Parler du nez.* Ge. *Nasenstimme.*]

MYDESIS est corruptio, sive putredo, ex nimio madore. Praecipue vero sic vocatur profluvium materiae purulentae e tunica interna palpebrarum post praeviam inflammationem. [Galenus (*introd. s. med. c.* 16. *p.* 770. *to. XII.*) putat *μύδησιν* esse commune nomen corruptionis e putredine: palpebras autem *μυδήσει* affici, cum tumentiores appareant, et perpetuo effluxu materiae pinguedinosae (intelligit autem Galenus materiem impetiginosam et purulentam, e palpebrarum marginibus excretam) laborent. A *μυδᾷν, nimia humiditate vitiari.* Benedict. *Augenkrankh. I. p.* 166. gangraenam palpebrarum *μύδησιν* vocat, quamquam proprie quamcunque palpebrarum inflammationem, cum insigni tumore coniunctam, hoc nomen mereri putat.]

MYDRIASIS est nimia pupillae dilatatio, et diffusio, visui hebetudinem adferens, in qua pupilla, ne ad luminis quidem maioris admissionem, movetur atque constringitur. Pendet ab insensibilitate uveae, et plerumque etiam cum amaurosi coniuncta est, aut imminentem denotat. Ge. *Erweiterung des Augensterns.* Ga. *La trop grande dilatation de la pupille.* B. *Een stomp gezicht.* [Auctor *defin. med.* in Galeni *opp. to. XIX.* p. 435. visus obscurationem e sola humorum oculi turbatione ortam vocari vult *μυδρίασιν.* Neque Blancardi ex

ἀμυδρὸς, obscurus, vocem deducentis etymologiam, neque Krausii sententiam, qua affinitatem quandam inter *μυδρίασις* et *ὕδωρ* intercedere putat, probo.]

[**MYELITIS**, a Gr. *μυελὸς, medulla spinalis,* est inflammatio medullae spinalis, quae pro variis morbi temporibus variis quoque symptomatibus stipata est. Commode quatuor eius stadia statuuntur. Morbus ante I. Pt. Frankium, qui *de vertebr. columm. in morb. dignitate* orationem 1791 habuit, haud ita, uti meretur, medicorum attentionem movit: post illius autem viri studia, huic morbo describendo dicata, plures extiterunt medici, qui de illo exponerent, quorum scripta diligenter enumeravit Rud. Leonhardi *d. i. de myelitide.* Lips. 1830. 8. p. 9—11. Vocatur et *rhachialgia* et *rhachialgitis* minus recte, cum haec vox symptoma tantum myelitidis indicet; aeque male appellatur *spinitis,* cum haec denominatio partim e latina, partim e graeca lingua conflata sit; L. W. Sachs (*Grundlin. z. ein. nat. Syst. d. pr. Med. Th. I. p.* 284.) *rhachitidem* morbum vocari voluit, contra quam denominationem hoc haud temere moneri potest, quod illa non nisi aut causam aut effectum morbi, interdum locum habentem, indicat. Ge. *Rückenmarks-Entzündung.*]

[**MYELOPHTHISIS** idem, quod *phthisis* s. *tabes dorsalis,* Gr. *φθίσις νωτιαῖα,* non *νωτιὰς,* uti Swediaur *l. c. II. p.* 107. habet, eos inprimis affligit, qui in venere exercenda modum excedunt. Imaginem morbi exhibet idem Swediaur *l. c.* Ge. *Rückendarre.*]

MYELOS, idem quod *medulla ossium,* vel *cerebri,* vel *medulla spinalis.*

MYIOCEPHALUM [(ita enim scribendum, non *myocephalum,* quamquam Aetius *tetrab. II. serm.* 3. *c.* 2. et Alex. Trall. II. p. 132. pro vulgari scribendi ratione adferuntur. Myocephalum, quod a *μῦς, mus,* derivatur, denotat *muris caput,* indicatque magnitudinem, ab hoc oculi vitio prorsus alienam; unice autem illi convenit *muscae caput,* adeoque *μυιοκέφαλον,* quae vox quoque cum in Galeno *def. med. to. XIX. p.* 434., Aetio, tum in Alexandro restituenda est, qua in sententia etiam Krausius fuit,)] est inchoatus uveae tunicae prolapsus, s. staphylomatis initium, in nigro oculi, ab exulceratione ortus, muscae capiti similis. Ex *μυῖα, musca,* et *κεφαλὴ, caput.* Ge. *Ein Fliegenauge.* Ga. *Tète de mouche.*

MYLE, i. q. *Mola, Genu.*

MYLOGLOSSUM est par musculorum, seu stratum fibrarum, quod utrinque a parte interiori et superiori laterali maxillae inferioris oritur, et linguae inseritur, suaque actione linguam antrorsum et ad latus ducit. Ex *μύλη, mola,* sive *dens molaris,* [Hanc significationem numerus tantum pluralis habet. Oribas. *anat. p.* 142. *καλοῦνται δὲ οὐ μόνον οὕτω* (*γόμφιοι*), *ἀλλὰ καὶ μύλαι θηλυκῶς.* Ruf. Eph. *de part.*

c. *h.* p. 27. *μύλους δὲ καὶ γομφίους τοὺς μετὰ τοὺς κυνοδόντας, πέντε ἑκατέρωθεν ὀνομάζουσι.* Hesych. *μύλας* exponit per *ἐπιγονάτιδες, σιάγονες,* quarum explicationum posteriorem equidem in nullo scriptore medico inveni, priorem singulari tantum numero competere docet Aristot. *hist. an. lib. 1.,* ubi *πλανησιέδρον* epitheton nacta est, quod et Hypat. introd. anat. c. 60. p. 138. retinuit. Orib. *anat. p.* 166. etc.] et *γλῶσσα, lingua.* Ge. *Der Backen-Zungenmuskel.* Ga. A. *Myloglosse.* B. *De kaauw-tandens tonge spier.*

MYLOHYOIDES est par musculorum, quod nascitur ab interiore parte maxillae inferioris, et basi ossis hyoidis inseritur, quod proinde una cum lingua annexa antrorsum et sursum movet. Ge. *Der äussere Zungenbeinmuskel.* Ga. *Le mylo-hyoidien.*

MYLOPHARYNGEUM par musculorum est stratum fibrarum muscularium, quod utrinque a superficie interna bascos maxillae inferioris oritur, et in pharyngem tendit, quem actione sua dilatat et elevat. Saepe tamen deest. Ge. *Der Kinnbacken-Schlundmuskel.* Ga. *Mylopharyngien.*

MYODES PLATYSMA est musculosa expansio, lata, a claviculis sternoque incipiens, in collo densissima, musculis subiectis tegendis et firmandis dicata: nam immediate sub panniculo adiposo decurrit. Vocatur etiam *musculus latissimus colli.* Ex *μυώδεις, musculo similis,* et *πλατὺς, latus.* Ge. *Der Hautmuskel des Halses.* Ga. *Platysme myode.*

[**MYODESOPSIA** vocatum est illud visus vitium, quo qui affecti sunt, nigram maculam, muscae instar, ante oculos volitare opinantur. Cons. de hoc vitio Richter *Chirurg. III. p.* 504. Jos. Frank *Prax. med. praec. II. vol.* 1. *sect.* 2. *p.* 870. Rosas *Augenheilk.* II. §. 894. al. Plura offert haec denominatio, quae iure reprehendi et possunt, et debent. Vide *opusc.* mea *acad. to. II. p.* 284.]

MYOLOGIA est illa pars anatomes, quae tradit structuram, situm, functionem omnium musculorum totius corporis, sive haec describendo, sive dissecando et demonstrando fuerit occupata. Ex *μῦς, musculus,* et *λέγω, narro.* Ge. *Lehre von den Muskeln.* Ga. *Myologie.*

[**MYONITIS** a Swediauero *l. c. to. I. p.* 149. arthritis rheumatica appellatur, cuius imaginem exhibet hanc: Est pyrexia primaria vel secundaria, plerumque cum pulsu frequente, pleno et forti, saepe et duro; cum calore corporis intenso; siti multa; lingua alba; urina rubra; dolore vehemente, acuto vel tensivo, lancinante aut terebrante in una, vel pluribus simul corporis partibus, praeprimis *musculorum* et nervorum cursum sequente etc.]

MYOPIA est visus in rebus distantibus cernendis obscuritas, vel abolitio, sed tamen in propinquis perspicacia, orta ob oculum anterius nimis globosum, oculum nimis longum,

vel quod lens crystallina sit rotundior. Hinc radii lucis ab obiectis remotis emissi, ob refractiones per tres humores se secuerunt transversim, antequam in retina colligantur, cui medendo appropinquatio obiectorum, vel vitrorum concavorum applicatio, convenit. Quoniam distantia visionis distinctae apud homines, qui minuta obiecta, ut characteres, respiciunt est circiter octo pollicum, eo maior est myopia, quo pauciores sunt pollices, ad quos myops legere consuevit, ita ut, si legat ad unum pollicem, alter ad duos, prior myops habeat visum breviorem septem pollicibus et sic deinceps. *Sauv.* Ex *μῦς*, *mus*, quia murium visum referunt, et *ὤψ*, *oculus.* [Falso! a *μύω*, *coarcto*, quoniam myopes cum dissitas res distincte conspicere cupiunt, rimam palpebrarum coarctant. Etym. ὁ *μύειν συνεχῶς τοὺς ὦπας ποιεῖν.* Etym. Gud. p. 400, 58. ὁ *κνύων πυκνῶς τοὺς ὀφθαλμούς.* In excerptis ex Orione, adiunctis *huic* ipsi Etym.p. 615. *μύωψ ἀπὸ* (quod editor deleri maluit) ὁ *μύων σ. τ. ω.* Ego retineo *ἀπὸ* et corrigo seqq. *τοῦ μύειν σ. τ. ω.*] Ge. *Ein kurzes Gesicht, das nicht in die Länge oder Ferne sehen kann.* Ga. *Myope, la vüe courte.* B. *Byzienigheid, Stikzienigheid.*

MYOPIASIS, vide *myopia.*

MYOPS est, qui myopia laborat. Ge. *Der ein kurzes Gesicht hat.* Ga. *Qui a la vüe basse.* A. *Schort sighted.* B. *Byziend, stikziende.*

[**MYOSIS** ad significandam morbosam pupillae coarctationem, cum nulla exsudatione lymphae coagulabilis coniunctam, adhibetur. Benedictus *Augenheilk. III. p.* 297. observat, vocem haud recte de pupillae constrictione usurpari, illam potius non nisi morbosam palpebrarum coarctationem significare. Descendit non a *μύω,* uti Benedict., Kraus., alii volunt, sed a *μυάω, claudo.* Nescio, quomodo Krausius, quamvis dubitanter, *μύωσιν* idem, quod *μυωπίαν* significare monere potuerit.]

[**MYOSITIS** idem, quod musculi inflammatio, esse contra linguae analogiam affirmatur. Uti enim cystitis, non autem cysteitis, a *κύστις*, gen. *κύστεως*, ita et, quod Kraus. recte vidit a *μῦς,* gen. *μυὸς,* myïtis formari debet. Ge. *Muskelentzündung.*]

MYOSOTIS, id est *muris auricula,* dicitur sic ob foliorum formam. Ex *μῦς*, *mus,* et *οὖς*, *auris.* Hoc nomine vel denotatur *Echium palustre,* planta gymnotetrasperma asperifolia, (Pentandr. Monogyn.) vel *Cerastium Linn.* (Decandr. Pentagyn.) Haec planta habet caulem exiguum, lanuginosum, repentem. Folia sunt obrotunda, crassa, lanuginosa. Flores amoeni, lactei, quinque petalis in medio aliquo usque unica divisura incisis et striatis compositi, quos foris ad basin totidem hirsuta viridantia foliola calycis sustinent, in medio

vero stamina et stylus colore luteo. Floribus succedit capsula, sive fructus cornu bovino aemulus, unilocularis, apice quinquedentato dehiscens, seminibusque foetus exiguis, plerumque subrotundis. Radix est alba, repens, fibrosa. Crescit haec planta in montibus. Planta gaudet viribus adstringentibus et refrigerantibus. Radix in fistula lacrymali prodesse dicitur. Rarius tamen in usum adhibetur. [A μῦς et οὖς, gen. ὠτὸς, *auris.*] Ge. *Mausöhrchen.* Ga. *Oreilles de souris.* A. *Common mouse-ear.* B. *Muizen oor.*

MYOSUROS est parvula planta, quae habet folia graminea, Coronopi instar, sed non laciniata. Caules sunt parvi, tenues, rotundi, aut cylindrici, nudi. Calyx quinquefolius, singulis foliis appendice instructis, deorsum tendente. Flosculi herbacei, staminibus praediti multis, (quorum numerus in hoc genere valde variat. Ill. *Linnaeus* ad Pentandr. Polygyn. refert) ex ambitu fundi ovarii, semina in receptaculo, vel spica longa, tenui, acuta, muris caudam referente. Radix annua, fibrosa. Haec planta habet saporem acrem et qualitatem subadstringentem, hinc eius decoctum in laxitate alvi et gargarismate commendatur. Ranae, quae tamen carnivorae sunt, hanc plantam adamare dicuntur. Crescit in pratis et inter segetes. Myosurus vocatur a *μῦς, mus*, et *οὐρὰ, cauda,* quasi cauda muris, quia spica huius plantae muris caudam refert. Ge. *Mäuseschwanz.* Ga. *Queve de souris.*

MYRACH, Arabica vox est, et idem sonat, quod *epigastrium.* Vide *mirach.*

MYRACOPUM est unguentum lassitudinem auferens. Ex *μύρον, unguentum*, et *κόπος, labor, lassitudo.* Ge. *Salbe gegen die Müdigkeit.* B. *Zalf, die de vermoeitheid beneemt.*

MYRICA est *Tamariscus:* sic dicitur *ἀπὸ τοῦ μύρεσθαι,* a *lugendo*, quod melancholicis prosit, tristitiamque et luctum omnem, quae melancholiam comitari solent, pellat. Ge. *Tamariskenstaude.* Ga. *Tamarisc.* B. *Tamaris-boom.* Vide *Tamariscus.* — Sed Ill. *Linnaeo Myrica* quoque vocatur alia arbor exotica, cui cum pistacia summa affinitas est, floribus apetalis in aliis, et fructibus in aliis speciebus provenientibus, (Dioec. Tetrandr.) cuius plures dantur species passim ab auctoribus sub nomine *Chamaeleagni, Myrti Brabanticae, Lauri Africanae, Gales* relatae. Pertinet quoque huc *arbor cerifera Americana*, quae est *Myrica cerifera Linn.* — *Myrica humilis* est *Erica.*

[**MYRICINE** est, uti Iohnius primus docuit, pars constitutiva cerae. Vide supra *cera.*]

MYRINGA, MYRINX est *membrana tympani.*

MYRIOPHYLLUM est *millefolium.* Ex *μυρίος, innumerus, infinitus*, et *φύλλον, folium.* Ge. *Tausendblatt, Schaafgarbe.* B. *Duizend-blad.*

MYRISTICA NUX, i. q. *moschata nux.*

MYRMECIA verrucarum speciem constituunt. Sunt thymio duriora, humilioraque, quae radices altius agunt, maioremque dolorem movent, infra lata, absque petiolo, supra autem tenuia, minus autem sanguinis mittunt. Magnitudine vix unquam lupini modum excedunt. Nascuntur in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. [Myrmecia quomodo ab acrochordone et thymio differant, docet Celsus V. c. 28. „Myrmecia latissimis radicibus inhaerent, ideoque ne excidi quidem sine magna exulceratione possunt.“] A μύρμηξ, *formica*, [μυρμήκιον, *parva formica*]. Ge. *Breite Warzen.* B. *Breede wratten.*

MYROBALANI proprie significant glandes unguentarias, ideoque procul omni dubio veteres medici aliud quid sub hoc nomine intellexerunt. Componitur enim vox ex μύρον, *unguentum*, et βάλανος, *glans*. Quae nobis ex India orientali adferuntur, prunis exoticis annumerari debent, veteribus Graecis incognitae, ab Arabibus primum inventae, suntque *chebulae*, *citrinae*, *belliricae*, *indae*, *emblicae*. *Chebulae* omnium maximae sunt, oblongae, intus nucleum continentes, externe colore fusco. Vocantur *quebolia* et *quebuli*, *cepula*, *chepulae*, maximae, oblongae, angulosae. *Citrinae* externe sunt colore citrino et teretes, oblongae et ventricosae, dicuntur luteae, flavae, citreae. Gr. Ξάνθοι. Arab. *Delegi azfar*, intus nucleum habent. Ipsius arbor folia instar Amygdali habet. *Belliricae* s. *bellericae*, etiam oblongae sunt, cucurbitam referentes, eius arbor folia habet instar lauri. Vocantur etiam *belleregi*, *bellilegi*, *bellegu*. *Indae* sunt oblongae et nigrae, prioribus minores. Folia habent instar Amygdali, vel, ut alii volunt, salicis. Fructus sunt octangulares. *Emblicae* rotundae quidem sunt, sed semper fere in frusta scissae. Folia habent tenuia, in modum fere salicis. Appellantur *emblegi*. *imblegi*, *ambegi*, *de Seni*. Omnes illae species secundum veteres pruni sunt et inter eas censeri debent, quamvis foliis, regione et fructuum figura, maturitate et magnitudine invicem differant. Rectius tamen hodie cognitum est, quatuor quidem myrobalanorum species eiusdem arboris fructus esse, et tantum ratione diversi anni temporis, quo decerpuntur, a se differre: *Emblicas* vero *myrobalanos* in arbore genere et specie diversa nasci, quae est Netticamaram *Rheed.* seu *Phyllanthus emblica* foliis pinnatis floriferis, caule arborea, fructu baccato *Linn.* (Monoec. Triandr.). Qualitatis omnes sunt austerae subadstringentis, et, ut vix forte recte creditur, eccoproticae. Hinc, citrinae praecipue, in diarrhoea commendantur. Datur pulvis ad drachmam dimidiam vel integram. Veteres quasdam compositiones adhuc ingrediuntur; rarior tamen hodie earum usus, et in quibusdam pharmacopoeis plane proscriptus est. Indi hos

fructus etiam ad usum tinctorium adhibent. [De Myrobalanis quae in veterum scriptis occurrunt, diligenter collegit C. Sprengel in *antiqu. botan. p.* 89—103. De Terminalia Clebula Retz. et Terminalia citrina Roxb. proveniunt myrobalani nostrorum pharmacopoliorum, teste Io. Flemming in *Asiat. research.* vol. XI. (quae commentatio in nostram linguam a me translata est in *Neu. Samml. auserl. Abh. f. prakt. Aerzte. Th. I. p.* 317 ss.)]. Ge. *Myrobalanen.* Ga. *Myrobolans.* B. *Welriekende eekel.*

MYRON, i. q. *unguentum.*

MYROPOLA est unguentarius, qui unguenta vendit. Ex *μύρον, unguentum*, et *πωλέω, vendo.* Ge. *Ein Salbenkrämer.* Ga. *Vendeur d'onguents.* A. *A salveseller.* B. *Een zalf-verkooper.*

MYRRHA. [De myrrha cum Blancardus multa commemorare omiserit, quae medicum scire refert, ea h. l. breviter addam. Et arbor quidem, myrrham largiens, nondum satis certo definita est. Forskål eam putavit esse Amyridem kataf. Tria myrrhae genera cognita sunt: 1. *myrrha vera, electa, pinguis* s. *in granis.* Frustula, quibus ad nos adfertur, variae sunt et figurae, et magnitudinis. Haec interdum ad ovi gallinacei volumen accedit. R. Brandes eius chemicam disquisitionem nuperrime suscepit, et in quingentis partibus invenit olei aetherei, iam Neumanno bene cogniti, 13, resinae balsamicae $111\frac{1}{5}$, semiresinae, non nisi in alcohole solubilis, $27\frac{4}{5}$, gummi, cui varia salia composita, e kali et calce, cum acidis benzoico, malico, phosphorico et sulphurico iunctis, adhaerebant $271\frac{2}{2}\frac{4}{5}$, bassorines $46\frac{1}{2}$, phytenmatis cum kali et calce sulphurica et malica 3, malicae acidulae calcis et kali benzoici $\frac{3}{4}$, impuritatum 8. Aliam eiusdem Brandesii analysin Cl. Fechner (*Resultate d. bis jetzt unternomm. Pflanzenanalysen.* p. 216.) exhibet. 2. *Myrrha orientalis,* a Pfaffio primum descripta, frusta offert 2—3 pollices longa, et pollicem 1 crassa, pulvere e fusco albido tecta, diffracta ostendunt superficiem versus mediam eius partem e fusco rubram, transparentem, versus peripheriam sensim obscuriorem, tandem nigram cum pelluciditatis iactura. Sapor huius myrrhae minus amarus, magisque aromaticus, calefaciens est. Chemicae disquisitioni nondum subiecta esse videtur. 3. *Myrrha vulgaris* s. *in sortibus,* quae cum varia gummata, inprimis cerasorum, bdellium al. admixta habeat, omnium vilissima habetur. Vide Excell. Kuntze ad Richardi *med. Bot. II. p.* 968.] Myrrha est resina gummea cuiusdam arboris exoticae, vix satis hucusque cognitae, bacciferae, incolis Pola dictae, quae, cortice vulnerato, myrrham profundit, partim in substratas tegetes destillantem, partim circa caudicem concrescentem. Plurima affertur ex Arabia, tum etiam ex regione Alexim, quae Ae-

thiopia est, et ex regione Troglodytarum Africae. Debet esse friabilis, levis, [Brisson. eius pondus specificum invenit 1, 360.] undiquaque concolor, minutis glebis, amara, acris, odorata et fere graveolens, e rubro fusca et quae confracta, venas unguium modo candidas et leves ostendat, nec aliis peregrinis gummatibus intermixta sit, quae proprie *myrrha electa* et succus primum exstillans *stacte* [(gr. *σταχτὴ*, a *στάζειν, stillare*)] dicitur. Haec maximam partem in menstruis aquosis et spirituosis solvitur, ita tamen, ut menstrua spirituosa omnes fere vires extrahant, quae sunt balsamicae, tonicae, anthelminthicae, antiputredinosae, stomachicae et emmenagogae. Plures antiquas compositiones ingreditur, rariorque hodie internus, magis frequens externus in vulneribus usus est. Prostat in officinis tinctura, extractum aquosum, quod egregium antisepticum est, oleum per deliquium in ovis ad duritiem coctis factum, et interdum oleum destillatum aethereum, ponderosum adeo, ut in aqua fundum petat. Antefertur *myrrha troglodytica,* colore pallescens, seu subviridis, splendens ac mordax. Inutilis est ponderosa et coloris picei, seu nigra. Gr. *Σμύρνα.* Ge. *Myrrhe.* Ga. A. B. *Myrrhe.*

MYRRHIS est planta, ab aliis ad Athamantas, vel ad Sia, vel ad Chaerophylla relata, *Scandix odorata Linn.* cuius caulis altus, ramosus, villosus, intus excavatus: folia sunt magna, ampla, striata, cicutam aquaticam referentia, sed magis albescentia, et saepe maculis albis notata, mollia, parum villosa, coloris et odoris Chaerophylli, et saporis Anisi. Flos rosaceus et umbellatus, (Pentandr. Dygyn.) plurimis scilicet petalis constans inaequalibus, bifidis, in orbem positis, et calyci insidentibus; qui abit in fructum, ex duobus seminibus compositum, oblongis, plerumque striatis, saepe laevibus, aliquando hirsutis, rostri avium aemulis, quae licet hirsuta, semper sunt striis excavata, nigricantia, gratum gustum Anisi praebentia. Radix longa, crassa, alba, mollis, fungosa, aromatica, qualitatis tamen suspectae, licet ei virtutes bechicae et antinephriticae a quibusdam tribuantur. Dicitur et *Cicutaria,* quod Cicutae similis sit. An nomen a myrrha, propter odorem, qui tamen non convenit, habeat, non auderem affirmare. An a *μύρον, unguentum suaveolens.* Ge. *Spanischer,* sive *Myrrhen-,* sive *Anis-,* sive *Welscher Körbel.* Ga. *Cerfeuil musqué* sive *odorant, fougere musquée.* A. *Sweet-scented cicely.* B. *Welriekende kervel.*

MYRTIFORMIS ab *Heistero,* aliisque auctoribus, recensetur inter musculos, qui nasi alas dilatant. Oritur scilicet ab osse maxillari superiori prope marginem inferiorem orbitae, et oblique adscendendo cartilagini nasi inseritur. [Vocatur ab aliis anatomicis *compressor nasi.*] Ge. *Der*

Myrthenförmige Muskel der Nase. Ga. *Le muscle myrtiforme.*

MYRTIFORMES CARUNCULAE, vide *Carunculae myrtiformes.*

MYRTILLUS, vide *Vaccinium.*

MYRTILLUS *Pharm.*, vide *Vaccinium.*

MYRTOCHEILIDES dicuntur extremae pudendi muliebris margines carnosae, quae quoque *alae* appellantur. [A χεῖλος, *labium*, cuius tamen diminutivum χειλὶς, *labiolum*, non extat, et μύρτος, *myrtus.* Krausius quaerit, an hoc nomine praeputium clitoridis insigniri possit.]

MYRTUM, vide *Carunculae myrtiformes.*

MYRTUS et MURTUS est arbuscula semper virens et odora, quae habet caulem ramosum, flexilem. Folia Buxi sunt, sed minora, acutiora, polita, splendentia, odoris grati. Flores ex foliorum alis crescentes, singuli quinque folia in umbellam desinentia habentes, albi, odorati, et calycem incisum continentes. (Icosandr. Monogyn.) Calyx postea fit bacca ovalis, aut oblonga, coronam habens. Haec bacca est viridis, post maturitatem nigra, succulenta, polita, habens semina dura, albescentia, compacta, saporis adstringentis. Haec arbuscula crescit in regionibus calidis. Species apud nos maxime frequens est Myrtus italica communis *Bauh.* *Myrtus communis* floribus solitariis, involucro diphyllo *Linn.* Qualitatis est aromaticae, fragrantis, viribusque calefacientibus et subadstringentibus pollet, hinc decoctum in variis sanguinis et seri profluviis commendatur. Gr. *Μυρσίνη* et *Μυῤῥίνη*, a Myrsine Atheniensi puella, pulchritudine et robore insigni; quae, amica Palladi, in hanc arborem, occisa, conversa fuit. At quibusdam sic dicta, propter aemulam myrrhae quandam odoris gratiam, quae in baccis recentibus observatur. Ge. *Myrtenbaum.* Ga. *Myrte.* A. *Myrtle-tree.* B. *Myrten-boom.*

MYRUS BRABANTICA, vide *Myrica.*

MYSTAX [in vulgari sermone pro μάσταξ,] est labium superius, eiusque primi pili in latcribus excrescentes. [Poll. *onom. II.* 80. *αἱ δὲ ὑπὸ τῇ ῥινὶ τρίχες, μύσταξ, ὑποῤῥίνιον.* Ruf. Eph. p. 27. *ἡ δὲ πρὸς τῷ ἄνω χείλει πρώτη βλάστη προπωγώνιον· αὐξηθεῖσαι δὲ αὗται αἱ τρίχες, μύστακες.*] A μασάομαι, *mando.* Ge. *Der Knebelbart.* Ga. *La moustache.* A. *Whiskers on the upperlip.* B. *Knevel.*

MYSTRUM MAGNUM est antiquorum mensura, continens tres uncias, et octo scrupulos vini, et olei tres uncias.

MYSTRUM PARVUM est mensura antiquorum, continens viginti scrupulos vini, vel sex drachmas olei.

[MYTESIS a Ios. Frank *l. c. Pa. II. vol.* 1. *sect.* 2. *p.* 622. vocatur exulceratio in superficie palpebrarum interna orta. Denominationis rationem nec ipse Frank noverit.]

MYURUS est *pulsus* decurtatus, aut mutilus, inaequalis magnitudinis, scilicet sensim decrescens, vel accrescens instar caudae muris. Ex *μῦς, mus*, vel *μερὶς, pars divisa*, (?) et *οὐρὰ, cauda*.

MYXA est mucus, sive humor pituitosus, ex cavernis, vel sinubus frontalibus, maxillae superioris, ossis sphenoidis, et convolutionibus ossiculorum spongiosorum membrana glandulosa investitis ad nares descendens. Ge. *Rotz, Schleim.* Ga. *Morve, pituite.* A. *Snevel.* B. *Snot.*

MYXA, MYXARIA, vide *Sebesten.*

MYXOSARCOMA tumor est in scroto, apud M. A. *Severinum* descriptus, interne partim carneus, partim ex mucosa pituita concretus, qui ex loco, ubi nascitur, proxime ad sarcocelen referri posse videtur. [A *μύξα, mucus*, et *σάρκωμα, carneus tumor.*]

N.

NO. designat apud medicos numerum, ex. gr. Rec. Iuiubarum N. VI. hoc est, *numero sex.*

NAEVI sunt quaedam maculae nativae, eaeque duplices, protuberantes et planae, quae sunt figura varia et colore diverso. Hae gravidis ex imaginatione falsa, ebrietate, ecstasi etc. evenire creduntur, plerumque tamen saltem ex integumentorum tenuitate et vasculorum cutaneorum singulari dispositione oriuntur. Conf. *Macula matricalis.* [Gr. *σπῖλος* s. *σπίλωμα, macula.*] Ge. *Ein Muttermal, Flecken.* Ga. *Envies, sein.* A. *A mole of the skin, mark in nativity, a mother's mark.* B. *Moeder-vlekken.*

NAKIR describitur a *Schenkio*, quod sit flatus furiosus, qui transit ab uno membro in aliud, cum dolore.

NAPELLUS est diminutivum a Napus, sic dictus, quod Napellus radicem habeat quodammodo tuberosam. Vide *Aconitum.* Ge. *Eisenhütchen, Wolfswurzel, Narrenkappen, Teufelswurzel.* Ga. *Napel.* A. *Wolf-bane.* B. *Wolfs-wortel, munniks-kapjes.*

NAPHA: sic proprie in officinis vocatur aqua destillata ex floribus Aurantiorum, vel etiam flores ipsi.

NAPHTHA est petroleum subtilissimum, levissimum, liquidis omnibus supernatans, flammam attrahens, et metalla ex menstruis suis, in quo soluta sunt, eripiens, seu purissima species petrolei. Vide *Petroleum.* Ge. *Naphtha, Bergbalsam.* — Sed etiam *naphtham* chymici vocant aetherem, seu liquorem natum ex mixtione et destillatione acidi cuiusdam concentrati cum spiritu vini. Hic summe volatilis et penetrans aquae supernatat, nec eam subit: in aëre temperato continuo vapores emittit, et, ut *naphtha nativa*, flammam in vicinia collocatam attrahere videtur. Maxime vulga-

ris est *naphtha vitrioli* et *nitri*, sed etiam ex acido *salis* et *aceti* similis naphtha obtineri potest. [Nunc *naphthae* vocantur fluida, quae e corporibus acidae indolis et bicarbureto hydrogenii (gase oleogenetico) componuntur, et ab aethere sic differunt, ut hic loco acidorum aut aquam, aut si mavis, elementa aquam constituentia contineat. Haud apte igitur se exprimunt, qui de naphtha vitrioli seu sulphurica, aut de naphtha phosphorica et arsenici loquuntur. Nam ne vestigium quidem vitrioli aut sulphurici phosphoricive acidorum, aut arsenici continet. Naphtharum variae species distinguuntur, acidi, quod iis inest, nomine addito, e. c. naphtha acetica, oxalica, hydrochlorica, hydroïodica etc. Parari solent alcohole concentratissimo, quin absoluto etiam, et acido quocunque concentratissimo invicem mixtis, et destillationi subiectis. Miscelae huic plerumque acidum sulphuricum oleosum additur, quo aqua aut partes aquam constituentes alcoholi subtrahantur.]

NAPTA, i. q. *Natta.*

NAPUS est Raparum, vel etiam Brassicae, species. Napus sativa *Bauh.* *Brassica napus,* radice caulescente fusiformi *Linn.* (Tetradyn. Siliquos.) Abunde passim colitur in usum culinarium et oeconomicum. Radici qualitas nutriens, sed flatulenta. Decocto singularis virtus pectoralis et bechica, semini vero in emulsione adhibito vis alexipharmaca et exanthematica tribuitur. — *Napus sylvestris.* Vide *Bunias.* Ge. *Steckrüben.* Ga. *Navet.* A. *Navew, long rapes, turnips, wild navew.* B. *Steek-raap, parysche raap.*

NAPY, vide *Sinapi.*

NARCAPHTHON [non *narcaphtha,* uti Blancard. habet.] est cortex resinosus et fragrans arboris thuriferae, quem Iudaei in Oriente in suffimigiis adhibent, et qui in affectibus pulmonum summopere laudatur. Vide *Thus.* [Diosc. I. c. 22. corticem hunc similem esse ait illi, qui e moro deglubitur, atque suffimentorum inde factorum in uteri obstructionibus efficaciam laudat. Hoc quoque confirmat Paul. Aegin. VII. c. 3. p. 248. qui et in eo cum Dioscoride consentit, quod a nonnullis quoque νάσκαφθον scribatur. Sprengel. ad Diosc. *l. l.* quid sub illo aromate intelligendum sit, se, cum et Jablonskius (*opusc. I. p.* 158.) suam sententiam revocaverit, nescire fatetur.]

NARCISSUS est plantae genus, (Hexandr. Monogyn.) quod folia Porri habet. Caulis est excavatus, striatus, nudus. Flos est liliaceus, spatha oblonga, obtusa, compressa, latere plano dehiscens, marcescens; corolla constat e nectario monophyllo, cylindraceo-infundibuliformi, superne colorato, ore patulo, et petalis sex ovatis, acuminatis, planis, tubo nectarii externe supra basin insertis. Germen abit deinde in fructum oblongum, vel subrotundum, trigonum,

trifariam dehiscentem, in tria loculamenta divisum, seminibusque foetum subrotundis. Radix est bulbosa, extus nigra, intus alba, viscosa, amara. Huius generis plures species ob florum elegantiam et fragrantiam in hortis coluntur. Nomen derivare student a Narcisso, adolescente in florem sui nominis converso, vel quia torporem (qui Gr. *νάρκη* est) nervis incutiat, gravedinemque torpidam; idcirco *Sophocles* ipsum vetus magnorum deorum coronamentum appellavit. Ge. *Narcisse*, *Märzblume*. Ga. *Narcisse*. A. *Daffodil*. B. *Tyloos, pausleli, sporkel-bloemen*. [*Narcissi pseudonarcissi* L. flores, qui in remediorum apparatum referantur, merentur. Antispasmodicas enim possident vires, unde in epilepsia, et frequentissime in tussi convulsiva infantum in usum ducuntur. Sunt et, qui illos contra dysenteriam quoque et febres intermittentes laudent. Recentissimas de florum narcissi huius in medicina usu observationes Lejeune instituit, e quibus patet, ipsos ventriculum et intestina inprimis vomitu atque alvi solutione producta, et fibrarum muscularium irritabilitate aucta afficere. Chemica analysis, a Charpentiero instituta, his floribus resinam, mucum, materiem extractivam, principium scytodepsicum, acidum gallarum, calcem muriaticam et fibram vegetabilem inesse docuit, in qua autem harum partium vis narcotica simulque acris proprie resideat, nondum finitum est. Cons. b. Kummer ad Richardi *medic. Bot. I. p.* 143. sq.]

NARCOSIS est stuporis inductio, ut fit in paralysi, vel ex opio, aliisque stuporem inducentibus. A *ναρκόω, stuporem induco*. Lat. *Torpor, stupor* et *hebetudo sensus motusque*. Gr. *Νάρκη, νάρκημα, νάρκησις, νάρκωσις*. Ge. *Unempfindlichkeit, Betäubung*. Ga. *Assoupissement*. A. *Stupidity*. B. *Verdoving*.

NARCOTICA sunt medicamenta, quae stuporem inducunt, et dolorem sistunt, dum nervorum sensibilitatem et fibrarum muscularium irritabilitatem minuunt et obtundunt. A *ναρκόω, torporem concilio*. Ge. *Schlafmachende, betäubende Mittel*. Ga. *Narcotiques*. B. *Verdovende middelen*.

[**NARCOTICUM PRINCIPIUM** peculiare, quod in omnibus corporibus, quae narcoticam virtutem exserunt, adsit, chemica arte nondum demonstratum est. Si enim opium per narcotinen, amygdalae amarae, nuclei malorum persicorum, cerasorum al. acidi hydrocyanici ope nervis stuporem inducunt, in succo Atropae belladonnae materies quaedam peculiaris crystallisata eiusdem virtutis reperitur, in aliis autem plantis narcoticis, v. c. in succo hyoscyami, solani, ledi palustris, seminibus Daturae stramonii etc. nondum partem constitutivam, cui vis illa nervorum sensibilitatem obtundens adhaereat, detectam esse, monuit Iohnius (*chem. Lex. III. p.* 95.).]

[NARCOTINE, quae et *opiane* dicitur, est pars quaedam peculiaris opii, a Desrosneo detecta, et ex opio, aquae frigidae ope extracto, paratur aethere affuso. Is narcotinen, acido cuidam, fortasse acetico, nuptam, oleum pingue, caoutchouc et materiem animali-vegetabilem solvit: aetheris tribus e quatuor partibus destillatione detractis crusta salina et fuscum, amarum, acidumque fluidum remanet. Hoc evaporato, residuum aqua fervente extrahitur, et ex hac solutione narcotine per ammoniacam praecipitatur. Crusta salina, oleo terebinthinae rectificato calidoque ab adhaerentibus impuritatibus liberata, alcohole frigido abluitur, dein eodem fervente solvitur, indeque narcotine per ammoniacam deiicitur. Utraque narcotines copia acido muriatico parumper calido solvitur, et per ammoniacam additam praecipitatur. Composita est narcotine pura e carbonii 68,88, nitrogenii 7,21, hydrogenii 5,91, et oxygenii 18,00. Morphium et narcotinen diversimode corpus animale afficere, ex allatis a Fechnero (*Result. d. Pflanzenanalys. p.* 199. sq.) colligi potest.]

NARDUS, Gr. etiam *νάρδος*, et *ναρδοστάχυς*, a Nardo, urbe Syriaca, Euphrati contermina, nomen accepisse, multorum est opinio. Aliis *ναρδοστάχυς*, quam inter aromata *Dioscorides* recensuit. Duplex eius species prostat in officinis. Vide sequ.

NARDUS CELTICA, vide *Spica celtica.*

NARDUS INDICA, sive SPICA INDICA est substantia quaedam constans e fibris plurimis sibi cohaerentibus, non tamen implexis, et extremitate altera corpori subrotundo densiori adhaerentibus, digiti circiter longitudine et crassitie. Hinc ob similitudinem spica dicta. Id corpus est capitulum radicis plantae in India orientali passim crescentis, quae est Gramen cyperoides aromaticum indicum *Breyn.* Calamus odoratus *Matthioli. Andropogon nardus* paniculae racemis supradecompositis proliferis *Linn.* vel etiam *Andropogon schoenanthus,* paniculae spicis coniugatis ovato-oblongis, rhachi pubescente, flosculis sessilibus, arista tortuosa *Linn.* (Pol. Mon.) Fibrae hae non sunt nisi costae et nervi foliolorum exsiccatorum et detritorum superstites radici adhaerentes. Qualitatis Spica indica est fragrantis et aromaticae, odoris grati ad Cyperum accedentis, saporis amaricantis. Tribuitur ei virtus cordialis, alexiteria, stomachica, carminativa et anthelminthica. Rarior eius hodie apud nos usus est. Veteres plures ingreditur compositiones. Apud Indos frequenter in usum culinarium, ad condiendos cibos, adhibetur. Eiusdem speciei videtur *Nardus Narbonensis*, in Gallia australi proveniens, sed omni odore et sapore aromatico destituta. [Nardi duo genera descripsit Diosc. I. c. 6. quorum alterum Nardi syriacae, alterum indicae nomine insigniri re-

fert. Ad hunc locum Sprengel declarat, se tricenario studio in eam sententiam adductum fuisse, ut Nardos veterum pro Valerianae speciebus habeat, quarum praestantissima sit Valeriana Iatamansi Iones s. Nardus indica. Nardum *syriacam* putat esse Patriniam scabiosaefoliam Fisch. *montanam* autem Valerianam Hardwickii Wallich. denique *sampharitícam* nomen habere a Saphar, regia oppidi arabici, qua e portu sinus arabici extremi eatur. Ναρδουστάχυος nomen in Dioscoride non occurrit, uti Blancardus voluit.] Ge. *Indische Spikenarde.* Ga. *Spica-nard, nard indien.* A. *Indian spikenard.* B. *Spikenard van Indien.*

NARES s. *Nares externae*, Gr. μυκτῆρες, sunt partes concavae nasi utrimque positae, septo distinctae, quae interius investiuntur membrana valde sensili, mucosa, seu pituitaria, et meatum praebent excrementis mucosis. Ge. *Die Nasenlöcher.* Ga. *Narines.* A. *The nostrils.* B. *Neus-gaten.*

NARES INTERNAE vocatur nasus internus. Ge. *Die innere Nasenhöhle.* Ga. *La cavité du nez.*

NASA, i. q. *Natta.*

NASALIA, i. q. *Errhina.*

NASCALIA sunt globuli, ex eadem substantia, qua pessaria formantur, quae matricis cervici immittuntur. Distinguuntur a *pesso* et *pessario*, quod *nascale* sit penicillus in nodi effigiem mollissimus, ex cotonis, vel lanae flocculo etc. qui imbuitur vel succo idoneo, vel unguento convenienti, qualis etiam in ulceribus faucium a chirurgis adhibetur. [In *Gloss. man. ad script. med. et inf. lat. to. IV. p.* 801. e Matth. Sylvatico, qui primus hac voce usus fuisse videtur, refertur, *nascale* esse, quod matrici imponatur, simile suppositorio; *pessarium* vero simile clysteri.] Ge. *Mutterzäpfchen.* Ga. *Pinceau.* B. *Moeder-zetsel.*

NASITAS, PSELLISMUS NASITAS est illud vitium in tono vocis, quod accidit ex narium obstructione, ita ut, qui naso vulgo loqui dicuntur, illi sint praecise, qui naso non loquuntur, sed apud quos deficit voci ille resonitus, qui ab aëre nares subeunte pendet, et qui harmoniam voci conciliat: illa vero narium obstructio pendet a diversis causis *Sauv.* Ge. *Durch die Nase reden.* Ga. *Naziller.*

NASTURTIUM: hoc nomine variae saepe denotantur plantae, et ipso genere inter se diversae, quarum species passim in usum medicum adhibentur. — *Nasturtium hortense Pharm.* Nasturtium hortense vulgatum *Bauh.* est *Lepidium sativum* floribus tetradynamiis, foliis oblongis multifidis *Linn.* (Tetradynam. Siliculos.) Ge. *Gartenkresse.* Ga. *Cresson de jardin, cresson alenois, passerage.* A. *Garden-kresse.* B. *Tuin kers, sterke-kers.* Est planta, quae habet caules ramosos, rotundos, solidos. Folia oblonga, profunde incisa, saporis acris, sed grati. Flores in summitate ramorum cres-

centes sunt exigui, quadrifidi, cruciformes, coloris albi, vel purpurei. Post florem succedit fructus ovalis, compressus, divisus perpendiculariter respectu valvularum in duo loculamenta, continentia semina obrotunda, parva, oblonga, sublutea, aliquantulum compressa, in cacumen pallidum desinentia, saporis acris, amaricantis. Radix fibrosa, simplex, lignosa, alba. Haec planta annua est, et in hortis colitur. Gaudet viribus resolventibus, diureticis, mundificantibus et antiscorbuticis; acetariis commode additur. Semini longe acrior qualitas inest, hinc electuariis admixtum eximias vires exserit. — — *Nasturtium aquaticum Pharm.* Nasturtium aquaticum supinum *Bauh. Sysimbrium nasturtium*, siliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis subcordatis *Linn.* (Tetradyn. Siliquos.) Ge. *Brunnenkresse.* Ga. *Cresson de fontaine.* A. *Water-kress.* B. *Water-kers.* Hoc frequenter apud nos circa rivulos fontesque proveniens pariter est planta flore tetrapetalo cruciformi, sed a priori distincta siliqua longa tereti. Qualitatis, ut praecedens, acris, volatilis, per coctionem et exsiccationen exspirantis, virtutisque eximiae antiscorbuticae est, hinc plerumque succus recenter expressus ad plures uncias propinatur. Prostat tamen in officinis syrupus, spiritus et aqua destillata. — *Nasturtium indicum Pharm.* Cardamindum *Tournef.* Acriviola *Ludw.* Viola inodora scandens, Nasturtii sapore, maxima, odorata *Herm. Tropaeolum maius*, foliis peltatis subquinquelobis, petalis obtusis *Linn.* Ge. *Indianische Kresse, die grosse Kapuzinerblume.* Ga. *La grande capucine.* A. *The great indian kress.* B. *Indiaansche kers, groote spaansche kers.* Planta haec et ordine et genere a Nasturtiis diversa est. Flos enim est pentapetalus anomalus, (Octandr. Monogyn.) fructusque constat e baccis tribus, solidiusculis, hinc convexis, sulcato striatis, inde angulatis, foetis semine eiusdem figurae. Planta ex America adlata nunc ubertim in hortis nostris colitur. Sapore, qualitate et viribus cum Nasturtiis convenit. Sed et flores in acetariis maniacis datos insigne saepe tulisse levamen constat. Nasturtii nomen forte venit a nascendo, quod cito crescat. Alii autem appellari volunt a naribus torquendis, quod odore et seminis acrimonia sternutamenta provocet. Vide *Cardamon.* Gr. *Κάϱδαμον.* Ge. *Kresse.* Ga. *Cresson.* A. *Kresse.* B. *Kers, starkost.*

NASUS est media faciei prominentia. Estque *externus*, vel *internus.* Intus constat ex duabus cavitatibus, nares dictis, ossibus, cartilaginibus. *Externus* habet partem superiorem immobilem, et continet radicem, dorsum, spinam, et inferiorem magis mobilem: dividiturque in *globulos, alas*, et *pinnas* etc. *Internus, s. nares internae*, varias habet latebras, ductusque anfractuosos, ac sinus et ossa turbinata, membrana pituitaria et expansione nervorum paris primi ve-

stita, quibus odorifera effluvia recipiuntur et retinentur. Estque odoratus et commodae loquelae instrumentum. — *Nasus* pro diversa conformatione varia accepit nomina, dicitur parvus, simus, aquilinus, acutus, magnus etc. Gr. *Ῥὶς* et [minus bona, recentioribus usitata forma] *ῥὶν*. Ge. *Die Nase*. Ga. *Les nez*. A. *The nose*. B. *De neus*.

NATA, i. q. *Natta*.

NATES sunt utrinque partes quasi hemisphaericae, inferiori et posteriori parti trunci corporis adhaerentes, exteriori et posteriori ossium innominatorum superficiei adnexae, quibus in sedendo sustinemur. Constant e glutaeis, musculis scilicet insignibus, femur extendentibus, plurimo adipe interiecto tectis. Homini prae omnibus quadrupedibus nates sunt maximi voluminis. Gr. *Γλουτοὶ*. Ge. *Die Hinterbacken*. Ga. *Les fesses*. A. *The hipps, sive buttocks*. B. *Billen, aars-billen*.

NATES CEREBRI sunt duae prominentiae orbiculares, post nervorum opticorum thalamos, quae superiori caudicis medullaris parti in utroque latere adhaerent, et cum duabus prominentiis paulo minoribus, et inferioribus, quas testes vocant, *eminentias* illas *quadrigeminas*, ut aptius nunc dicuntur, constituunt, quibus *glandula pinealis* superiacet. *Nates* veteres scriptores dixerunt, quasi posterius positus spectator in imum dorsum hominis stantis respiceret. Non tamen desunt, qui inverso sensu vocis testes dixerint. *Hall.* In homine hae eminentiae minores sunt, in brutis vero maiores. Gr. *Γλουτοὶ*. [Ruf. Ephes. l. c. p. 32. *πυγαὶ, τὰ μετὰ τὴν ὀσφὺν σαρκώδη, — ἐφ᾽ ὧν καθίζομεν· ἄλλοι δὲ γλουτοὺς καλοῦσι.*] Ge. *Die hintern runden Erhabenheiten im Gehirn*. Ga. *Les nates*. A. *The buttocks of the brain*. B. *De herssenbillen*.

NATIVA *medicamenta* vocantur, quae natura suppeditat sine ullo artis adminiculo.

[**NATRIUM**. Vide *Natronium*.]

NATRON, ANATRON, *Nitrum antiquorum*, *Aphronitrum*, *Baurach* est substantia, quae abunde in aqua oceani, ut et in quibusdam aquis mineralibus continetur, et proprie basin salis communis constituit. Reperitur passim in oriente sub forma salis flocculenti in superficie terrae et ad parietes cavernarum, minus tamen tunc purum est, sed variis aliis salibus inquinatum. In universum autem alcali minerale easdem quidem in genere, quam alcali vegetabile, proprietates habet, ea tamen differentia, quod mitius sit, minusque acre, aqua solutum per evaporationem in crystallos quasi exiguas abeat, non penitus in aëre deliquescat, sed potius in pulverem fatiscat, cum acido vitriolico mixtum sal medium, seu *mirabile Glauberi*, constituat, facile in aqua solubile, in igne fusile, cum acido nitri crystallos cubicas, s. *nitrum cu-*

bicum, cum acido salis communis verum *sal commune*, et cum tartaro sal formet facile in crystallos abiens, quod *sal Ruppellense*, seu *de Seignette*, vocatur. Hanc esse substantiam veteribus non incognitam, de qua sermo est Ierem. II., 22. Malach. III., 2. Proverb. XXV, 20. non immerito putatur, cum et adhucdum in Oriente ad lotionem adhibeatur. Usus quoque eius vitriarius passim est. Singularia adhuc circa hanc substantiam eximiorum detexit chymicorum solertia, tum ad generationem salium in genere, tum ad usum medicum, pertinentia. Vide *Alkali minerale*. [Hoc nomine vulgo *natrum carbonicum* insignitur, sive illud e natro, quod e terra, hoc sale divite, efflorescit, per elixivationem et depurationem eductum, sive e combustis variis fuci, salsolae similiumque ad maris litora crescentium plantarum speciebus, sive e resolutione natri sulphurici (salis Glauberi) paratum fuerit.] Ge. *Mineralisches Alkali*. Ga. *Natron*.

[NATRONIUM est basis metallica, in natro a Davyo 1807. detecta. Eius color albus est, splendor metallicus admodum vividus, in communi aëris temperatura ceream duritiem, et pondus specificum = 0, 973. habet, et a calore, ad aquae ebullitionem necessario funditur, ab eoque, ad maximam intensitatem aucto, sine ulla naturae suae immutatione in vapores abit. *Synon.* Sodium, Natrium.]

NATTA est tumor magnus et mollis, sine dolore et colore, in dorso praecipue excrescens, quandoque tamen in humero et aliis partibus erumpens, musculis irradicatus, ex tenui quidem radice pendens, ita tamen incrementum sumens, ut aliquot libras pendeat, et melonis, vel cucurbitae, magnitudinem aequet: eius substantia est vel adiposa, vel pulposa, ideoque vel ad steatomata, vel ad sarcomata referri debet. [Swediaur *l. c. II. p.* 567. observat, ad steatomata pertinere tumores etiam saccatos maioris minorisque voluminis, sive molles, sive renitentes, sub cute in fronte prope supercilia, vel etiam in cervice aut parte capillata capitis oriundos, ab auctoribus sub *talpae* aut *testudinis* nomine descriptos.] Ge. *Eine Speckgeschwulst*. Ga. *Stéatome, sarcome*. A. *Steatoma*. B. *Een spek-gezwel, wen.*

NATURA, Graece *Φύσις*, dicta a *φύω*, *gigno, produco*. Huius vocis in medicina auctor est *Hippocrates*, qua voluit, prout ex eius scriptis colligendum, *complexum omnium partium, tam solidarum, quam fluidarum, corpus animale constituentium simul sumtarum, in suo motu, vel quiete, prout bene se habent*. Unde non est ens distinctum et singulare a corpore, verum ipsum corpus, sive omne illud, quod in quolibet homine perfecto, simulac natus est, invenitur ita ipsi connexum, ut partem eius aliquam constituat. Verum prout vocibus variae attribui solent significationes, hinc postea sumta fuit pro Deo ipso, ac pro omnibus quoque eius operi-

bus. A physicis pro illa in corporibus conditione accipitur, qua sola posita ponitur corpus, qua sublata tollitur, vel etiam pro complexu omnium legum corporibus a Creatore praescriptarum, vel virium corporibus inditarum. Interdum etiam sumitur pro nascendi vi, ideoque partes genitales utriusque sexus appellarunt *naturam*. Ge. *Die Natur*. Ga. A. *Nature*. B. *Natuur*.

NATURALE saepe idem denotat, quod *nativum*. Medicis vero praecipue id *naturale* dicitur, quod secundum naturam, scilicet statum sanum, est, hicque status vocatur *naturalis*, et opponitur morboso, qui *praeternaturalis* dicitur. Vide *Res*.

NATURALES FACULTATES, NATURALES ACTIONES sunt in corpore animali actiones illae, quae faciunt, ut heterogenea alimenta assumta fiant iterum pars corporis animalis, seu eius naturae, sicque eius natura conservetur. Dum enim corpus perpetuo deteritur per suum motum, requiritur, ut detritum restituatur: id vero fieri nequit, nisi assumantur, quae nondum sunt illud corpus animale, hoc est, heterogenea. Quaecunque igitur actiones in corpore mutant illa heterogenea, ita ut abeant in corpus ipsum, vocantur *facultates naturales*. Sunt igitur hae actiones masticationis, digestionis et concoctionis ciborum in ventriculo et intestinis; concoctorum per lactea et ductum thoracicum in sanguinem delatorum, in corde et pulmonibus compressio, attritus, mutatio, applicatio in locum partium detritarum, secretio et excretio superfluorum etc. Ge. *Natürliche Verrichtungen*. Ga. *Les facultés*, ou *fonctions naturelles*. A. *The natural faculties*, *functions*. B. *De natuurlyke werking*.

NAVICULARE OS dicitur et *σκαφοειδὲς*, et *cymbiforme*, est tertium os tarsi in utroque pede, retrorsum cum osse calcaneo, antrorsum cum tribus ossibus cuneiformibus, connexum. Sic dicitur a forma convexo-concava. *Winslovius* et *Monrous* hoc nomen etiam dant ossi maximo carpi, quod inter os multangulare maius et extremitatem radii situm est, parvaque eminentia et cavitate conspicuum. Ge. *Das Schiffgleiche Beinchen der Handwurzel*. Ga. *Os naviculaire*. A. *Shiplike-bone*. B. *Het scheep beentje*.

NAUSEA, Gr. *ναυτία*, est fastidii species et ad vomitum conatus, qui aut subsequitur, aut non, labiis inferioribus tremore actis, et plerumque humore ex ore fluente, ac fibris muscularibus oesophagi, ventriculi, intestinorum incipientibus motu peristaltico inverso agitari, et musculis abdominis, praecipue rectis, sese valide constringentibus. Est etiam nausea non infrequens, quae a vomitu peracto aliquamdiu remanet. Nausea insuper secum trahit fastidium cibi, potus et medicamentorum; quae tanta saepe est, ut ne quidem de-

glutitio fieri possit, quia, stomachi orificio constricto, cibi, vel potus, interiora versus descendere nequeant. Tandem uti vomitus, sic nausea cum multis morbis complicatur, et iis evenit saepius, qui in mari, aut aquis agitatis a vento, peregrinantur. Sumitur et pro *anorexia,* sive omni ciborum fastidio et aversatione. Ge. *Der Ekel.* Ga. *Degout, nausée.* A. *Sickness, disgust, nauseousness.* B. *Walging, quaalykheid.*

NEAPOLITANUS MORBUS idem est, quam *lues venerea.* Sic autem dicitur, quia, ut ferunt, milites Hispani, circa finem saeculi decimi quinti ex America tum detecta noviter advenientes, hoc morbo contaminati, a *Ferdinando,* Hispaniae rege, Neapolitanis ab exercitu *Caroli VIII.* Galliarum regis, obsessis auxilio missi, incolas huius urbis infecerunt, a quibus demum id malum gallicis copiis communicatum, sicque per reliquas regiones propagatum est. Negant tamen alii hanc originem luis.

NEBULA est morbus oculi, quando tunica cornea incrassatur, aut per natam maculam subpellucidam eius pelluciditas ita mutatur, ut aeger omnia quasi per nebulam videat. Ge. *Fleck im Auge.* Ga. *Taye.*

[**NECROSCOPIA**, a Gr. *νεκρὸς, mortuus,* et *σκοπέω, contemplor,* est cadaveris, dissectione praegressa, rimatio atque contemplatio. Ge. *Leichenöffnung.*]

NECROSIS est sugillatio alicuius partis, cum subsequente plerumque illius partis destructione. Vide *gangraena.* — Sed exactius vocatur *necrosis* morbus chronicus, in quo artus, ut pedes manusve, post stuporem et dolorem, ut plurimum sine tumore, arescunt, exsiccantur et sensu motuque amissis, sponte ut plurimum a corpore secedunt. Qualem morbum ex esu secalis cornuti nonnunquam oriri observatores asserunt. *Sauv.* Ge. *Der trockne Brand.* Ga. *Le feu St. Antoine, la gangrène seche, le mal des ardens.* A *νεκρόω, morte afficio.*

NECTAR est potus deorum, ut *ambrosia* cibus. — — Medicis autem olim dicebatur potus medicamentosus, colore, gustu et odoratu gratissimus. Ge. *Göttertrank.* Ga. *Nectar.*

NECTARIUM botanicis dicitur pars mellifera, floribus propria, vel petalis inserta, vel a corolla et ceteris partibus distincta, succum melleum continens, nutritioni forte partium fructificationis destinatum, quemque avide apes ad mellificium exsugunt. [*The nectary, honey cup.* B. *Honigbakje.* Ga. *Le nectar, le miellier.* Ge. *Das Honiggefäss.*]

NEFRENS, id est, *dentibus carens*, sive in infantia, sive in senectute. Sic dicuntur, quia duriora dentibus frangere non possunt. Ge. *Zahnlos, der nicht beissen kann.* Ga. *Edenté.* A. *Toothless.* B. *Tandeloos.*

NELUMBO, i. q. *faba Aegyptiaca.*

NEMOMENA, vide *nomas.*

NENUPHAR est *nymphaea,* seu *nenufar.* Est vox barbarica. Vide *nymphaea.*

NEOGALA est lac recens, quod illico *colostrum* sequitur. Ex *νέον*, *novum, recens*, et *γάλα, lac.* [Videtur tamen compositio vocis contra analogiam facta esse. Eae enim voces, cum *νέος* compositae, quarum quam plurimae inveniuntur, semper adiectiva formant, ut *νεόδαρτος, νεογενὴς, νεόπλουτος.*]

NEPA, vide *genista.*

NEPENTHES est laudanum opiatum, medicamentum vere laudatum. Huiusmodi compositio passim prostat, constans ex opio, croco, ligno aloës, croco solis et ambra grisea. *Theod. Zwingerus* primum illud ita appellari censuit. *Nepenthes* latine dicitur, quasi nullus luctus. Ob summos et admirabiles, quos exserit, effectus laudani nomen ei a *Theophrasto Paracelso* datum est. *Nepenthes* remedium *Helenae* fuisse dicitur, quo omnes e corde languores et aegritudines sustulerit et hilaritatem lactitiamque induxerit. Legitur apud *Homerum* Od. δ. vs. 221. *φάρμακον νεπενθὲς*, remedium tristitiam animo eximens. [D'Anse de Villoison putat Homerum per illud intellexisse opium Orientalium. Vide Pt. Senensem (la Seine) *de Homeri Nepenthe* in Gronov. Thes. antiqu. graec. Vol. XI. p. 1364 ss.] Dicitur autem a *νὴ* priv. et *πένθος, luctus.*

NEPENTHES est planta Indiae orientalis, (Gynandr. Tetrandr.) flore apetalo, capsula oblonga, quadriloculari, quadrivalvi, polysperma. Planta mirabilis destillatoria *Grim.* Utricularia vegetabilis Zeylanensium *Pluk.* Bandura Zeylanica in extremo foliorum folliculum peniformem expansum habens. *Burm.* [Nepenthes destillatoria (Monocc. Monadelph.), fol. sessilibus, ascidiis cylindraceis, flor. paniculatis. Eius ascidia tantae sunt capacitatis, ut sex eorum aut octo quantitatem liquoris sufficientem ad sitim hominis adulti restinguendam contineant. B. *Kandraager.* Ga. *Nepenthe, plante destillante.* Ge. *Der Kannenträger, der Destillirschlauch.*]

NEPETA, vulgo *cattaria,* aliis *calamintha,* est planta flore monopetalo ringente, (Didynam. Gymnosperm.) galea bipartita, barba tripartita. Species frequenter in Europae ruderatis proveniens, aut etiam in hortis culta, est mentha cataria vulgaris maior *Bauh.* *Nepeta cataria* floribus spicatis, verticillis subpedicellatis, foliis petiolatis cordatis, dentato-serratis *Linn.* Qualitatis est subaromaticae, hircosae et amarae. Magna scatet olei aetherei quantitate et virtute antihysterica, pellente, cephalica et anthelminthica gaudet. In insessu vehementer laudatur. Felibus an grata, an exosa, quippe quam effodere atque destruere vehementer amant? Etymologiam deducere quidam conantur a na-

pus, ex *νὲ, non,* et *ποῦς, pes,* quasi pedibus carens, sed non convenit cum re. Forte *nepeta* derivatur a Belgico idiomate *nepte,* seu *nipte,* ut *cattaria* a *katte-kruid.* Ge. *Katzennepte, Katzenmünze.* Ga. *Herbe aux chats.* A. *Nip, nep, catmint.* B. *Katte-kruid, neppe, nippe, nepte.*

NEPHELAE sunt tenues oculorum albedines. Vide *nebula.* — Item nubeculae medio urinae innatantes. Vide *Enaeorema.* Dicuntur etiam ita maculae albae, quae in unguium superficie nubecularum speciem repraesentant. Gr. *Νεφέλη* et *νέφος, nubes, nebula.* Ge. *Eine Wolke.* Ga. *Ombrage, nuage.* A. *Clouds.* B. *Eene wolk.*

[**NEPHRALGIA**, a *νεφρὸς, ren,* et *ἀλγέω, doleo,* est dolor fixus in regione renum et ureterum, ut plurimum vel in latere alterutro, vel, quod rarius, in utroque, sine inflammatione. A. *Pain in the kidneys.* Ga. *Douleurs aux reins, colique rénale.* Ge. *Nierenschmerz.*]

NEPHRITES est prima vertebra lumbaris. [Poll. II. 179. *ὁ πρῶτος σφόνδυλος ἐκαλεῖτο νεφρίτης.*] Ge. *Das erste Lendenwirbelbein.* Ga. *La premiere vertébre des lombes.*

NEPHRITICA sunt medicamenta, renum morbos auferentia. A *νεφρὸς, ren.* [Usitatior pluralis est numerus. Lexicographi volunt vocem derivari a *νεῦρον,* sed verisimiliorem habent sententiam eorum, qui eam per literarum transpositionem a *φρὴν,* gen. *φρενὸς,* deducendam esse putant.]

NEPHRITICUM LIGNUM dicitur *Santalum caeruleum.* Crassum est et enode, durum, ex flavo pallidum, saporis subacris et amaricantis. Arbor est Moringa Zeylonica, foliorum pinnis pinnatis *Burm. Guilandina Moringa* inermis, foliis subbipinnatis, foliolis inferioribus ternatis *Linn.* (Decandr. Monogyn.) flore pentapetalo, legumine rhomboideo, ventricoso-compresso, uniloculari, dissepimentis transversalibus distincto. Crescit in utraque India, unde id lignum ad nos adfertur. Infusum eius viribus quidem eximiis diureticis gaudet, de vere lithontripticis tamen, quas nonnulli extollunt, non immerito dubitatur. Rarior eius hodie in medicina usus est, sed eo frequentior in experimentis opticis, dum singulari qualitate huius ligni infusum, quod caeruleo colore imbutum est, pro vario oculi inspicientis positu colorem mutat. [Lignum nephriticum alii arbori novae Hispaniae deberi, recentiores docuere observationes, sed arbor, unde desumitur, nondum certo definita est.] Ge. *Griessholz, blauer Sandal,* [*Behenbaum, Oelnussbaum aus Ceylon.*] Ga. *Bois nephrétique,* [*le ben oléifère* Encycl.]. A. *Nephritick wood, the smooth bonduc.* B. *Nier-hout, kellerboom.*

NEPHRITICUS DOLOR, vide *nephritis.*

NEPHRITICUS est, qui renum morbo laborat.

NEPHRITICUS LAPIS est opacus et variegatus, ex colore viridi aliisque permistus. Raro hic lapis in se duos co-

lores habet, semperque viriditatem ex albedine refert, alias viriditatem subflavam; interdum subcaeruleam; plerumque ex viridi albo, flavo, caeruleo nigroque colore mixtio est. Poliri exacte non potest: semper enim ipsius superficies pinguis apparet, quasi oleo inuncta fuisset. A quibusdam ad silices refertur, cum tanta sit duritie, ut chalybe percussus scintillas excitet, quod de orientali valet: ab aliis ad gypsum vel talcum. Occidentalis est gypsum viride semipellucidum fissile *Wall.* *Talcum nephriticum* praepoliendum, viride subdiaphanum particulis subfibrosis *Linn.* Cum lapide serpentino et steatite convenit. Adfertur ex India occidentali: in nonnullis etiam Hispaniae locis, in Saxonia et in Bohemia reperitur, quorum tamen ille semipellucidus, hic opacus est. Vis nephritica, unde nomen gerit, valde dubia et suspecta est, nisi forte menstruis acidis solutus aliquid praestare possit. Tanta invenitur mole, ut pocula inde fieri possint. Ge. *Nierenstein.* Ga. *La pierre nephrétique, jade.* A. *Nephritickstone.* B. *Graveel steen.*

NEPHRITIS, seu **AFFECTIO NEPHRITICA** et **NEPHRITICUS DOLOR** est dolor ardens pungensque in lumborum regione, ubi renes siti sunt, nempe ad latera spinae in sinistra, vel dextra parte. Hic si oritur ab inflammatione renum, abscessu, calculo, febrem inflammatoriam continuam comitem habent; quod si vero absque febre inflammatoria fit, proprie *nephralgia* vocatur. Nonnunquam a convulsione partium istarum, vel rheumatismo quoque, observatur. Dolor in initio obscurus, sed mox acerbissimus et sine remissione, usque dum totus intereat: plerumque stupet alterum crus in illo latere, in quo dolor et testiculus retrahitur. Urina saepe est flammea, ubi autem valde urget malum, est aquosa, sed ubi summum, aliquando supprimitur. Vomitus nunquam non adest et maximus quidem, cum inexplicabili nausea, anxietate et inquietudine. Saepe etiam dolor ad inguina, aut alterum inguen, exporrigitur, descendens quasi a lumbis, iuxta situm ureteris. A νεφρὸς, *ren.* Ge. *Nierenentzündung.* Ga. *Inflammation des reins.* A. *Inflammation of the kidneys.*

NEPHROS [graecum νεφρὸς,] est *ren,* utrimque in abdomine, sed extra cavum peritonaei, in huius superficie externa cellulosa, unus, qui circa lumbos sub hepate et liene situs est. Figura est instar phaseoli, substantia eius ex innumeris canaliculis exiguis circinatis constat, seu productionibus et ramificationibus arteriarum emulgentium, quae tandem in *tubulos* tenuissimos desinunt, qui *urinarii* vocantur, in octo ad duodecim papillas collectos et in pelvim hiantes, ut sic urina a sanguine secreta per pelvim, ureteres et vesicam foras eliminetur. Ge. *Nieren.* Ga. *Rein, roigneon.* A. *Rein, kidney.* B. *Nier.*

NEPHROTOMIA, seu renum sectio, quando calculosi,

vel ulcere affecti sunt. De hac quidem renum in regione lumbari incisione ad educendos calculos renalcs passim post *Hippocratem* dictum est, merito tamen, num unquam felici cum eventu instituta sit, dubitatur. Secus se res cum abscessibus in renes usque penetrantibus habet, qui interdum sat feliciter inciduntur et calculi eximuntur. [A graeco *νεφρὸς* et *τομὴ*, *sectio.*] Ge. *Der Nierenschnitt.* Ga. *Nephrotomie.* A. *Nephrotomy.* B. *Steen-snyding uit de nier.*

NERION, NERIUM est arbuscula, visui grata, laurum fere referens. Folia sunt oblonga, crassa, dura. Flores sunt pulcherrimi, magni, rosis similes, coloris rubri, vel albi, monopetali, infundibuliformes, multifidi, (Pentandr. Monogyn.) Fructus est teres, fere cylindricus, compositus ex duabus thecis per maturitatem a se invicem abscedentibus, semina coronata pappo, imbricatim posita, placentae adnata, continentibus. Radix polita, lignosa, longa. Arbor proprie exotica est, in regionibus calidis nascens: apud nos tamen passim in hortis et hybernaculis colitur et servatur. Qualitas suspecta est: foliorum enim decoctum et hominibus et animalibus perniciosum dicitur. Folia contusa morsui animalium venenatorum imponuntur. Siccata sternutatorium remedium suppeditant. Species huius generis est etiam *nerium antidysentericum Linn.* ex quo *cortex profluvii*, s. *conessi*, s. *tellicherry*, s. *codaga-pala*, obtinetur. [Vires eximias erga diarrhoeam et dysenteriam, quam Iussieu multis laudibus extollebat, recentiora experimenta non confirmarunt. Pulvis corticis cum syrupo corticum aurantiorum in electuarii formam redactus propinari solebat.] *Nerium* vulgare etiam dicitur *rhododendron* et *rhododaphne.* Sic appellari videtur, quod circa amnes crescat. *Νηρὸς* enim est *humidus. Rhodophnen* autem Gr. dixerunt a rosae floribus et lauri foliis, Barb. *Oleander*, forte quod eius folia sint instar oleae, sed multo maiora. Ge. *Lorbeerrosen*, *Oleander.* Ga. *Laurier-rose.* A. *Oleander*, *rosebay.* B. *Roze-laurier*, *oleander.*

NERONICA, vel **NERONIANA VENAESECTIO** vocatur, quando plures venae uno eodemque die aperiuntur.

NERVALIA OSSA, i. q. *Sincipitis ossa.*

NERVINA sunt medicamenta, quae adversus nervorum morbos in usu sunt, aut eos roborant. Ge. *Nervenstärkende Mittel.* Ga. *Remèdes pour les nerfs.* A. *Remedy for the nerves.* B. *Zenuw-middelen.*

NERVOSA FEBRIS, vide *Neurodes.*

NERVOSAE PARTES: ita veteres non nervos solum, sed et omnes partes molles albas et tendineas vocabant, ut tendines, aponeuroses, ligamenta, quae res variorum in chirurgia errorum causa fuit.

NERVUS, NERVI sunt propagines e tenuissimis filamentis constantes substantiae medullaris cerebri et cerebelli, sci-

licet medullae oblongatae et spinalis, tunicis suis, seu vaginis involutae, altera vasculosa, seu productione piae meningis, altera densiore a producta dura meninge seu potius tela cellulosa stipata, quae inde, in innumerabiles ramos distributae, tum ad omnes musculos, tum ad omnia fere puncta corporis feruntur et praecipue sensibus et motibus inserviunt, per motum materiae subtilissimae in cerebro secretae, quae *fluidum nerveum* dicitur, quippe cuius motu intercepto perit, aut turbatur, nervorum actio. *Sensorii* dicuntur *nervi* solum ad sensoria organa accedentes, ut par olfactorium, par opticum, portio mollis paris septimi. *Motorii*, quorum filamenta quoque musculis intexuntur, cum reliquae productiones etiam sensui praesint. Intra cranium a medulla oblongata novem paria nervorum originem sumunt, ut nervus olfactorius, opticus, oculorum motorius, patheticus, gustatorius, quia ramos dat linguae, eiusque musculis, vel trigeminus, ob tres maiores ramos, in quos dividitur, timidus, seu abducens, auditorius, par vagum, et linguae motorius, vel potius gustatorius. Intra cranium septem duntaxat paria veteres agnoscebant, quae hoc disticho continentur:

Optica prima; oculos movet altera; tertia gustat,
Quartaque; quinta audit; vaga sexta est; septima linguae.

Infra vero cranium triginta et unum paria numerantur; nempe octo ex colli lateribus, intra quos primum par nervus infra-occipitalis est, quem olim nervis capitis adnumerabant, duodecim ex medulla spinali in dorso, quinque ex lumbis, et sex ex osse sacro. Nervi omnes infra cranium oriuntur a medulla spinali, qui utrinque per lateralia vertebrarum foramina, seu potius per canales formatos ex concursu duarum incisurarum ad corpora vertebrarum sibi superiacentium, artubus et ventribus destinantur, et inde ad omnia quasi puncta corporis distribuuntur. — Nervus, tendo et ligamentum male olim a chirurgis veteribus confundebantur. Vide *Nervosae partes*. Gr. *Νεῦρον*. Ge. *Ein Nerve*. Ga. *Nerf*. A. *A nerve*. B. *Een zenuw*. — In phytologia haec vox denotat praelongum et continuum filamentum, folia perreptans, hinc etiam botanicis *folia* dicuntur *nervosa*, vasis simplicissimis, a basi ad apicem extensis, instructa.

[NEURILEMA a Reilio (*de struct. nervor.* fasc. I. Hal. 1796. p. 1.) male formata vox est. Cum enim voces *tunica nervosa* et *nervea* obliquum ipsi sensum, quasi haec tunica e materia nervea conficiatur, subministrare viderentur, potius graecis vocabulis *neurilemate* et *neurhymene* uti voluit. Sed in hac nova vocis formatione graviter lapsus est Reilius. Nam *τὸ νεῦρον* in compositione o nunquam commutavit cum i. Dein *lema, λῆμα, animi praesentiam,* minime autem *vagi-*

nam, tunicam denotat. Neque λῆμμα huc quadrat, quippe quod *id, quod accipitur, lucrum* significat. Quamobrem in *Opusc. acad.* to. II. p. 264. demonstravi, vocem νευρό λεμμα esse scribendam. Nam λέμμα est cortex exterior. Erot. per ἐπιδερματὶς exponit: et sic quoque apud Theophr. *h. pl. IV. c.* 12. *p.* 156. et saepius apud Dioscoridem occurrit.]

NEURITICA, i. q. *neurotica.* [Vitiose tamen.]

NEUROCHONDRODES est ligamenti genus, partim latum, partim rotundum, duritie medium inter cartilaginem et ligamentum, quale est in articulo ossis calcanei cum astragalo et vicinis partibus, et in intimo sinu ossis coxendicis, quod femoris capiti inseritur, seu proprie ligamentum articulorum rotundum, vel teres: sic dictum est, quod veteres ligamenta, tendines et nervos eodem nomine denotarent. A νεῦρον et χονδρώδης, *cartilagini similis.*

NEURODES, FEBRIS NERVOSA est species febris continuae, magis, vel minus chronicae, plerumque admodum periculosae, cum calore et urina sanorum similibus, pulsuque quoad robur non maiori, cum universali tamen, ut a magno exercitio, lassitudine, sopore, animi abiectione, capitis dolore gravativo, vertiginoso, et omnium functionum languida perturbatione, absque ullo visceris laesi signo. Sic vocatur, quod praecipue a turbato fluidi nervei in organa influxu, hincque omnium actionum languore, oriatur. A Graecis medicis hanc febrem βληχρὸν καὶ ξηρὸν πυρετὸν vocari, et necessario ab *asthenopyra,* et a *febre hectica* differre monet Swediaur *syst. morb.* I. p. 46. qui huic febri *neuropyrae* nomen impertit.] Ge. *Ein Nervenfieber.* Ga. *Fièvre nerveuse.* A. *Nervous-fever.*

NEUROLOGIA est scientiae anatomicae pars, seu nervorum descriptio, agens de eorum origine, fine, fabrica et usu. Ex *νεῦρον, nervus*, et *λέγω, narro, describo.* Ge. *Beschreibung der Nerven.* Ga. *Neurologie.* B. *Beschryving der zenuwen.*

NEURON, i. q. *nervus.*

[**NEUROSIS**, a Gr. νευρόω, *nervos intendo, firmo,* appellata est a Cullenio morborum classis, vel ex irritabilitate fibrarum muscularium, vel e sensibilitate nervorum aut sensorii communis aucta imminutave ortorum.]

[**NEUROSTHENIA** est nervorum nimia potentia, qua corpus a levissimis stimulis praeter modum afficitur. Est igitur ea corporis animalis conditio, quam vulgo nomine prorsus contrario insignire medici solent. Ge. *Nervenschwäche.*]

NEUROTICA sunt medicamenta, nervorum mala auferentia. Vide *Nervina.*

NEUROTOMIA est anatomica nervorum evolutio et prac-

paratio. Item nervorum punctura. Ex *νεῦρον*, *nervus*, et *τέμνω*, *seco*.

NEUROTOMUS est, qui nervos scite et eleganter evolvit. Ex *νεῦρον*, *nervus*, et *τέμνω*, *seco*.

NEUTHA dicitur pellicula, quae in initio meatus auditorii auribus foetus accrescit, ne tympanum in utero nimis ab aqua allabente emolliatur, aut ne auditus neonatorum nimis percellatur, quaeque post partum successu temporis cum reliqua cuticula decidere solet. Ex cuticula et mucoso cerumine constat, et cum totum meatum auditorium intus obducat, digitabulum quasi refert. Nonnunquam etiam similis pellicula oculis accrescit, totamque faciem obtegit. [Vox barbarica, a Paracelso conficta.]

NEUTRUM dicitur de salibus, quae componuntur ex acido et alcalino, ea ratione simul unitis, ut unum prae altero non praedominetur. Vide *Sal.*

NICOTIANA, seu **TABACUM** est planta, quae habet caulem rotundum, medulla alba repletum, villosum, digiti crassitiei. Folia sunt ampla, aliquantulum acuta, nervosa, sine petiolo, integra, succulenta, viscida et attrectatione manus inficientia, saporis acris, aut urentis. Flores monopetali sunt, infundibuliformes, eorumque inferior pars tubum refert, superne in quinque lacinias dividuntur, coloris purpurei, (Pentandr. Monogyn.) Post florem sequitur fructus membranaceus, oblongus, in duas partes divisus, multa semina exigua et rubicunda habens. Radix est fibrosa, alba, saporis acris. Tota planta habet odorem penetrantem, et qualitatem virosam, narcoticam, drasticam, satisque acrem. Praeter picam, qua nostris temporibus usus foliorum variis additamentis maceratorum et tritorum naribusque exceptorum, vel incensorum fumus haustus invaluit, pluribusque pro habitu corporis, aut usu tempestivo, vel prodest, vel obest, etiam in medicina haec planta interdum adhibetur. Extractum ad grana duo in asthmate humido, vix tamen satis tuto, commendatur. Decoctum in clystere datum soporosos vehementer irritat. Fumus herbae accensae commodo apparatu in intestina pulsus pertinacissimam in passione iliaca obstructionem solvit, atque ut validissimum excitans in strangulatis et submersis, lethargo etc. commendatur. Folia contusa ulcera sordida abstergunt, et omnia insecta enecant; in scabie et tinca laudantur. Sed et resorptionem succi, vel olei, summopere nocuisse compertum est. Vulgaris species est *Nicotiana tabacum* foliis lanceolato-ovatis sessilibus decurrentibus, floribus acutis. Crescit sponte in America, sed et ibidem atque in Europa et Asia abunde nunc colitur. Nomen obtinuit a *Joanne Nicotio*, Regis Galliae consiliario, cuius beneficio Gallis primum anno 1560 innotuit, quam Ulysipone, dum legati munere fungeretur, a Belga e Florida,

Americae provincia allatam, accepit. Unde sensim et in alias regiones translata iam passim abunde colitur, et in usum quotidianum magis, quam medicum, adhibetur. Eius variae sunt species, ut *Nicotiana maior,* vel *Nicotiana tabacum Linn. Nicotiana militaris,* vel *glutinosa Linn.* etc. *Nicotiana minor,* foliis scilicet ovatis petiolatis, seu *rustica,* prioribus qualitate et viribus longe inferior est. Vide *Tabacum.*

NICTATIO vocatur, quando palpebrae collabi coguntur, ut oculi vix aperti retineri possint; quod somnolentis familiare est, et interdum quoque in morbis evenit. Vel etiam quando palpebrae, aut consuetudine, aut irritatione quadam, vel iusto plus, vel iusto frequentius constringuntur. [Gr. βλεφαρισμὸς, a βλεφαρίζω, *crebro conniveo.* Benedictus (*Augenkrankh.* III. p. 67.) hanc palpebrarum conditionem *nictitationem* vocat, quo frequentativo lingua latina caret.] Ge. *Das Blinzen der Augen.* Ga. *Le clignotement.* B. *Blikoogen.*

NIDOR dicitur odor foetens, et redolens partes animalis ambustas.

NIDOROSA DYSPEPSIA, NIDOROSI RUCTUS ova putrida redolentes. Vide *Dyspepsia.* Ge. *Aufstossen des Magens.* Ga. *Reproches nidoreuses.*

NIDUS, i. q. *focus.*

NIGELLA, seu **MELANTHIUM** est planta, (Polyandr. Pentagyn.) quae habet caules tenues, excavatos. Folia mediocriter lata, viridia, minutim incisa, capillacea, calyx nullus. Flores sunt polypetali, rosacei, in medio corona eleganti reflexa, scilicet nectariis octo bilabiatis ornati. Flori succedit capsula membranacea, in quinque loculos distributa, semina angulosa, nigra, vel flava, odoris aromatici, saporis subacris, continens. Haec planta ex Creta et Aegypto ad nos translata, nunc tum in hortis colitur, tum ubertim inter segetes provenit. Qualitas fragrans, acris tamen et subvenenata est. Semen, quod tamen non nisi probe exsiccatum adhibendum est, decoctum virtute errhina, sialagoga, emmenagoga, lactifera et anthelminthica pollet. Est etiam species Nigellae, quae est N. angustifolia, flore maiore simplici caeruleo *Bauh. Nigella Damascena,* floribus involucro folioso cinctis *Linn.* quae quoque inter segetes Europae australis habitat. Semen qualitatis est subaromaticae, eiusque usus passim culinaris est. Ga. *Mille-épices, toutes-épices.* — — *Papaver nigrum* nonnullis dicitur a nigro seminis colore, inde derivatur *Gith.* Ge. *Schwarzkümmel.* Ga. *Nielle.* A. *Gith, fennel-flower.* B. *Nardus, nigelle, zwarte komyn, bloempjes in 't hair, juffertje in 't groen.*

NIGRUM HISPANICUM ex cortice suberis combusto ad pictorium usum praeparatur. Ga. *Noir d'Espagne.*

NIHIL ALBUM, i. q. *Pompholyx.*

NINSI, NISI, vel **NINZIN** vide *Gensing.* — *Ninsi radix* proprie ex *Sio Ninsi Linn.* est, quod in Chinae montibus sponte crescit.

[**NIRLUS** est morbi cutanei nomen, cum zona similitudinem habentis. Vid. Batt in Harlesii *Journ. d. ausländ. Litter.* V. 2. p. 208.]

NITIDUM botanici dicunt *folium* glabritie lucente.

NITRUM sive *sal terrae*, *nitrum nativum humosum Linn.* Nitrum terra mineralisatum *Waller.* est sal medium, formans crystallos prismaticas, sexangulares et utrinque, instar pyramidis duplicatae, acuminatas, saporis acris, penetrantis et singularem frigoris sensum linguae imprimentis, in aquae frigidissimae octuplo, tepidae triplo et bullientis subtriplo sui ponderis solubile; in igne aperto leni crepitatione scintillans et deflagrans, in clauso facile fusile, corporibus inflammabilibus additum in igne detonans, et in sal alcali, quod *nitrum fixum* vocatur, abiens atque post solutionem evaporatum nullam cuticulam formans. Constat ex principio alcalino animalis, vel vegetabilis prosapiae, et ex acido, quod pro proprio habetur, et *nitrosum* dicitur, cui scilicet inflammabile aliquid coniunctum est, forte eiusdem animalis, aut vegetabilis originis, hinc etiam in parietibus cavernarum, aut latrinarum, interdum effiorescit. Frequentissime vero apud nos e terris his principiis impraegnatis, affusa aqua et addita calce viva, aut alia quadam basi alcalina, coctione et evaporatione extrahitur. Verum cum omni nitro adhuc portio quaedam salis muriatici adhaereat, hinc ubi purius requiritur, ab hoc, solutione repetita, filtratione, evaporatione et denique crystallisatione depurandum est. Purissimum *nitrum* est *indicum*, post hoc *russicum*, et denique nostras. Prius num purum sit naturae, an vero artis productum, vix satis constat; rarissime tamen ad nos defertur. Praeter usum chymicum, oeconomicum, mechanicum et pyrotechnicum amplissimus quoque et fere quotidianus nitri usus in re medica est. Gaudet enim viribus incidentibus, resolventibus, abstergentibus, aperitivis, diureticis, et praecipue singulari virtute temperante, refrigerante et antaphrodisiaca; hinc praestantissimum est remedium in febribus quibusvis tam continuis, quam intermittentibus, si saltem lentas et hecticas, et malignas, in quibus nimia iam humorum dissolutio adest, quodammodo exceperis, nec minus in inflammationibus, haemorrhagiis exorbitantibus, adfectibus calidis, arthriticis atque rheumaticis, fervore et ebullitione nimia bilis et sanguinis, doloribus aliisque adfectibus spasmodicis et convulsivis a sanguinis congestione, orgasmo, aut stagnatione oriundis. Datur nitrum purum in substantia, vel in pulveribus et decoctis, vel emulsionibus, a tribus gra-

nis interdum ad scrupulum unum; et gargarismatibus summo cum fructu additur. Prostant in officinis varia e nitro arte chymica praeparata, ut *spiritus acidus* et *dulcificatus*, *lapis prunellae, nitrum fixum*, eiusque *liquor, nitrum antimoniatum, nitrum flammans*, vel *volatile*, in spiritu vini solubile, etc. quae pro diversa indole et mixtione diversis viribus pollent. E mixtione eiusdem portionis spiritus vini generatur *naphta nitri*, seu liquor aethereus ad superficiem adscendens, inde separandus, et destillatione cum liquore lixivioso facta separandus, singularibus virtutibus gaudens. Acidum nitri cum alcali minerali in salem concrescit, nitro, praeter figuram crystallorum, quae cubos refert, perfecte similem, qui *nitrum cubicum* dicitur. Nomen nitri derivari videtur *παρὰ τὸ νίζειν*, et *τὸ νίπτειν*, quod abluendi purgandique habeat facultatem. [Nitrum seu natrum veterum quid fuerit, exposuit Vir Doct: in Jen. Allgem. L. Z. No. 238. 1829. p. 444. sq.] Ge. *Salpeter, Salniter.* Ga. *Salpêtre*, seu *nitre.* A. *Salt peter, salt of niter.* B. *Salpeter.* — Nitrum chymicis dicitur *cerberus, sal infernalis, Hermes, baurach, algali, sal anderonae, anatron, cabalatar* etc. Basilio *serpens terrenus.*

NIXUS fit, dum sub valida inspiratione diaphragma deprimitur, simul vero abdominis musculi, ut in exspiratione, contrahuntur. Hinc valida compressio viscerum infimi ventris oritur, et contenta, ut faeces, foetus sub partu etc. exprimuntur. — *Nixus parturientium* sunt idem, quod dolores, seu conatus parturientium.

NOCTAMBULO, seu **NOCTAMBULUS** aut rectius *somnambulus*, est morbus e somno profundo, insomniis gravibus, et motu corporis compositus, seu hallucinatio dormientium, qua se vigilare, et varia sibi peragenda esse putant; adeo ut hic status sit proximus quidem vigiliis, sed ut somnambuli plane excitati nesciant, quae perpetrarint, unde somnum non adesse dicendum foret, nisi oculi clausi essent, et sensus externi omnes aboliti. Somnambuli vero aliquos musculorum motus cient, surgunt, incedunt, stant, aut alia quaedam agunt, nonnulli ad vitae munia accedunt, et id aggrediuntur, quod vigiles non auderent. Gr. *Νυκτοβάτης*, et *ὑπνοβάτης.* Ge. *Ein Nachtwandler, Mondsüchtiger.* Ga. *Noctambule, promeneur de nuit.* A. *A person that walks in his sleep.* B. *Nacht-wandelaar.*

NODOSUM dicitur de certa *arthritidis* specie, quando materia tophacea articulis digitorum pedum manuumque impacta et coagmentata post varios arthritidis paroxysmos, efficit, ut distorqueantur, cutis aperiatur, et pereunte motu membrum incurvetur, exque ipsis tumoribus duris materia tophacea, seu calcarea prodeat. Inveteratam vixque sanabilem indicat arthritidem, iamque, *Ovidio* testante, *solvere nodosam nescit medicina podagram.* — Dicitur quoque de ra-

dicibus. Vocatur *radix nodosa*, quoties oriundus ex eius latere stolo et longe lateque horizontaliter sub terra discurrens hinc inde nodos format, ita ut singuli nodi radices emittant, et gemmam contineant novac plantae producendae idoneam, ut in Gramine canino repente, et Solano vesicario, sive Alkekengi officinarum, aliisque pluribus plantis quotidianum est observare. Similc quid in Fragaria, sed supra terram, contingit, quae longa hinc inde quasi brachia extendens plantas nodulis inclusas gerit, quae, ubi terram apprehendunt, radices emittunt, et matre non indigent. Hinc patet, stolonem, licet ex radice prodeat, immcrito pro radicis parte haberi. Pleraeque autem tales plantac sunt annuae, et cum caulc radix pcrit.

NODULUS, NODUS, Gr. *Κροκυφάντιον* est sacculus linteus, medicamentis morbo convenientibus impletus, qui in cantharo aquae, cerevisiae, aut vini, pleno inditur, digeritur, vel decoquitur, cuius tinctura aegris propinatur. Ge. *Säckchen.* Ga. *Sachet.* A. *Bag.* B. *Zakje.*

NODUS cst productio recentis sobolis ex fibris ligneis et tracheis ortae, ut exterius in nova folia et plantae surculum, scu gemmam, compingatur. Ge. *Ein Auge in Gewächsen.* Ga. *Bourgeon.*

NODUS, i. q. *ganglion* et *nodulus.* Quibusdam etiam *nodus* idem est, quam *exostosis,* scilicet tumor ossium, vel minorum totalis, vel maiorum partialis.

NOLI ME TANGERE, vide *Impatiens herba.*

NOLI ME TANGERE est spccies cancri in facie, in quo praesertim supra mentum, circa os et nasum oritur tumor, vel ulcus, exulcerati cancri speciem gerens, lente in initio crescens, quasi pustula parva, scnsim autem partcs vicinas depascens. Vix medelam admittit, et nomen gcrit, quod quavis fere medicatione exasperetur. Ge. *Der Krebs, der fressende Wurm.* Ga. *Le loup, chancre.* A. *The wolf, cancer.* B. *De uret.*

NOMAS et **NOME** est ulcus putridum et depascens, in glandulosis oris partibus, cum erosione et saepe carie; a scorbutica corporis temperie plerumque ortum. A *νέμω, depasco:* unde apud *Herodotum νέμω νεκρὸν, depasco cadaver.* [Male Blancardo *nomas* synonymon est *nomes.* Nomas enim est is, qui in pascuis degit. Sic Galen. *de simpl. rem. facult.* X. c. 25. p. 302. to. XII. *τῇ κόπρῳ τῶν νομάδων περιστερῶν,* has enim Galenus, uti expressis verbis ait, a domesticis distinguit.] — *Nemomena* sunt, quae excrescentem carnem exedunt. Ge. *Ein böses, oder um sich fressendes Geschwür, Mundkrebs, Mundfäule.* Ga. *Ulcère malin.* A. *Putrid ulcer.* B. *Kwaad-zweer, water-kanker, stinkende kanker des monds, ineetende zweeren.*

NOSOCOMIUM est domus publica, seu hospitium com-

mune, in quo pauperes aegri recipiuntur, decumbunt et curantur. Ex *νόσος, morbus*, et *κομέω, curam gero.* — *Nosocomia* est aegrorum curatio. Ge. *Ein Siechhaus, Hospital, Krankenhaus.* Ga. *Hopital.* A. *Hospital.* B. *Een gasthuis, zieken-huis.*

NOSOLOGIA, idem quod *pathologia.* Ab aliis tamen exactius *nosologia* tantum pro parte pathologiae, scilicet pro definitione et enumeratione morborum sumitur, sicque ab *aetiologia,* quae de causis, et a *symptomatologia*, quae de effectibus morborum agit, distinguitur. A *νόσος, morbus,* et *λόγος, doctrina.*

NOSTALGIA est genus morositatis, quo peregrini ad parentes et patriam suam reverti tam intense cupiunt, ut, reditu denegato, moerore, agrypnia, anorexia aliisque gravibus symptomatibus divexentur et saepe iis tandem conficiantur. [A Gr. *νόστος, reditus*, et *ἄλγος, tristitia.* Est igitur *νοσταλγία* tristitia, a reditus in patriam desiderio denegato orta.] Ge. *Das Heimweh.* Ga. *Maladie du pais.*

NOSTOC, seu **NOSTOCH** est species musci, vel lichenis membranosi, *Tremella nostoc* plicata undulata *Linn.* (Cryptog. Alg.) Tremella terrestris, sinuosa, pinguis et fugax *Dill.* substantiae apparenter unctuosae, vel gelatinosae, coloris viridis, parum transparentis, saporis nullius: tempore aestivo in hortis et pratis post pluvias incredibili et quasi momentanea celeritate abunde proveniens, at brevi post exsiccata disparens. Hinc etiam *müscus fugitivus* vocatur. Foliola scilicet plantae sub forma granorum convoluta non apparent, nisi aqua turgeant. Mira de eo alchymici referunt, et primum principium omnium vegetabilium et coeli florem, aut folium, vocant. Nomen *Nostoch* a *Paracelso* datum est. Aqua stillatitia huius musci externe applicata summum esse remedium anodynum, et cancros, pessimaque ulcera sanare dicitur. Pariterque pulvis, ad duo, vel tria grana sumtus, externum incrementum capillorum, ut ferunt, accelerat. [A. *The jelly tremella, witches butter.* Ga. *Nostoc, mousse membraneuse, fleur du ciel.* Ge. *Erdgallerte, Erdblume, Himmelsblume.*]

[**NOSTOMANIA** est insaniae forma, quae ex desiderio in patriam ad suos redeundi haud expleto oritur. A Gr. *νόστος, reditus*, et *μανία, insania.*]

NOTAE MATERNAE, i. q. *naevus.*

NOTALGIA: ita vocantur dolores dorsi. A *νῶτος, tergum,* et *ἄλγος, dolor.* Ge. *Rückenschmerzen.* Conf. *notus.*

[**NOTENCEPHALUS** a Geoffroy St. Hilaire (vid. *coccycephalus*) appellata est ea capitis monstrosa conformatio, qua cerebri maxima pars per superiorem ossis occipitis partem et foramen occipitale prolapsa, suisque membranis inclusa, sub herniae cerebralis forma dorso ita imposita reperitur,

ut cum illo non concreta sit. A *νῶτος*, *dorsum*, et *ἐγκέφαλος*, *cerebrum*.]

NOTHAE COSTAE sunt costae quinque (in utroque latere) inferiores *spuriae* dictae, sensim magnitudine decrescentes. Sic vocantur, quia non, ut aliae costae, cum sterno cohaerent, sed superiores tantum tres inter se et cum ultima costa vera per substantiam cartilagineam connexae, inferiores duae extremitate anteriori partibus musculosis infixae sunt, quo liberior sic earum motus, thoracisque inferioris extensio sit. Ge. *Die kurzen*, oder *falschen Rippen*. Ga. *Fausses côtes*. A. *The bastard ribbs*. B. *The bastaard-ribben*. — *Morbi* etiam *nothi* dicuntur, qui ordinariam et regularem normam excedunt, ut febres tertianae, quartanae et quotidianae nothae: pleuritis notha, variolae nothae etc.

NOTUS, (gr. *νῶτος*,) est tergum, sive dorsum, quod est posterior thoracis pars. Hinc *notalgia* est morbus, cuius praecipuum symptoma est dolor dorsi, a quacunque demum causa oriens. Ge. *Der Rücken*. Ga. *Le dos*. A. *The back*. B. *De rug*.

NOVACULA est culter chirurgicus, absque cuspide, acie acutissima, tergo admodum crasso, cuius forma et magnitudo propter diversimodam operationem variat. *Culter tonsorius Cic.* Gr. *Ξύρον*, *ξύρος*, *ξυστὴρ*, *μαχαιρὶς*, *Ammonio*, *Μάχαιρα κουρικὴ* eadem licentia a *Plutarcho* in *Dione* dicitur, qua *culter tonsorius* a *Cicerone*, siquidem tondendo ratio novaculae aliena est: aliud enim est *ξυρεῖσθαι*, *radi*, aliud *κειρεῖσθαι*, *tonderi*. Ge. *Ein Scheermesser*. Ga. *Un rasoir*. A. *A razor*. B. *Een scheermes*.

NUBECULAE sunt particulae leves, se mutuo, laxo amplexu comprehendentes, urinaeque innatantes. Vide *Enaeorema*. Gr. *Νεφέλιον*. Ge. *Wölkchen*. A. *Petits nuages*. A. *Small*, or *little clouds*. B. *Wolkjes*. — Aliquando vox usurpatur de albis oculorum maculis, quae Graecis *leucomata* dicuntur. Vide *Nephelae*.

NUBES, vide *Nubeculae*, et *Enaeorema*.

NUCAMENTA idem sunt, quod *Juli*, seu *flores amentacei*. Ge. *Kätzchen an den Bäumen*. Ga. *Châtons*. B. *Kattestaartjes*, *bloessem van een nooteboom*.

NUCHA est posterior pars colli, cervix dicta, in qua setacea excitantur. Ge. *Der Nacken*. Ga. *La nuque*. A. *The nape of the neck*. B. *De nek*, *nek-put*.

NUCIOSITAS, i. q. *myopia*. [E quonam barbaro fonte Blancardus hanc vocem hauserit, equidem invenire haud potui.]

NUCISTA, vide *Moschata nux*.

NUCLEUS, NUCLEI sunt instrumenta chirurgica, formam dimidiatae iuglandis habentia, ex argento, cupro, vel cornu, confecta, in medio foramine parvo pertusa, quae

strabonibus ante oculos ligantur, ut assuescant per medium foraminulum videndo oculorum aciem et axin visus recto dirigere. — Item est semen nucibus, vel fructibus inclusum.

NUDUS botanicis dicitur *caulis* foliis et squamis destitutus, vel *folia* et *pedunculi* setis et pilis carentes, vel *verticillus* aut *racemus*, involucris, aut bracteis, destitutus.

NUMERO non solum fructus et semina mensurantur, sed et animantium partes, ut vitelli. Vulgo sic notatur, *No:* vel *Num.*

NUMMULARIA est species *Lysimachiae*, scilicet Lysimachia humifusa *Tournef. Lysimachia nummularia* foliis subcordatis, floribus solitariis, caule repente *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Habet caulem tenuem, longum, repentem, ramosum. Folia sunt circinnatae fere rotunditatis, ex adverso caulis repentia, viridia, saporis adstringentis. Flos monopetalus est, rotatus, multifidus, arcte cauli adnatus. Huic flori succedit capsula, vel testa rotundà, per maturitatem dissiliens, habens semina minima. Radix est parva. Haec planta crescit in locis humidis. Qualitatis est subacidae et subacris, viribusque saponaceis, subadstringentibus et vulnerariis gaudet; hinc in menorrhagia, leucorrhoea vulneribusque internis vel succus expressus, vel infusum, insigni cum fructu adhiberi potest. Sic dicitur à foliorum rotundorum figura, nummulum referente. Ge. *Wiesengeld*, *Pfennigkraut, Egelkraut.* Ga. *Herbe aux écus*, *nummulaire, lysimaque monoyère, l'herbe à cent maladies.* A. *Monneywort, the creeping loose-strife, the herb two-pence.* A. *Pennigkruid.*

NUPTIAE PLANTARUM botanicis sunt illa actio, qua insperso polline masculino ex antheris in stigma foemininum germen foecundatur, sicque fructificatione facta species plantarum propagantur. *Publicae* sunt nuptiae, si flores unicuique visibiles sint, *clandestinae* vero, (Cryptogamia) si flores oculis nostris nudis vix conspiciantur.

NUTANS botanicis dicitur *caulis*, aut *pedunculus*, apice extrorsum reflexus.

NUTRIMENTUM multis idem, quod *alimentum.* Aliis vero placet hoc nomen tantum dare alimentis, postquam eousque a corpore nostro sunt mutata, ut fluidis nostris restituendis et solidis reparandis sint idonea. Ge. *Nahrungsmittel.* B. *Voedzel.*

NUTRITIO est actio corporis, qua continuum substantiae corporeae defluxum alimentis idoneis restauramus. — Item species quaedam est incrassationis, aut potius augmentationis, uti videre est in conficiendo unguento nutrito, in Aloë, aliisque rebus. Ge. *Das Gedeihen, Ernährung.* Ga. *Nu-*

trition. A. *Nourishing, nutrition.* B. *Voeding.* Vide *Alitura.*

NUX est species doloris capitis, quae magnitudine nucis sentitur; sicut *ovum, clavus,* aliaeque species. — Fructus item quosdam denotat, cortice lapideo nucleum occludentes, suis sub nominibus quaerendos. Ge. *Nuss.* Ga. *Noix.* A. *Nut.* B. *Noot.*

NUX INDICA, vide *Moschata nux.*

NUX MALDIVICA, vide *Maldivica nux.*

NUX VOMICA, vide *Vomica nux.*

NUX UNGUENTARIA, i. q. *Balanus myrepsica.*

NYCHTHEMERUM est tempus, denotans spatium viginti quatuor horarum. Ex *νὺξ, nox,* et *ἡμέρα, dies.* Ge. *Ein Tag und Nacht, vier und zwanzig Stunden lang.* B. *Een etmaal.*

NYCTALOPIA, AMBLYOPIA MERIDIANA est affectus oculorum, quo aeger in luce magna non potest videre, noctu vero, vel circa vesperam melius. Oritur ab incipiente cataracta in medio pupillae, vel si nimis sensilis fuerit retina et nervus opticus, vel si pupilla nimis dilatata sit. [In universum magna solet in scriptoribus ophthalmiatricis in denominando utroque visus vitio confusio locum habere, longeque melius foret, aliam denominandi rationem adhibere.] Ex *νὺξ, nox,* et *ὄπτομαι, video.* Ge. *Tagblindheit, Hühnerblindheit.* Ga. *Nyctalopie, vuë de hibou.* [Invenio in Gehleri *Physik. Wörterb.* Ed. nov. IV. 2. p. 1415. hoc nomen francogallicum dari hemeralopiae.] A. *Cad-eyed, day-blind.* B. *Katzen-oogen, dagblindheid.*

NYMPHAE sunt plicae duae cutaneae in pudendo muliebri e revolutione integumentorum natae, utrinque una, praeputio clitoridis continuae, indeque ad latus urethrae plus, vel minus descendentes, interiori labiorum lateri iunctae, papillis nerveis atque glandulis sebaceis refertae, et urinae ex urethra effluentis directioni, vel vaginae in partu dilatationi inservientes. Graec. *νύμφη, μύρτον, κλειτορὶς, ἐπιδεῤῥὶς, κέρκωσις,* ubi increverit. Item *Cavum inferioris labri.* — — *Nympha* tamen etiam ab artis medicae principibus, *Paulo, Oribasio,* et *Aetio,* sumitur pro clitoride, nec illam confundunt cum alis, quae a veteribus Graecis distinguebantur, et *πτερυγώματα, μυρτοχεῖλαι,* et ab *Euryphonte κρημνοὶ* vocabantur, et vocum abusu *nymphae* dictae fuerunt. Vide *Oestrum Veneris.* Ge. *Die Nymphen, Wasserlefzen.* Ga. *Les nymphes, le clitoris.*

NYMPHAEA, seu **NENUPHAR**, Nymphaea maior alba, vel lutea *Bauh.* *Nymphaea alba* foliis cordatis integerrimis, calyce quadrifido *Linn.* (Polyandr. Monogyn.) est planta, quae habet folia magna, ampla, orbiculata, crassa, carnosa, fungosa et superficiei aquae innatantia. Caules sunt crassi,

fungosi, rotundi, rubicundi, teneri, succulenti. Flores sunt rosacei, polypetali, coloris albi, vel lutei, sine odore. Calyx tetra- vel pentaphyllus. Post florem sequitur fructus obrotundus, carnosus, angustatus, apice coronatus, in plurimos loculos divisus, qui loculi continent semina nigricantia, splendentia et oblonga. Radix est longa, crassa, in cortice nodos habens, foris ex fusco flavescens, intus pallida, fungosa, levis, carnosa, succum viscosum continens, quae in fundo fluminum, vel stagnorum, crescit: saporisque est adstringentis, austeri, odoris nullius. Plantae huic insignis virtus refrigerans, demulcens atque anodyna tribuitur; hinc praecipue radix decoctis contra nephritidem, dysuriam et gonorrhoeam a nonnullis additur. Recentis qualitas acris et vesicatoria dicitur; sed in caritate annonae absque noxa ad panificium adhibitam esse lego. Prostat praeter radicem in officinis conserva florum, syrupus, aqua et oleum infusum. — — *Nymphaea lutea officin.* cum priori viribus convenit. Barbarica voce nomen sibi vindicasse videtur, quod aquosa amet loca: vel, ut ex veteribus aliqui fabulati sunt, a Nympha, quae zelotypia *Herculis* intabuit, et mortua in palustrem hanc plantam mutata est. Ge. *Seeblumen, Wasserlilien.* Ge. *Nenuphar.* A. *Water-lilly.* B. *Plompen, water-rozen, meer-bladeren.*

NYMPHOMANIA, i. q. *furor uterinus.*

NYMPHOTOMIA est nympharum excisio, quarum nimia protuberantia in nupturis virginibus sponsus copula quandoque frustratur, aut saltem difficulter admittitur; earum excisio *Aegyptiis* frequens erat, et *circumcisio muliebris* vocabatur. Hoc etiam nomine denotatur operatio chirurgica, qua clitoris iusto longior truncatur. Ex *νύμφη, nympha,* seu ala, et *τέμνω, seco.*

NYSTAGMUS est vel palpebrarum, vel bulbi oculi, immo iridis, seu uveae, alternus motus rapidus et continuus, vel oculorum instabilitas. *Hippocrati* idem fere denotat, ac *coma vigil.* [*Epid. VI. sect.* 4. *aph.* 15. *p.* 604. A gr. *νυστάζω, nicto.* Locus Hipp. *epid. VII. p.* 651. *to. III.* ed. Lips. *ὀφθαλμοὶ πλέοντες ὥσπερ τῶν νυσταζόντων* a Foësio in *Oecon.* explicatur per oculos tremulos et assidue se moventes, quales sunt prae somnolentia dormiturientium.] Ga. *La souris.*

O.

O simplex chymicis *alumen* denotat, verum si triplex fuerit, in basi nempe duo, et in superficie unum, ⁰₀₀ *Oleum* significat. Si diametrum habeat, a dextris ad sinistrum latus, *sal* denotat ⊖; verum a superiori ad infimam partem, *nitrum* ⦶ erit; in superiori parte si aderit crux, *antimo-*

nium ♁, sed si in infima parte, *cuprum* ♀, significabit; in superiori parte semilunula recumbens dorso, et in infima parte crux, *mercurii* erit signum ☿; e vertice ad basin linea, et a dextris crux, *vitriolum* ⦶+ ⊕ denotat. Si habeat transversim telum ♂, *Mars*, sive ferrum, aut chalybs est; si in medio punctum, *aurum*, sive *sol* ☉ significat.

[**OARITIS** pro inflammatione ovarii sunt, qui adhiberi velint. Cum autem *ὠάριον* nihil aliud significet, quam ovulum, *ὠαρίτης* nihil aliud indicabit quam ovulorum inflammationem. Vellem, ut Krausius fictam *τοῦ ὠαρίου* significationem exemplo scriptoris graeci probasset. Swediaur *l. c. to. I. p.* 109. morbum *ovaritidem* nominat, addita hac notula: *Ovaria Graecis testiculi feminei sunt, hinc pro denominatione huius generis nomen latinum adhibui:* Hoc ipsi quidem licebat, sed tunc graecam terminationem non adiicere debebat.]

[**OBDUCTIO** legalis est ea medici publici actio, qua mortui hominis sectio, iudice et iudicii assessoribus praesentibus, suscipitur. Henkio, qui *explorationem forensem* et *obductionem legalem* unum idemque significare contendit, equidem accedere nequeo. Mihi enim exploratio forensis genus constituere videtur, cui tanquam duae formae subsunt obductio et inspectio legalis, quarum illa in mortuis, haec in vivis locum habet.]

[**OCHEUS**, Gr. *ὀχεὺς*, a Krausio pro *scroto* adhibetur. Thes. Steph. hanc quidem vocis significationem, sed nulla scriptoris auctoritate munitam, attulit. Haud dubie commiscuit Steph. *ὀχεὺς* cum *ὀσχέα*, quod scrotum significat. Anon. *introd. anat. c.* 24. *Οἱ δὲ παραστάται τοῖς διδύμοις ἔξωθεν περιστᾶσιν ἐν τῇ καλουμένῃ ὀσχέᾳ.* Vid. Foesii *oecon. Hipp.*]

OBELAEA est *sutura sagittalis* in cranio, quae anterius coronalem, posterius lambdoidem suturam attingit; fit enim ex mutua ossium bregmatis coniunctione. Gr. ab *ὀβελὸς*, *veru.* Ge. *Die Pfeilnaht.* Ga. *La suture sagittale.* A. *Arrow suture.* *De pyl-naad.*

OBESITAS est iusto maius volumen totius corporis cum aliquali difficultate actiones debite exercendi, oriens a nimia collectione pinguedinis in cellulis tunicae adiposae. Ge. *Die Dicke, Fette, Vollleibigkeit.* Ga. *Obesité.* B. *Lyvigheid.*

OBLATAE LAXATIVAE, et **PURGANTES** fiunt ex farina cum saccharo et speciebus purgantibus. Ge. *Purgirende Oblaten, Morsellen.* Ga. *Oublies laxatives.* A. *Laxative wafers.* B. *Medicinale oblien.*

OBLIQUUM est medium inter rectum et transversum; hinc dicitur de illis partibus, quae hoc modo decurrunt, inprimis de musculis quibusdam capitis, abdominis et oculorum. Sic *musculus obliquus externus* abdominis, seu *oblique descendens,* est stratum fibrarum muscularium septem, vel octo digitationibus utrinque a costis ultimis veris atque a costis

spuriis oriens, et oblique descendens aponeurosi lata margini ossis ilei et pubis, antrorsum vero aponeurosi socii iunctum *lineam albam* constituens, in inferiori parte *annulum* pro transitu funiculi spermatici in viris, in foeminis pro transitu ligamentorum uteri rotundorum formans. — *Obliquus internus*, seu oblique adscendens, *musculus* est stratum fibrarum ab osse pubis et margine superiori et anteriori ossis ilei utrinque oriens, et oblique ad costas spurias et ultimam veram tendens, antrorsum vero in aponeurosin expansum, *lineam semilunarem* formans, in vaginam, quae musculum rectum includit, dehiscentem, et ad lineam albam extensam. Qui musculi actione sua cavum abdominis angustius reddunt, hinc et respirationi et excretioni faecum, urinae, partus inserviunt. — Musculi *obliqui nasi* sunt striae fibrarum ab osse maxillae superioris ad cartilaginem narium tendentes, easque dilatantes. — Musculi *obliqui* capitis utrinque duo sunt, *superior* et *inferior*, quorum ille, ab apophysi transversa atlantis oriens, mediae et infimae parti ossis occipitis inseritur, hic ab apophysi spinosa vertebrae secundae colli procedens apophysi transversae primae vertebrae inseritur; qui ergo musculi mutua actione caput rotant, simul agentes extendunt atque figunt. — Musculi *obliqui* oculi, quorum alter *superior* est, alter *inferior*. Ille in intima orbita ad vaginam nervi optici oriens et inter rectum superiorem et inferiorem transiens, longo tendine trochleam, seu partem cartilagineam, ad marginem superiorem orbitae versus canthum oculi maiorem sitam transiens, retrorsumque tendens bulbo oculi inscritur: alter *inferior* a margine inferiori orbitae iuxta ductum nasalem procedens retrorsum oblique tendens posteriori parti bulbi adnascitur. Hi musculi alterne agentes bulbum oculi oblique elevant, vel deprimunt, hincque, eum praecipue par nervorum patheticūm in eos distribuatur, *pathetici* vocantur, simul vero agentes, bulbum oculi a musculis quatuor rectis retractum, antrorsum ducunt, ut promineat, prout in attenta obiectorum consideratione, aut repentino terrore, fieri solet.

OBLIVIO est vitium memoriae, quo vestigia rerum antea perceptarum delentur, nec pro voluntate revocari possunt. Sed etiam a morbis memoria laedi, rerumque omnium oblivio induci potest. Vide *Lethargus*. Gr. *Ἐπιλησμοσύνη, λήθη*. Ge. *Vergessenheit*. Ga. *Oubli*. A. *Forgetting, forgetfulnes*. B. *Vergeetelheid*.

OBOLUS est dimidium scrupuli; pendet grana decem; olim eius signum erat ꝏ, nunc vero character iste parum in usu est, sed potius scribitur ∋β. id est scrupuli dimidia pars. Est sexta pars drachmae Atticae, sive aereolae sex. Ge. *Ein halber Skrupel*. Ga. *Obole*. B. *Een half scrupel*.

[**OBRITUM** vocatur, teste Fallopio *oper. to. I. p.* 324, metallum, e cupro et stanno conflatum.]

OBRIZUM est aurum ab omnibus aliis admixtis metallis depuratum, ita ut summo igne et fluxu cum antimonio nihil amplius deperdat. [Auctore *Thesaur. chym. vol. II. p.* 342. *vol. III. p.* 209.] Ge. *Geläutert Gold.* B. *Gelouterd gout.*

OBSESSUS dicebatur olim, cuius corpus a daemone inhabitari atque regi credebatur, sed rectius huiusmodi homines pro *epilepticis*, vel *maniacis* habentur. Ge. *Ein Besessener.* Ga. *Obsedé, demoniaque.* A. *Demoniak.* B. *Bezeeten.*

OBSTETRICIA ARS vocatur ea pars medicinae, vel chirurgiae, quae docet debita manuum, vel etiam instrumentorum applicatione partum quemvis promovere. Ge. *Die Hebammenkunst.* Ga. *Accouchement.* A. *Midwifery.*

OBSTIPATIO est faecum alvinarum excretio impedita. Ge. *Hartleibigkeit.* Ga. *Constipation.*

OBSTIPITAS est tonica capitis inflexio in unam alteramve plagam, adeoque lateralis, antica, vel postica, prona vel supina. Dicitur hinc *caput obstipum.* Vide etiam *Scoliasis.* Ge. *Krummer, schiefer Hals.* Ga. *Torticolis.*

OBSTRUCTIO est canaliculorum et cavitatum a laterum tumore, callo, contractione, vel corpore impacto, aut laterum a vicinis compressione occlusio, ita ut liquor requisitus per illos fluere impediatur. Praecipue autem locum habet in vasis minimis, inprimis in extremitate arteriarum et venis minoribus. Vide *Emphraxis, Stenochoria, Thlipsis, Symphysis* etc. Ge. *Verstopfung.* Ga. *Oppilation, obstruction, bouchement.* A. *A stopping,* or *shutting up.* B. *Verstoptheid.*

OBSTRUENTIA sunt constipantia, quae poros sudorem nimium effundentes claudunt, aut sanguinem effluentem sistunt, aut quae in genere transitum fluidorum per canales eorumque orificia impediunt. Ge. *Stopfende Mittel.* Ga. *Obstructifs.*

OBTUNDENTIA medicamenta sunt, quae acrimoniam, superposita alia inerti materia, tollunt, ut vagina respectu cultri facit; et oleosa respectu veneni, aut aliorum quorumvis acrium. Ge. *Lindernde Mittel.* B. *Verstompende middelen.*

OBTURATOR est instrumentum chirurgicum, lamina scilicet spongia munita, sic adaptata, ut palato, vel a nativitate fisso, vel carie eroso, applicari, ibique detineri et sic loquelae usum restituere possit.

OBTURATORES MUSCULI sunt duo musculi, quorum alter *internus,* alter *externus* dicitur. *Obturator internus* oritur ab ambitu interno foraminis ovalis inter os ischion et pubis siti, et a ligamento id foramen obturante, tum tendine suo inter spinam et tuberositatem ischii transiens, atque re-

flexus inter musculos geminos decurrens, parti superiori trochanteris maioris infigitur. *Obturator externus* ab ambitu externo eiusdem foraminis, et a latere tuberositatis ischii oriens, et inter marginem inferiorem acetabuli et tuberositatem ischii transiens, postice inter duos trochanteres inseritur. Hi musculi sunt rotatores femoris, dum scilicet actione sua, una cum geminis, quadrato femoris et iliaco externo, femur extrorsum circumagunt, ut calces se respiciant, digiti distent. Ge. *Die verstopfenden Muskeln des Schenkels.* Ga. *Muscles obturateurs.* A. *The bending muscles of the thigh.* B. *De stop spieren.*

OBTUSUM botanicis dicitur *folium*, seu *perianthium*, intra segmentum circuli terminatum.

OBVERSA vocantur *folia*, quorum basis angustior evadit regione apicis, sic obverse-ovata, seu obovata, vel obverse cordata, seu obcordata, dicuntur.

OBULUS, i. q. *obolus*.

OCCIPUT, Gr. *Ἰνίον*, est posterior cranii pars. Ge. *Das Hintertheil des Haupts.* Ga. *L'occiput.* A. *The hinderpart of the head.* B. *Het agter-hoofd.*

OCCIPITIS OS posteriorem et inferiorem cranii partem occupat et connectitur per suturam lambdoidem cum ossibus bregmatis, a lateribus cum ossibus temporum, posterius cum osse sphenoide, et inferius cum suprema vertebra colli. Magno foramine donatum est, per quod medulla spinalis descendit. Ge. *Das Hinterhauptbein.* B. *Agterhoofdsbeen.*

OCCULTA QUALITAS dicebatur olim ea corporum conditio, quae quidem per varia phaenomena adesse cognoscebatur, sed cuius nulla ratio, vel explicatio dari poterat. Ge. *Verborgne Eigenschaft.* Ga. *Qualité occulte.* A. *Hidden quality.* B. *Verborgene hoedanigheden.*

OCCULTI MORBI sunt, quorum causam ignoramus: vel qui in corpore nostro latent, nec symptomatibus statim manifestantur, ut sunt cancri, lues venerea etc. Ge. *Verborgene Krankheit.* Ga. *Maladie cachée, inconnue.* A. *Hidden disease.* B. *Verborgene ziekten.*

OCHEMA est liquor, seu vehiculum aliquod, quo medicamenta sive nimis arida, vel nimis fortia, miscentur, ut tutius et commodius assumi possint. Gr. *Ὄχημα τῆς τροφῆς,* est vehiculum alimenti, sive serum in sanguine. [Hac loquendi formula Hippocratem usum esse, testatur Galen. *d. usu part.* IV. c. 5. p. 272. to. III.] Ab *ὀχέω*, *veho*.

OCHRA est substantia terrea, seu ferri terra praecipitata, nec sulphure, nec arsenico mineralisata, coloris rubri, fusci, lutei, quae ultima *sil*, vel *ochra Plinii*, dicitur, in igne, ni ante rubra fuerit, rubescens et durescens, post calcinationem magnetem sequens et adiecta materia inflammabili fusa in ferrum abiens; reperitur ubique fere ad acidulas martiales

et in paludibus. Qualitatis est ad argillam accedentis, viribusque adstringentibus et exsiccantibus pollet; rarior tamen usus eius in medicina externus est. Coriarii luteam ochram ad usum tinctorium adhibent. E solutione vitrioli ochra praecipitatur; hinc datur quoque *ochra zinci*, quae est terra calaminaris et *ochra cupri*, quae est *viride montanum*, cum omnes calces metallorum *ochrae* nomen gerant. Ge. *Ocher.* Ga. *De l'ocre*, ou *rubrique.* A. *Okar.* B. *Berggeel, oker.*

[OCHROPYRA, a Gr. ὠχρὸς, *luteus, flavus*, et πῦρ, *calor febrilis*, et in universum *febris*, appellatur Swediauero l. c. to. I. p. 25. febris continua, peracuta, ex effluviis peculiaribus oriunda; insulis Indiae occidentalis endemia, sed aliquot abhinc annis saepius in oris maritimis Americae septentrionalis, et nuper quoque in Hispaniae oris maritimis epidemia. Cons. Ios. Frank in *prax. med. praec.* P. I. vol. 2. p. 2. p. 198—433.]

OCHRUS est planta, flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quae habet caules angulosos, flexiles, repentes. Folia oblonga, articulata, modo simplicia, modo coniugata, in claviculam abeuntia, quibus a lathyro differt. Flores ex foliorum alis erumpunt, pedunculis brevibus adhaerescunt, leguminosi sunt et albi. Flori succedit siliqua rotunda et cylindrica, sed in superiori parte conica, recondens semina cylindrica, pisi minoris magnitudine, coloris obscure flavi. Radix est fibrosa. Iuxta Ill. *Linnaeum ochrus* ad pisa refertur, et est *pisum ochrus* petiolis decurrentibus membranaceis diphyllis, pedunculis unifloris: Ochrus folio integro capreolos emittente *Bauh.* Crescit inter segetes Cretae et Italiae, sed etiam apud nos passim provenit. Semina sunt edulia, chylum viscidum parientia. Gr. Ὤχρος, ochrum et ochra, a luteo colore, quem medulla refert, nominatur. Ge. *Gelbe Erbsen,* [*Ochererbse.*] Ga. *Ochres, petit pois,* [*moret d'Espagne.*] A. *Middel-peases.* B. *Kleine erweten, gemeene erweten, ronde erweten, heere erweten.*

OCHTHODES sunt ulcera, quorum labia callosa, vel verrucosa sunt, non maligna tamen. Ab ὄχθη, [seu ὄχθος *eminentior terrae pars, qua fluvii, s. ripae fines circumscribuntur.* Apud medicos ulcerum durorum indeque difficulter sanandorum labia ὄχθοι vocantur. Ὀχθώδης occurrit apud Galen. de meth. med. III. c. 3. to. X. p. 181. τὰ δυσεπούλωτα καὶ ὀχθώδη τῶν ἑλκῶν.] *ripa*, et εἶδος, *forma.*

OCIMASTRUM, s. *ocymastrum* est herba et ab *ocimo* diminutivum. Est *Silene viridiflora Linn.* (Decandr. Trig.) petalis semibifidis, foliis ovatis scabriusculis acutis, panicula elongata, subaphylla. Ge. *Wilde Lychnis.* Ga. *Basilic sauvage.* A. *Wild campion.* B. *Wilde lychnis.* — Aliis vero est basilicum sylvestre, aliis circaea. Aliis Lychnis syl-

vestris, vel aquatica purpurea simplex *Bauh.* *Lychnis dioïca Linn.*

OCIMUM, seu **OCYMUM**, vel **BASILICUM** est planta, (Didynam. Gymnosperm.) quae emittit caulem densum, qui se in multos ramos lanuginosos et quadratos dividit, foliaque parictariae habet, sed minora, odoris fortis, aromatici, penetrantis et grati. Flores sunt verticilli, in spicas satis longas et in summitate ramorum dispersas congesti, odorantes, monopetali, ringentes; galea erecta, crenata, longa, quadrifida, simplex, amplior, quam barba, cava, horizontaliter porrecta. Calyx postea clauditur. Semina oblonga, nigricantia et minima includit. Radix est nigricans, fibrosa, lignosa, annua. Essentialis character consistit in filamentorum duorum minorum processu reflexo ad basin exserto. Haec planta scatet oleo aethereo, viribusque aromaticis, balsamicis, cephalicis atque cordialibus gaudet. Infusum in cephalalgia summopere laudatur, pulvis naribus exceptus errhinus est. Gratissimum quoque ciborum condimentum suppeditat. Crescit in regionibus calidis Europae, apud nos passim in hortis colitur. Dicitur ab *ὠκέως*, quod valet *cito*. Sed aliis, quod cito proveniat, crescat. [Cato *de r. r. c.* 27.] Vel quod alvum cito ciet bobus. Nonnulli *ἀπὸ τοῦ ὄζειν, redolere, odoratum esse*, derivant. Gr. *Ὤκιμον*, [quod Diosc. II. c. 170. descripsit, a Sprengelio pro nostro habetur.] *ὄζιμον* et *ὄκιμον*. Ga. *Basilien, Basilicum.* Ga. *Basilic.* A. *Basil.* B. *Balsem-kruid, basilik.*

OCREA, vide *tibia.*

OCTUNX est unciarum octo pondus.

OCULARES DENTES, vide *dentes*, idem quod *cynodontes.*

OCULI sunt flores et folia nondum explicata, sed in nodulis adhuc convoluta. In arboribus et fruticibus *gemmae* dicuntur, suntque vel foliosae, vel frugiferae. Ge. *Knospen.* Ga. *Boutons.* A. *Buds.* B. *Botten, knoppen van de boomen.*

OCULI CANCRORUM, vide *cancer*, i. q. *lapides cancrorum.*

OCULISTA, **OPHTHALMIATER** est medicus, qui in curandis oculorum affectibus tum per remedia chirurgica, tum pharmaceutica peritus est. Ge. *Augenarzt, Okuliste.* Ga. *Un oculiste.* B. *Een oog-meester.*

OCULUS est organum visus externum, situm utrinque in cavitate ossea in parte anteriori et superiori cranii, quae *orbita* dicitur. Constat ex globo rotundo, nervo optico appenso, cuius substantiam firmam faciunt membranae, seu *tunicae*, quae formant speciem folliculi sphaerici, cuius cavum implent ita dicti *humores.* Praeter tunicam *adnatam*, seu *coniunctivam*, quae a superficie interna palpebrarum reflexa anteriorem bulbi oculi partem obtegit, adhuc tres

sunt tunicae bulbum constituentes, quarum exterior est *sclerotica,* omnium crassissima, valde dura, albicans, pauca tantum habens vasa, ubique opaca, nisi a parte anteriori, ubi plagulam habet rotundam, pellucidam, paululum extra reliquum globum eminentem, quae *cornea* vocatur, per quam radii lucis transeunt. Scleroticae parti interiori laxe applicata est *choroeides,* vel *choroidea,* seu vasculosa, in interiore superficie atro pigmento obducta, quae ea longe tenuior est, mollior et vasorum plenissima, et a parte anteriori, ubi ad corneae radicem venit, abit in orbiculum crassum, qui *orbiculus ciliaris* vocatur. Hic versus axin oculi demittit *ligamenta ciliaria,* s. *processus ciliares,* et ab eo procedit membrana quaedam orbicularis *uvea* dicta, quae ab anteriori parte varie colorata est, unde *iris* vocatur, et in medio perforata foramine magno, dilatabili et contractili, *pupilla* dicto. Interne choroeidem investit *retina,* quae tenuissima et membranarum minima est: procedit enim tantummodo a substantia medullari nervi optici expansa usque ad marginem ligamentorum ciliarium. Dividi autem potest in duas membranas, quarum interior vasculosa, exterior vero medullosa est. Globum hunc membranaceum implent tres ita dicti humores, *vitreus,* s. *corpus vitreum: crystallinus,* s. *lens crystallina* et *aqueus,* quorum solus aqueus verus est humor, alii vero corpora sunt solida, e cellulis atque lamellis pellucidissimis limpidissimum humorem continentibus composita. Ex his *vitreus,* qui substantia constat solida, positus est in parte postica globi oculi, solusque maiorem cavi oculi adimplet partem. Ante hunc ponitur *crystallinus,* qui etiam a similitudine lentis opticae *lens crystallina* vocatur, et parte sua posteriori foveolam imprimit anteriori parti vitrei, in quam se dimittit. *Aqueus* autem ante crystallinum et vitreum in anteriori oculi parte in camera anteriori et posteriori effusus haeret. Vide *Visus.* — Ad hunc globum oculi eiusque musculos pertinent arteriae, venae et nervi, non tantum opticus, sed etiam a tertio, quarto, quinto et sexto pari, musculi ad movendum, palpebrae, tunica adnata ad muniendum, glandula lachrymalis ad lubricandum, pluraque alia, quae suis sub nominibus quaerenda. Ge. *Das Auge.* Ga. *Oeil.* A. *The eye.* B. *Het oog.*

OCULUS DUPLEX est fascia, qua uterque oculus deligatur. Ge. *Das doppelte Auge.* Ga. *L'oeil double.*

OCULUS ELEPHANTINUS, vide *hydrophthalmia.*

OCULUS LEPORINUS, vide *lagophthalmus.*

OCULUS SIMPLEX, idem quod *monoculus,* s. *monophthalmus,* est fasciae species, qua unus oculus deligatur. Ge. *Das einfache Auge, die einäugige Binde.* Ga. *L'oeil simple.*

OCYODYNICUS PULVIS vocatur compositio e secalis

cornuti dr. semis, pulv. rad. glycyrrhiz. gram. gumm. mimos. singul. drachma. Massa pulverulenta in tres part. aeq. divid. quarum quovis horae quadrante una sumitur, usque dum partus absolutus est. Ga. *Poudre obstetricale, poudre ocyodynique.* Ge. *Geburt befördendes Pulver.* A gr. *ὠκὺς, celer,* et *ὀδύνη, dolor ad partum.*]

ODAXESMUS, [Gr. *ὀδαξησμὸς.*] generaliter significat pruritum mordacem. Usitatius autem ita dicitur gingivarum pruritus cum levi quodam dolore, quando dentes infantibus erumpunt. Ab *ὀδάζω, ὀδάξω, prurio.* Vide *dentitio.*

ODONTAGRA est instrumentum, quo dentes evelluntur. Vide *forfex.* Ge. *Eine Zahnzange, Ueberwurf, Pelikan.* Ga. *Pincette,* ou *tenaille pour tirer les dents, pelican,* ou *davier,* ou *repoussoir.* A. *Tooth-drawer.* B. *Een tand-trekker.* — *Odontagra* etiam vocatur species *odontalgiae* ex retrocedente materia arthritica oriens.

ODONTALGIA, sive **DENTIUM DOLOR** est ex maximis doloribus, sive fiat in uno dente, sive in pluribus, sive continuus, sive periodicus, ex affectione nervorum dentes subeuntium. Principio hic dolor solus est, deinde accedit plerumque gingivarum tumor et non raro inflammatio, aut abscessus. Tumor vero saepe exterius genas, aut maxillam inferiorem, visibiliter inflat, adeoque impedit masticationem et deglutitionem. Sed caries dentium denique ex diuturno, aut saepius repetito, dolore consequitur, ita ut dens, vel pars eius, excidat, aut variis sinubus, iisque mire contortis, perforetur, quos si aër frigidus subit, nervulumque denudatum tangat, ingens ilico dolor suscitatur. Iam ut gravidae nonnunquam hoc dolore graviter, atque toto gestationis tempore laborant, ita solet hic plerumque eos afficere, qui frigus, nebulas et pluviam aëris passi sunt, sicque ad affectus catarrhales referendus est. Invenies rursum dolorem, qui quietus est, si quis in aërem frigidiorem prodit, qui vero in calido loco admodum exacerbatur, praecipue si a causa sanguinea, aut rheumatica oriatur. Alii vero aegri ne minimum frigus, vel potum frigidiorem ferunt: sunt, qui a dulcibus ore assumtis, etiamsi a dolore liberi, mox eo afficiuntur. Denique cum tumor apparet, plerumque dolor solet minui et evanescere. Ex *ὀδοὺς, dens,* et *ἀλγέω, doleo.* Ge. *Zahnweh, Zahnschmerz.* Ga. *Odontalgie, mal aux dents.* A. *Tooth-ach.* B. *Tandpyn, tandzeer.*

ODONTIASIS, i. q. *dentitio, odontophyia.*

ODONTICA sunt medicamenta, quae adversus dolores dentium adhibentur. Ab *ὀδοὺς, dens.* Vocantur et *odontalgica.* Ge. *Mittel wider das Zahnweh.* Ga. *Remèdes contre le doleur des dents.* A. *A remedy for the tooth-ach.* B. *Middelen tegen de tandpyn.*

[**ODONTOGLYPHIS** seu **ODONTOGLYPHON**, i. q.

dentiscalpium. [Ab ὀδοὺς, *dens*, et γλύφω, *scalpo*. Talia instrumenta, ad dentes aut a tartaro adhaerente liberandos, aut ad nimium asperos limandos inventa vid. ab Heistero in *Institut. chir.* to. II. p. 640. et a L. Laforgueo (*l'art. du dentiste.* Par. 1802. p. 131.) allata et depicta. Errant lexicographi recentiores, qui stylos ligneos aut corneos, quibus ex interstitiis dentium ciborum reliquias eximere studemus, odontoglypha dici posse contendunt.]

ODONTOIDES, quod denti simile est; praecipue vero sic vocatur *processus odontoides* vertebrae colli secundae, seu epistrophei, scilicet prolongatio eius corporis in conum obtusum, qui in annulum vertebrae primae, seu atlantis, adscendens, axin suppeditat, in quo atlas, sicque etiam caput circumagi potest. Ex ὀδοὺς, *dens*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Zahnförmiger Fortsatz*. Ga. *Eminence dentiforme, le pivot*. A. *A tooth-like process of bones*. B. *Tandachtig uitsteekzel*.

ODONTOLITHOS est petrosus ille tartarus dentibus accrescens, seu calculus animalis; sic etiam vocantur dentes animalium petrefacti, seu *odontopetrae*. Ex ὀδοὺς, *dens*, et λίθος, *lapis*. Ge. *Weinstein an den Zähnen*. Ga. *La chaux des dents*. A. *Lime of the tooth*. B. *Kalk der tanden*.

ODONTOPHYIA idem quod *dentitio*, sive dentium eruptio. Ex ὀδοὺς, *dens*, et φύω, *cresco*. Vide *dentitio*.

ODONTOTRIMMA. Ex ὀδοὺς et τρίβω, *tero*. Idem quod *dentifricium*.

ODORAMENTUM est medicamentum odoris gratia adhibendum; componitur ex *ladano*, *styrace*, *benzoin*, *moscho*, *zibeto* aliisque aromatis odoris fragrantis. Gr. Ἄρωμα et τὸ ὀσφρητόν. [Cum hoc adiectivum significet id, quod olfactu percipi potest, sive sit gratum, sive foeteat, intelligitur, illud non posse idem denotare, quod ἄρωμα]. Ge. *Lieblicher Geruch*, *Räucherwerk*. Ga. *Parfum*. A. *Sweet scent*. B. *Reuk-werk*.

ODORATUS, sive **OLFACTUS**, Gr. ὄσφρησις, non est quaevis perceptio, quae intra nares fit: nam in iis etiam dolor et pruritus persentiscitur, per ramos nervi nasalis quinti paris: sed ille tantum sensus, quo ex motu et irritatione nervorum primi paris, nasi membranis insertorum, per effluvia odorifera, salino-oleosa volatilia, quae per inspirationem ad omnes narium cavitates deducuntur, ideae quaedam sensorio communi offeruntur et repraesentantur, per quas anima qualitates quasdam corporum diiudicat et odores discernit. Ge. *Der Geruch*. Ga. *Odorat, senteur*. A. *Smell, savour, scent*. B. *De reuk*.

ODORIFERUM, i. q. *odoramentum*.

OECONOMIA est quidem proprie rei familiaris administratio. Medicis vero dicitur *oeconomia animalis* complexus et

conspiratio omnium actionum naturalium in corpore vivo contingentium. Ex *οἶκος*, *domus*, et *νέμω*, *administro*. Ge. *Haushaltung*, *Oekonomie*. Ga. *L'oeconomie*. A. *Oeconomy*. B. *Huishouding*, *beschikking*.

OEDEMA, Barb. *undimia*, ab *Hippocrate* nonnunquam late sumitur pro omni tumore, praeter sanitatem excitato, [vid. Foës. *oecon. Hipp.* p. 444.] stricte vero pro tumore, a pituita, sive viscido humore genito, quando eiusmodi humor ob impeditum eius in vasis lymphaticis motum alicubi, in folliculis telae cellulosae, stagnat. Albus est, frigidus, mollis et indolens, sine pulsatione et digitorum leni pressioni facile cedens, quibus sublatis fovea remanet. Sed si symptomata alterius indolis accedunt, ut pulsus, vel calor, vel color sensibilis, vel intumescentia, vel dolor, vel aliud quid, dicitur *oedema calidum*, vel *phlegmonodes*, *erysipelatodes*, *scirrhodes* etc. Ab *οἰδέω*, *inflatus sum*, *tumeo*. Ge. *Eine wässerige Geschwulst*. Ga. *Enflure*, ou *tumeur aqueuse*, *oedéme*, *infiltration*. A. *Pituitous tumor*. B. *Een kout gezwel*, *slym gezwel*, *zugt-gezwel*.

OEDEMOSARCA vocatur a M. A. *Severino* (*de abscess. nat.* c. 4.) tumor quidam anomalus, instar oedematis quidem laxus, sed ad contactum plurima sui parte durior, et ad sarcoma proprius accedens. [Compositio vocis a linguae graecae legibus penitus abhorret, nec potest Hesychius, in quo *μυλόσαρξ* legitur, illius defendendae causa adduci; nam in illo haud dubie legendum est: *μύλη*, *σάρξ*, *ἣν αἱ κυοφοροῦσαι ἀντ᾽ ἐμβρύων φέρουσι*. Si graeca vox omnino necessaria fuerit, *οἰδηματοσαρκίον* scribi deberet.]

OENANTHE est planta, quae habet folia ampla, repentia, et Petroselino similia: intra haec assurgunt plures caules, duos circiter pedes alti, ramosi, striati, caerulescentes. Flos (Pentandr. Digyn.) est rosaceus et umbellatus, plurimis scilicet petalis constans inaequalibus, cordiformibus, in orbem positis, et calyci insidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus seminibus compositum oblongis, hinc gibbis et striatis, inde vero planis, in aliquos veluti aculeos desinentibus, quorum medius caeteris validior. Crescit haec planta in locis paludosis, et partim in hortis curiosorum colitur. Duae praecipue species maxime distinguendae sunt, scilicet Oenanthe Apii folio *Bauh.* seu *Oenanthe pimpinelloides Linn.* foliis radicalibus cuneatis, fissis, caulinis integris, linearibus, longissimis, canaliculatis, et Oenanthe Chaerophylli foliis *Bauh.* seu *Oenanthe crocata Linn.* foliis omnibus multifidis, obtusis, subaequalibus; quarum illa viribus aperitivis et carminativis, haec virulentia perniciosa celebris est, quippe quae imprudenter devorata sensus perturbat, spasmum maxillae, ructus, inanes vomendi conatus, haemorrhagiam, aliaque dira symptomata excitat, non nisi hau-

sto illico multo oleo et pinguedine aliquantum sedanda. [In Galliae nonnullis regionibus radix plantae in pulverem redacta contra haemorrhoides vulgo adhibetur. Qui quidem usus ob periculi inde metuendi magnitudinem nullo modo commendandus est.] Haec planta a quibusdam pro Cicuta aquatica *Wepferi* sumta est: eadem haec planta incaute devorata pluribus militibus Gallicis exitialis fuit, atque non immerito, cum spasmum maxillae producat, pro *Sardoa* veterum habetur. Vide *Risus Sardonius.* Ge. *Wassereppich, safrangelbe Rebendolde.* Ga. *Persil de marais.* A. *Drop wort, wild parsley, hemlock dropwort.* Volunt dici *ἀπὸ τοῦ οἴνου* et *ἄνθους*, a vino et flore, quasi flos vinosus, quod odore et quadantenus colore sit viti similis. Malunt alii sic dictam, quod viti similem florem ferat, vel quod cum vite floreat. — *Oenanthes* nomen imponitur quoque Filipendulae, Sphondylio, Iunco odorato, aliisque plantis etc.

OENELAEUM est vini et olei commixtio. [Praeeunte Castello Blancardum, *oenolaeum* scribentem, correxit Krausius, qui etiam ex eodem fonte retulit, Rolfinkium (*Chem. in art. form. red.* III. sect. 2. art. 1. c. 17.) hac voce spiritum vini insignire.] Ex *οἶνος, vinum,* et *ἔλαιον, oleum.* Ge. *Wein mit Oel vermischt.* Ga. *Vin huileux.* B. *Geolyde wyn.*

OENOGALA est compositio ex vino et lacte, vel, ut alii volunt, vinum lactei teporis, vel colostrum natum ex mixtione vini cum lacte bulliente. Ex *οἶνος, vinum,* et *γάλα, lac.*

OENOIDES est vinum dilutum, aut latex, vino analogus. Ex *οἶνος*, vinum, et *εἶδος*, forma.

OENOMEL est mel vinosum, sive mulsum vinosum, vel mulsum, quod ingreditur vinum. Ex *οἶνος, vinum,* et *μέλι, mel.* [De eius et parandi ratione et usu cons. Diosc. V. 16.] Ge. *Weinmeth, Weinmost.* B. *Honig-wyn.*

OENOTHERA ita vocatur, quoniam dicunt radicem exsiccatam vinum olere. [Graece *οἰνοθήρας,* ab *οἶνος* et *θήρα, venatio,* unde patet, absurdissimam esse Blancardi derivationem, ab *οἶνος, vinum,* et *τίθημι, pono,* deducentis. Ratio denominationis, a Blancardo allata, e Diosc. IV. 116. hausta est, ubi onotheram (sic!) ab aliis onagram vocatam esse narrat. Sprengel. ad h. l. Epilobium angustifolium sub hac planta intelligi putat. Vide et Schneider. in indice Theophr. p. 459.] Vide *Onagra.*

OESOPHAGAEUS est musculus oesophagi constrictor, scilicet stratum fibrarum muscularium latum, ab osse hyoide, atque a cartilagine thyroide et cricoide utrinque oriens et oblique retrorsum adscendens, et cum socio coniunctum pharyngem circumdans; ab aliis pro triplici musculo sumitur, et vocatur hyo- thyro- et crico-pharyngeus. Ge. *Schlund-*

muskel. Ga. *Muscle de l'oesophage,* ou *l'oesophagien.* A. *The muscle of the gullet.* B. *De ring spier, sluit spier.*

[**OESOPHAGISMUM** a nonnullis pro oesophagitide, ab aliis pro dysphagia, a Vogelio pro spastica oesophagi constrictione minus commode adhiberi, monuit Krausius.]

[**OESOPHAGITIS** est anginae inflammatoriae forma, quae in oesophago locum habet. Rarior ceteris omnibus formis occurrit; satis vehementi febre et gravissimis doloribus, in aliqua oesophagi parte percipiendis, stipata esse solet. Ge. *Entzündung des Schlundes.*]

OESOPHAGUS est canalis satis dilatabilis et contractilis, a faucibus, seu a pharynge, ad ventriculum tendens, pone arteriam asperam situs, quo cibus in ore masticatus et saliva mixtus, ut etiam potus, ad ventriculum transit. Tunicas habet quatuor; *extimam* membranaceam a peritonaeo, quo etiam ventriculus vestitur, vel potius a pleura, quia per thoracis posteriorem partem, seu mediastinum posterius, incedit. *Secunda* est musculosa ex fibris longitudinalibus externis, quae proprie *oesophagaeum* musculum constituunt, et orbicularibus internis composita, quae contractione sua descensum alimentorum ad ventriculum promovet. *Tertia* huic succedens est nerveo-vasculosa, infinitis numero vasculis et nervis ad glandulas mucosas hic sitas contexta. *Quarta,* seu *intima*, quae intus crusta villosa obducitur, et vere pro quarta sumi potest. Singulas hasce tunicas interstrata tela cellulosa coniungit. Arterias accipit partim a bronchialibus, partim ab ipsa aorta, quibus venae respondent, quae se in azygam venam exonerant. Nervis a pari intercostali et spinalibus magna copia prodeuntibus gaudet; sed praecipue trunci paris vagi oesophagum utrimque amplectuntur, iuxta eum decurrunt, et insignibus ramis in orificio ventriculi sinistro distribuuntur. Nomen forte habet ab *οἰσὸς, vimen,* quia fibrae eius viminis instar contextae sunt. Vel rectius ab *οἴσω*, futuro verbi *φέρω, feram,* quia omnes cibos versus ventriculum fert, et *φάγω*, *edo.* [Galen. *gloss. Hipp. p.* 532. quidem habet *οἰσοφάγος,* sed Foës. ad Hippocr. p. 916. legendum esse putat *εἰσοφάγος*, quam coniecturam Godofr. Hermann. probat, quamquam hanc compositionem aliquid inusitati habere contendit, quod Galenus addito *οἶον* emollire studuerit. Si vocem ab *οἴσειν,* quod et Kraus. voluit, Galenus derivasset, potius illa *φερέφαγος* s. *φαγόφορος* explicationis causa erat additurus.] Vocatur item *gula*, *λαιμὸς, στόμαχος, ἰσθμὸς, Eustath. διὰ το ἰέναι δι' αὐτοῦ τὰ σιτία.* Ge. *Die Speiseröhre.* Ga. *L'oesophage, le gosier.* A. *The gullet.* B. *De slokdarm.*

OESTRUM VENERIS idem quod *clitoris*, [quod vide.] seu corpus exiguum teres, rubellum, uvulae apici non absimile, situm supra orificium urethrae, unde nomen *νύμφης*

accepisse videtur. In diversis foeminis diversae magnitudinis reperitur, plerumque tamen in adultis, non libidinosis, extremi articuli infantis digiti magnitudinem aequat; situ vero, figura, substantia, fabrica, erectione, coli virili satis respondet, quamvis ab eo exilitate, brevitate, imperforatione inprimis differat. Pars eius externa *glandi* virili similis et hinc eodem nomine donata, haeret sub corrugata membranae, labia interiora alasque succingentis, productione, efficiente tegumentum ante et retro supra glandem mobile, quod propter similitudinem et usum, quem cum virili praeputio communem habet, *praeputii* nomen accepit, licet supremam tantum glandis partem tegat. Interna clitoridis substantia spongiosa, s. cavernosa fit, corporibus duobus in speciem glandis desinentibus, quae bifurcato principio ab ossium pubis inferiore parte, et a tuberc ossis ischii oriuntur, sub quibus utrimque oblique delata in unum corpus coëunt. Licet vero magnitudine a corporibus colis cavernosis differant, omnino tamen similem substantiam habent, innumerabilibus enim inter se communicantibus cavis cellulis constant, in quas arteriarum venarumque extrema oscula patent, et quibus sanguine repletis et turgidis similis fere fit, ut in viris, libidinosa clitoridis erectio, quod post sanguinis elotionem, inflatio, exsiccatio, iniectio facile demonstrant. Vocatur clitoris etiam *columella,* quia parvo gargareoni comparari potest. Hanc particulam foemina cum plerisque quadrupedibus, et forte cum omnibus communem habet; etiam cum frigidis et nonnullis avibus. Sensus ei acutissimus est, primariusque forte usus ad augendam voluptatem. Mira interdum in magnitudine degeneratio est, unde etiam foeminae pro hermaphroditis et pro pueris habitae sunt, in quos virgines sint commutatae, cum sub primos menses clitoris intumesceret. Orientales populi olim hanc particulam truncare solebant. Id singulare videtur in foetu trimestri et quadrimestri clitoridem grandem esse, post eam aetatem iterum diminui, ita tamen, ut etiam in foetu maturo grandis sit. In animalibus, ut penis, ossiculum habet, nonnunquam etiam in foemina humana id observatum esse lego. Ge. *Der Kitzler.* Ga. *Le clitoris.* B. *Kittelaar, vrouwelyke roede.*

OESTRUM VENEREUM etiam dicitur incalescentia illa partium genitalium ab affluente sanguine, qua animalia ad effundendum liquorem genitalem, sicque ad generandum incitantur. Ge. *Die Brunst.* Ga. *Chaleur.*

OESTRUS, OESTRUM, TABANUS, est insectum dipterum, halteribus clavatis, solitariis, pone singulas alas, sub squamula propria, cuius variae species boves, cervos, equos et oves infestant, ovula sua vel in dorsum, vel in fauces, aut nares, vel in anum, vel in vulnera horum animalium deponendo, e quibus demum prodeuntes larvae, sum-

mopere animalia infestant. [Vide Bracy Clark in *Transact. of the Linnean Society*, vol. III. p. 289. ss., qui historiam naturalem huius insectorum generis bene illustravit.] Ge. *Breme.* Ga. *Oestre.*

OESYPUS, *Plin. lana succida, vellus succidum Mart. Ovidius* oesypum exponit succum ab immundo ovis vellere demtum. *Plin. lib.* 29. sordes sudoremque lanis ovium adhaerentes. Est scilicet substantia pinguis, sub coctione lanae ovium aquae supernatans, indeque despumatione ablata. Adfertur plerumque ex Gallia, eiusque usus externus in aridura et articulorum rigiditate commendatur. Dicitur οἴσυπος, quasi οἰὸς ῥύπος, *ovis sordes*, et οἰσύπη. Ge. *Wollenfett.* Ga. *Suint*, ou *oesype.* A. *Fat* or *joky wool of a sheep.* B. *'t vet* of *smeer van der wol der ongewassenen schaape.*

OFFA HELMONTIANA, *Offa alba*, est substantia quasi saponacea, seu coagulum album, natum ex mixtura spiritus salis ammoniaci cum alcohole.

OFFICINA est locus, in quo medicamenta, tum galenica tum chymica, simplicia atque composita, praeparantur, atque publice divenduntur, estque proprie officina *pharmaceutica.* Sed etiam alia est *chirurgica*, in qua res ad chirurgiam pertinentes tractantur. Gr. *Ἐργαστήριον.* Ge. *Apotheke, Barbierstube.* Ga. *Laboratoire, boutique.* A. *A shop, a warehouse, work-house.* B. *Een winkel, werk-plaats, werk huis.*

OFFICINALIA vocantur *medicamenta*, tam simplicia quam composita, quae in officinis pharmaceuticis iuxta receptas pharmacopoeas, aut dispensatoria prostant, et a medicis ad usum aegrorum praescribuntur, unde etiam vocantur *usualia.*

OFFICIUM vocatur omne id, quod alicui agendum incumbit. Sic medici *officium* est, sanitatem praesentem conservare, amissam restituere. Partibus etiam corporis humani *officium* tribuitur, et tunc idem denotat, quam actio, vel usus.

OLAMPI GUMMI est gummi [resina] ex America allatum, quod cum Arabico satis convenit, pallidi coloris saporisque subdulcis, parum adstringentis. [E minoribus frustulis griseis constat. Utrum arte fiat, an e planta exstillet, nondum satis liquet.] Ge. *Olampharz.*

[**OLAX** ceylanica, arbor Indiae orientalis, cuius una tantum species nota est. In arboris patria ligni decoctum contra febres in usum vocatur. Ge. *Stinkholz.*]

OLEA est arbor mediocriter magna, cuius cortex est politus, coloris cineritii, lignum solidum coloris subflavi, saporis amari. Folia sunt oblonga, angusta, salicem referentia, acuta, crassa, dura, carnosa, in superiori parte viridia aliquantulum, in inferiori albescentia, non lanugi-

nosa, caulibus brevibus adhaerentia, sibi invicem opposita. Flos est monopetalus, quadrifidus, calycem habens monophyllum quadridentatum, ex quo pistillum egreditur, unde deinde fit fructus oblongus, ovalis, viridis, carnosus, succulentus, qui fructus *Oliva* dicitur. Sapor eius est amarus, acer, acerbus, in acetariis tamen satis gratus, in se includens putamen osseum oblongum, uniloculare, quod continet semen eiusdem figurae. Haec arbor crescit in regionibus calidis Europae. A Gr. *Ἐλαία,* unde quoque *Oliva,* a *λεῖος, laevis,* quod cutis eius quasi glabra sit et nitcat, vel ab ipso fructuum succo pingui, glabro et laevi. Vide *Oleum.* Gc. *Olivenbaum, Oelbaum.* Ga. *Olivier.* A. *Olives.* B. *Olyfboom.*

OLEAGINOSUM dicitur de seminibus, quae multum olei essentialis unguinosi seu pinguis in se continent, et propterea ad emulgendum apta sunt, ut amygdalae, pineae, pistaciae, nuces etc.

OLEANDER, vide *Nerion.*

OLEASTER est Olea sylvestris. Vide etymon in *Olea.*

OLECRANUM, sive **ANCON**, [Gr. *ὠλέκρανον* s. *ἄγκων.* Ruf. Ephes. p. 50. *ἡ δὲ γωνία τοῦ ἄρθρου, ἐφ' ἣν κλινόμενοι στηριζόμεθα, ἄγκων, ἡ ὠλέκρανον.*] **PROCESSUS ANCONAEUS** est protuberantia ossea in parte superiori ulnae, vel cubiti, quae cum protuberantia inferiori, seu coronoide, cavitatem semilunarem format, qua cubitus cum osse humeri firmissime per ginglymum articulatur. Idem ergo, quod patella in genu, praestat, et non male patella fixa, prout patella, olecranum mobile, dicitur. Ab *ὠλένη, cubitus,* et *κράνον, caput,* quasi *ὠλένης κράνον.* Ga. *Der Ellenbogenhöcker.* Ga. *Le coude.* B. *Elleboog.*

OLECRANUS, i. q. *anconaeus.*

OLENE est *cubitus,* sive *focile maius.*

OLEUM, Gr. *ἔλαιον* est substantia liquida, id est, leni calore fluida, ad sensus homogenea, non tamen simplicissima, tota inflammabilis, et aquae non permiscibilis, in resinae consistentiam condensari potens, praecipue adiecto acido, tumque tenacissime adhaerens: ex fructibus, aut seminibus proprie expressa, uti est olivae, palmae, amygdalorum, raparum etc. *oleum;* atque haec dicuntur *olea essentialia expressa, unguinosa.* Vel est destillata ex aromatibus, uti ex cinnamomi cortice, caryophyllis, anisi semine etc. qualia vocantur *olea essentialia aetherea;* vel magno caloris gradu ex subiectis extorquentur, et haec sunt *olea empyreumatica,* multum ab indole simplicis, e quo extorta sunt, diversa, ut oleum cornu cervi, et reliquarum partium animalium. Dantur etiam *olea infusa* et *cocta,* dum scilicet olea expressa variis speciebus infunduntur, aut cum iis decoquuntur, sicque praecipue et harum viribus imbuuntur. Olea

aetherea et empyreumatica in genere viribus magis, vel minus calefacientibus, commoventibus et nervinis, unguinosa vero demulcentibus, emollientibus et lubricantibus pollent. — Liquida quoque alia spissiora improprie *olea* dicuntur, ut *oleum vitrioli, oleum tartari per deliquium.* Ge. *Oel.* Ga. *Huile.* A. *Oyl.* B. *Oli.*

OLEUM AEGIRINUM est oleum, quod veteres e gemmis populi nigrae infusione, vel solo oleo, vel cum vino simul, parabant, et quod ad leniendos dolores arthriticos et nephriticos adhibebant.

OLEUM ANIMALE, quod a *Dippelio* inventore dicunt, obtinetur, si oleum destillatum empyreumaticum crebra destillatione foetore, nigrore et spissitudine orbatur, atque ad maximum subtilitatis gradum evehitur. Fragrantissimum est et sapore dulci aromatico praeditum. A nonnullis in nervorum morbis et epilepsia vehementer laudatur. [Illud e Döbereineri experimentis continet acidum hydrocyanicum, haud dubie ammoniacae nuptum.] Ge. *Dippelsöl.* Ga. *L'huile pyrozoonique.*

OLEUM BALSAMI, i. q. *Opobalsamum.*

OLEUM BARBADENSE, s. *pisselaeum indicum*, offic. Angl. est Petrolaeum ex Insula Barbados dicta allatum, colore ex nigro rubescens. Ex fontibus quibusdam colligitur. A. *Barbadoes tar.* Vide *Petrolaeum.*

OLEUM CALCIS est residuum in destillatione salis ammoniaci cum calce viva, seu *sal ammoniacum, fixum* vulgo dictum, in aëre deliquescens. Ge. *Kalköl.*

OLEUM CANANGAE est oleum expressum gratissimi saporis ex floribus et foliis arboris Indiae orientalis paratum. Ge. *Canangeöl.*

OLEUM HUPO est oleum expressum Americanum, cui, si abdomini externe illinitur, anthelminthica vis tribuitur. Ge. *Hupoöl.*

OLEUM LATERINUM, [s. potius, cum *laterinum* non sit vox probe latina, *latericium*] s. **PHILOSOPHORUM** est oleum empyreumaticum, quod obtinetur, si vel lateres igniti in oleo olivarum extinguuntur, vel cum calce viva destillantur. Externe ut mundans et nervinum laudatur. Ge. *Ziegelöl.*

OLEUM MARTIS est deliquium residui in praeparatione florum salis ammoniaci martialium. Vide *Martis oleum.*

OLEUM PALMAE est oleum expressum fructus palmae oleosae, quae est palma foliorum pediculis spinosis, fructu pruniformi, luteo, oleoso, *Sloan.* spissioris consistentiae, odoris fragrantis. Arbor ex Africa in Americam translata ibidem nunc laete colitur. Olei usus externus contra spasmos, luxationes et perniones commendatur. Incolis culinarem quoque esse lego.

OLEUM PALMAE CHRISTI, vide *Ricinus.*

OLEUM PETRAE, vide *Petrolaeum.* Ge. *Bergöl.* Ga. *Petrole, huile de petrole.* B. *Aard-oil.*

OLEUM PHILOSOPHORUM, vide *Oleum laterinum* s. potius *latericium.*

OLEUM RICINI, vide *Ricinus.*

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM est sal tartari alcalinum in aëre deliquescens. [Nunc appellatur kali carbonicum depuratum. Alia synonyma vid. in Iohnii *Handwörterb. d. Ch. II. p.* 207.] Ge. *Zerflossenes Weinsteinsalz.*

OLEUM TEMPLINUM est oleum ex ligno Pinus sylvestris destillatum empyreumaticum.

OLEUM TERRAE est pellucido-rubicundum, odoris fortis petrolaeum aemulantis, sed gratioris. Ex India orientali affertur, ubi ex monte quodam effluere dicitur: sed est ut plurimum oleum ex nuce Cocos expressum atque terris medicatis commistum. Vide *Naphtha*, *Petroleum.*

OLEUM VINI est spiritus vini maxime rectificatus.

OLEUM VITRIOLI est acidum vitrioli condensatum acerrimum, quod a spissitudine oleum, sed male, vocatur; si in crystallos congelascit *oleum vitrioli glaciale* dicitur. Ge. *Vitriolöl.* Ga. *Huile de vitriol.* A. *Oil of vitriol.*

OLFACTORIUS NERVUS sive *processus mammillaris* veterum est primum par nervorum cerebri, quod e cruribus medullae oblongatae inter corpora striata et thalamos nervorum opticorum ortum ducens, sub cerebri basi anterius protenditur usque ad os ethmoides, utrinque ad latus cristae galli, per cuius foramina, in plurimas fibrillas divisum, cranio egreditur, per omnes partes membranae, narium cava investientis, distribuitur, et actionem particularum volatilium salino-oleosarum inspiratione haustarum ad sensorium commune propagando, olfactui inservit. Ge. *Geruchnerve.* Ga. *Nerf olfactif.* B. *Reukzenuw.*

OLFACTUS, i. q. *odoratus.*

OLIBANUM, vide *Thus.* [De olibani etymologia cons. Kraus. p. 545.]

OLIBANUM SYLVESTRE est resina *abietis,* vel *pini.*

[**OLIGAEMIA**, a Gr. ὄλιγος, *paucus*, et αἷμα, *sanguis*, opponitur plethorae, estque illud sanguinis vitium, quo is nimis exigua, quam quae corporis nutritioni, omniumque partium functionibus rite sustinendis sufficit, copia adest. Ge. *Blutmangel.* Falso *oligohaemia* scribitur.]

OLIGOPHOROS est vinum tenue, paucis spiritibus gaudens. Ex ὄλιγον, *paucum*, et φορέω, *fero.*

OLIGOTROPHIA est imminuta nutritio. Ex ὀλίγη, *pauca*, et τροφὴ, *alimentum.*

OLIGOTROPHUS est cibus minus nutriens, cui opponitur *polytrophus.* Ex ὄλιγον, *paucum*, et τρέφω, *nutrio.*

OLIVA est *Oleae* fructus, qui immaturus aceto conditus

et ex Europa australi ad nos allatus in deliciis habetur, primasque vias abstergere et appetitum excitare creditur. E maturo fructu pressione oleum olivarum elicitur. Ge. *Oliven.* Ga. A. *Olive.* B. *Olyve.*

OLIVARIA CORPORA vocantur duae prominentiae in medulla oblongata; scilicet medulla oblongata a ponte Varolii continuata quatuor eminentibus columnis inscribitur, quarum exteriores aliquanto breviores, medullares, obtusae ob aliquam similitudinem *olivaria corpora* dicuntur, a quorum latere multiplici fibrarum serie nervus octavi paris utrinque oritur, paulumque adscendens per foramen proprium e cranio egreditur. Ga. *Corps olivaries.*

OLOSTEUM, vide *Holosteum.*

OLUS ab alendo dicitur, quod oleribus alerentur homines, antequam fruges repertae essent. Ge. *Küchenkraut*, *Gartenkraut.* Ga. *Herbage.* A. *Potherbs.* B. *Moeskrud.* Vid. *Lachanum.*

OLUS ATRUM, vide *Hipposelinum.*

OLUS AUREUM est *Atriplex officinarum.*

OLYRA est frumenti species, affinis Zeae. An ὄλυρα, quasi corruptior Zea. [Diosc. II. 113. ad Zeae genus refert, eique aliquanto minorem nutriendi vim tribuit. Plin. *h. n.* XVIII. 7. Far in Aegypto ex eo conficitur; tertium genus spicae hoc ibi est. Vid. Sprengel ad Diosc. *l. c.*] Ex ὄλλυμι, *perdo*, *corrumpo.*

[**OMAGRA**, vide *Omogra.*]

[**OMARTHROCACE** Krausio est morbus, humeri articulum occupans, inflammatio articulationis humeri. Ab ὦμος, *humerus*, ἄρθρον, *articulus*, et κάκη, *vitium.*]

OMASUS, vide *Abomasus.* [Tertius animalium ruminantium ventriculus.] Ge. *Blättermagen*, *Psalterbuch.* Ga. *Feuillet*, *millet.*

[**OMENTITIS** barbara denominatio inflammationis omenti. Rectius appellatur morbus *Epiploitis.*]

OMENTUM, RETE EPIPLOON, RETICULUM sive *intestinorum operimentum* est membrana duplicata, intus cava, verum sacculum formans, intestinis instrata, deorsum plus, vel minus alte descendens, ibique libera, superius vero cum arcu maiori ventriculi, intestino colo, liene et hepate connexa, pinguedine et vasis sanguineis arteriosis a coeliacis, et venis ex vena portarum, gastro-epiploicis dictis, copiose adinstar retis piscarii intertexta, ut intestina calore suo foveat, dum haecce pinguedine subtilissima, una cum vapore rorido ex tenuissimis vasculis exhalante, illiniat, ne vel arescerent, vel motu peristaltico attererentur, vel cum invicem concrescerent. Quae ventriculo et colo adhaeret portio, *omentum maius*, s. *gastrocolicum* vocatur, illa vero, quae inter hepar et ventriculi minorem curvaturam reperitur, *omentum minus* dicitur. Vide *Epiploon.* Habet lactea quae-

dam vasa et lymphatica, item sacculos adiposos perplures, in quibus adipem colligit pro tempore, et aliquando in maxima copia, quem venae versus hepar tendentes resorbent, ut una cum sanguine e liene per venam splenicam redeunte mixta inserviat generationi bilis. Gr. Ἐπίπλοον. Ge. *Das Netz.* Ga. *L'epiploon.* A. *Cawl, omentum.* B. *Het net.*

[**OMOCOTYLE**, ex ὦμος et κοτύλη, *cavitas,* denotat cavitatem omoplatae, quae caput ossis humeri recipit; alias *cavitas glenoides* dicta. Ge. *Gelenkhöhle des Schulterblattes.*]

OMOGRA est dolor arthriticus humerum afficiens. [Rectius *omagra,* ut chiragra, podagra al.] Ex ὦμος, *humerus,* et [ἄγρα, *venatio,* et *praeda, venatu capta.* In compositione de omnibus rebus, quae aliquid firmiter tenent, v. c. πυράγρα, *forceps,* qua ignita et candentia firmiter tenentur, ὀδοντάγρα, *forceps,* qua dentes, firmissime comprehensi, ex alveolis evelluntur; ποδάγρα, morbus pedum articularis, quo veluti capti tenentur, similiterque de omnibus partium corporis animalis morbis, qui cum ἄγρα coniunguntur.] Ge. *Gicht in der Schulter.* Ga. *La goute dans l'épaule.* A. *The gout in the shoulder.* B. *Schouder flerecyn.*

OMOPLATA, sive **HOMOPLATA**, Lat. *scapula* est os latum et tenue, non tam ad costarum dorsalium tutelam, quibus scuti instar incumbit, quam claviculae, et praecipue humeri, tutam articulationem comparatum. Figura triangulum exhibet scalenum, id est tribus inaequalibus lateribus comprehensum, longiore latere in basin porrectum. Angulum habet superiorem et inferiorem, loco tertii anguli collum et condylus adest cavitate glenoidea caput ossis humeri excipiens; intus concavum est, extus gibbum, utrinque musculis humerum moventibus tectum. Processus obtinet tres; nempe *spinam, coracoidem* et *brevem,* seu *acromium,* quo claviculae adnectitur. Superficies externa per spinam oblique adscendentem in duas partes inaequales dividitur, quae cavitates supraspinata et infraspinata vocantur, et musculos eiusdem nominis continent. Ex ὦμος, *humerus,* et πλατὺς, *latus,* quia humeri latitudinem constituit. Barbaris *spatula* dicitur. Ge. *Das Schulterblatt.* Ga. *L'omoplate, paleron,* A. *The shoulderblade.* B. *Schouder-blad.*

OMPHACIUM est succus ex uvis immaturis expressus. *Agresta* officinis dicitur. [A Gr. ὄμφαξ, *uva immatura,* descendit ὀμφάκιον, quod secundum Diosc. V. 6. ἐστὶ χυλὸς ὄμφακος θασίας σταφυλῆς μήπω περκαζούσης, ἢ ἀμιναίας.] Ge. *Agrest, Saft von unreifen Trauben.* Ga. *Du verjus.* A. *Verjuce.* B. *Verjuis.* — Item s. *Omphacinum oleum* est oleum immaturum, seu ex olivis immaturis expressum.

OMPHALOCARPOS: ita Aparine vocatur, ab umbilici nempe similitudine, quam semen eius refert. Ex ὀμφαλὸς, *umbilicus,* et καρπὸς, *fructus.*

OMPHALOCELE est *hernia umbilicalis*, quando nempe omentum, vel intestina, per umbilici annulum, aut proxime ad ipsius ambitum elapsa circa umbilicum protuberant: [Scarpa illam herniam, quae per tendinosum umbilici annulum protrusa est, solam *omphaloceles* nomen mereri, illam autem, quae extra annuli fines in linea alba locum habet, paromphalocelem vocandam esse docuit (*anat. chir. Abh. üb. d. Brüche p.* 319.)] quod fit relaxatione, vel ruptione peritonaei: illud enim hic ob regressum vasorum umbilicalium est tenue, veluti quoque est in exitu vasorum spermaticorum, verum caeteroquin ubique in abdomine in superficie externa densiori tela cellulosa stipatum est, adeoque viribus prementibus intestina inaequalis resistentia contranititur. Contingit hoc herniae genus plerumque in mulieribus pinguissimis, laxissimae structurae et aetatis senescentis; rarius in viris, sed et his pariter pinguissimis et laxis; si macilentis accidat, a causa violenta externa fuit inductum, alias nunquam: itidem evenit in laxis infantibus, praecipue in neonatis, vehementer clamantibus, aut umbilico negligentius obligato. Si vera ruptura peritonaei adsit, vocatur *Omphalorixis.* Minus proprie etiam tumores circa umbilicum, ab excrescentia, aut aqua, aut aëre contento, nati vocantur *Sarcomphalocele, Hydromphalocele, Pneumatomphalocele.* Ex ὄμφαλος, *umbilicus,* et κήλη, *tumor.* Ge. *Ein Nabelbruch.* Ga. *Hernie du nombril, omphalocele, sortie du nombril.* A. *A rupture of the navil.* B. *Net-breuk, navel-breuk.*

[**OMPHALOMANTIA**, ex ὄμφαλος et μαντεία, *vaticinium, praesagium,* est divinationis forma, qua obstetrices superstitiosae e nodorum funiculi umbilicalis numero numerum infantum praedicere posse sibi habent persuasum, quos deinceps sunt enixurae.]

OMPHALOS, vide *umbilicus.*

[**OMUODES** musculus a Krausio nominatur ossis hyoïdis depressor, alias musculus omohyoïdes dictus. Sed proposita a Krausio τῶν ο et υ, quibus interposita est aspirationis nota, contractio in ου ferri plane non potest, utpote a graecae linguae usu prorsus aliena. Non enim dicunt Graeci ὀλίγουδρος, sed ὀλιγόϋδρος, non ἰσουψὴς, tribus syllabis, sed ἰσοϋψὴς, et plura alia.]

ONAGRA vel **OENOTHERA** olim ex America ad nos translata, nunc etiam passim sponte apud nos proveniens, est planta, cuius plures dantur species. Maxime vulgaris species est *Oenothera biennis Linn.* (Octandr. Monogyn.) foliis ovato-lanceolatis planis, caule muricato-villoso *Linn.* Lysimachia lutea corniculata *Bauh.* quae ex America allata passim copiose colitur et cuius radices in acetariis esitantur. [A. *The broadleav'd tree-primrose.* B. *Tweejaarige onagra, gehoornde geele wederick.*] Ge. *Rhapontick, französischer* oder *Rüb-*

Rapunzel, [*gelbe Rapunzel.*] Ga. *Herbe aux anes.* — — Nomen gerit, quod bestias feras, maxime asinos, mansuctos reddat. Ab *ὄνος, asinus*, et *ἀγρέυω, laboro:* laborando enim et ferendo defatigantur. Nonnulli huic plantae discutientem et abstergentem vim tribuunt.

[**ONANIA** idem quod *manustupratio,* quod vide. Vox derivari solet plerumque ab **ONANO**, qui ne liberos acciperet, *semen fundebat in terram.* Genes. cap. 38. vs. 9. Sed J. Ch. G. Ackermann (*Aufs. üb. d. Beschneid.* in *Aufsätz. f. Gottesgel. u. Relig.* B. 1.) illa Geneseos verba non de turpissimo manustuprationis flagitio intelligenda putat, sed de vero coitu cum fratris uxore, sed de industria infoecundo reddito.]

ONCOTOMIA est incisio abscessuum. Ab *ὄγκος, tumor*, et *τέμνω, seco.*

ONEIROCRITICUS vocatur ille, qui de insomniis iudicium ferre potest. Haec scientia etiam ad medicum pertinere potest, quatenus scilicet saepe insomnia de undis, stagnis, effusione sanguinis etc. a corporis statu pendet, eumque denotant. [A graec. *ὄνειρος, somnium*, et *κρίνειν, iudicare.* Denotat autem non somniorum interpretem; is est *ὀνειροκρίτης;* sed potius ad somniorum interpretationem et diiudicationem pertinens. Recte igitur liber s. doctrina, quae somniorum interpretationem docet, vocatur oneirocritica.]

[**ONEIROGMOS** est insomnium lascivum, ad involuntariam seminis excretionem stimulans.]

ONINIUS CORTEX. [Ex Onim, qui est locus seu regio Novae Guineae, nomen habet.] Vide *Massoy cortex.*

ONISCI, vide *millepedes.*

ONITIS est origani species et quidem *Origanum onites Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) spicis oblongis aggregatis, hirsutis, foliis cordatis, tomentosis. Habitus est maioranae, sed lignosus. Crescit in Sicilia. [A. *The pot-marjoram.* Ge. *Syrakusischer Majoran, Topfmajoran, Kochmajoran.* Sic putatur dicta, quod ab asinis impetretur, ac in cibo gratum sit; *ὄνος* enim est *asinus.*

ONOBRYCHIS est leguminis species. *Hedysarum Onobrychis Linn.* (Diadelph. Decandr.) foliis pinnatis, leguminibus monospermis aculeatis, corollarum alis calyce brevioribus, caule elongato. Onobrychis folio viciae, fructu echinato maior. *Bauh.* Habet caules rubicundos, repentes: folia vero galegam referentia, sed minora, in parte superiori viridia, in inferiori alba et villosa, acuta, bina costae adhaerentia. Flores sunt dense spicati, ex alis foliorum erumpentes, papilionacei, seu leguminosi, rubicundi, raro albi. Flori succedit siliqua brevis, cristata, vel echinata, subrotunda, unico articulo constans, foeta semine reniformi. Radix longa, mediocriter crassa, extus nigra, intus alba. Usus

huius plantae maxime oeconomicus est, dum in solo quovis maxime sterili, dummodo non sit humidum, optime proficit, et per plures annos subsistit, eiusque esu et equi et armenta egregie nutriantur et eam maxime appetant. Decoctum plantae resolvens et diureticum est. Dictam volunt ab asini rugitu, quod eo depasto fremant asini. [Occurrit quidem sub onobrychidis nomine planta apud Dioscor. III. c. 160. quam plerique pro onobrychide sativa Lam. habent, sed ab Hedysaro onobrychide diversa.] Ab ὄνος, *asinus*, et βρύχω, *frendo, strideo,* [minus recte] ab ἄνω βρύχειν, quod sursum una cum scaturiginibus erumperet, vocatur. [Ge. *Gemeiner Süssklee*,] *Hahnenkamm, heilig Heu, spanischer Klee* u. s. w. Ga. *Esparcette.* A. *cockshead.* B. *Hane-kammekens.*

ONOLOSAT est vox Arabica, significans obolum, vel scrupulum dimidium.

ONONIS, vide *Anonis.*

ONOPORDON, seu *Carduus tomentosus offic.* est *Onopordon acanthium Linn.* calycibus squarrosis, squamis patentibus, foliis ovato-oblongis sinuatis. Planta biennis ad vias et in locis ruderatis crescens, cuius herba recens et succus expressus in carcinomate, inprimis vero faciei, externe applicata, egregiam virtutem ostendit. [A. *The cotton thistle, the wooly thistle.* B. *Witte wegdistel, ezelsdoorn.* Ga. *Le chardon commun, epine blanche sauvage, pet-d'âne.* Ge. *Zellblume, breite Wegdistel, weisse Frauendistel* u. s. w.]

ONYX, vide *unguis.* — *Onyx* dicitur etiam lapis quidam sat pretiosus, praecipue olim sculpturae veterum inserviens, species Chalcedonii, qui et Achates onyx, silex onyx, onychium, memphites appellatus est vix semipellucida, fasciis, aut stratis, diverse coloratis, ornata. Ge. *Onyx.* Ga. *Onice.*

[**OONINE** vocatur a J. P. Couerbe materia elementaris organica, ex albumine evoluta. Viam ac rationem, qua paratur, descripta est ab illo in *Annal. chem.* et *pharm.* 1829. mens. Iul. p. 323. et ex illis in Schweigger-Seidel. *Jahrb.* 1829. *St.* 9. *S.* 122. *ss.*]

OPALUS, s. *lapis elementarius,* [cuius variae species a mineralogis enumerantur, v. c. *nobilis,* quae et silex opalus nobilis, s. achates opalus vocatur, 2. *vilis.* 3. *oculus mundi* s. *lapis mutabilis* etc.] Fere pellucidus est, et colores pro situ spectatoris mutat. [Ga. *Opal, quarz-résinite.*] Ge. *Opal, Elementstein.* A. *Opal.* B. *Opaal.*

OPERARIUM chymicis dicitur illa pars furni, in qua vasa materias mutandas continentia collocantur.

OPERATIO, Gr. Ἐργασία, ἐνέργεια est labor non tantum chirurgis familiaris, ut operationes, sed et chymicis, qui suos processus etiam *operationes* nuncupant, suntque

illae mutationes corporum, per instrumenta artis, in finem, lege huius artis definitum. Ita et pharmacopoei suas habent operationes. — Medicamentorum quoque in corpore nostro effecta appellantur a medicis *operationes*. Ge. *Wirkung*. Ga. et A. *Operation*. B. *Werking, verrigting, uitvoering*.

OPHIASIS est capillorum morbus, quo extenuati, hinc inde spatiis intermissis, fluxuum serpentum instar, decidunt. [Absurda Blancardi derivatio est ab ὄφις, *serpens*, et ἴσον, *simile*: potius a verbo inusitato ὀφιάζω descendit, unde et ὀφιακὸς.] Hic morbus cunctis animantibus communis est, in quo scilicet pili animantium, capilli hominum, plumae volatilium, epidermisque omnium decidunt. Alia etiam est *ophiasis*, quae incipit ab occipitio, duorum digitorum longitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus serpit, quibusdam etiam ad frontem, donec duo se capita in priorem partem committant et quae infantes maxime afficit: in ea etiam cutis superficialiter excoriatur, color cutis mutatur, et si pungatur, serosus sanguis exit. *Sauv.* Vide *alopecia*. [Cels. *de re med.* VI. 5. Id (vitium), quod a serpentis similitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedit: ad aures duobus capitibus serpit; quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant. Illud vitium (ἀλωπεκία) in qualibet aetate est: hoc fere in infantibus.]

OPHIOGLOSSUM, sive **LINGUA SERPENTINA** est planta ad Cryptogam. Filices pertinens. Habet in singulis petiolis, seu caulibus, folia betae minimae, sed crassiora, recta, polita, carnosa et angusta, aliquando ampla et rotunda. Saporis viscosi est et dulcis. Caret haec planta floribus conspicuis, sed ex alis caulis erumpit fructus figura linguae compressae, seu linguae serpentinae, in plures cellulas bino ordine per longitudinem divisus, quibus sponte transversim disruptis utrinque denticulatus fit; hae cellulae includunt pulvisculum minimum seminum. Radix est fibrosa. Crescit in pratis et locis humidis. Plantae huic vires exsiccantes et traumaticae tribuuntur. Et hepatis morbis mederi, et oleo infusa eximium balsamum vulnerarium largiri creditur. Ex ὄφις, *serpens*, et γλῶσσα, *lingua*. Ge. *Natterwurz, Natterzüngelchen, Einblatt.* Ga. *Herbe sans couture, langue de serpent*. A. *Adders-tongue*. B. *Adders-tong, speer-kruid*.

OPHIOXYLUM est [arbor Indiae orientalis, unde depromitur] lignum serpentinum, vel serpentum. [Saporis est amari, viresque exerit sudoriferas. Unde contra serpentum morsus adhiberi solet.] Ab ὄφις, *anguis*, et ξύλον, *lignum*. Ge. *Schlangenholz, Marderwurzel*. A. *The snake-wood*. B.

Slangenhout, *inkhoornswortel.*] Ga. *Bois de serpent*, [*bois de colcuvre.*]

OPHIOSCORODON, sive *allium anguinum*, est *allii* species, scilicet Allium alpinum latifolium, *Bauh.* cuius caulis obscure rubicundis, seu nigris maculis commaculatur; vel est alia allii species, cuius caput cum suprema caulis parte serpentis in modum contorquetur. Ex ὄφις, *anguis*, et σκόροδον, *allium*. Ge. *Waldknoblauch.* Ga. *Ail serpentain.* A. *Serpents garlick.* B. *Serpent-loock, berg-look.*

OPHITES, idem quod *serpentinus lapis*: est species smectitis, seu *lapis ollaris* solidus virescens, maculosus, durus, polituram admittens. *Waller.* scilicet lapis marmori similis, colore viridi saturato, dilutis eiusdem coloris maculis quasi aspersus. Sed et alium constituunt colore cinereo et eadem duritie, nec non nigriusculis maculis variegatum. In igne aperto albescit, in clauso igne flavescit. Usus praecipue est mechanicus ad conficienda varia vascula. Frusta convexo-concava (Ge. *Wärmsteine*) aquae fervidae immerguntur, tumque in doloribus colicis abdomini imponuntur. Veteres ophitae genera fecerunt, *nigricans*, *durum*, *cinereum*, *punctis distinctum*; lineis quibusdam candidis interstinctum, candidum, molle. Hinc apparet, veterum ophitem a nostratibus esse diversum et marmoris speciem forte fuisse. — Serpentinus lapis invenitur in Suecia, nec non in variis aliis Europae locis, inprimis in Misnia prope Zoeblizium. Gr. Ὀφίτης. Ge. *Serpentinstein.* Ga. *Pierre serpentine.* A. *Serpentin-stone.* B. *Serpentyn-steen.*

OPHRIS, OPHRYS est planta, (Gynandr. Diandr.) quae habet caulem rotundum. Folia sunt plantaginis latifoliae foliis similia, duo in qualibet planta, quandoque tria, sibi invicem opposita, altero ex alterius sinu prodeunte, saporis viscidi et quodammodo dulcis. Spathae vagae; spadix simplex; perianthium nullum; germen florem proferens. Flos est polypetalus, anomalus, constans e petalis quinque, oblongis, sursum conniventibus, aequalibus; duobus horum exterioribus et nectario petalis longiori, dependente, postice carinato, quo fit, ut galeam quodammodo aemuletur, inferiori capitato et quasi anthropomorpho. Calyx autem abit deinde in fructum, seu utriculum unilocularem, trigonum, tribus fenestris pervium, quibus adhaerescunt valvae, seminibus foetae minutissimis instar scobis. Crescit in vallibus humidis, viribusque abstergentibus et vulnerariis gaudet. Planta haec est *Ophris bifolia Linn.* (quam alii quoque vulgo *bifolium* dicunt) cuius datur varietas foliis tribus. Ge. *Zweiblatt*, *Rattenschwanz.* Ga. *Double feuille.* A. *Tway-blade.* B. *Tweeblad.* — *Ophrys* Ill. *Linnaeo* denotat plantae genus plures species comprehendens, ab aliis ad Orchides relatas.

OPHTHALMIA, quam *Celsus lippitudinem* vocat, est tunicarum oculi inflammatio, cum dolore analogo, ac si spina esset oculo infixa, qui tam gravis est, ut aegri lucem ferre nequeant; cumque copiosis et ferventibus lachrymis aliisque humoribus affluentibus, qui successive crassiores facti in lemam mutantur. Dolor et lucis intolerantia sunt praecipua ophthalmiae symptomata; rubedo in ophthalmia externa tantum est. Pro diversitate causarum et partis adfectae quam plurimae dantur *ophthalmiae* species, magis, vel minus periculosae, aut sanabiles. Ab ὀφθαλμὸς, *oculus*. Ge. *Das Augenweh*. Ga. *Ophthalmie, mal aux yeux*. A. *An inflammation of the eyes*. B. *Ontsteeking der oogen, ooggezwel.*

OPHTHALMIATER est medicus ocularius. [Ab ὀφθαλμὸς et ἰατρὸς, *medicus*.] Ge. *Augenarzt*.

OPHTHALMICA sunt medicamenta adversus oculi mala. Ge. *Augenmittel*. Ga. *Remèdes pour les yeux*. A. *Remedy for the eyes*. B. *Oog-middelen*.

[**OPHTHALMOCHROITES** ab Hünefeldo (*Physiol. Chem.* II. p. 45.), qui sibi in novis terminis technicis excudendis nimium placet, appellatum est pigmentum oculi nigrum. A Gr. ὀφθαλμὸς, *oculus*, et χροΐζω, *coloro*, a quo verbo si deductum substantivum χροΐτης exemplo scriptoris graeci firmari posset, illud nihil aliud significaret, quam eum, qui superficiem corporis alicuius colore inducit, adeoque ὀφθαλμοχροΐτης eum, qui oculum colorat. Unde absonam novi termini technici formationem satis patere puto.]

[**OPHTHALMODYNIA** est dolor oculorum, nunc magis, nunc minus vexans aegrotum. A graeco ὀφθαλμὸς et ὀδύνη, *dolor*. Ge. *Augenschmerz*.]

[**OPHTHALMOMALACIA** appellatur illa bulbi oculi conditio, qua morbose emollitus est. Huius morbi exemplum observavit F. A. ab Ammon. Ab ὀφθαλμὸς et μαλακία, *mollities*.]

[**OPHTHALMOMETRUM** est instrumentum, quod ad spatia camerarum oculi accurate definienda Frc. Pourfour Petit invenit. Olim frigori intenso exposuerunt, qui utriusque camerae magnitudinem cognoscere cupiebant, bulbum, atque congelatum dissecabant, atque sic spatia dimetiebantur. Ab ὀφθαλμὸς et μέτρον, *mensura*.]

[**OPHTHALMONCUS** est tumor, inprimis durus, in partibus ad oculum pertinentibus obvius, et sive palpebras, sive coniunctivam bulbi occupans. A graeco ὀφθαλμὸς et ὄγκος, *tumor*. Ge. *Augengeschwulst*.]

[**OPHTHALMOPHYMA**, a graec. ὀφθαλμὸς et φῦμα, *tumor, isque mollis*, denotat in oculi bulbo eiusque vicinia tumorem molliorem, quales ii sunt, qui in suppurationem abierunt.]

[**OPHTHALMOPONIA** pro affectione, quae oculis infesta est. Vitiosa denominatio est, cum graece dicendum sit ὀφθαλμόπονος, i. e. morbus ocularius. Ge. *Augenleiden.*]

OPHTHALMOPTOSIS, vide *Exophthalmia, Hydrophthalmia.*

[**OPHTHALMORRHAGIA** est effusio sanguinis e vasis sanguiferis oculi, aut partium vicinarum. Ex ὀφθαλμὸς, αἷμα et ῥέω, *fluo.* Ge. *Blutfluss aus den Augen.*]

[**OPHTHALMOSTATES** a nuperis vocatum est instrumentum, quo bulbus oculi, in cataractae v. c. operatione, immobilis redditur. Huc pertinent v. c. Pamarti hasta, varia specula ophthalmica, quorum instrumentorum plurima a Schregero (*Handb. d. chir. Oper. p.* 259. s. ed. sec.) enumerata sunt. Denominatio graeca, ab ὀφθαλμὸς, *oculus*, et στάτης, quae vox in compositis tantum vocibus, ut ἐμποδοστάτης, ὀρθοστάτης etc. usitata est, deducenda, vitiosa est. Nam, ut e duobus exemplis intelligi potest, quorum prius eum, *qui contra stat*, posterius eum, *qui erectus stat,* significat, minime activam habet vim, quae tamen requiritur, sed nihil, nisi *oculum stantem,* denotat. Neque probari potest derivatio vocis a στατὸς, uti Krausius voluit. Hoc enim aut passivam, aut neutram habet notionem. Ophthalmostaticum autem instrumentum est tale, quod oculum immobilem reddidit.]

[**OPHTHALMOXYSIS** est ea operatio chirurgica, qua radendo coniunctivam bulbi inflammatam sanguis detrahitur. Ab ὀφθαλμὸς, *oculus,* et ξύσις, *rasura, radendi actio.* De hac operatione, ab Hippocr. iam instituta, a Woolhousio ab oblivione resuscitata, scripsit Mauchart. d. d. ophthalmoxysi. Tub. 1726. et J. Z. Platner. d. d. *scarificat. ocul.* Lips. 1728. 4.]

[**OPHTHALMOXYSTER** seu **OPHTHALMOXYSTERION** est instrumentum, quo ophthalmoxysis peragitur. Ab ὀφθαλμὸς et ξυστὴρ, *rasor,* quem inter instrumenta chirurgica retulit Pollux *onom.* 4, 181. De tali instrumento, quod *Blepharoxyston* quoque nominatur, egit Ca. Jos. Beck *Handb. d. Augenheilk.* p. 35.]

[**OPIANUM** a Derosneo principium narcoticum opii vocabatur. Praeparandi illius rationem tradidit in *Annal. de chim.* XLV. p. 271. unde Trommsd. in *Journ. f. Pharm.* XII. 1. 223. Nunc appellatur *narcotine.* Sub priore tamen nomine de eo egit Gmelinus in *Theoret. Chem.* II. p. 1365.]

OPIATA et **OPIATUM**, sive *electuarium,* medicamentum internum est, quod consistentia Opiatae officinali (ut *Theriacae,* vel *Mithridatio*) simile, ex variis rebus, melle, vel syrupo, exceptis, in plures doses est concinnatum. Generaliter sumitur pro omni electuario, sed specialiter pro iis

tantum, quae opium, a quo denominatio, recipiunt, uti pro *Theriaca, Mithridatio, Diascordio, Philonio, Requie Nicolai* etc. Ge. *Ein Opiat, Latwerge.* Ga. *Une opiate.* A. *An opiat.* B. *Een opiaat, een gecomponeerde conserf.*

OPIOLOGIA est opii descriptio. Ab ὀπὸς, *succus*, et λέγω, *narro.*

OPISTHOCYPHOSIS, i. q. *cyphosis* et *opisthotonos.* [Ex ὄπισθεν et κύφωσις, *incurvatio.*]

OPISTHOTONUS, TETANUS OPISTHOTONICUS, RAPTUS POSTERGANEUS, TETANUS DORSALIS, est tetanus, sive tensio, aut convulsio capitis, cervicis et spinae versus posteriora, contractis sursum pedibus, cum difficili respiratione, deglutitione et rigore aliquamdiu perseverante. Plerumque a venenis deleteriis, aut vulneribus, oritur. Ex ὄπισθεν, *a tergo, pone*, et τείνω, *tendo.* Ge. *Der Rückenkrampf.* Ga. *Convulsion du col et de l'epine en arrière.* A. *Cramp of the neck.* B. *Agterwaartse spanning.*

OPIUM est succus papaveris, et quidem proprie illius speciei, quae vocatur: *Papaver somniferum* calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis *Linn.* Papaver hortense semine albo, vel nigro, *Bauh.* inspissatus, gummeoresinosus, duriusculus, nigricante colore, sapore acri et amaro, et viroso odore praeditus. Sunt, qui opii ac meconii nomen confundant, et haec pro uno eodemque habeant; sed male. *Opium* enim lacryma est, quae stillavit ex capitibus papaveris, dum maturescebant, leviter incisis. *Meconium* e contra succus est ex iisdem expressus. Opium vero est triplex: *album* adfertur ex Cairo, quod et forte *Thebaicum* vocatur et *Meceri. Nigrum* et durum venit ex Syria et Alexandria. Tertium flavescens magis et mollius, ex Cambaia et Decan mittitur. Turcae illud ex albo colligunt papavere. [Album autem papaver, e sententia Neesii ab Esenbeck, tanquam peculiaris species discerni meretur, quippe quae in omnibus suis partibus maior, admodum foetidi virosique odoris est et floris amplioris colorem sincere album, capsulam semper clausam, et semina alba habet.] *Opium*, quod in magnis frustis foliis papaveris involutis ad nos adfertur, nigrum est, amarum et graveolens, forsan nihil aliud erit, quam *Meconium*, quod Iavanenses *Poust* vocant, et eo utuntur infimae sortis homines. Sed quod ex ipsis capitibus stillat, *Affion*, et Turcis *Maslac* dicitur, et a ditioribus tantum usurpatur, qui illud in deliciis habent; praesertim si eo uti assucti sunt. [Recentissimis temporibus chemiae ope diligentissime in partes opium constituentes inquisitum est, et in illo praeter morphium, narcotinem, acidum meconicum, materiem quoque et extractivam et balsamicam, oleum pingue, cautschuk, resinam, gummi, glutinem atque principium volatile, quod e Lüdeckii experimentis pro acido hydrocyanico nullo modo haberi potest,

detecta sunt. Cum opium vario modo mangonisetur, variorum chemicorum disquisitiones a se inviccm recedere debere apparct.] Opium gaudet viribus narcoticis, phantasticis, dementantibus, exhilarantibus, antispasmodicis, anodynis, omnes excretiones, praeter cutaneam, sistentibus, quas omnes vires forte unice exscrit parte sua subtilissima in materiam nerveam agendo, sicque et sensibilitatem et irritabilitatem imminuendo. Remedium igitur est summe efficax, cuius quidem usus intempestivus, aut abusus, summe noxius, tempestivus vero summe proficuus esse solet, et, quod incassum ab aliis remediis exspectatur, levamen fert. Plura in officinis prostant remedia composita, quae opium ingreditur, variae quoque eiusdem, sub varia forma, praeparationes, pro quantitate ipsius opii ingredientis plus, vel minus, activae. Datur etiam in substantia ad granum unicum. Soporem nimio usu inductum optime acida vegetabilia discutiunt. [De opio quid veteribus cognitum fuerit, exposuit Diosc. IV. 65.] Gr. Ὀπὸς. Ge. *Mohnsaft.* Ga. A. *Opium.* B. *Heulsap, slaapsap.*

OPIUM *praeparatum Langelotti* quid sit, in antecedentibus expositum est. Vide *Germentum.*]

OPOBALSAMUM, vide *Balsamum.*

OPOBALSAMUM GERMANICUM: ita vocant nonnulli extractum spirituosum ex oculis, s. gemmis *Populi albae Linn.* paratum, cui eximias virtutes in morbis pulmonum et laesione partium tendinosarum tribuunt.

OPOCHRISMA, OPLOCHRISMA tale dicitur unguentum, quo si ensis, aut aliud instrumentum vulnerans, illinatur, vulnus adactum sua sponte sanari creditur. Ex *ὅπλα, arma*, et *χρίω, ungo.* Ge. *Waffensalbe.*

OPODELDOCH nomen est alicuius emplastri vulnera et ulcera sanantis: istius descriptiones inveniuntur apud *Paracelsum*, F. *Würtz*, *Mindererum*, aliosque auctores. Nomen est chymicum fictitium, a *Paracelso* excogitatum, nihil significans. Species est emplastri stictici. [Nunc linimentum saponatum; quod et *balsamum opodeldoc* audit, hoc nomine insignitur.] Ge. *Stichpflaster.* B. *Steek - pleister*, *wond-pleister.*

OPOPANAX est succus gummi resinosus ex herbae umbellatae plantae radicibus et caulibus sauciatis stillans, ac concrescens, primo est albidi coloris, sed post siccationem flavum et quasi croceum acquirit colorem: odor est gravis, sapor amarus: friabilis est, intus albescit, et granulatim saepe invicem adhaeret. [Pondus specif. = 1,622. Incensum lucida deflagrat flamma.] Planta, e qua exstillat, est Panax costinum *Bauh.* *Panax opopanax* foliis bipinnatis *Linn.* [*Pastinaca Opopanax* Linn. seu *Ferula Opopanax* Spr.] Planta umbellifera, (Pentandr. Digyn.) in regionibus calidioribus proveniens. Id gummi ex Turcia, aut India orientali,

in granis, aut massis, ad nos adfertur. [Optimum genus est, quod in granis prostat; minoris aestimandum est, quod in massis venit, magnis, informibus, fuscis aut nigris, et multas impuritates continentibus. Analysis chemica, a Pelletiero instituta, illius partes centum constare docuit e 5, 9 olei volatilis, 42, 0 resinae, 33, 4 gummi, 4, 2 amyli, 9, 8 fibrae ligneae, 2, 8 acidi malici, 1, 6 principii amari, 0, 3 cerae et e vestigio caoutchouc.] Gaudet viribus resolventibus, balsamicis, nervinis, eccoproticis, carminativis et emmenagogis; hinc usus eius sat frequens est tum externus in unguentis et emplastris, tum internus in pilulis. Plura praeterea medicamenta composita officinalia ingreditur. Ge. *Panaxgummi.* Ga. *Opopanax.* B. *Sap van het panace-kruid.*

OPPILATIO, i. q. *obstructio.*

OPPOSITA botanicis dicuntur folia, aut caules, aut pedunculi, per paria decussatim e regione collocata.

OPPRESSIO dicitur de cordis et praecordiorum anxietate in febribus ardentibus, ob sanguinis liberum transfluxum per vasa pulmonalia impeditum oriunda. Ge. *Beängstigung.* Ga. *Oppression.* [*Virium oppressio* significat minime defectum virium, sed eum aegroti statum, quo is a nimia earum intensitate, quominus iis libere uti possit, impeditur. Iste corporis status in febre ardente, in inflammationibus e. s. p. locum habet.]

OPTICA, seu **OPTICE** est doctrina de visu, et radiorum lucis in oculum actione. Gr. ὀπτικὸς, *ad visum pertinens;* ὀπτικὴ s. τέχνη. Ge. *Optik.* Ga. *Optique.*

OPTICA *medicamenta* vocantur, quae visum acuere valent.

OPTICUS NERVUS sive visorius, in fundo bulbi oculi substantia sua medullari explicitus, et *retina* dictus, excipit radios lucis, vario modo per corpora, tunicas et humores oculi refractos, hincque rerum supra retinam depictarum ideae in cerebro ad sensorium commune deferuntur. Utriusque nervi origo ex thalamis nervorum opticorum provenit, postea hi nervi in sella turcica coëunt, quod *coniugatio nervorum opticorum* dicitur, et cranium egressuri ab invicem seiunguntur, atque per foramen rotundum ossis sphenoidis ad oculos veniunt. Ab ὄπτομαι, *video.* Ge. *Der Sehnerv.* Ga. *Le nerf optique.* A. *Optick nerves.* B. *De oogzenuw, gezichtzenuw.*

OPUNTIA planta est ex America ad nos allata, cuius plures species in hortis nostris coluntur, quae nunc ad *Cactos* referuntur, et *Cacti opuntiae* compressae articulis compressis vocantur. Pervenit planta ad altitudinem magnae arbusculae. Folia sunt magna, longa, crassa, viridia, dura, tuberculis spinosis instructa, succo plena, viscosa, nervosa. Flores sunt rosacei, (Icosandr. Monogyn.) flavi, aut rubri, petalis plurimis in orbem positis constantes, innati apici ova-

ii, numerosissimis staminibus praediti. Ovarium, cuius pex in ambitu speciem caliculi refert, fit fructus carnosus, mbilicatus, unicapsularis, excavatus, continens pulpam nedullosam, rubram, saporem dulcem habens, foetus seminibus annulatis, saporis non ingrati. Huius plantae si unum folium terrae mandetur, crescit, datque novam plantam. Tota aec planta foliis constat, fertque in calidioribus regionibus ructus edules, sat quidem esu gratos, sed urinam rubro colore tingentes; ob fructuum, magis vero foliorum, similitudinem quoque *ficus indica* dicitur. Estque quoque huius lantae species, quae *coccionellam* fert, seu potius hoc insecum alit, scilicet Opuntia, vel *cactus cochinellifer* articulato rolifer, articulis ovato-oblongis subinermibus *Linn.* Tuna nitior, flore sanguineo, cochinillifera *Dill.* Ficus indica naior, laevis, s. spinosa, vermiculos proferens. *Pluk.* *Opuntiae* nomen habet ab urbe Opunte. Ge. *Die gemeine ndianische Feige.* Ga. *Figuier d'Inde, raquette, cardasse.* A. *The common indian fig, prickly pear-tree.* B. *Indiaanche-vyg.*

ORBICULARE OSSICULUM est auris internae parvum otundumque ossiculum, incudis processui adnatum, quod rticulatur cum stapede. Nonnulli *squamosum, cochleare,* dem *quartum ossiculum* vocant, licet proprie tertium sit. Ge. *Das runde Beinchen im Ohr.*

ORBICULARIS, sive **CREPITUS LUPI** est Fungi species; sunt vel rotundi, vel semirotundi, sed incertae magniudinis. Nascuntur in campis desertis, nullum habentes pediculum, intus spongiosi sunt, et, si recentes fuerint, aquam, siccati vero spongiosam et pulverulentam continent materiam nstar ochrae subnigrae, quae semen est; extus pellicula obducuntur eiusdem fere coloris: utuntur iis chirurgi in sanguine sistendo. Vide *Lycoperdon.* Ge. *Bovist.* Ga. *Vesse de loup.* A. *Wolfs-fart.* B. *Wolfsfeest, bovist.*

ORBICULARIS LABIORUM, vide *Sphincter oris.*

ORBICULARIS PALPEBRARUM, CONSTRICTOR PALPEBRARUM est stratum fibrarum muscularium tendine satis valido a cantho oculi interno ad processum nasalem ossis maxillaris superioris orientium, ad marginem orbitae superiorem et inferiorem decurrentium, et ad angulum externum sese decussantium. *Orbicularis minor*, seu *ciliaris*, ipsis palpebrarum marginibus superiacet. Uterque musculus actione sua palpebras constringit; arcteque oculum claudit. Ge. *Der ringförmige Muskel, oder Schliessmuskel der Augenlieder.* Ga. *Muscle orbiculaire des paupieres.*

ORBITA OCULI est antrum, sive cavitas conica, utrinque in parte superiori et anteriori faciei collocata, bulbum oculi excipiens atque recondens, ex concursu septem ossium formata, scilicet ossis frontalis, sphenoidei, unguis, partis

ethmoidei, iugalis, maxillaris et palatini, et retrorsum variis foraminibus pro transitu nervorum et vasorum ad oculum eiusque musculos accedentium pertusa. Ge. *Die Augenhöhle.* Ga. *L'orbite.*

[**ORCHIDEAE** constituunt septimum ordinem systematis Linnaeani naturalis, sive tertium classis monocotyledonum cum staminibus epigynis systematis natur. Iussicui. Charactcres ordinis huius sunt: Cal. superus, coloratus, 6 labiatus, lacinia inferiore, irregulari; 2 stamina in apice pistilli; pollen agglutinatus et elasticus; capsula polysperma, trivalvis.]

[**ORCHIOCELE**, ab ὄρχις, et κήλη, *hernia.* Vid. vox sequens.]

[**ORCHIONCUS**, ab ὄρχις, et ὄγκος, *tumor.* Hoc nomine Swediaur *l. c. to. II. p.* 514. insignit in universum testiculorum tumores, quos veteres *hernias spurias* appellabant. Pro materiei, tumorem efficientis, diversitate varia nomina acceperunt, v. c. *hydroceles, sarcoceles, haematoceles* etc.]

ORCHIS est plantae genus flore sex-vel polypetalo anomalo (Gynandr. Diandr.). Habet folia ex radice erumpentia, simplicia, liliaceis similia. Caulis est rotundus; finis pedunculi exit in ovarium oblongum, uniloculare, trivalve, tribus fenestris pervium, continens pulverulenta seminula: apici ovarii insidet flos, in quo spathae vagae, spadix simplex, perianthium nullum, germen florem sustinens; corolla habet petala quinque, tria exteriora, duoque interiora sursum conniventia in galeam; nectarium monophyllum, a latere inferiore inter divisuram petalorum receptaculo affixum; labio superiori erecto, brevissimo, labio inferiori magno, patente, lato; tubo pendulo, corniformi, pone prominente, ut adeo flos nunc hominem nudum, modo papilionem, fucum, columbam, simiam, lacertam, aut muscam repraesentare credatur. Radix est rotunda, carnosa, tuberosa, in testiculorum, vel carnosam palmatam formam formata, succulenta, albida, paululum compressa, viscosa, subdulcis odoris seminalis. Haec planta crescit in locis humidis. Est *Satyrion,* Latinis *Testiculus*; sic dicitur, quod eius radices ex duobus, aut tribus constent globulis, quasi tot testiculis, qui pro varia forma apud veteres varia quoque obtinuere nomina, ut Cynosorchis, etc. Huius generis numerosae dantur species. Quae in officinis sub nomine *Satyrii* prostat, cuiusve radix in usum medicum adhibetur, est Orchis alba bifolia minor, calcari oblongo. *Bauh. Orchis bifolia*, bulbis indivisis, nectarii labio lanceolato integerrimo, cornu longissimo, petalis patentibus *Linn.* Qualitatis est hircinae, mucilaginosae, singularis tamen ei tribuitur virtus aphrodisiaca, analeptica, anodyna, inviscans et lubricans, hinc in anaphrodisia, sterilitate, atecnia, tabe et dysenteria commendatur. Prostat electuarium, vel confectio diasatyrion. — Alia adhuc Or-

chidis species praecipue in dysenteria et ut egregium nutriens laudatur. Vide *Salab.* Ge. *Zweiblätteriges* oder *wohlriechendes Knabenkraut, Stendelwurzel, Fuchshödchen* etc. Ga. *Couillon de chien, satyrion orchis blanc.* A. *Dogstones, the butterfly orchis.* B. *Hondekens kruid, standel kruid, kullekens-kruid.*

ORCHIS est testiculus, cuius substantia in viris nihil aliud est, quam minutissimorum vasculorum alborum, ordinatoque inflexu in quibusdam dissepimentis locatorum, semen conficientium congeries. Sunt ea vascula productiones ex arteriis seminalibus, hic tramite recto in vasa angustissima desinentibus, dum per laterales ramos et anastomoses suum sanguinem venis infundunt, et nervi quamplurimi, uti et lymphatica copiosa, hic terminari in vasculis quibusdam videntur. Figurae est ovalis, tunica propria densa albuginea et laxiori vaginali inclusus, cui superius incumbit supereminens corpus, *epididymis* dictum, testis continuatio, inque *vas deferens* terminatum, per quod semen praeparatum in vesiculas seminales effunditur. Viris plerumque duo, raro pauciores, aut plures, sunt testiculi, scroto reconditi. Vide *Scrotum.* Foeminis improprie testiculi tribuuntur. Vide *Ovaria.* Orchides etiam vocantur *testes, colei Cic. ad Famil.* 9, 22. et Martial. *vasa Plauto*, ὄρχεῖς, δίδυμοι, μέζεα *Hesiod.* μήδεα *Homer.* [Utrumque, et μέζεα et μήδεα, non testiculos in specie, sed partes genitales in universum denotat.] ὀρχείδια, ὀλκὸς *Oppiano?* Ge. *Hoden, Hödlein.* Ga. *Testicules.* A. *Testicles, stones.* B. *Klootjes, zaadballen.*

[**ORCHITIS** est inflammatio testiculi. Errat Krausius, cum vocem proprie *orchiditis* scribendam esse putat. Orchis enim genitivum non ὄρχιδος, sed ὄρχιος s. ὄρχεως format. Ge. *Hodenentzündung.*]

ORCHOTOMIA est testiculi excisio. Vide *Orchotomus.* [Potius *orchio-* s. *orcheotomia* scribenda vox est. Nam orchotomia plane aliud significaret, quippe quod ab ὄρχος, *series, ordo plantarum,* derivandum esset. Quonam scriptoris loco Krausius probare velit, τὸν ὄρχον denotare *tarsum* (palpebrarum), nescio.]

ORCHOTOMUS, [seu potius *orcheotomus*], est, qui testiculos exscindit, qua operatione animalia castrantur, ne cum aliis coëant: inde *orcheotomia,* sive testiculorum excisio. Ex ὄρχις, *testiculus,* et τέμνω, *seco.* Ge. *Ein Verschneider.* Ga. *Châtreur.* A. *Gilder*, or *stone cutter.* B. *Een lubber.*

ORDEOLUM barbaris i. q. *crithe* et *hordeolum.*

OREOSELINUM est Apium, seu Selinum montanum. Apium montanum nigrum *Bauh.* *Athamanta oreoselinum,* foliis divaricatis *Linn.* (Pentandr. Monogyn. Planta umbellifera; habitat in Germaniae, Galliae et Angliae collibus apricis. Qualitatis est resinosae subaromaticae, eximiisque

viribus resolventibus, diureticis et pectoralibus pollet. Semini est virtus emmenagoga. Vide Ill. *Schmidelii* Diss. de *Oreoselino*. Ex *ὄρος*, *mons*, et *σέλινον*, *selinum*, quasi *Petroselinum*. Ge. *Bergpeterlein*, *Grundheil*. Ga. *Persil de montagne*. A. *Mountain*, or *stone parsley*. B. *Berg-eppe*, *kroontjes-kruid*.

OREXIS est ordinarius cibi appetitus, qui proxime oritur a tritu ventriculi, cuius nervosa iuga tenui villosa crusta obducta, inque ventriculum pendula, super se invicem confricantur, quive pendet tum a propria fibrarum ventriculi contractione, tum ab actione septi transversi et musculorum abdominis. Augeri praeter naturam potest ab acrimonia acida, lumbricis, aliisque irritantibus. Ab *ὀρέγομαι*, *cupio*. Ge. *Hunger*, *Esslust*, *Begierde zu essen*, *Lust zur Speise*. Ga. *Faim*. A. *Appetite of meat*, *hunger*, *famine*. B. *Honger*, *eetlust*, *graagheid*.

ORGANICA PARS est, quae ex variis partibus, quarum natura et efficacia diversa est, constat, uti musculus constat ex carne, membranis, tendinibus, variisque vasis etc. et functioni cuidam praestandae congruum organum existit: ei opponitur *similaris pars*, de qua suo loco. Ge. *Werkzeug des Körpers*, *organischer Theil*. Ga. *Partie organique*. A. *Organick part*. B. *Een organizeerde deel*.

ORGANICI MORBI sunt, qui mutatione figurae, magnitudinis, numeri, vel situs partium organicarum functionem impediunt, et opponuntur morbis similaribus, qui in fibris, membranis, vel vasis simplicissimis obtinent, fibrarumque eas constituentium cohaesionem mutant. Ge. *Organische Krankheiten*. B. *Werktuigige ziekten*.

ORGANUM est pars e pluribus aliis partibus similaribus composita, quae ad sui constitutionem, actionesque perficiendas rectam et determinatam conformationem requirit, ut brachium, musculus, cor etc. Inprimis de organis sensoriis, ut aure, oculo etc. adhibetur. Ge. *Werkzeug*. Ga. *Organe*. A. *Organ*. B. *Een werktuig*.

[**ORGASMUS** est nimius sanguinis motus, quo functiones corporis turbantur, simulque stimulus ad excretionem adest. Moncute Castello ab Hippocrate de humoribus excrementitiis, superfluis, hinc inde agitatis, et sui excretionem quodammodo postulantibus adhibetur. Galenus comm. in Hipp. de humor. (to. XVI. p. 191. ed. Lips.) ab *ὀργάσαι* derivat atque per *μαλάξαι* exponit. *Ὀργᾶν*, quod de animalibus proprie dicitur, quae semine turgent, et ad eius profusionem stimulantur, ad res quoque inanimatas v. c. arborum gemmas etc. transfertur. Graecos imitati sunt latini scriptores. Sic Virg. Georg. II. 324. Vere tument terrae, et genitalia semina poscunt. A. *Quick motion*. B. *Drift*. Ga. *Orgasme*. Ge. *Die Aufwallung*.]

ORGYALIS botanicis est mensura caulium, aut foliorum, quae longitudinem homini aequat. Ab *ὀργυιὰ, mensura sex pedum.*

ORICHALCUM, vide *Aurichalcum.*

ORIFICIUM notat extremitatem meatus cuiusdam apertam, et ad fines vasorum applicatur; inprimis vero de ventriculo, (qui duo *orificia* habet, cardiam, seu stomachum, per quem cibi potusque ingrediuntur, et pylorum, per quem exeunt), de ano, utero etc. dicitur. Ge. *Mündung, Oeffnung.* Ga. *Orifice.*

ORIGANUM est plantae genus flore monopetalo ringente, verticillatum, (Didynam. Gymnosperm.) habet caulem durum, quadratum, villosum. Folia maiora Calaminthain referunt, minima Maioranam, villosa sunt, odorata, saporis aromatici acris. Flores in spicas squamosas, foliolis ovatis coloratis compositas, ex squamulis propriis provenientes, congeruntur, monopetali, labiati; horum labium superius surrectum est, subrotundum, bifidum, inferius vero tripartitum. Ex calyce surgit pistillum, posticae floris parti ad instar clavi infixum, ac veluti quatuor embryonibus stipatum, qui abeunt in totidem semina subrotunda, minima, in capsula, quae floris calyx fuit, recondita. Radix est fibrosa, minima, lignosa. Crescit in montibus. Inter plures huius generis species duae praecipue in usum medicum adhibentur, scilicet 1) Origanum sylvestre *Bauh. Origanum vulgare,* spicis subrotundis, paniculatis, conglomeratis, bracteis calyce longioribus ovatis *Linn.* et 2) Origanum creticum *Bauh. Origanum creticum* spicis aggregatis, longis, prismaticis, rectis, bracteis membranaceis calyce duplo longioribus. Pollet utraque qualitate calida, spirante, subaromatica, viribusque nerviinis, roborantibus, resolventibus et excitantibus. Usus est in decocto, balneo atque fomento. Oleum essentiale insigne est remedium in odontalgia a carie proveniente. *Origanum* [Etymol. M. p. 630. auctore.] dici volunt, quod montibus gaudeat, *ἀπὸ τοῦ ὄρους,* a *monte,* et *χαρᾶς, gaudio,* sed alii, quod visum exacuat, ab *ὁρᾶν, videre,* et *γανῶ, clarifico,* quasi aciem oculorum illustrans. Nonnulli nomen ex adverso datum putant, a *ῥιγῶ,* quod est *algeo,* fieri *ῥίγανον,* quasi rigens, censent et tandem adscita littera principe O, in origanum esse confictum, contrario tamen sensu, quod minime refrigeret. [Gr. *ὀρείγανον*, ita enim, non *ὀρίγανον,* quod Diosc. III. c. 29. habet, scribendum esse contendit Etym. M. *l. c.*] Ge. *Dosten, Wohlgemuth, Bergmünze.* Ga. *Origan.* A. *Origany.* B. *Orego, grove marjolein.*

ORIGINALE dicitur de morbis idiopathicis; inprimis illa phthisis species, quae a mala pulmonum dispositione, ut prima causa, pendet, *Mortono* vocatur *originalis.*

ORLEANA TERRA est fecula, seu sedimentum exsicca-

tum coloris e rubro fusci, odoris violacei, saporis subamari et subadstringentis. Arbor, e cuius fructu siliquoso contuso infusione, colatione haec fecula praeparatur, est procera, densa, flore rosaceo, (Polyandr. Monogyn.) Urucu *Marcgr. Bixa orleana Linn.* Actiobl *Indor.* [Iconem exhibet Sonnerat *voyage à la nouv. Guinea* tab. 13. Afferuntur massae duarum vel trium librarum. Pigmentum, quod continet, medium locum inter mucilaginem et principium extractivum obtinet. Cum potassa mixtum laneas et sericeas telas flavo, at non duraturo, colore inficit. Radix diureticas virtutes possidere dicitur.] Crescit atque colitur in America australi. Usus maxime tinctorius est, sunt tamen, qui *orleanam* ob vires refrigerantes, roborantes et stomachicas in haemorrhagiis aliisque profluviis commendent. Ge. *Orlean.* Ga. *Roucou.*

ORMINUM, vide *Horminum.*

ORNAMENTUM FOLIACEUM dicitur extremitas tubae Fallopianae uteri muliebris fimbriata, eum in modum comparata, ut in oestro venereo rigescens quasi tot digitis ovum, ex ovario prodiens, comprehendat. Ge. *Die gezackten Enden der Muttertrompeten.* Ga. *Frange membraneuse*, ou *le pavillon de la trompe de Fallope.* B. *Het loof-werk.* — — Vocatur hoc *ornamentum foliaceum* etiam *morsus diaboli.*

ORNITHOGALUM est planta, flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) quae habet folia longa, angusta ut graminis, mollia, repentia, excavata, lineam albam in longitudinem habentia. Caulis est rotundus, nudus, tener. Finis pedunculi ex caule membranula est longa, tenuis. Flos est liliaceus, ex petalis sex in orbem positis compositus, cuius singulis intus ad superiora adnascitur stamen. Ovarium tuba longa, apice sphaerico instructa, donatum, fit fructus subrotundus, angulatus, trilocularis, trivalvis, foetus seminibus subrotundis, nigris. Radix bulbosa, aut tuberosa. Bulbus est fere ut in narcisso, seu ut in porro, ita ut totus habitus ad porrum accedat. Eius vix in medicina usus est. Unius tamen speciei, quae est ornithogalum angustifolium medium *Bauh.* radici eximia virtus sialagoga et diuretica tribuitur. Ornithogalum, quasi diceres *lac avium*, compositum est ex ὄρνις, *avis, gallina,* et γάλα, *lac.* Ge. *Feldzwiebel, Ackerzwiebel, Stern von Bethlehem.* Ga. *Churles, ornithogale.* A. *Dogs onion, star of Bethlheem.* B. *Veld ajuin.*

ORNITHOGLOSSUM, sive *lingua avis:* sic vocatur semen fraxini arboris. Ab ὄρνις, *avis,* γλῶσσα, *lingua.* Vide *Fraxinus.*

[**ORNITHOLOGIA** vocatur ea historiae naturalis pars, quae de avibus exponit. A Gr. ὄρνις, *avis*, et λόγος, *sermo, doctrina.*]

ORNITHOPODIUM, s. **ORNITHOPUS** est planta, flore

papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quae habet plures caules flexiles, debiles, ramosos, fere repentes, rotundos, villosos. Folia Coluteae foliis minora, sibi invicem opposita, et iuxta unam costam disposita. Calyx monophyllus, quinquedentatus. Flores sunt exigui, leguminosi, in spicas in summitate ramorum congesti. Flori succedit siliqua oblonga, articulata, sulcata, incurvata, singulo quoque articulo continens semen unum, rotundum. Siliquae vero ad unum pedunculum et eundem exortum, crescunt mutae simul. Radix est parva et alba. Haec planta crescit in pratis et in locis arenosis. Eius decoctum eximiis viribus aperitivis, diureticis atque antinephriticis gaudere, cataplasma vero herniis conducere dicitur. Ornithopodium est avis pes; sic vocatur, quod eius siliquae pedem avis cum suis digitis et articulis referant. Ex ὄρνις, *avis*, et πούς, *pes*. Ge. *Vogelfuss, Vogelklaue.* Ga. *Pied d'oiseau.* A. *Birdsfoot, birdsclaw.* B. *Vogel-voet.*

ORNUS est Fraxini species, (Polygam. Monoec.) et quidem Fraxinus humilior, minore et tenuiore folio *Bauh. Fraxinus ornus*, foliolis serratis, floribus corollatis *Linn.* An ab ornatu, ob elegantes rubicundos fructus? an ab Hebraica voce Oren? Ge. *Wilder Eschenbaum, die blühende Esche.* Ga. *Frêne sauvage, frêne à fleurs en grappes.* A. *Wildash, flowering ash.* B. *Haver'essche, qualster, lyster-bezie, quartel-bezie, quaal boom.*

OROBANCHE est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Angiosperm.) cuius species maxime frequens est *Orobanche maior Linn.* quae habet caulem rectum, spongiosum, cylindricum, aut rotundum, fistulosum, fragilem, pallidum, villosum. Folia non habet, nisi in principio quaedam exigua, angusta, spongiosa, cito cadentia. Flores in calyce monophyllo, semiquinquefido, erecto, colorato, persistente, iuxta summitatem caulium nascuntur, a se invicem distantes, villosi, coloris purpurei, pallidi, flavi, aut viridis, odorantes. Post florem apparet fructus oblongus, unilocularis, per maturitatem dehiscens in duas valvas, foetus seminibus minutissimis et albescentibus. Radix est bulbosa, obrotunda, squamosa, pollicis crassitiei, extus nigra, intus albescens, aut flavescens, tenera, succum viscosum amarum habens, per siccitatem fit adeo dura, ac os. Caules decocti et inter acetaria, ut asparagi, esitantur. Pulvis radicis colicam flatulentam tollit. A tauris devorata, in his libidinem excitare dicitur. Crescit in locis arenosis, at etiam inter segetes et legumina, quae tamen suffocare creditur. Hinc nomen habet ab ὄροβον ἄγχειν, quod *orobum strangulet.* Ge. *Sommerwurz, Hanfwurzel, Hanfmännchen, Erbsenwürger.* Ga. *Orobanche, [herbe de taureau.]* A. *Broomrape, [strangle wead.]* B. *Smeer-kruid, [leeustaart, bremraap.]*

OROBOIDES est hypostasis, sive urinarum subsidentia, ervi, aut orobi farinae similis. Ex ὄροβος, *ervum*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Mehlichter Satz im Urin*. B. *Erwtachtige* seu *erwten gelykende pis*.

OROBUS est leguminis species, scilicet planta flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius species officinalis est orobus siliquis articulatis, semine maiore *Bauh. Ervum ervilia* germinibus undato-plicatis, foliis impari pinnatis *Linn.* Habet caules exiguos, repentes. Folia sunt oblonga, bina coniugata, adnata costae in mueronem abeunti. Calyx monophyllus, quinquedentatus. Flores in spicas congesti sunt leguminosi, coloris purpurei, aut albi. Flori succedit siliqua teres, obrotunda, nigra, erecta, foeta seminibus subrotundis, angulosis, ovatis, fuscis, saporis paululum amaricantis et ingrati. Haec planta passim in Europa australi colitur. Esca columbis gratissima. Semen virtute aperitiva, diuretica et antinephritica pollet. Farina eius inter quatuor farinas resolventes in officinis refertur. — Sunt tamen etiam aliae plantae, quae *orobus* vocantur, ex quibus Cl. *Linnaeus* singulare genus, (Diadelph. Decand.) constituit, inter cuius species *Orobus vernus* et *tuberosus* maxime vulgares sunt. In sylvis apud nos crescunt. [Illa vocatur A. *The spring bitter-vetch.* B. *Voorjaarse erven.* Ga. *L'orobe printanier.* Ge. *Die frühe Bergerbse, Frühlingserven, Walderven, Waldkichern, rothe Waldwicken, Waldrosswicken, Fasanenkraut.* haec autem A. *The tuberous bitter-vetch, wood-bease, heathpease.* B. *Knollige erven, bergcicers.* Ga. *L'orobe tubereux, gesse sauvage.* Ge. *Die knollige Bergerbse, knollige Erven, Waldwicken mit knolligen Wurzeln, Christianswurz, falsches Süssholz. Orobus* nonnullis ab *ervo* derivatur, aliis dicitur παρὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, quod boves ea vescantur et saginentur. Ge. *Erwen.* Ga. *Ers.* A. *Bitter vetch.* B. *Erven, erwten.*

[**ORRHYMENITIS** a M. G. A. Naumanno (Handb. d. med. Klin. Pa. I.) male excogitata denominatio inflammationis membranae serosae. Ab ὀρὸς s. ὀῤῥὸς, *serum lactis et sanguinis,* et ὑμὴν, *membrana.*]

[**ORTHOBIOTICE**, ab Heinrotho inventa vox, ut rectam vivendi rationem significaret. Ab ὀρθὸς *rectus*, et βιωτίκὴ sc. τάξις, *ordo, ad vitam sustentandam aptus.* Num apte excusa denominatio sit, dubito.]

ORTHOCOLON est [articulationis vitium, quando artus in articulis flecti nequeunt. In Cullenii nosologia illa contracturae forma hoc nomine insignitur, qua artus immobiles in rectum extensi sunt: contra ea *ancylen* vocandam esse statuit illam articuli immobilitatem, qua artus inflexi simul sunt. Galenus in *Hipp. de artic.* III. p. 623. to. XVIII.

pa. 1. explicat, quid sit ὀρθόκωλον]. Ex ὀρθὸν, *rectum*, et κῶλον, *membrum*.

[**ORTHOMORPHOSIS**, a Delpechio primo in locum absurdae denominationis *orthopaediae* substituta vox. A μόρφωσις, *ipsa formandi actio, formatio* et ὀρθὸς. Cons. *L'orthomorphie par rapport à l'espéce humaine* etc. Par J. Delpech. Par. 1828. 8. Vol. II. avec un atlas in fol.]

[**ORTHOPAEDIAM** dicunt viam ac rationem denotare, quae impediat, quominus infantum artus spinaque a naturali forma deflectat, aut si hoc iam acciderit, eos in statum normalem reducat. A παιδεία, *educatio et institutio infantum*, aut a παιδιὰ, *aetas infantilis*, et ὀρθὸς, *rectus*, *erectus*. In omnibus enim vocibus, quibuscum ὀρθὸς coniungitur, hae notiones locum habent, v. c. ὀρθόκοιλος a Galeno p. 634. et 636. to. V. ed. Bas. de artubus usurpatur, qui flecti haud possunt, sed recti atque immobiles persistunt. Qui igitur primus vocem ὀρθοπαιδεία ad artus spinamque incurvata in rectum statum restituenda adhibuit, graecae linguae ignorantiam prodidit. Nam id vox illa nunquam denotare potest. Vid. *Censur.* meam *lex. rec.* VIII. p. 5. sq. in *opusc. acad. medic. et phil.* to. II. p. 364. Vid. *Diorthosis.*]

ORTHOPNOEA est species asthmatis, sive impedita respiratio, qua aegri, ne suffocentur, non nisi cervice erecta respirare possunt, cuius causa esse potest omne id, quod aut liberum aëris in pulmones ingressum, aut sanguinis per vasa pulmonum transfluxum, repente impedit. Ex ὀρθὴ, *recta*, et πνοὴ, *flatus, spiritus, spiratio.* Ge. *Schwerer Athem.* Ga. *Asthme, orthopnée.* B. *De ademhaaling, die alleen recht opzittende geschieden kan.*

ORTHOSTADIUS vocatur infirmus, scilicet qui morbo quodam laborat, neque tamen adhuc lecto affixus est. [Occurrit quidem ὀρθοστάδιος ap. Graecos, sed nunquam eo sensu, quem huic voci tribuit Blancardus. Χιτὼν enim ὀρθοστάδιος est tunica, quae Festo auctore, a stantibus et in altitudinem texitur. De qua egerunt pluribus Tib. Hemsterhus. ad Poll. 7, 48. et commentatores Phrynichi p. 238. ed. Lobeck. Error inde ortus est, quod Blancardus, cum legisset, ὀρθοστάδην adverbium, quod in erectum stando significat; ab Hippocrate de leviter aegrotantibus dici, qui erecti et obambulantes placide morbum circumferunt, nec dum decumbere coguntur, opinabatur, ab hoc adverbio posse adiectivum eiusdem significationis formari. Vid. Foesii *oec. Hipp.* p. 462. Ab ὀρθὸς et ἵσταμαι, *sto.*]

ORVALA est Horminum sclarea.

ORVIETANUM, scilicet electuarium, est electuarium ex quamplurimis ingredientibus alexipharmacis compositum, quod ergo olim omnibus quibuscunque venenis resistere credebatur. Huius variae passim prostant compositiones. In-

ventum est cuiusdam agyrtae, aut circumforanei, ex urbe Italiae *Orvieto* oriundi et inde *Orvietani* dicti, cuius nomen fuit Hieronymus Ferrantes: is enim primus ausus fuit in publico foro deglutire ignotum sibi quodlibet toxicum. [Cons. D. Gu. Trilleri *dispensat. pharm. univers.* to. 2. p. 464 ss.]

ORYZA planta est culmifera, cerealibus similis, (Hexandr. Digyn.) ferens culmos articulatos trium, vel quatuor pedum longitudine, sulcatos, minus fragiles, folia longa, arundinacea, carnosa; gluma est uniflora, bivalvis, corolla bivalvis, aristata, tandem semini adnascens, quod est oblongum, obtusum, compressum, utrinque bistriatum. Abunde in terris humidis Indiae orientalis, nec minus in Europa australi, colitur, indeque semen trituratum ad nos adfertur. Qualitatis est farinosae, subdulcis, viribusque eximiis nutrientibus gaudet, hincque usus eius maxime cibarius est. Ge. *Reiss.* Ga. *Ris.* A. *Rice.* B. *Ryst.*

OS, Gr. Ὀστέον, est substantia totius corporis animalis durissima, compactissima, siccissima, alba, ex variis fibris et membranis lamellatim sibi incumbentibus, et firmiter sibi applicatis, perreptantibus mediis vasis contexta, ut sic corporis stabilimentum, eiusque motum facilem reddat, et in munimentum quibusdam partibus se praebeat. Ossium corporis humani numerus a variis varius constituitur: nonnulli a 250 ad 360 numerant. Numerus tamen *incertus* est, quia ossa infantum ab adultis differunt propter epiphyses, quae cum osse in unum continuum corpus concrescunt, ut inde infantibus maior sit ossium numerus. Item quod ossa sesamoidea et dentes in ipsis adultis et senibus certo numero non determinantur. Variant ossa figura, cum quaedam rotunda, plana, acuta, obtusa, concava, spongiosa, solida, oblonga, triangularia etc. pro diversitate situs et usus sint. Gr. Ὀστέον. Ge. *Ein Bein.* Ga. *Un os.* A. *A bone.* B. *Been.* — Os etiam est primus alimenti introitus, qui duobus clauditur labiis, vel totum illud spatium, quod inter labia et fauces interiacet et membrana communi tegitur. Primum vocatur os externum, alterum internum. Gr. Στόμα. Ge. *Der Mund.* Ga. *Bouche.* A. *The mouth.* B. *De mond, smoel.* Sumitur etiam anatomicis eodem sensu, quo orificium et inprimis ad aperturam uteri applicatur. Vide *Osculum uteri.* Ge. *Der Muttermund.* Ga. *L'orifice de l'uterus.*

OS DE CORDE CERVI vocatur portio quaedam aortae e corde egredientis, quae in cervis annosis, [h. e. tres vel quatuor annos natis] neque minus in bobus, in substantiam fere osseam degeneravit. Huic singulares virtutes cardiacas et antepilepticas tribuit credulitas. [Vid. C. F. T. Kielmeyer d. i. sist. *observatt. nonnullas, os cordis cervi* etc. *spectantes.* Resp. Luethi. Tub. 1814.] Ge. *Hirschkreuz.* Ga. *Os du coeur de cerf.*

OSATIS, vide *Isatis.*

[**OSCEDO** idem quod **OSCITANTIA**, definitur a Sauvagesio (*nosolog. meth. to. IV. p.* 277.) per inspirationem naturalem lentam diuque protractam, cum convulsiva oris apertura et interdum cum pandiculatione coniunctam. Marcell. empir. *de medic. c.* 11. p. 291. ed. Steph. hac voce pro scorbuti forma usus est. Vide Hier. Mercurialis *V. C. lib. V. c.* 10. Ga. *Baillement.* Ge. *Gähnen.* Gr. *χασμωδία.*]

OSCHEOCELE idem est, quam *hernia scrotalis.* Sed quibusdam tantum est intumescentia scroti a collectis ibidem fluidis. Vide *Hernia, Enterocele.* *Κήλη* enim Graecis est hernia, et *ὄσχεον scrotum* significat. Ge. *Hodensackbruch.* B. *De zakbreuk.*

[**OSCHEOCHALASIS** ab Aliberto vocata est enormis scroti dilatatio, a materiae lardaceae accumulatione in scroti cellulis orta, quae alio nomine *sarcocele* audit, in regionibus calidioribus endemia. Prius autem nomen aptius esse iudicat Larrey in *Mém. de la Soc. d'émul.* to. 8. pa. 2. p. 725. Ab *ὄσχεον* et *χάλασισ*, *relaxatio.*]

[**OSCHEOPHYMA** nominat Sagar tumorem scroti, ab aëre et sero in scroti cellulosa compage accumulatis productum. Ab *ὄσχεον*, et *φῦμα, tumor.* Ge. *Hodensackgeschwulst.*]

OSCILLATORIUS MOTUS proprie ille vocatur, qui aequitemporaneis itibus ac reditibus rotarum motum in horologio dirigit. Adplicatur vero ad medicinam, diciturque a *Borello* locum habere in sanguine, cui aër in inspiratione admistus elasticitate sua motum oscillatorium perpetuum inducit. Recentiores similem motum adscribunt partibus solidis, scilicet fibris debita elasticitate gaudentibus, quo functionibus suis, quibus inservire debent, continuandis idoneae evadunt. Alii similem oscillatorium motum a cordis motu diversum in vasis minimis existere volunt. Ge. *Schwankende Bewegung.* Ga. A. *Oscillation.*

OSCITATIO est expansio omnium fere musculorum voluntariorum simul, maxime autem maxillarium, et explicatio ampla pulmonis, unde quam plurimum aëris cum magno oris hiatu quasi spastico lente et sensim inspiratur, qui aliquamdiu retinetur, et rarefactus iterum lente et sensim exspiratur. Ea febrium quoque ordinarium symptoma est; sub initio incidens. Attamen et alibi, praecipue a cruditatibus primarum viarum evenit, et iis quoque, qui sani utcunque habentur, dum e lecto surgunt, maxime si somno non sint expleti, aut quando pleno stomacho dormierint. Imo adeo frequens omnibus est oscitatio, adeoque ei assuevimus, ut merito dictum sit: *oscitante uno, oscitat et alter:* hinc qui imbecilles, pigri, lassi, defatigati, valetudinarii, et ii maxime, qui a morbis reconvalescunt, saepius de die solent aut sponte sua, aut aliorum exemplo velut excitati, oscitare. Dicitur

et *oscedo.* Gr. *Χάσμη*, et *χάσμημα.* Ge. *Das Gähnen.* Ga. *Baillement.* A. *Gaping, yawning.* B. *Geeuwing, gaping.*

OSCULA sunt extremae vasorum aperturae, denotantque tunc idem, quam *ora,* vel *orificia.*

OSCULUM UTERI est illud foramen partis inferioris uteri, per quod semen ex pene virili eiectum intrat in uterum, quodve partus tempore dilatatum foetum transmittit: ex eo etiam menstrua fluunt. Prominet in vaginae capacitate; atque Tincae piscis ori, unde et *Os tincae* nonnullis dicitur, aut, ut *Galenus* mavult, glandi virili persimile est. Rimam habet transversam, in vaginam patulam, quae, facta conceptione, magis contrahitur et muco oblinitur; in virginibus osculum illud exiguum, at in mulieribus, quae saepe pepererunt, maius evadit. Si nimium laxetur, vel exulceretur, cicatrice obducatur, vel humidum nimis fiat, sterilitas sequitur. Ex huius orificii sensim fiente dilatatione praecipue signa vera instantis partus desumuntur, hique dolores *aperientes* vocantur. Ge. *Der Mund der Gebärmutter, Muttermund.* Ga. *L'orifice interne de la matrice.* A. *The mouth of the womb.* B. *De mond van de moeder, de roze, de kroon.*

[**OSMAZOMA** a Thenardo nominata fuit substantia organica, e carne bubula per macerationem in aqua frigida extracta, odoris aromatici, saporisque grati. Extractum hoc, ab admixtis albumine et pigmento sanguinis per coctionem liberatum, per filtrum traiicitur; tunc evaporatur et spiritus vini ope extrahitur osmazoma. Non in carne bubula sola, sed in aliorum quoque animalium carnibus, quae obscuriore colore sunt, continetur. Caro contra ea vitulina et gallinacea nihil huius materiae, cerebrum, sanguisque parum continent. Nomen derivatur a *ζωμὸς, ius carnis,* et *ὀσμὴ, olfactus;* quae vocis compositio contra linguae rationem formata est. Debet esse *ζομοδμὸν,* ab adiectivo *ὀδμὸς, odorus, odorem spirans.* Sic *ἀμβρωσιοδμὸς* apud Dioscor. *qui ambrosiam spirat.*]

[**OSMIUM** vocatur unum e quinque metallis, quae platinae inesse recentior docuit chemia. Sub pulveris nigri forma comparet, qui dum corpore duro et polito fricatur, rutilum colorem, splendoremque metallicum assumit. Carboni impositus et ad candorem usque ignitus liquescit; sub aëris accessu sublimatur crystallosque albas, acuformes, splendoremque sericeum habentes format, quae odore saporeque sunt pungente, odorem saporemque acidi muriatici oxydati referente.]

OSMUNDA est Filicis species, (Cryptogam. Filic.) epiphyllosperma, quae dicitur *regalis,* vel *Filix florida, palustris, aquatilis* etc., habetque caulem viridem, striatum, ramosum, se in latum extendentem. Folia sunt ampla, satis angusta, parva, disposita supra unam costam in unum fo-

liolum terminatam. Summitas caulis se in multos dividit ramos, qui singuli sustinent multos racemos fructus minimos, seu foliola minima convoluta habentes. Singuli racemi habent capsulas membranaceas sphaericas, quae horizontaliter in duas partes apertae fundunt semina quaedam oblonga. Radix est nigra et longa. Crescit in locis aquosis et humidis. Plantae, vel combustae, vel coctae, usus passim mechanicus et oeconomicus est. Sed etiam eximiis viribus aperitivis, anthypochondriacis et anthelminthicis pollet, eiusque infusum in herniis infantum summopere laudatur. Ge. *Wasserfarrn, die königl. Osmunde, blühende Farrn, Maienträubchen.* Ga. *Osmonde, fougere aquatique, l'osmonde fleurie, la fougere fleurie.* A. *Osmond royal, water-fern, flowering fern.* B. *Water-varen, koninglyk trosvaren, bloeyend varen.*

OSSA dicuntur et *ossicula*, suntque duri et lapidei cortices fructuum, qui nucleos circumdant. Conf. *Os.* Ge. *Die Steine in Früchten.*

OS SEPIAE s. *piscis sepiae* os candidum est, oblongum, angustum, compressum, superna superficie durum et laeve, inferiori autem fungosa quasi medulla eiusdem coloris repletum, in dorso huius piscis reperiundum. Est vero *Sepia* animal marinum ad Vermes mollusca pertinens, cui brachia sex interius adspersa cotyledonibus, praeter duo tentacula longiora, quibusdam; os inter brachia, terminale; oculi infra tentacula versus corpus, corpus vagina excipiens pectus, ecaudatum, marginatum. Id os manus circiter magnitudine, pollicis crassitie, substantiae fungosae et quasi friabilis est, et qualitate absorbente et adstringente pollet; hinc a nonnullis in gonorrhoea et fluore albo commendatur. Frequentissimus usus in pulvere dentifricio est. [Sepiae species, unde in officinis prostantia ossa desumuntur, vocatur *officinalis,* A. *Tke common cuttle-fish, ink-fish, black cuttle, black-fish.* B. *Gewoone zeekat.* Ga. *La séche, seiche, seppie, bouffron, insecte-poisson.* Ge. *Der Kuttelfisch, Kuttelwurm, Dintenfisch, Bläckfisch, Seekatze, Pilot, Schifferpolyp.* Gr. *Σήπιον*, quia intra vesiculam in corpore liquor ater, ac si esset putridus, reperitur, quo effuso piscis se occultat: nam *σήπειν* significat *putrescere.*

OSSICULA BERTINI, [s. *cornua sphenoidalia.* Ga. *Cornets sphenoidaux*], sunt ossicula parva in naribus internis retro os ethmoideum, quae sinus sphenoidales anterius claudunt, et cum osse sphenoideo, palatino, ethmoideo etc. concrescunt. Nomen habent a Cl. *Bertin*, qui ea primum ut distincta ossa nomine ossium turbinatorum sphenoidalium descripsit. Vix tamen operae pretium est, his ossiculis numerum ossium capitis multiplicare.

OSSIFICATIO dicitur de partibus naturaliter mollibus, in duritiem osseam degenerantibus, qualis in vasis senum

sanguineis, aliisque partibus, saepius observata fuit. Sed et *ossificatio* naturalis est, qua in foetu partes molles, seu membranae ossium primitivae, appositis sensim particulis terreis, in ossa compinguntur atque durescunt, ut in *fontanella* distincte videtur. *Punctum ossificationis* vocatur ille locus in membrana ossea, ubi ossificatio incipit, et inde a centro ad peripheriam extenditur, quod in ossibus parietalibus infantum facile apparet. Vide *Osteogenia*.

OSSIFRAGUS LAPIS, i. q. *Osteocolla*.

OSTAGRA est *volsella*, seu forceps, qua ossa eximuntur, vel omnino loco moventur. Ex *ὀστέον, os*, et *ἀγρεύω, capio*. [Memorat hoc instrumentum chirurgicum Galen. *meth. med.* lib. 6. c. 6. p. 449. to. X. ed. Lips.]

OSTEOCOLLA est lapis albo cinereove colore, ossisque figuram aemulans, intus cavus aut scobe ligni repletus, friabilis, substantiae arenaceo-calcariae. Est proprie petrificatum vegetabile radicis arborum, vel plantarum *Wall.* *Tophus osteocolla* calcarius, subcylindricus, perforatus. Invenitur copiose passim in Germaniae locis arenosis, ubi a superficie sat profunde, multis ramis descendit. Temere olim creditum est, posse hoc remedio febres intermittentes, aut leucorrhoeam, tolli, vel etiam ossa cito conglutinari, et callo obduci, si intus sumatur, et emplastris admisceatur. Ge. *Beinbruch, Beinwell.* Ga. *Osteocolle, pierre des rompus.* A. *The bone-binder.* B. *Walsteen, beenlym.*

OSTEOCOPUS, vel **OSTOCOPUS** est dolor constans et notabilis ossium, seu illa doloris, vel lassitudinis species, in qua partes corporis profundae tali molestia afficiuntur, quae aegris videtur in ipsis ossibus, vel circa illa, haerere; sed tales sensationes proprie sunt dolores periostei, aut nervorum ossa subeuntium; ossa enim quatenus ossa non sentiunt. Talis vero sensus inter symptomata luis venereae et scorbuti recensetur. Ex *ὀστέον, os*, et *κόπος, vexatio.* Ge. *Schmerz in den Knochen.* Ga. *Douleur des os.* A. *Pains in the bones.* B. *Pyn der beenen.*

OSTEOGENIA est illa pars anatomiae, quae generationem ossium in foetu humano exponit. [Ab *ὀστέον* et *γέινομαι, nascor.* Poterat fortasse rectius dici *ὀστεογέννησις*, a *γεννάω, genero.*] Ge. *Erzeugung der Knochen.* Ga. *Formation des os.*

OSTEOGENICA, vel *callum generantia*, medicamenta dicuntur, quae in ossibus impedimentum tollunt, quod obstat, quo minus ossa succo affluente debito modo conglutinentur et consolidentur, ne humor in iis concrescat. [Ab *ὀστέον* et *γενικὸς*. Cum autem posterior vox nihil aliud, quam *generalis* denotet, adeoque id, quod debet, plane non exprimat, *osteogennetica* (*ὀστεογεννητικὰ*) potius vocanda illa remedia

erunt, quae ad ossium generationem faciunt.] Ge. *Beinmachende Arzeneien.* B. *Beenmaakende middelen.*

OSTEOLOGIA est de ossibus enarratio, seu descriptio: haec duplex, theoretica, quae conformationem et usum ossium investigat; et practica, quae sceleton componere docet. Ex *ὀστέον, os,* et *λόγος, sermo.* Ge. *Beschreibung der Knochen, Knochenlehre.* Ga. *Osteologie.* B. *Beschryving der beenderen.*

[**OSTEOMALACIA** est abnormis ossium mollities, qua omnis eorum firmitas roburque ita infractum, penitusque sublatum est, ut membra quaqua versum flecti possint. Ab *ὀστέον* et *μαλακία, mollities.* Sunt et, qui morbum *osteomalaxiam* dici velint. Sed rectius *ὀστεομάλαξις* vocatur, a *μαλάσσω, emollio.* Ge. *Knochenerweichung.*]

OSTEON, vide *Os.*

OSTEOSARCOSIS, RHACHIALGIA OSTEOSARCOSIS, *emollitio ossium,* est morbus, cuius praecipua symptomata sunt dolores totius corporis, praecipue vertebrarum lumbarium, cum successiva ossium omnium dissolutione, flexilitate, et corporis decurtatione, oriens ab acrimonia peculiari, maxime rhachitica, quae gluten destruit, quod partes terreas, duritiem ossium efficientes, figit, seu nutritionem ossium laedit. Ge. *Weichwerden der Knochen.* Ga. *Carnification des os.*

[**OSTEOSTEATOMA** est tumor tunicatus, in periosteo sedem habens, et materia adiposa, cui partes osseae intermixtae sunt, refertus. Vid. I. G. Hermann *d. i. d. osteosteatomate.* Lips. 1764. c. tabb. 2. aen. Ab *ὀστέον* et *στεάτωμα, adeps, adiposus tumor.* Ge. *Knochen-Speckgeschwulst.*]

[**OSTEOTOMIA** est ea anatomes pars, quae dissectionem ossium docet, s. in dissecandis ossibus occupatur. Ab *ὀστέον* et a *τέμνειν, secare, τομὴ, dissectio.* Ge. *Knochenzergliederung.*]

[**OSTEULCUM.** Legitur in Hippocr. *de mulier. morb.* lib. I. p. 483. to. II. ed. Lind. *σχίσαντα τὴν κεφαλὴν μαχαιρίῳ ξυμφλάσαι, ἵνα μὴ θραύσῃ τῷ πιέστρῳ, καὶ τὰ ὀστέα ἕλκειν τῷ ὀστεουλκῷ ἢ τῷ ἑλκυστῆρι παρὰ τὴν κληΐδα καταθέντα — ἕλκειν.* E quo loco apparet, designari illa voce instrumentum, quo ossa capitis foetus, quod facilioris per pelvis aperturam exitus causa dissectum est, extrahebantur. Ab *ὀστέον* et *ἕλκω, traho,* simili modo, sicut *πυουλκὸν, quod pus extrahit, λιθουλκὸς, lapides extrahens,* al., formatum. Locus autem Hippocratis in editt. Basil. Foës. et mea aliter legitur: — *ὀστέα ἕλκειν, ὥστε ὀλίγῳ ἢ* — Pro *ὥστε ὀλίγῳ ἢ* elegans mihi videtur coniectura, qua V. D. meam editionem Bas. 1538. auxit, *ὀστεολαβίδι ἢ,* quippe quae literarum ductu proxime ad vulgatam lectionem accedit. Proba vide-

tur vox esse ὀστεολαβὶς, uti ῥινολαβὶς formata. Ge. *Knochenzange*, s. *Knochenzieher.*]

[**OSTITIS** idem, quod ossium inflammatio. Ab ὀστέον, quod, simili modo, ut in ὀστάγρα, abbreviatum, in *itis* exit, quo inflammatio partis, cui adhaeret, significari constat. Ge. *Knochenentzündung.*]

OSTRACODERMATA vocantur illa animalia, quae testam pro cute habent, unde etiam vocantur *testacea,* ex quibus medicamenta, *absorbentia* dicta, desumuntur.

OSTREUM, **OSTREA** est testa animalis marini ad Vermes testacea pertinentis; animal est Tethys, testa est bivalvis, inaequivalvis, subaurita; cardo edentulus fossula cava, ovata, striisque lateralibus transversis; vulva anusque nullus. Species edulis, quamve plerique in deliciis habent, est Ostreum vulgare *Gualt.* Ostrea semiorbiculata membranis imbricatis undulatis, valvula altera plana integerrima. Habitat in Oceano Europae. Testarum pulvis vi absorbente et, additis acidis, vi diuretica pollet. Testae exustae calcem largiuntur, aquam superfusam longe praestantioribus viribus lithontripticis, quam calx mineralis, imbuentem. Ge. *Auster.* Ga. *Huitre.* A. *Oyster.* B. *Oester.*

OSTRUTIUM, vide *Astrantia imperatoria.*

OSYRIS est *Linaria,* et quidem Linaria vulgaris lutea, flore maiore *Bauh.* *Antirrhinum linaria,* foliis lanceolato-linearibus confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis *Linn.* Sed illud nomen etiam aliis herbis a quibusdam datum est, ut Chenopodio, Chrysocomae etc. — Ill. *Linnaeo Osyris* est plantae genus frutescens, flores et fructus in diversis speciebus ferens, (Dioec. Triandr.) flore apetalo, bacca globosa, uniloculari, umbilicata, semine osseo globoso, pericarpium replente. Casia *Tournef.*

OTALGIA est aurium dolor, qui in omni quidem auris parte deprehenditur, maxime vero de eo dicitur, qui in partibus internis est. Is saepe est gravissimus et lacerans, atque adeo nonnunquam, ut non modo somnum omnem impediat, sed delirium inducat. Iam ut hic dolor non fit sine inflammatione, quae aliquando exterius conspicua est, ita frequenter in abscessum transit, pure ex auribus fluente. Aliquando iste dolor per vices affligit, et coniunctam habet odontalgiam, imo tinnitum et surditatem. Oritur etiam quandoque a catarrhis, vel illapsis insectis, aut intrusis peregrinis corporibus, cerumine indurato etc. Auditus plerumque vel iusto acutior est, vel suppressus. Ab οὖς, *auris,* et ἀλγέω, *doleo.* Ge. *Ohrenschmerz.* Ga. *Otalgie, douleur d'oreille.* A. *Pain in the ear.* B. *Oorpyn.*

OTALGICA dicuntur medicamenta varia causis *Otalgiae*

accommodata, quibus haec tollitur. Ge. *Mittel gegen das Ohrenweh.* Ga. *Remèdes otalgiques.*

OTENCHYTA seu *Clyster auricularius Celso, αὐλὸς Aegin.* est siphunculus, quo medicamenta auribus immittuntur. Ab *οὖς, auris*, et *ἐγχύω, infundo.* Ge. *Eine Ohrspritze.* Ga. *Siringue d'oreille.* A. *An auricular clyster.* B. *Een oorspuyt.*

OTICA sunt medicamenta, quibus auditus laesus restituitur; suntque vel interna, quae plerumque etiam sunt cephalica, quoniam in morbis aurium aeque ad caput, quam ad aures ipsas, respici debet; vel externa, quae auri ipsi immittuntur, vel specie fumi ad eam diriguntur, vel prope eam illinuntur. Ab *οὖς, auris,* gen. *ὠτὸς.* Ge. *Mittel gegen das schwere Gehör.* Ga. *Remèdes otiques.* B. *Genees-middelen voor de ooren.*

[**OTOBLENNORRHOEA** est humoris serosi aut mucosi ex aure externa effluxus. Ab *οὖς, βλέννα, mucus*, et *ῥέω.*]

[**OTOHAEMATORRHOEA** est sanguinis ex aure externa effluxus. Ab *οὖς, αἷμα, sanguis*, et *ῥέω, fluo.*]

[**OTOPLADOS**, non *otoplatos,* uti Vogel. *gen. morb.* habet, qui humoris foetidi ex posteriore auris parte effluxum sic vocari cupit. Ab *οὖς* et *πλάδος*, quae de nimia et supervacua humiditate apud Hippocratem adhibetur, (vid. Erot. *gloss. Hipp.*) *πλάτος* autem *latitudinem* significat.]

[**OTOPLASTICE** est illud chirurgiae inventum, qua auris externa, a quacunque tandem causa destructa penitusque amissa denuo restituitur. Iam C. Tagliacotius, seculi decimi sexti chirurgus celeberrimus, hanc artem optimo cum successu exercuit, et in sua *Chirurgia curtorum* etc. Ven. 1597. descripsit. Ab *οὖς*, gen. *ὠτὸς, auris*, et *πλαστικὴ*, sc. *τέχνη*, a *πλάσσω, fingo, formo,* quasi diceres: *ars aurium formatrix.*]

[**OTOPYORRHOEA** s. *otopyosis* (Vogel. *gen. morb.*) est humoris purulenti ex meatu auditorio externo effluxus. Ab *οὖς, πῦον, pus*, et *ῥέω.*]

OTORRHOEA est effluxus fluidi cuiuscunque ex auribus, frequenter *otalgiam* sequens. Ab *οὖς, auris*, et *ῥέειν, fluere.* Ge. *Ohrenfluss.* Ga. *Otorrhée, flux des oreilles.*

OVA sunt capsulae, seu thecae, omnium animalium et vegetabilium prima rudimenta includentes; in iis enim continetur hominis, brutorum, ut et vegetabilium, primum stigma, accedente causa excitante magis et magis evolutum et solidescens in corpus eiusdem speciei abit: vel in foeminis sunt sphaerulae, quae deprehenduntur in superficie ovariorum sub membrana cingente, inferne per calycem crassiusculum concretae ipsi substantiae ovarii, pellucidae, humore lymphatico, ad ignem concrescente, repletae, binisque membranulis concentricis, sibique invicem arctissime nexis,

hinc difficillime separabilibus, constantes, Chorio scilicet et Amnio. Bullulae vero hae calyce suo adhaerent finibus minutissimis vasorum ad ovaria euntium, post usum veneris fere tantum apparent, sensim tumescunt, pedetentim magis pellucent, crassescunt in membranis suis, membranam ovarii elevant, extendunt, in formam papillae sic dilatant, ut emineant, a pedunculo suo pendeant, inde separentur, cicatricem cavam, *corpus luteum* continentem, relinquant in substantia et membrana effracta ovarii, sensim iterum coalescentem. Hinc nullum est dubium, in his ovis conceptum fieri, eaque esse habitacula eius primordii, quod in animal adolescit etc. Ge. *Ein Ei.* Ga. *Un oeuf.* A. *Egg.* B. *Een ei.* — — Ova avium, inprimis domesticarum, in nutrimentum nobis cedunt. *Ovorum testae* ex ovis gallinarum ut absorbens medicamentum exhibentur, calcinatae vero, ut omnes calcareae terrae, lithonthripticam vim habent. — *Ovorum oleum* ex vitello ovorum cocto pressione elicitur, et externe in cutis, papillarum etc. fissuris adhibetur. Ge. *Eieröl.*

[**OVA MEDICA** ab Hier. Mercuriali ob figurae similitudinem vocantur cucurbitae destillatoriae. Ge. *Destillirkolben.*]

OVARIUM, *Testis muliebris* dictus, situm habet in intima cavitate abdominis in pelvi: utero ad distantiam binorum circiter pollicum utrinque lateraliter annectuntur, per ligamenta, lata valida duo ovaria, quae et ope membranarum aliarum a peritonaeo ortarum obvoluta firmantur, et per alas vespertilionum cum tubis Fallopii uniuntur; in non gravidis eandem occupant altitudinem cum fundo uteri, in gravidis paulo depressiora sunt. Haec corpora sunt scabra, fere ovata; in superiori tamen parte magis plana, quam gibbosa apparent, in horum superficie, sub membrana cingente, reperiuntur sphaerulae, sive bullulae, *ova* dictae. Ovariorum varia magnitudo est pro aetatis et temperamenti ratione: etenim in libidinosis et aetatis flore constitutis laeviora et molliora sunt, in vetulis vero exsucca, parva, quasi corrugata, nunquam tamen evanescunt, in infantibus adhuc minora, quam in decrepitis. Substantia eorum membranosa est, fibrosa, plurimisque intertexta vasis, spermaticis scilicet et hypogastricis. Hinc etiam sat frequenter hydatides his in partibus, vixque sanabiles tumores oriuntur, quae hydrops ovarii dicuntur. Ge. *Eierstock.* Ga. *Ovaire.* B. *Eierstock.*

OVATUM, OVALE botanicis dicitur *folium*, vel *spica*, cuius diameter longitudinalis superat transversalem, basi segmento circuli circumscripta, apice angustiore, vel utraque extremitate rotundata, aequali.

OVIDUCTUS, i. q. *tuba Fallopiana.*

OVIPARUM, est epitheton animalis, quod ad propagandam suam speciem ova excludit, e quibus incubatis foetus

evolvitur. Distinguitur a *viviparo*, quod foetus vivos in lucem edit, qui scilicet iam in utero evolvuntur.

OVIS est animal quadrupes ad Mammalia pecora pertinens, quibus scilicet dentes primores superiores nulli, inferiores sex, aut octo a molaribus remotissimi; pedes ungulati, mammae inguinales: ovi sunt cornua concava, retrorsum versa, intorta, rugosa; dentes primores inferiores octo; laniarii nulli. Est *Ovis aries Linn.* cornibus compressis lunatis: habitat in siccis apricis calidis: cum Ariete vervece agnoque edit inprimis Festucam ovinam, in arvis Bursam pastoris; laeditur a Pruno spinosa, Equiseto, Flammula, Antherico, Kalmia, Myosotide aquatica, Anemone nemorosa. Parum bibit; ab aqua stagnante vermes duodeni et hepatis contrahit; scil. *Fasciolam hepaticam* [Distoma hepaticum.]; praecavetur muria; mutat aetate dentes; fert lanam; laetificat pascua: timida pellit hostem calcitratione, urina: mas unus sufficit viginti foeminis, gravidis 150 diebus. Infestatur hippobosca, pediculo, oestro, acaro. Laborat vertigine, hydrope, phthisi, ictero, hepatitide. *Linn.* Stercus rusticis contra icterum et ambusta in usu est. Conf. *Oesypus.* Ge. *Das Schaaf.* Ga. *Brebis.* A. *Sheep.* B. *Schaap.*

[**OULE**, gr. *οὐλὴ, cicatrix,* secundum Fabinium est corneae obscuratio circumscripta, nitide alba, limite distincto et manifesto donata, quae cum leucomate summam habet affinitatem.]

OVUM vocatur Valesco de Taranta (*Philon.* l. c. 7.) forma quaedam cephalalgiae s. doloris capitis, quae hoc peculiare habet, ut non nisi magnitudinem ovi occupet. Ge. *Hauptweh, so gross wie ein Ei.* B. *Hoofdpyn in de groote van een Ei.*

OVUM PHILOSOPHICUM seu **CHYMICUM** est vitrum inferius rotundum, quod in superficie fistulam ex eadem materia oblongam habet: hisceque utuntur ad circulandos et exaltandos liquores: dicitur et *vas hermeticum.* Ge. *Philosophisches Ei.* Ga. *Oeuf philosophique.* A. *A philosophical egg.* B. *Een philosophisch Ei.* — *Ovum philosophicum* etiam dicitur *minera martis solaris,* vel terra martialis, quae in Hassia sub forma ovi passim in argilla reperitur; coloris est nigricantis, interspersis punctis pyritaceis micantibus, saporis vitriolici, qualitatis adstringentis. Hinc tum in substantia, tum sub forma tincturae, ut eximium remedium stomachicum, anthelminthicum et antihypochondriacum commendatur. Ge. *Kiesskugeln.*

OXALIS est *Acetosa.* Ex *ὀξὺ, acidum.*

OXALME ex mixtio aceti et salis veteribus usitata. Ab *ὀξὺ, acidum,* et *ἅλμη, salsugo, muria.*

[**OXAMIDUM** seu **OXALAMIDUM** est materia, quae quamvis destillatione ammonii oxalici oriatur, et coctione

continuata cum liquore kali caustici in ammonium et kali oxalicum transmutatur, tamen nihil ammonii continet. Oxamidum considerari potest tanquam compositio aut cyanogenii et aquae, aut deutoxydi azoti et bicarbureti hydrogenii, aut oxydi carbonis et hydrureti azoti, ab ammonia differentis. A Dumasio detecta nuper est. Vid. *Journ. de chym. méd.* 1830. *p.* 401. sq.]

OXELAEUM est mixtio aceti cum oleo. Ab ὄξος, *acetum*, et ἔλαιον, *oleum*.

OXYACANTHA est Berberis; sic dicitur ab acidis baccis, et spinis; ergo ab ὀξὺ, *acidum*, et ἄκανθα. Vide *Berberis*.

OXYACANTHA est *Spina acuta*, sive *vallaris*, aut *sepicularis*, vel *Crataegus oxyacantha Linn.* (Icosandr. Digyn.) foliis obtusis subtrifidis serratis; Mespilus Apii folio sylvestris *Bauh.* Crescit in Europae pratis apricis. Fructus austerus subadstringens est; hinc in debilitate intestinorum atque diarrhoea cum fructu adhibetur. Nomen a qualitate gerit: ὀξὺ enim est *acutum*, et ἄκανθα, *spina*. Ge. *Hagedorn, Weissdorn, Mehlfässchen, Christdorn* etc. Ga. *Aubespine, aubepin, noble épine, l'épine blanche, senellier.* A. *Hawthorn, white-thorn, quick-may.* B. *Haag-doorn, gemeene haag-doorn.*

OXYCEDRUS, sive acuta Cedrus, quod Cedri folia in acutam desinant aciem, est species *Iuniperi*, (Dioec. Monadelph.) et quidem *Iuniperus oxycedrus Linn.* foliis ternatis patentibus mucronatis, bacca brevioribus, baccis avellanae magnitudine. Crescit in Europa australi. Gummi ex hac arbore exstillans vera *Sandaraca* est. Ex ὀξὺ, *acutum*, et κέδρος, *cedrus*. [Descripsit Diosc. I. 105. hanc Iuniperi speciem sub simplici κέδρου nomine. A. *The brown berried iuniper tree.* B. *Cederachtige geneverboom.* Ga. *Le génévrier oxycedre, petit cedre d'Espagne.* Ge. *Cederwachholder, der spanische Wachholder.*]

OXYCOCCUS est planta ab aliis ad *Vaccinium*, (*Vaccinium oxycoccus Linn.*) relata, calyce minimo, quadrifido, corolla monopetala, quadrifida, revoluta, bacca globosa, umbilicata, quadriloculari. Crescit in sylvis humidis et umbrosis. Baccae, qualitatis acidulae, viribus roborantibus et abstergentibus gaudent. Ge. *Moosbeere,* [*Moselbeere, Mostbeere, Fehnbeere, Fembeere, Sumpfbeere, Kranichbeere, Winterbeere, Affenbeere, Rauschgrün, Gichtkraut* etc. B. *Veenbessen, kroosen.*] Ga. *Canneberge, coussinet des marais.* A *Cranberries, mossberries, moorberries.*

[**OXYECOIA**, Gr. ὀξυηκοΐα, *auditus acutus.* Opponitur βαρυηκοΐα. Ge. *Scharfes Gehör.* Recentiores voce hac nimiam auditus acutiem significant, qua ingratissimi sensus vel a lenissimis sonis excitantur. Dein quoque vocem male scribunt *oxycoïam.* Vid. Hanin, et auctt. diction. termin. med. etc.]

OXYCRATUM est aceti cum aqua mistio, *Pusca*, vel *Posca*, dictum. Ab ὀξὺ et κεράννυμι, *misceo*. Ge. *Trank aus Wasser und Essig, Oxicrat*. Ga. *Oxicrat, l'eau melée avec du vinaigre*. A. *Vinegar mixt with water*. B. *Water en edik, azynwater*.

OXYCROCEUM est emplastri flavo-fusci cognomen, quod ex [cera flava et colophonio, ammoniaco et galbano depuratis, terebinthina communi, croco, mastiche, myrrha et olibano componitur. In antiquioribus dispensatoriis ammoniacum, crocus et galbanum, aceto soluta, cum reliquis commiscebantur: indeque *oxycrocei* nomen. Novissima autem Pharmacopoea Boruss. de aceto silet.] Ex ὄξος, *acetum*, et κρόκος, *crocus*. Ge. *Saffranpflaster*. Ga. A. *Oxycroce*. B. *Saffraan-pleister*.

OXYDERCICA sunt medicamenta visum acuentia. Ex ὀξὺ, *acutum*, et δέρκω, *video*.

OXYGALA est lac acidum. Ex ὀξὺ et γάλα, *lac*. [Cons. de hac voce Schneider. in *Supplem. ad lex. gr. p.* 135. a.]

OXYLAPATHUM est Rumex acutus. Ex ὀξὺ, *acutum*, et λάπαθον, *lapathum*. [Describitur a Dioscor. 2. c. 140.] Vide *Lapathum*. Ge. *Spitziger Sauerampfer, Mengelwurz, Grindwurz, Zitterwurz*. Ga. *Pareille*. A. *Dock*. B. *Patich, peerdig*.

OXYMEL simplex est compositio ex aceti parte una et duplici mellis [in vase stanneo ad syrupi consistentiam coctis. Si loco aceti simplicis squilliticum eadem quantitate adhibetur, *oxymel squilliticum* vocatur.] Eximiis viribus refrigerantibus, resolventibus et abstergentibus utrumque pollet; frequentissimo hinc in usu est. Ab ὀξὺ, *acidum*, et μέλι, *mel*. Ge. *Sauerhonig*. Ga. A. *Oxymel*. B. *Honing azyn*. Vide *Apomeli*.

OXYNOSEMA, i. q. *morbus acutus*. [Gr. ὀξὺ νόσημα, quae duae voces ab ignorantia graeci sermonis in unam contractae sunt.]

[**OXYOPIA**, ab ὀξὺ, et ὤψ, *visus*, denotat visus aciem. Comparativus adiectivi ὀξυωπὴς occurrit in Zonarae *Lex.* p. 1455. ὀξυωπέστερος. ὁ ὀξέως (καὶ ταχέως) βλέπων. Uncis inclusa verba recte videntur abesse a cod. k.]

OXYREGMIA est acidus e ventriculo ructus. Ab ὀξὺ, *acidum*, et ἐρεύγω, *ructo*. [Vox ap. Hippocratem, Aretaeum aliosque saepius occurrens. Cons. Foës. *oecon.* Zonar. *Lex.* p. 1456. ὀξυρευγμία. ὅταν ἡ τροφὴ ἀποξίσῃ. οἶμαι, ὅτι ἐξερευγμία γράφεται.] Ge. *Saures Aufstossen*.

OXYRRHODINUM est acetum rosaceum. [Gaub. *de form. med. comp. p.* 380. ex oleo rosar. infuso, aceto sambuci, tinctura op. c. spir. aceti parata, et aqua rosar. destill. suum *oxyrrhodinum* composuit, cui extus applicato demulcendi somnumque conciliandi vires tribuit.] Ab ὀξὺ, i. q. ὄξος,

acetum, et ῥόδον, *rosa*. Ge. *Rosenessig*. Ga. A. *Vinaigre rosat*, *oxyrhodine*. B. *Rozen-azyn of edik*.

OXYS, *Oxalis Linn.* (Decandr. Pentagyn.) est planta, quae habet caules longos, flexiles, teneros, rotundos, purpureos, aut rubicundos. Folia sunt terna, cordiformia, eidem pedunculo adnascentia, mollia, succulenta, saporis acidiusculi et grati. Flores sunt campaniformes, monopetali. Post florem sequitur fructus membranaceus, quinquelocularis, oblongus, foetus seminibus rubicundis, calyptra elastica involutis, eiusque vi cum impetu dissilientibus. Radix est crassa, squamosa, fibrosa, alba, aut rubicunda, fibris longis et albis. Haec planta habet odorem gratum, sed non penetrantem, saporem acidum, vimque refrigerantem. Prostat in officinis conserva et sal essentiale. Dicitur quoque *Trifolium acetosum*, *Alleluia*, et *Panis cuculi*, vel quod Cuculus avis ea vescatur, vel quia, ea erumpente, Cuculus vocem suam edere incipiat. *Oxys* vero vocatur ab acido sapore. Vide *Acetosella*, *Oxytriphyllum*. Ge. *Sauerklee*, [*Buchampfer*, *Kuckukskohl*, *Kuckuksklee*, *Hasenklee* etc. A. *Woodsorrel*, *three leaved sorrel*. Ga. *Alléluia*, *surelle petalée* s. *blanche*, *pain de coucou*, *oxalide*, *petit oseille*, *herbe de boeuf*, *tréfle aigre*.] B. *Koekkoeks-brood*, *zuure klaver*, *klaverzuuring*.

OXYSACCHARUM est compositio ex aceto et saccharo. Nonnunquam in aceto prius infunditur vitrum antimonii, vel scilla, et tunc dicitur *vomitivum*, *scilliticum*. Ex ὀξὺ, *pungens*, *acidum*, *acetum*, et σάκχαρον, *saccharum*. Ge. *Essigzucker*. Ga. *Oxysaccharon*, *vinaigre sucré*. A. *Oxysaccharum*. B. *Azynige suiker*.

OXYTARTARUS: ita *terra foliata tartari* vocatur, quae ex aceto et sale alcalino paratur.

OXYTRIPHYLLUM est trifolium acetosum. Ex ὀξὺ, *acidum*, et τρίφυλλον, *trifolium*. Vide *Oxys*.

OZAENA est ulceratio interioris nasi, tetrum odorem spirans, ossicula nasi et tunicam palati serpendo erodens, vixque sanabilis, oriunda ex lue venerea, scorbuto, polypo exulcerato, vel catarrhis acribus. Ab ὄζω, *olfacio*. [Poll. onom. IV. 204. ὄζαινα, ἕλκωσις ἐν τῷ βάθει τῶν μυκτήρων, μέχρι τῶν καλουμένων ἠθμοειδῶν ὀστῶν, πυῶδες καὶ δυσῶδες ὑγρὸν ἀφιεῖσα, τὴν αἴσθησιν ἐμποδίζουσα. Lafosse morbum equorum, latinis *malleolus*, Francogallis *la morve*, nostratibus *Rotz* dictum, putat eundem cum ozaena hominum esse.] Ge. *Ein stinkend Nasengeschwür*. Ga. *Ozéne*, *punais*, *poupe*. A. *Stinking ulcer of the nose*. B. *Een stinkende neus-zweer*.

P.

P simplex medicis *pugillum* significat, imo et aliquando *pondo*, vel πι, aut *Πι,* vel π simplex. Adhibetur plerumque in determinanda florum mensura et aequat drachmam unam.

P. AE. vel **Part. AEQ.** denotat *partes aequales.*

P. N. idem est quod *praeter naturam.*

PAR. significat *paria.* Ex. g. Rec. No. par.

PABULUM proprie pecoris nutrimentum, latiori sensu saepe idem denotat, quam *alimentum.* — *Pabulum ignis* hinc est omne id, quo ignis alitur. [Antiquiores multum de *vitae pabulo* disputaverunt, quod Mayow in suo *spiritu nitro-aëreo,* ex aëre atmosphaerico per respirationem hausto, a recentioribus gas oxygennicum nuncupato, invenisse sibi visus est.]

PACHEABLEPHAROSIS, PACHEABLEPHARA, PACHYTES est incrassatio palpebrae a tuberculis, verrucis et excrescentiis, grandinibus, hordeolis, vel atheromatis limbo palpebrae adnatis. *Sauv.* [Omnes a Boissiero allatae morbi denominationes falsae sunt, nec Krausius, Boissierum corrigens, ab omni errore liber est. Nam quamquam compositarum vocum barbaries aliquo modo lenitur παχεῖα βλεφάρωσις et πάχεα βλέφαρα divisim scribendo, tamen duplex restat vitium. *Βλεφάρωσις* enim in lingua graeca non exstat, et si exstaret, nunquam adfectionem palpebrarum in universum poterat significare; παχύτης autem, simpliciter positum, non de palpebrarum crassitudine abnormi dici potest. Aptius nomen βλεφαροπαχύτης erit.] A παχὺς fem. παχεῖα, *crassus.*

[**PACHYCHYMIA**, a παχὺς, *crassus*, et χυμὸς, *succus,* denotat morbosam humorum crassitudinem. Ge. *Dicksaftigkeit.*]

[**PACHYDERMA** animalia vocantur, quorum pellis s. corium admodum crassum est. Ordo quidam mammalium hoc nomine insignitus est.]

PACHYNTICA sunt medicamenta incrassantia, e particulis facile cohaerentibus constantia, quae dum succis tenuioribus permiscentur, partes eorum coniungendo et inter sese connectendo, crassiorem et stabiliorem consistentiam ipsis tribuunt, ut farinacea, glutinosa etc. A παχύνω, *incrasso.* Ge. *Verdickende Arzneien.* Ga. *Remèdes incrassans.* B. *Verdikkende middelen.*

PADUS, vide *Laurocerasus.*

PAEDARTHROCACE cariem ossis significat; est scorbuti, saepe etiam rhachitidis, symptoma. Ex παῖς, *puer,* ἄρθρον, *membrum,* et κάλη, *morbus*: nam pueri hoc malo

plerumque afficiuntur, verum et adultis quoque accidit; confunditur cum *spina ventosa*. Nihil aliud est, quam caries ossium, maxime circa puerorum rhachiticorum articulos, cum dolore obscuro et apparente tandem articuli tumore coniuncta, orta a materia, dissolvente et corrodente: ab ossium medulla incipiens, ulterius serpendo ulcera sinuosa et maligni moris fistulasque in vicinia producit. Vide *Caries* et *Teredo*. Ge. *Beinkrebs*, *Beinfresser*. Ga. *Gangrène de l'os*. B. *Beenvreter*.

PAEDOTROPHOS [ita enim, non ut olim Blancardus, *paedotropha* scribendum, cum *τροφὸς* sit generis communis,] est pars hygieinae, spectans ad puerorum regimen. Ex *παῖς*, *puer*, et *τρέφω*, *nutrio*. Ge. *Medicinische Erziehung der Kinder*. B. *Opvoeding der kinderen*.

PAEONIA est planta flore rosaceo, (Polyandr. Digyn.) quae habet caules rubicundos, in multos ramos divisos, folia ampla, polita, splendentia, in parte superiori lanuginosa, caulibus rubicundis adhaerentia. Calyx est persistens, pentaphyllus. Flores sunt rosacei, pentapetali, aut polypetali, rubentes saporis fatui, odoris nullius. Pistillum floris abit in fructum multis siliquis univalvis constantem, in inferiori parte coniunctis, in superiori a se mutuo secedentibus per maturitatem, unilocularibus, longitudinaliter introrsum dehiscentibus, repletis seminibus crassioribus, oblongis, rotundis, nigris, lucidis, sub cortice crassiusculo, membranaceo, includentibus pulpam albam, saporis subdulcis, odoris nullius. Radix est oblonga, crassa, tuberosa, foris fusca, intus pallida, saporis, tum recens est, subacris, cum laevi quadam amaritie, odoris, si recens est, gravis, volatilis, Papaver quasi spirantis. In exsiccata vero sapor et odor perit. Huius plantae duae varietates prostant, Paeonia foliis oblongis *Linn.* Paeonia folio nigricante, splendido, quae *mas Bauh.* et Paeonia communis, vel *foemina Bauh.* — In officinis reperitur radix, (quam superstitioso ritu effodere credula plebs iubet) eiusque faecula, florum conserva, syrupus atque tinctura et semina. Planta est qualitatis tetrae et foetidae, insignes tamen et ab omni fere tempore vires antispasmodicae, anodynae, hypnoticae, pellentes et emmenagogae ei tributae sunt. Hinc in morbis praecipue convulsivis, eclampsia et epilepsia summopere commendabatur et, adhucdum radix contra epilepsiam adhibetur. Num tamen planta haec graveolens, et adeo prope similitudine ad Helleboros accedens, salutaris adeo et non potius noxia sit, non immerito dubitatur. Habitat in Alpibus Helvetiae et passim apud nos in hortis colitur. Gr. *Παιονίη* et *γλυκυσίδη*, quod grana a Boeotis nominantur. *Paeonia* a Paeone inventore dicitur, qui ea Plutonem ab Hercule vulneratum curasse perhibetur. Latini *herbam cassam* vocant. [Praeter duo graeca

huius plantae nomina Diosc. III. c. 147. plura alia attulit, ad quem locum Sprengel. de nominis ratione quaedam memoravit, quibus Blancardus augeri potest. Nuper Paeoniae officinalis radicem Morinus chemice disquisivit, atque in centum partibus 0, 26 materiae pinguis, 2, 80 sacchari non crystallisati, 0, 12 gummi et principii scytodepsici, 1, 60 materiae vegeto-animalis, 13, 86 amyli, 11, 46 fibrosae materiae, 9, 20 acidi malici et oxalici liberi, 0, 76, calcis oxalicae, 9, 80 phosphoricae et malicae, 0, 06 kali malici, 0, 02 sulphurici, denique 67, 98 aquae invenit.] Ge. *Päonien, Gichtrose.* Ga. *Piroine.* A. *Piony.* B. *Peoni.*

PALAETYRUS est caseus vetus. Ex *παλαιὸς, vetus*, et *τυρὸς, caseus.* Caseus enim est lac siccatum. [Rectius *palaeotyrus,* ut *παλαιόλογος, πολαιουργός* aliaque scribendum. Derivationem vocis *τυρὸς* a *τείρω* iam Etym. M. p. 772. proposuit.]

PALATUM est superior oris interni pars, leviter concava, unde et oris coelum appellatur, constans maxima parte ex osse maxillari superiore et dein duobus ossiculis proprie palati dictis, quae omnia obvolvuntur membrana crassa, glandulosa, rugas versus posteriora determinatas habente, et ad finem ante aperturam pharyngis instar veli deorsum pendente. Hinc quoque in *palatum osseum* et *palatum molle*, seu *velum palatinum* dividitur. Item vocatur *ὑπερῷον*, [Frequentissime *ὑπερῷα* vocatur *τὸ περιφερὲς τῆς ἄνω γνάθου.* Sic Ruf. Eph. *l. c. p.* 27. ubi et *οὐρανὸς* tanquam synonymon occurrit.] *οὐρανὸς, οὐρανίσκος Galeno.* Ge. *Der Rachen, Gaumen.* Ga. *Le palais.* A. *The palate.* B. *Het verhemelte des monds.*

PALIMPISSA, [Gr. *παλίμπισσα, bis cocta pix.* Diosc. I. c. 97. quae et *ξηρὰ πίσσα* vocatur.] vide *Pix.*

PALINDROME est morbus recidivus. Ex *πάλιν, iterum,* et *δρόμος, cursus.* Ge. *Ein Rückfall.* Ga. *Recidive.* B. *Eene wederkommende ziekte.*

PALIURUS, *Rhamnus Paliurus Linn.* aculeis geminatis, inferiore reflexo, floribus trigynis: Rhamnus folio subrotundo, fructu compresso *Bauh.* est arbuscula ad altitudinem arboris quandoque crescens. Rami sunt longi et spinosi, sed spinae foliis proximae sunt minores et minus noxiae, quam aliae. Folia sunt parva, obrotunda, acuta, coloris viridis, obscuri, quasi rubicundi. Calyx est monophyllus, pentaphylloides. Flos flavus, monopetalus, quinquefidus, margine membranaceo cingente baccam, staminibus quinque praeditus. Ovarium in fundo calycis fit fructus cyperiformis, ossiculo foetus fere globoso, in tria loculamenta diviso, in quibus adsunt nuclei eiusdem formae. Crescit in terris incultis Europae australis. In hortis nostris commode ad sepes adhibetur. Decoctum radicis et foliorum eximiis gau-

det viribus subadstringentibus, diureticis et expectorantibus. Sunt, qui etiam vires nephriticas laudent. Dicitur quoque *spina Christi*, quoniam ex eius ramis coronam contextam fuisse olim crediderunt, quae Christo imposita est. Alia est species Paliuri, quam Ill. *Linnaeus* ad *Ceanothum* refert, (Pentandr. Monogyn.) calyce monophyllo, corolla pentapetala, bacca sicca, tricocca; in America septentrionali nascens. Huius radix ad drachmam unam in sesquilibra aquae decocta, non abiecta spuma maxime efficaci, quotidie sumta praestantissimum in gonorrhoea et lue venerea dicitur remedium. Nomen habet quasi *πάλλω οὖρον*, *urinam moveo*. A *πάλλω πάλος*, vel dicitur quasi *πάλιν οὖρος*, *iterum urina*, id est, *bis mingens*. Ge. *Stechdorn*, *Judendorn*, *Christdorn*. Ga. *Porte chapeau*, *argalou*. A. *Prickly bramble*, *white doorn*, *Christ-doorn*. B. *Christ-doorn*.

PALLIATIO, sive **CURA PALLIATIVA** est therapia, qua morbi incurabiles, quantum fieri potest, mitigantur, dum scilicet saltem symptomata maxime urgentia, aut molesta, leniuntur, intacta ipsa morbi causa, quae tolli non potest. Ge. *Linderung*. Ga. *Soulagement*.

PALMA est interior manus pars, *vola* dicta. Ge. *Die flache Hand*. Ga. *La paume de la main*. A. *The palme*. B. *De hand-palm*. [Gr. *τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς*, non simpliciter *τὸ κοῖλον*, uti voluit Haninus Poll. *onom.* II. 143. *τὸ μεταξὺ θέναρος καὶ ὑποθέναρος καὶ στήθους κοῖλον χειρὸς ὀνομάζεται, ὃ καὶ κοτύλην ἔνιοι καλοῦσιν*. *Δῶρον*, quod idem Hanin. tanquam palmae synonymon adfert, longitudinis mensuram significat, quae palmae latitudini respondet. Vide Plin. *h. n.* 35. c. 14. — *Θέναρ* nunc strictiore nunc latiore sensu adhibetur: illo de spatio dicitur, inter pollicem et digitum indicem intermedio. Ruf. Ephes. *de part. c. h.* p. 29. Latiore sensu ab Hippocrate, eodem Rufo teste, usurpatum est, qui totam manus latitudinem hoc nomine comprehendit.]

PALMA in vegetabilibus dicitur maius vitis flagellum, unde nascuntur uvae.

PALMA, Gr. *Φοίνιξ*, arbor Asiatica et Africana, dicitur, quod comam in cacumine habeat circumtensam et ramos in digitorum modum protensos. Hodie hoc sub nomine intelligitur integer ordo plantarum, vel arborum, flores a fructibus separatos, vel in eadem specie, vel in diversis, ferentes, foliaque ut plurimum, vel flabelliformia, vel coniugata, habentes. Plurimae quidem species in regionibus calidis proveniunt; in medicina vero duae potissimum notantur: Palma dactylifera, palma maior, *Palma phoenix Linn.* Vide *Dactylus* et *Palma oleosa*, palma foliorum pediculis spinosis, fructu pruniformi, luteo, oleoso *Raii*. An *Cocos nucifera. Linn.* — Vide *Sagou*. Ge. *Palmbaum*. Ga. *Palmier*. A. *Date-tree*. B. *Dadel-boom*.

PALMA CHRISTI est *Ricinus;* sic appellatur, quod scilicet eius folia in humanae manus effigiem articulentur, ideoque etiam *pentadactylum* vocatur. Vide *Ricinus.*

PALMA CHRISTI MINOR est Satyrium foliis linearibus *Roy. Satyrium nigrum Linn.* (Gynandr. Diandr.) bulbis palmatis, foliis linearibus, floribus resupinatis, nectarii labio indiviso, ovato, acuminato. Habitat in Alpibus Helveticis et Lapponicis, Arabibus *Bucheiden.* Avicennae *digini citrini;* nomen invenit a similitudine, quam eius radix cum humana habet manu.

PALMA DACTYLIFERA, vide *Palma.*

PALMARIUM est Cotyledon minus.

PALMARIS MUSCULUS *longus* est et *brevis.* Prior oritur a condylo ossis humeri interno, format ventrem gracilem, qui ilico abit in tendinem longum, planum, tenuem, oblique in priora descendentem ad ligamentum carpi internum, cui et interdum accrescit, latescens expandit se per volam manus, abitque in quatuor portiones aponeuroticas, ad singulos digitos procedentes, tandemque in pinguedine evanescit. Musculus hic dum agit, cutem volae leviter contrahit et carpum in interiora flectit. Ge. *Der lange flache Handmuskel.* Ga. *Le cubital grele, le long palmaire.* B. *De groote palmspier.* — Posterior, sive *brevis,* qui etiam *cutaneus,* vel *caro quadrata,* dicitur, est expansio carnea mox sub integumentis, exorta a ligamento carpi interno iuxta pollicem, et principio aponeurosis palmaris longi, inde quatuor, quinque, vel et pluribus fasciculis carneis ex transverso procedit versus digitum minimum, eiusque abductorem, ibique iterum dictae aponeurosi innectitur. Quum agit, principium volae contrahit, et cutim corrugat. Ge. *Der kleine flache Handmuskel.* Ga. *Le palmaire cutané.* B. *De kleine palm-spier.*

PALMARIS botanicis est mensura longitudine manus transversae, diciturque de radicibus, petiolis, foliis.

PALMATA botanicis dicuntur *folia* divisa ultra dimidium in lobos subaequales; radices vero *palmatae,* quae carnosae et lobatae sunt.

PALMITES dicuntur, quae e stirpibus ac surculis quotannis prodeunt; sic nominatae, quod in modum humanarum palmarum virgulas quasi digitos edunt. — *Palmites* etiam dicitur liquor gratus acidulus, et quasi vinosus, ex ramis palmae minoris vulneratis in vasa subiecta copiose satis exstillans, qui in India Orientali in deliciis habetur. Ge. *Palmenwein.* Ga. *Vin de palma.*

PALMULA, vide *Costae*, et *Palma.*

PALMUS, [Gr. ὁ παλμὸς, *vibratio,*] a πάλλω, *vibro, quatio.* Vide *Palpitatio.*

PALPEBRAE, Gr. βλέφαρα, sunt integumenta bina,

oculos claudentia et tegentia. Constant ex cute externa in se ipsam reflexa, et introversa in tunicam oculi adnatam, vel coniunctivam, abeunte, membrana cellulosa, pinguedine tamen destituta, ne nimis crassae, sicque ad motum minus aptae essent, et fibris muscularibus orbicularibus intertextis. Margines palpebrarum substantiae cartilagineae, *tarsi*, pilique ibidem collocati *cilia* dicuntur. Palpebrae oculum defendunt atque tegunt, et praeterea palpebra superior alternatim perpetuo a musculo elevatore proprio elevata, et a constrictore depressa, corneam abstergit, eiusque nitorem conservat. Ge. *Die Augenlieder.* Ga. *Les paupieres.* A. *Eyelids.* B. *De oog-leden.*

PALPITATIO seu **PULSATIO CORDIS** est motus vehemens et quasi convulsivus, non arteriarum, sed cordis. Nam licet violenter et perturbato motu contrahatur, extendaturque, in carpo minus manifeste sentitur, sed aegri ipsi id percipiunt, non sine molestia aliquando maxima. Saepe manu pectori applicata, palpitatio dignoscitur, et cum maxima est, sonitum edit, quem e longinquo audimus, aut, uti nonnulli se observasse asserunt, ipsae costae diffringuntur, vel, si ossa mollia sint, extrorsum cedunt. In ipso vero corde et auriculis, aut altera tantum, vel principio arteriae, saepe maxima extensio et aneurysma inducitur. Palpitatio tamen gradus habet, neque semper adeo violenta est, unde per periodos incidit. At motu corporis, vel animi perturbatione, aestu, vino etc. intensior fit, quiete vero et somno lenior. Cum dyspnoea, scorbuto, cachexia, chlorosi etc. plerumque iungitur, aut hi cum ista. Oritur a depletione ventriculorum cordis impedita, cuius causae saepe sunt cordis debilitates, unde repetitis contractionibus defectum virium supplere annititur, aut eius obstructiones a sanguine coagulato, ossiculis, polypo, valvulis cartilagineis, vel osseis, arteriae initio angustato, abscessus in corde, excrescentiae cordi, vel pericardio, adnatae etc. Ge. *Das Herzklopfen.* Ga. *Palpitation de coeur, tressaillement et tremblement de coeur.* A. *Panting of the heart.* B. *Hert-klopping.*

PALPITATIO significat etiam motum arteriarum in locis, in quibus naturaliter non sentitur, qui inter signa inflammationis, quae in suppurationem transit, recensetur. Ge. *Das Klopfen der Schlagadern.* Ga. *Palpitation des artères.*

PAMPINI sunt frondentium ramusculorum comae colliculique fructum foventes et ab impendente vindicantes iniuria. Praecipue tantum de vite vinifera dicuntur. Hinc *pampinare* est pampinos superfluos ex vinea detrahere, posteaquam fronduit.

PAMPINIFORME CORPUS, sive **VARICOSUM**, aut **PYRAMIDALE** sunt arteriae et venae, ad testiculos euntes, et innumeris anastomosibus inter se communicantes, quae

communi tunica includuntur, et corpus referunt pampinis crispatis simile. Vide *Varicosum corpus*. Ge. *Die Verwikkelung der Saamengefässe, das traubenförmige Geflechte.* Ga. *Corps*, ou *vaisseaux pampini-formes.* B. *Wyngaardsrank gelyke lighaam.*

PANACEA est medicamentum universale, omnes morbos indifferenter curans. Plura quidem medicamenta specioso hoc nomine passim laudantur atque prostant, non tamen veram dari posse panaceam, ex ipsa morborum, eorumque causarum, diversitate facile cognoscitur. Ex *πᾶν, omne*, et *ἀκέομαι, sano, medeor.* Ge. *Eine allgemeine Arzenei, die alles heilet.* Ga. A. *Panacée.* B. *Een al-genees-middel.*

PANACEA ANGLICA, s. **SOLUTIVA** est *Magnesia.*

PANACEA GLAUBERI, vel **HOLSATICA** idem quod *Arcanum duplicatum.*

PANACEA LAPSORUM, ita *Arnica* vocatur.

PANACEA MERCURIALIS, vide *Mercurius.*

PANACEA SOLUTIVA, vide *Panacea Anglica.*

PANARITIUM, i. q. *Paronychia.*

PANATELLA et **PANATA** est pultis genus, aegrotis utile, ex medulla panis triticei, vel secalini, cum aqua vel iusculo tenui, in pultis formam coctum. Melioris nutritionis gratia ova interdum admiscent. Saepe semina melonum, vel pineae, adduntur, ut magis sit refrigerans et nutriens. A pane nomen sumsisse videtur, licet Italica sit vox. Ge. *Brodbrühe, Panade.* Ga. *Panatelle, panade.* A. *Panada.* B. *Brood-pap, water-pap.*

PANAX, vel **PANACES** est planta Pastinacae latifoliae species, et quidem Panax costinum *Bauh.* Panax heracleum *Moris. Pastinaca opopanax Linn.* (Pentandr. Digyn.) foliis decompositis pinnatis. Vide *Opopanax.* Variae etiam aliae plantae *Panax*, addita voce *Coloni, Asclepium, Chironium* dicuntur. — *Panax* quoque est genus plantae umbelliferae apud *Linn.* cuius species est *Panax quinquefolium*, in America habitans, cuius radix pro radice Ninsi Americana habetur. Vide *Gensing* et *Ninsi.* Dicitur *ἀπὸ τοῦ πᾶν ἀκεῖσθαι*, hoc est, *a sanandis omnibus morbis.*

PANCHRESTUM dicitur medicamentum, quod ad plurimos, aut omnes morbos sanandos utile creditur. [A *πᾶν*, et *χρηστὸς*, *utilis*]

PANCHYMAGOGA veteribus dicebantur medicamenta purgantia, quae omnes vitiatos humores, scilicet aquam, phlegma, bilem flavam et atram, e corpore exturbare credebantur. Prostat sic in officinis et frequenti adhuc in usu est extractum panchymagogum Crollii. Ex *πᾶν, omne, χυμὸς, succus, humor*, et *ἄγω, duco.* B. *Een algemein buikzuiverend middel.*

PANCOENUS, i. q. *pandemius*. [A πᾶν, et κοινὸς, *communis*.]

PANCRATIUM plantae nomen, quod dictum videtur a profligandis et vincendis morbis omnibus. Ex πᾶν, *omne*, et κρατέω, *vinco*, *fortiter teneo*. Vide *Scilla*.

PANCREAS, *pancration*, *pancreon*, *callicreas*, *callicreon*, et *lactes* synonyma sunt. Gr. Πάγκρεας. Est glandula conglomerata in abdomine, sub posteriori ventriculi parte transversim sita, et duodeno intestino alligata, usque ad hepatis et lienis regiones extensa, cuius munus est, succum lymphaticum volatilem et insipidum, leniter salsum, in esurientibus animalibus, salivae maxime analogum, insigni quantitate, per proprium ductum, qui *ductus pancreaticus*, s. *Virsungianus*, vocatur, et in totius glandulae medio iuxta longitudinem decurrit, ad duodenum, ulterioris chyli solutionis, subactionis, nec non bilis subiugationis et attemperationis gratia, ablegare. Glandula haec maxima est in toto corpore, in hominibus mediocris, simplex, octo vel novem pollices longa, duos digitos lata, unum crassa. Ex πᾶν, *omne*, *totum*, et κρέας, caro, quasi diceres totum carnosum. Vide *Callicreas*. Ge. *Gekrössdrüse*, *die grosse Magendrüse*, *Rücklein*. Ga. *Le pancreas*. A. *The pancreas*, sive *sweet-bread*. B. *Alvlesch*, *buikklier-bedde*, *de groote klier*.

[**PANCREATITIS** est inflammatio pancreatis, quae, secundum Swediaur. *l. c. to. I. p.* 101. cum febre primaria vel secundaria, cum dolore saepe punctorio in hypochondrio sinistro, alte versus dorsum se extendente; cum nausea, vomitu, anxietate et sensatione constrictionis in epigastrio, alvo denique haud raro adstricta coniuncta est. Vel acuta, vel chronica esse potest. De posteriore forma vid. D. Eting in Hufelandi *Journ.* 1822. Apr. p. 3—15.]

[**PANCREATONCUS** est tumor pancreatis, a praegressa saepe inflammatione, neque discussa, neque in suppurationem abeunte ortus. Ex πάγκρεας, et ὄγκος, *tumor*.]

PANDALEA idem fere quod electuarium solidum, nisi quod *pandaleon* integrum remanet. Etenim saccharum rite coctum pyxidi infunditur, ac solidescere sinitur. Aeger vero fractam partem accipit instar eclegmatis. Hinc pandaleon a rotulis morsulisve non nisi forma differt.

PANDALITIUM, barbare, i. q. *panaritium*.

PANDEMIUS, sive morbus communis, est morbus eiusdem speciei, qui in una regione plures simul invadit. Ex πᾶν, *omne*, *totum*, et δῆμος, *populus*. Ge. *Eine allgemeine Krankheit*, *eine Seuche*. Ga. *Maladie commune*, ou *pandemique*. A. *A common disease*. B. *Eene algemeene ziekte*.

PANDICULATIO, Gr. Σκορδινίασμὸς, [legendum σκορδινισμὸς: nam illud dubiae est lectionis in Galeno ad Hipp. aph. VII. 56.], σκορδίνημα, est motus fere involuntarius

et coactus brachiorum in altum sublatorum sub certa figura, ac nonnihil versus lumbos contractorum, unde etiam ipsi lumbi nonnihil convelluntur, inflexo et ad latus alterutrum commoto corpore, imo etiam collo, ut facies quoque ad latus spectet, caputque versus dorsum inclinetur. Hic motus contractivus musculorum extensorum in brachiis, trunco, cruribus fugax, transitorius, periodicus, qui partim a libertate, partim a natura, pendet, eoque fine videtur institui, ut perspiratio excitetur, torpor corporis et animi discutiatur, musculique ad agendum aptentur. Torpentes praecipue, at etiam febricitantes, aut hystericas invadit. Pandiculatio saepe cum oscitatione una incidit, aut oscitationem excipit pandiculatio, vel haec istam, et plerumque mutuae vicissitudines fiunt inter oscitationem, pandiculationem et horrorem, rigoremque sese excipientes, aut alteram cum altera complicantes. Ge. *Das Dehnen.* Ga. *Extension, pandiculation, tiraillement.* A. *Stretching.* B. *Uittrekking.*

PANDURIFORMIA botanicis dicuntur *folia* oblonga, lateribus inferne coarctata. [Krausius mavult πανδουρώδη appellari haec folia. *Πανδοῦρα* enim est instrumentum musicum, tribus (vel quatuor) fidibus instructum, teste Polluce IV. 60., ab Assyriis inventum. Alii, uti Hesych., ad instrumenta, quae inflantur, panduram referunt. De etymo vocis pandurae vid. Salmas. ad Lampridii Heliogabalum c. 34. in *Scriptor. hist. August.* Paris. 1620. f. p. 196.]

PANICULA dici potest, quidquid sublonga, vel subrotunda effigie tumet, ut quae pendet a picearum ramis. Lanosam quoque comam in milio, panico, arundine, et qualem in arvis complures herbae et in palustribus Iunci gerunt, Latini *paniculam* dixere. Proprie vero *panicula* ea est florum seminumque cerealium plantarum dispositio, qua non in spicam colliguntur, sed latius diffunduntur, dum scilicet flores sparsi in pedunculis diverse divisis sunt. Sic etiam *culmus paniculatus* dicitur, ramis varie subdivisis.

PANICUM est milii species, cuius spica ex innumeris crassis, rotundis, albis, aut flavescentibus seminibus in spicas minores digestis conflatur. Est milium semine luteo et albo *Bauh.* *Panicum miliaceum Linn.* (Triandr. Digyn.) panicula laxa flaccida, foliorum vaginis pubescentibus. Olim ex India ad nos adlatum, nunc abunde in agris nostris colitur. Qualitatis est farinaceae et insipidae, vique nutriente, at simul flatulenta, pollet. Gr. Ἔλυμος, ab ἕλος, *palus,* quia loca paludosa amat, vel ab *εἱλέω, involvo,* quia multum seminis involvit. Ge. *Heydelfenchel, Fuchsschwanz, Fench, welscher Hirse.* Ga. *Panis.* A. *Panick.* B. *Panik-koorn.* [Haec synonyma conveniunt potius Panico italico. Contra

ea Panicum miliaceum vocatur A *The millet.* B. *Geerst, geers, gierst.* Ga. *Le millet, le mil.*]

PANICUS TERROR, s. **PANOPHOBIA** est repentinus terror et consternatio, absque causa sufficiente externa: dicitur a *Deo Pan*, qui minatus terrorem immittit: *Pan* pastorum nomen olim fuit.

PANIS CUCULI, vide *Oxys.*

PANIS CYDONIORUM est succus cydoniorum cum saccharo in consistentiam spissam coctus, qui in scatulas effusus asservatur. Viribus roborantibus gaudet. Ge. *Quittenbrod.* Ga. *Cotignac.*

PANIS PORCINUS vide *Cyclamen*, et *Lathyrus tuberosus.*

[**PANIS ST. MARCI** in memoriam dirissimae famis coctus, quae anno 1407. inprimis Saxoniam fere opprimebat. Panis frustulum, quod nucem juglandem aequabat, tribus tunc numis constabat. Ingens pretium! Ut igitur tantae calamitatis memoria servaretur, artisci descriptae paulo ante magnitudinis, aromatibus saccharoque conditi, vendebantur. Ga. *Massepain.* Ge. *Marzipan.* Vide supra *Martius panis.*]

PANNICULUS ADIPOSUS idem est quod *tela cellulosa,* scilicet congeries multarum cellularum sub cute immediate positarum, membranis tenuissimis constantium, totum corpus ubique ambientium, ubi cutis est, et alte inter musculos eorumque fasciculos descendentium, in quibus ex vasis sanguiferis huc decurrentibus deponitur oleum sanguinis, quod ibi per tempus stagnare potest, verum a maiori sanguinis motu per ductus suos in venas sanguineas iterum resorbetur et circulationem subit. Potest haec congeries cellularum in obesis continere quamplurimum pinguedinis, in macilentis parum. Ge. *Das Fetthäutchen.* Ga. *Pannicule adipeux.* B. *Het vlies, daar't vet in bewaart wordt onder de huid en tusschen de spieren.*

PANNICULUS CARNOSUS, Gr. *ὑμὴν σαρκώδης,* est stratum pertenue fibrarum muscularium varia directione decurrentium, sub panniculo adiposo situm, et corpus vestiens, ut pro quarto integumento habeatur. Sed in brutis tantum reperitur, eiusque beneficio cutem movent, et muscas abigunt. In hominibus ad certa tantum quaedam loca eiusmodi musculosae fibrae subcutaneae adsunt, inprimis in facie, fortasse, quia homo, utpote vestibus instructus, iis aliis in corporis locis non ita indigebat. Ge. *Das fleischigte Häutchen.* Ga. *Pannicule charneux.* A. *The fleshy membrane.* B. *Het vleeschig vlies.*

PANNUS, PTERYGIUM oculi morbus est, quando vasa sanguinea ad angulos oculorum in tunica adnata excurrentia, propter obstructionem, sive inflammationem, sanguine tur-

gent. Postea crescente hoc malo, tela quasi carnosa oculum vel ex parte, vel in totum in superficie obducit, adeo ut oculi a lumine maxime offendantur, et plane rubeant, ipseque visus fere aboleatur. Ge. *Fell auf dem Auge.* Ga. *Espece d'onglet, drapeau.* B. *Een oog-lap.*

PANNUS notat *maculam,* vel *naevum,* in cute, sive ex lue gallica, sive ex alio morbo maligno dependentem, et diutissime persistentem. Est macula grandior palmae interdum magnitudinis, coloris subflavi, vel rubicundi, fusci, vel subnigri, in facie saepius proveniens, et sexum sequiorem deformans. Pertinet ad *ecchymomata.* Ge. *Die Honigflecken, Sonnenbrand.* B. *Honig-vlekken, zonnebrand.*

PANOCHIAE sunt bubones, vel tumores in inguinibus, orti ab inflammatione, vel malo venereo etc. Vide *Bubo.* Ge. *Beulen.* B. *Klap-ooren.*

PANOPHOBIA est morbus, vel potius symptoma, saepe convulsionum, aut delirii praenuncium, lactantibus familiare, in quo somno sepulti febricitant, sudant, gemunt, aut subsultim evigilando clamant, tremebundi et perterriti. Ge. *Auffahren im Schlaf.* Ga. *Terreur panique.*

[**PANSPERMIA**, e Gr. *πᾶν*, et *σπέρμα, semen,* proprie *omnium seminum mixtio*, est theoriae generationis appellatio, secundum quam, ex Heracliti sententia, germina omnium omnino corporum organicorum per totum terrarum orbem dispersa tam diu circumvagantur, donec unumquodque partes genitales affinis corporis invenerit, in quibus radices agere penitusque evolvi possit. Vid. Blumenbach *über den Bildungstrieb* p. 14. ss.]

PANUS, PANIS est species bubonis sub axillis, faucibus, auribus et inguinibus, in partibus scilicet glandulosis. Sumitur etiam pro *phygethlo,* et est furunculus erysipelaceus, diffusus, cutaneas glandulas obsidens, difficile suppurans, calore deurente et mordaci stipatus. [Celsus V. c. 28. s. 10. phygethlon vocari a similitudine figurae (ita enim, non *ad similitudinem,* legi iubet loquendi usus, Celso familiaris) panum testatur.] Ge. *Achseldrüsengeschwulst.* B. *Kliergezwel onder de oxelen.*

PAPAVER est plantae genus flore rosaceo, (Polyandr. Monogyn.) quod habet caulem ramosum. Folia sunt oblonga, ampla, dentata, crispata, albescentia, vel ex atro viridia. Calyx bifolius, valde caducus. Flos est rosaceus, quatuor plerumque petalis in orbem positis constans. Ex huius calyce bifolio surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, seu testam ovatam, vel oblongam, capitello ornatam, sub quo in quibusdam speciebus series spiraculorum in circuitu aperitur in fructus cavitatem, variis per longitudinem foliis munitam, seu lamellis, quibus tanquam placentis adhaerent semina rotunda ut plurimum et minutissima, alba,

vel nigra, et valde oleosa. Plures huius generis species partim sponte proveniunt, partim ob florum elegantiam in hortis coluntur. In usum medicum duae praecipue species adhibentur: Papaver hortense semine albo et nigro *Bauh.* *Papaver somniferum* calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis *Linn.* in Aegypto et India orientali nascens, planta apud nos in hortis culta, et Papaver erraticum maius *Bauh.* *Papaver rhoeas* capsulis glabris globosis, caule piloso multifloro, foliis pinnatifidis incisis *Linn.* Abunde inter segetes apud nos provenit. Qualitas et vis utriusque amariuscula est et narcotica, in omnibus plantae partibus residens, semine excepto, quod tantum oleo unguinoso scatet, et in emulsionibus adhibitum demulcet. Reperiuntur in officinis e Papavere hortensi syrupus, oleum e seminibus expressum, et syrupus diacodion e capitibus excoctum. Succus ex hac planta exstillans et induratus opium dicitur. Vide *Opium.* — Papaveris rhoeados flores, conserva, syrupus et tinctura prostant. Infusum florum, additis alcalinis, non in viridem, sed purpureum colorem abit. Gr. *Μήκων* dicitur a *μὴ κονεῖν,* non ministrando, quod suis fungi muniis vescentes non patiatur. [Krausius nonnullis, v. c. Etymol. M. p. 583., videri *μήκων* a *μῆκος, longitudo,* derivandum esse refert, quoniam papaver orientale magnam attingat longitudinem.] *Papaver* dicitur nomen habere a formoso puero Papavere, in florem sui nominis verso: alii derivant a papo lacteo infantum, vel quod eius semen infantum lacti admiscetur, vel quia eius folia lac fundunt. Ge. *Mohn.* Ga. *Pavot.* A. *Poppy.* B. *Heul, maankop.*

PAPILIONACEUS FLOS dicitur corolla irregularis polypetala, petalo inferiore cymbiformi, quod *carina* dicitur, superiori adscendente et convexo, quod *vexillum* est, et lateribus, seu *alis* solitariis. Dicuntur etiam hi flores *leguminosi*, quia praecipue legumina huiusmodi flores ferunt. Ge. *Schmetterlingsblumen.*

PAPILLA NERVEA est parva eminentia, in quam nervulus quidam, sensui inserviens, desinit. Constat ex tela cellulosa, nervis et vasis sanguiferis. Tales inprimis in lingua et extremitate digitorum conspicere licet. Ge. *Nervenwärzchen.* Ga. *Papilles nerveuses.* B. *Zenuw-tepeltje.*

PAPILLA est prominentia rubra, teres, oblonga, fungosa, valde sensilis, in medio mammarum consita, cuius ostia recipiunt omnes tubulos lactiferos, hic angustatos, a glandulis mammariis et sinubus atque lacunis prodeuntes. Constat ergo e tubulis hisce lactiferis XII—XV. interstrata substantia cavernoso-spongiosa et tenerrima cute tectis, hinc grato sugentis infantis contactu turgescit. Gr. *Θηλή.* Ge. *Brustwarze, Wärzchen.* Ga. *Le mammelon, le bout de la mammelle.* A. *The nipple of a breast.* B. *Borsttepels.*

PAPILLAE INTESTINORUM sunt protuberantiae exiguae, quibus intima intestinorum tunica referta est, ex ductibus glandularum, sinibus nervorum et lacteorum vasorumque exhalantium et resorbentium contexta.

PAPILLARE OS, i. q. *sphenoides.*

PAPILLARUM PROCESSUS, vel *processus mamillares,* sunt productiones binae substantiae medullaris medullae oblongatae a corporibus striatis oriundae, teretes, oblongae, utrinque ad os cribrosum antrorsum tendentes et ad latera cristae galli sitae, quam plurima filamenta nervea emittentes, quae per foramina ossis cribrosi transeuntes in naribus distribuuntur et proprie olfactui inserviunt. Vix adeo recte hi processus pro primo pari nervorum, seu olfactorio, sumuntur, cum sint verae productiones substantiae medullaris, e quibus demum numerosissima filamenta nervea in nares producuntur. Ge. *Die Geruchnerven.* Ga. *Les mammelons des nerfs de l'odorat.* B. *De tepelwyze uitstecksels der reuk-zenuwen.*

PAPILLOSUM botanicis est *folium* tectum punctis carnosis.

PAPPUS tam Graecis, quam Latinis, lanugo ex floribus et fructibus decidua est. Sic etiam lanosi quidam villi, qui deflorescentibus aliquot herbis circum semen remanent et postmodum una cum semine in auras evanescunt, pappi sunt, ut in senecione, soncho et plerisque aliis fit. Pappus ergo est corona seminis pennacea, vel pilosa volitans. Ge. *Die Flügel des Saames.* Ga. *Aigrette.*

PAPULAE, idem quod *pustulae.* Vide *exanthemata.* [Accuratius recentiores, inprimis Willanus, papularum notionem definiverunt sic, ut eas minimas atque acuminatas prominentias sub cuticula vocarent, quae basin inflammatam habeant, raro liquidum contineant, in suppurationem non abeant, sed plerumque crustas forment. Batemann *l. c.* p. 19.] — Item species sunt morbillorum, quae etiam *boa sudamina, fervidae eruptiones,* et *rubicundae cutis aspredines* dicuntur. Sunt in genere tubercula farcta, colorata, inflammata, quae vix in suppurationem abeunt, sed aliquid humidi apice reiiciunt, dein in squamas furfuraceas mutantur. Ge. *Zittermaal, Hitzblätterchen, Stippen.* Ga. *Pustules, bourgeons, boutons.* A. *Pimples, blisters.* B. *Rood-jong, rood-hond, rood-jonk, rood-vonk.*

PAPULOSUM botanicis dicitur *folium* tectum punctis vesicularibus.

PAPYRUS est Arundinis species niloticae, sive Cyperus omnium maximus papyrus dictus *Mich.* *Cyperus papyrus Linn.* (Triandr. Monogyn.) culmo triquetro nudo, umbella simplici foliosa, pedunculis simplicissimis vaginatis, distiche spicatis. In Aegypto aliisque regionibus calidis nascitur.

Huius olim liber, seu cortex membranaceus, ad scribendum adhibitus est. A papyro cognomen papyrii, *παπύριος*, deductum est, a quo papyriana tribus, estque res et vox Aegyptiaca, quia radice utebantur pro ligno ad ignem struendum. Dici itaque posset a *πάω* et *πῦρ*, quod ignis pabulum esset. Ge. *Papier, Aegyptisch Rohr.* Ga. *Papier.* A. *The paper-reed.* B. *Papier-riet.*

PAR dicitur de duobus nervis, in utroque latere, sibi invicem correspondentibus. Talia numerantur novem, quae ex cranio, triginta vero et unum, quae ex medulla spinali exeunt.

[**PARABOLANI** vocabantur clerici, qui cum suae ipsorum vitae periculo curam aegrorum susceperunt. Cons. Gothofred. ad cod. Theod. Tantus illorum numerus Alexandriae vivebat initio seculi quinti, ut seditionem periculosam movere possent. Vid. Sprengel *Gesch. d. Heilk. II. p.* 233. A Gr. *παραβάλλεσθαι, sese praesentissimo periculo obiicere.*]

PARABOLICA botanicis dicuntur *folia* versus apicem sensim angustius rotundata.

[**PARABULIA** est ea voluntatis a statu sano recessio, qua pravarum cupidinum et actionum plena est. Ex *παρὰ,* quae praepositio in compositione interdum *violationem moduli* significat, et *βουλὴ, voluntas.* Vocem, quam graeca lingua non habet, Friedlaender *fundam. doct. path.* §. 246. excussit.]

PARABYSMA lienis appellavit Mason Good (*Study of medicine*) intumescentiam huius visceris. E *παραβύω, infarcio.* Hinc cum *παράβυσμα* sit, quod alii corpori intruditur, apparet, non apte excogitatam esse denominationem ad eam visceris cuiusdam conditionem indicandam, qua illud ab infarcto, vel sanguine, vel alio humore tumet.]

PARACELSISTICA MEDICINA, i. q. *hermetica.*

PARACENTESIS, sive *punctio,* est perforatio thoracis, vel abdominis, per acum triquetram c cannula cava prominentem. In thorace fit, quando repletus est pure vel aqua, et punctio instituitur ad latitudinem sex digitorum transversorum a processu spinae posteriori, in latere dextro inter tertiam et quartam costam inferiorem, in latere sinistro inter secundam et tertiam, in abdomine vero, cum illud hydrope ascite intumet, ad latus lineae albae abdominis, in musculis rectis et oblique adscendentibus. Aqua effluente, abdomen fasciae latae, aut manuum, ope sensim constringatur, vel comprimatur, ne, visceribus uno momento laxatis et collabentibus, sanguis nimia copia in horum vasa non resistentia ruat et partes superiores eius affluxu orbentur. Operatione peracta, emplastro adstringente et conglutinante vulnus obturandum. Si viscera corrupta sint et aqua educta cadaverosum foetorem spiret, a paracentesi levamen

exiguum, vix ullam medelam exspectare oportet. Paracentesis quoque interdum urgente necessitate in hydrocephalo interno, (sed semper cum sinistro eventu) in oculo hydrope laborante, in vesica urinaria, vel scroto in hydrocele, instituitur. Etiam perinaeum, si emissio urinae et immissio catheteris fieri non possit, acu triquetra, aut rectius scalpello, perforatur, quae operatio *paracentesis*, vel *punctura perinaei* dicitur. A. *παρακεντέω, compungo.* Ge. *Bauchstich, Bruststich, Paracentesis.* Ga. *Paracentèse, ouverture du ventre.* A. *Perforation of the belly.* B. *Buik-opening, buik steeking.*

PARACENTICA ACUS, [rectius *paracentitica*] est acus triquetra, quae e cannula cava prominet et quae in paracentesi ad aquarum eductionem adhibetur. [Gr. *παρακεντητικὸς, pungendi vim habens, aculeatus.* Occurrit ap. Galen. *utr. med. an. gymn. hyg.* c. 24. to. V. p. 846.] Ge. *Dreieckichte Nadel.* Ga. *Troiscart, trois-quart, trocar.*

]PARACENTICION, Gr. *παρακεντείκιον,* Krausius a Galeno instrumentum appellari contendit, ad paracentesin perficiendam aptum. Vellem, locum Galeni adduxisset vir D. nam vox ita formata est, ut vitium subesse videatur.]

PARACMASTICA est *febris* continua decrescens. Item aetas declinans. A *παρακμάζω, decresco.* Ge. *Ein abnehmendes Fieber,* oder *das abnehmende Alter.* B. *Een afgaande koorts,* seu *afgaande ouderdom.*

PARACME, vide *Acme.*

PARACOPE est leve delirium in aestu febrili. [Swediaur *l. c. to. I. p.* 548. definit morbum sic: Est mentis alienatio transitoria, febrilis, mitis vel ferox, assidua, vel regulariter aut irregulariter remittens. Utitur voce Diosc. IV. 69. p. 563. *μετρίαν παρακοπὴν ἐργάζεται. Παρακόψαι* quid sit, explicat Galen. in *Prorrh. I. comm.* 1. *to. XVI. p.* 493.] Ge. *Irrereden.* Ga. *Radoter.*

[PARACOROLLA a Linkio appellatus est discus corolliformis, qui interiorem corollam in narcissis circumdat.]

PARACUSIS, SYRIGMUS CEPHALICUS *Sauvag.* OBAUDITIO est sonitus aurium, qui in gravitate, aut dolore interno capitis, cum obscuritate auditus et gravi susurro accidit, quandoque accedente vertigine, unde metus debilis cophoseos, epilepsiae, aut apoplexiae, aut crisis per parotides, haemorrhagiam: gravis est congestio, fluxiove in cerebri vasis, si gravis sit morbus: levior et fugax, ut in vomitione, insolatione. *Sauv.* [Ploucquet. *phthongodysphoriam* vocat.] Ge. *Sausen der Ohren.* Ga. *Bruissement.* — Aliis ut *Sauv. paracusis* est i. q. *auditus confusio.* [Willisius illud auditus vitium *paracusin* appellat, cum surdastri sonos exiles, alias non percipiendos, optime audiunt, si simul soni graviores v. c. tympanorum, campanarum et similes

excitantur. A Graec. παρὰ, quae praepositio in compositione *negligentiam* significat, et ἄκουσις, *auditio.* Proprie igitur est auditio negligenter, perperam facta.]

PARACUSMA, i. q. *auditus confusio.*

[**PARACYESIS**, a Gr. παρὰ, *extra*, et κύησις, *gestatio in utero*, appellatur tumor abdominis cum symptomatibus graviditatis variis, plerumque ultra consuetam graviditatis periodum durantibus. Causae huius status solet foetus extra uterum sive in tuba Fallopii, sive in ovario, sive denique in abdominis cavitate collocatus esse. Swediaur *l. c. II. p. 377.*]

PARACYNANCHE est inflammatio cum febre continua et respiratione difficili, in musculis laryngis exterioribus excitata. Ex παρὰ, *de*, κύων, *canis*, et ἄγχω, *ango.* Vide *angina.*

PARADISI GRANA, vide *cardamomum.*

[**PARAFFINUM** a Reichenbachio nuper detectum et cognominatum est. Is enim in destillatione destruente corporum organicorum duo producta memorabilia notavit, quorum alterum *paraffinum*, alterum *eupion* ab illo denominatum est. Paraffinum materia est, camphorae quodammodo similis, crystallos formans, calore volatilis, aqua plane non, alcohole difficulter, in aethere et oleis aethereis facile admodum solvenda, quae in primis hoc peculiare habet, ut vel a concentratissimis acidis, alcalibus, aliisque substantiis quibuscunque neque in frigore, neque in calore afficiatur, unde etiam nomen *parum affine* desumtum est. Vide *Eupion.*]

PARAGLOSSE, GLOSSOCELE est linguae motu deglutitorio in fauces revolutae, vel ore extrusae, exundantis, exsertae ectopia, imminuta, vel aucta, ipsius magnitudine. Accedunt symptomata alia, in speciebus variis varia. *Sauv.* Ga. *Avalement, chûte, renversement, sortie de la langue.*

PARAGUAY, PERAGUA HERBA: hoc sub nomine folia denotantur arboris in Aethiopia et America meridionali habitantis, quae est *Cassine Peragua Linn.* calyce quinquepartito minimo; corolla monopetala, quinquepartita, patente; bacca subrotunda, triloculari, umbilicata, seminibus solitariis subovatis, foliis oblongis serratis; Phillyrea capensis, folio Celastri *Dill.* Infusum aquosum foliorum contritorum amaricans est, eique magnas vires cardiacas et alexipharmacas tribuunt incolae, hinc frequentissimi usus est. Largiori usu inebriare dicitur. Ge. *Jesuiterthee.* Ga. *Thé du Paraguai.* — Aliis, ut *Linn.* in Amoenitat. acad. Vol. VII. p. 244. Prinos glaber planta esse videtur. Minus recte a quibusdam hoc sub nomine *Botrys ambrosioides*, vel *Viburnum cassinoides*, intelligitur, licet harum plantarum folia etiam theae loco in America usurpentur.

PARALAMPSIS est leucoma albugo resplendens, Latinis *margarita.* [Galen. *gloss. Hipp.* exponit per ἡ ἐν τῷ μέλανι

τῶν ὀφθαλμῶν ἐκλάμπουσα οὐλὴ, διὰ τὸ ἡσυχῆ παχυτέρα εἶναι τῆς αἰγίδος. Vid. de hoc oculi vitio Benedict *Augenkr. III, p.* 222.] Vide *Leucoma.* Ge. *Perle.*

[**PARALEROS**, Gr. *παράληρος*, idem, quod *paracope*, quod vide.]

PARALYSIS, sive **RESOLUTIO** est movendi impotentia, magis, vel minus constans, in his, aut illis musculis, qui arbitrio nostro sunt subiecti. Nullus adest dolor, vel sensus in parte, aliquando hic tamen est levis cum stupore, vel specie punctionis. Semper sunt membra flaccida, (in quo differt a catalepsi, in qua aegri se etiam non movent, sed cum rigiditate partium non superabili), saepe etiam macilenta, et ad tactum frigidiora; subinde sanguis quoque ablatus est, aut vermes quasi repentes in partibus percipiuntur. Oritur hic morbus ab omni causa, quae impedit influxum fluidi nervei in nervos partibus affectis dicatos, vel quae prohibet introitum sanguinis arteriosi in musculos partes eas moventes. Aliis morbis nonnunquam succedit, inprimis apoplexiae et dolori colico, quae proprie *paresis* dicitur. Si in utroque latere fit in omnibus partibus infra caput, visceribus vitalibus exceptis, *paraplegia* dicitur: si in uno, *hemiplegia.* Si in hoc, aut illo membro, proprie *paralysis* appellari solet. A *παραλύω, resolvo.* Ge. *Lähmung.* Ga. *Paralysie.* A. *The palsy.* B. *Lammigheid.*

PARALYSIS HERBA, seu **PARALYTICA** dicitur vulgo *Primula veris,* et *Betonica alba,* quod, uti olim credebant, paralyticis morbis medeatur.

PARAMESUS est digitus medio proximus, minimoque vicinus, qui *medicus* et *annularis* dicitur. [Occurrit in Poll. *onom. II.* 145. Ruf. Ephes. *l. c. p.* 30.] Ex *παρὰ, juxta,* et *μέσον*, *medium.* Vide *Digiti.*

[**PARANOEA** Friedlaendero (*doctr. pathol. p.* 295.) ea mentis alienatio est, quae maxime cogitationum a vera rerum natura abhorrentium ineptia ac iudicii perversitate cognoscitur, qua et interni sensus quodammodo perturbantur. E Gr. *παρὰ* et *νοῦς, mens.*]

PARAPHIMOSIS, et **PERIPHIMOSIS**, **PHIMOSIS CIRCUMLIGATA** est penis vitium, in quo glans a retracto praeputio tegi non potest. Contingit hoc malum illis, qui nimis angustum a natura praeputium habent, quod si retractum fuerit, et penis dein rigescat, eiusque glans intumescat, iterum reduci nequit. Est etiam inter symptomata luis venereae, licet rariora, dum praeputium a materia virulenta penem inficiente et rodente inflammatione afficitur. [Dicitur et ἄγξις βαλάνου. Swediaur *to. II. p.* 393.] Ex *παρὰ*, [de cuius praepositionis in compositis vocibus significatione vide statim postea in *Paraphonia*] et *φιμόω, obligo.* Ge. *Spanischer Kragen.* Ga. *La paraphimose.*

PARAPHONIA est vitium vocis, seu insuavitas, scilicet impotentia vocem suavem edendi, tum in cantu, tum in loquela, ita ut vox sono suo aures laedat, aut defatiget. [A Gr. παρὰ, quae praepositio in compositione vitiosam actionem indicat, et φωνὴ, *vox*. Varias paraphoniae formas, *puberem, nasalem, gutturalem, sibilantem, stridulam, stertentem, latrantem, singultantem, tremulam* et *raucam*, assumsit et diligenter consideravit Jos. Frank *Prax. med. praec. Pa. II. Vol.* 2. *sect.* 1. *p.* 13. ss.] Ge. *Unangenehme Stimme.* Ga. *Vice de la voix.*

PARAPHRENITIS, PARAPHRENESIS est delirium cum febre continua ex inflammatione diaphragmatis, vel membranarum illud cingentium, aut partium vicinarum, tum in thorace, tum in abdomine oriunda, cum sensu cinguli praecordia stringentis, oppressione gravi pectoris et dolore intolerabili punctorio ob membranas nervosas, qui immaniter increscit in respiratione, tussi, sternutatione, unde aegri incidunt in spasmum cynicum, quo genarum musculi correpti efficiunt risum sardonium, et brevi convulsionibus et furore pereunt; hinc est morbus peripneumoniae et pleuritidi affinis, illa tamen maior; vel est proprie morbus inflammatorius pectoris cum delirio aut symptomatico, aut ex metastasi ad caput orto. Ex παρὰ, et φρενῖτις, *phrenitis.* [Vocatur alias *Diaphragmatitis.*] Ge. *Entzündung des Zwerchfells.* Ga. *Paraphrénesie.* B. *Bastaard raazende koorts.*

PARAPHROSYNE, PARAPHRONESIS, sive **DELIRIUM** est levis quaedam imaginationis et iudicii alienatio, orta ab inflammatione aliquam partem corporis occupante cum febre continua, a quibus in consensum trahitur cerebrum. Aliis dicitur insania acuta, periodica, fugax, cum, vel sine febre, unde a mania, melancholia, aliisque morbis constantibus, nec non a phrenitide, paraphrenesi, synocho et typho, quorum saepe comes est, ut pars a toto discrepat. Oriri potest ab ebrietate, venenis narcoticis, febre etc. Ex παράφρων, *amens.* Ge. *Verwirrung des Verstandes.* Ga. *Aliénation de l'esprit.* Vide *Delirium.*

PARAPLEGIA, PARAPLEXIA est summa debilitas sensus et motus, vel alterutrius, in dimidio corporis transversim sumti, vulgo extremorum inferiorum, cum enuresi continua, anaphrodisia etc. Causa est immeabilitas fluidi nervei per imam spinalem medullam circa imum dorsum, vel lumbos, compressam, aut quovis modo laesam; inde fit, ut homo lecto semper affixus maneat, unde, quantum differat ab hemiplegia, facile apparet; si tamen imperfecta sit paraplegia, aeger pedibus paulisper insistit et claudicando progreditur, nec urinam involuntario emittit. [Cum haec vox a variis scriptoribus diverso sensu et olim usurpata fuerit, et adhuc usurpetur, maximopere necessarium est, accu-

rate finire notionem, ut vitentur errores, in quos ob usus eius inconstantiam vel ipsi incidere, vel alios inducere possumus. Sit igitur *paraplegia* resolutio utriusque lateris, qua omnes voluntati subiectae partes aut sensu, aut motu solo, aut utroque simul privantur. Opponitur hoc modo vitium *hemiplegiae*, qua unius tantum lateris partes musculosae aut omnis motus sensusve, aut utriusque expertes sunt. Vid. H. Earle in *Med. chir. Transact.* Vol. XIII. p. 516—562.] Ex παρὰ, *de, iuxta,* et πλήττω, *percutio.* Ge. *Lähmung des Leibes, Querlähmung.* Ga. *Paralisie de tout le corps.* A. *Universal palsy.* B. *Lamheid des ganschen lighaams.*

PARAPLEXIA, i. q. *paraplegia.*

[**PARAPOPLEXIAE** nomine Bethke *üb. Schlagfl.* p. 35. apoplexiam non exquisitam intelligit, in qua aegroti aliquam sui conscientiam artuumque movendorum facultatem retinent.]

PARARHYTHMUS est pulsus alterius indolis, quam aetas fert. [Vide Galeni *def. med.* 222. *to. XIX. p.* 409. qui eum ab ἑτερορύθμῳ et ἐκρύθμῳ distinguit.] Ex παρὰ, *praeter,* et ῥυθμὸς, *modulus.* Ge. *Ein Puls, der nicht mit dem Alter, oder der Krankheit, übereinkommt.* B. *Een pols, die tegen de gemeene regel slaat.*

PARARTHREMA, i. q. *subluxatio.* [A Graec. παράρθρημα, *parva luxatio,* qua membrum non nisi parum ex articulo excessit. Vid. Galen. *defin. med. to. XIX. p.* 460.]

PARASTATAE, idem quod *Epididymis.* Ex παρίημι, *iuxta sto.*

PARASTREMMA est distorsio oris convulsiva, ut in spasmo cynico, aut risu sardonio fit. [Non oris solius, sed omnium omnino faciei partium distorsionem denotat ap. Hipp. *Prorrhet.* II. p. 228. ed. Lips. qui unicus locus, quo occurrit, esse videtur. A παρὰ, quod in compositione deflexionem a linea recta denotat, ut παράγειν, ap. Polyb. 4, 44. de nautis, non recta cursum facientibus, occurrit, et στρέμμα, *quod contortum est, opus tortile;* hinc teste Photio, de cicatrice ulceris rotundi usurpatur στρέμμα.] Ge. *Verdrehung des Mundes.*

PARASYNANCHE est inflammatio musculorum ipsius pharyngis, seu faucium, cum febre saepe continua, exiguoque respirationis, sed maiori deglutitionis impedimento. Ex παρὰ, *praeter,* σὺν, *cum,* et ἄγχω, *strangulo.* Gr. Ὑάγχη, seu *angina suum Aureliano,* (acut. morb. III. 1. quod suibus familiare sit malum. Ge. *Entzündung des Schlundes.* B. *Keelontsteeking.*

PARATONIA a Friedlaendero ille corporis status abnormis appellatur, quo motus inconcinni atque pravam utriusque momenti, quo quilibet motus constare videtur, toni scilicet atque turgoris vitalis, vicissitudinem exhibentes producuntur. Cui

quidem morborum generi tanquam formae subsunt variae spasmorum species, v. c. tetanus, emprosthotonus, opisthotonus, trismus etc. A Gracco *παρὰ*, quae praepositio in verborum compositione abcrrationcm a regula, ab co quod iustum est, indicat, ct *τόνος*, *tensio.*]

PARATRIMMA est excoriatio, intcrtrigo. [Gr. *παράτριμμα* a *παρατρίβεσθαι*, *attritu excoriari.*] Vide *Erythema.*

[**PARATROPHIA** cst nutritionis a consueta et normali ratione declinatio, sive nimia abundantia, sive defectus virium conformatricium in causa fuerit. Fricdlacnder *l. c. p.* 308. A *παρὰ* et *τρέφειν*, *nutrire.*]

PARDALIANCHES, [Gr. *παρθαλιαγχὲς*, Diosc. IV. c. 77. teste], aconitum vocatur, quod pantheras necet et pardos. A *πάρδος*, *pardus*, et *ἄγχω*, *strangulo.* Vide *Aconitum.*

[**PARECTASIS** a Swediauero l. c. II. p. 625. idem denotare contenditur, quod *parastrepsis* s. *subluxatio.* A *παρὰ* et *ἐκτείνειν*, *extendere.*]

PAREGORICA sunt medicamenta mitigantia dolorem, tollendo cffectum acrimoniae laedentis. Quae desumuntur ex emollientibus, obtundentibus, levemque somnum producentibus. A *παρηγορέω*, *lenio*, *mitigo.* Ge. *Besänftigende Mittel.* Ga. *Paregoriques*, *remèdes qui calment les douleurs.* B. *Verzagtende* seu *pynstillende middelen.*

PAREIRA BRAVA est radix plantae Brasiliensis, pollicem crassa, multis nodulis ornata, extrinsecus nigrescens, interius ex fusco lutea, saporis ad Liquiritiam accedentis, sed simul subamari. Planta copiose in America meridionali proveniens cst Clematis baccifera, glabra ct villosa, rotundo et umbilicato folio *Plum.* Vid. Sprengel in *Berlin. Jahrb. f. d. Pharmac. XXI.* Cissampelos pareira *Linn.* (Dioec. Monadclph.) foliis peltatis, cordatis, emarginatis. Ab incolis pro eximio remedio habetur. Gaudet viribus resolventibus atque diureticis. Datur vcl in substantia ad scrupulum unum, vel in decocto ad drachmas plures, et pro specifico in colica nephritica, dysuria, hydrope ct gonorrhoea habctur. *Pareira brava* idiomate Lusitanico idem est, ac vitis sylvestris. *Butua* enim, *Ambutua,* aut *Brutua,* teste *Lochnero*, qui hanc radicem descripsit, alia est, et ab hac distinguenda. [De variis plantis, quae hanc radicem suppeditant, vid. Richard (*medic. Bot. II. p.* 1051.). Feneulle, qui chemicam radicis disquisitionem exhibuit, eam e rcsina molli, e flava caque amara materic, quae eodem modo, quo cathartina, parari potest, e pigmcnto fusco, amylo, variisque salibus constare rcperit.] Ge. *Americanische Griesswurzel.*

PAREMPTOSIS est casus, vel coincidentia. A *παρεμπίπτω*, *incido.* Est hic terminus antiquae pathologiae, *Pythagorae* et *Erasistrati.* Hi docebant, febrem fieri, si san-

guis suos fines egressus incideret in vias spirituum. Scilicet in arteriis contineri spiritum, seu aërem, credebant, in venis sanguinem, quae duo inter se reciproco aestu, maris instar, incurrant. Si igitur sanguis incidat in arterias, hoc dicebant *paremptosin*. [Vid. Sprengel *Gesch. der Medic. I. p.* 548.]

PARENCEPHALOS idem quod *cerebellum*. Ex *παρὰ, iuxta, post*, et *ἐγκέφαλος, cerebrum*. Gr. *Παρεγκεφαλὶς, Herophilo Ἐγκράνιον, Galeno Ἐπίκρανος, Poll. Ὀπίσθιος ἐγκέφαλος*. Vide *Cerebellum*.

PARENCHYMATA sunt viscera, quae elaborant aliquid, quod usui communi totius corporis inservit. Rectius tamen sub *parenchymatis* nomine intelligitur intima cuiusque visceris substantia conflata ex vasorum advehentium et revehentium extremitatibus, et vasorum secernentium originibus. Olim pro substantia glandulosa et cellulosa arteriolis et venis interiecta habebatur. A *παρεγχύω, transfundo*. Ge. *Bestandwesen eines Eingeweides*. Ga. A. *Parenchime*. B. *Ingewanden, daar het bloed door vliet*.

[**PARERETHISMUS** ab Henslero (*Allgem. Therap.* §. 155.) inventa vox, qua praeter modum auctam corporis animalis erga stimulos reactionem subintelligi volebat. A *παρὰ*, et *ἐρεθισμὸς, irritatio*.]

PARESIS est laxa et imperfecta, sensim invadens impotentia movendi musculos, motui animali inservientes, praecipue extremitatum superiorum et inferiorum, vel paralyseos species, quae post dolorem colicum et maxime colicam siccam, seu Pictonum, sequitur, aut eam comitatur, pendens ab affectione nervi intercostalis, vel sympathici magni, per nervos spinales ad nervos extremitatum propagata. A *παρίημι, laxo, solvo*. Vide *paralysis*.

PARIETALE OS, i. q. *bregma*, vel *sinciput*.

PARIETARIA, MURALIUM est plantae genus floribus hermaphroditis et foemininis, (Polygam. Monoec.) plures species, etiam exoticas, sub se comprehendens. Species apud nos maxime frequens et in ruderatis nostris proveniens, inque usum medicum adhiberi solita, est *Parietaria officinalis Linn.* foliis lanceolato-ovatis, pedunculis dichotomis, calycibus diphyllis. Habet haec caules rotundos, rubicundos, fragiles. Folia oblonga, acuta, villosa, aspera, vestibus facillime adhaerentia. Flos ad alas foliorum glomeratim nascens est apetalus, quatuor plerumque staminibus constans, ex calyce quadripartito surgentibus, nunc campaniformi, nunc infundibuliformi, modo rotato. Pistillum autem abit in semen, ut plurimum oblongum, in capsula, quae floris calyx fuit, reconditum. Ex hac herba in usum praeprimis veniunt folia, quae propter vim emollientem et leniter diureticam ad expurgandos renes a sabulo laudantur. Adhibentur interne et externe, et in officinis inter quinque

herbas emollientes numerantur. Gr. Ἑλξίνη et περδίκιον. [Quamquam Dioscor. IV. c. 39 et 86. plura utriusque Helxines, primae et secundae ab ipsa cognominatae, synonyma attulit, tamen περδικίον inter illa desidero. Secundam helxinem Sprengelius Parietariam officinalem esse contendit.] Sic vocatur a parietibus et muris, quibus accrescat, vel iuxta proveniat. Ga. *Tag und Nacht, St. Peterskraut, Glaskraut, Mauerkraut.* Ga. *Pariétaire, perce muraille, casse pierre.* A. *Pellitory of the wall.* B. *Glas-kruid.*

[**PARILLINE** est peculiare principium, in radice Smilacis Sassaparillae L. a Palotta detectum. Coloris albi, pulverulentum, leve est, ab aëre atmosphaerico non mutatur, saporem amarum, valde acerbum, ingratumque exserit, peculiarem spargit odorem: aqua frigida haud solvitur, calida aqua et frigido alcohole parum, fervente autem facile solubile est, chartam curcumae succo tinctam leviter rubefacit, igne solvitur, et cum acidis salia format. Vim vitalem deprimit, sudorem prolicit et in maiori dosi (gr. XIII.) vomitum producit.]

PARIS HERBA, seu **UVA LUPINA** et **UVA VERSA**, est planta, (Octandr. Tetragyn.) quae habet caulem mediocriter crassum, rotundum, solidum, in parte superiori viridem, in inferiori rubicundum. Folia sunt in crucem disposita, oblonga, ampla, venosa, rugosa, aliquantulum acuta, nigricantia. Calyx quadrifolius, radiatim expansus. Flores sunt tetrapetali, cruciformes, octo staminibus; stylis quatuor donati. Flori succedit bacca mollis, globosa, quatuor tubis instructa, in quatuor loculamenta divisa, coloris obscuri, odoris ingrati, continens semina oblonga, exigua, alba, gemino ordine incumbentia. Radix longa, parva, nodosa, repens. Haec planta [(Paris quadrifolia L.)] crescit in sylvis umbrosis, qualitatis est nauseosae et foetentis. Vires ei tribuuntur cephalicae, resolventes et anodynae; suspectus tamen ob vim stupefactivam est usus internus. Folia bubonibus pestilentialibus applicantur. Ge. *Wolfsbeere, Einbeere, Dollwurz.* Ga. *Raisin de renard, parisette.* A. *Herb Paris, frue lowe, one berry.* B. *Wolfs-bezie, dolwortel, wolfs-wortel, spinne-kop.*

PARISTHMIA, sive **AMYGDALAE** ita dictae, quia a lateribus faucium amygdalarum specie nonnihil protuberant, sunt glandulae duae, in ore ad faucium initia sitae, ex plurimis folliculis compositae, qui inter sese connectuntur. Usus praecipuus est, materiam quandam mucosam, sive pituitosam, in fauces et os effundere, sicque deglutitionem promovere. Vocantur etiam *tonsillae,* ἀντιάδες, μῆλα, [utraque denominatio occurrit in Rufo *l. c. p.* 28.] et σπόγγοι, *Hippocrati.* (Cons. Foës. *oec. Hipp. p.* 583. Quare errat Kraus., dum tumefactas colli glandulas σπόγγους appellari con-

tendit.] Ex παρὰ, *iuxta*, et ἰσθμὸς, *isthmus*. Ge. *Die Mandeln im Hals.* Ga. *Amygdales.* A. *Almonds.* B. *Amandelen.*

[PARISTHMITIS, idem quod Angina tonsillaris, vel Antiadoncus inflammatorius. Vide *Antiaditis.*]

PARNASSIA *palustris Linn.* s. *Gramen Parnassi*, vel *Hepatica alba offic.* est planta flore albo elegantissimo praedita in palustris crescens, cuius herba et flores, licet rarius, in officinis reperiuntur. Amaritie tamen et viribus aperientibus pollent. [A. *The grass of Parnassus.* B. *Parnas-kruid.* Ga. *Hepatique blanche, fleur de Parnassus.*] Ge. *Weisse Leberblume, Studentenröschen, Sumpfeinblatt.*

[**PAROMPHALOCELE** est hernia, quae non in ipso umbilici annulo, sed in vicinia eius in linea sic dicta alba, orta est. Scarpa, qui utramque herniam a se invicem probe distinxit, hoc discrimen in artis exercitio non sine utilitate esse docuit loco, supra sub *Omphalocele* allato, p. 344.]

PARONYCHIA, *Illecebrum paronychia Linn.* (Pentandr. Monogyn.) floribus bracteis nitidis obvallatis, caulibus procumbentibus. Polygonum minus candicans *Bauh.* est planta, quae habet caules nodosos, se extendentes et repentes. Folia Polygoni sunt, sed minora et breviora. Calyx est pelviformis, sectus in quinque partes cucullatas. Flos apetalus quinque staminibus constat. Ovarium in calycis centro positum emittit tubam unam, erectam, fitque cum calyce fructus pentagonus, utrinque acuminatus, quinquevalvis, unilocularis, uno semine foetus. Radix perennis, longa, satis crassa, in multos ramos lignosos divisa, alba. Haec planta est alba, aut coloris argentei; et crescit in regionibus calidis, praecipue in Hispania et Gallia australi, circa montes. Pollet viribus adstringentibus atque traumaticis, eiusque decoctum contra haemorrhagias, praecipue contra haemoptysin, commendatur. Herba haec sic forte dicta, quod malis circa ungues mederi credatur. Ex παρὰ, *ad*, vel *iuxta*, et ὄνυξ, *unguis*, quasi ad unguem. [B. *Schubbig hardkelk.*] Ge. *Nagelkraut.* Ga. *Renouée argentée, paronique, herbe au panaris.* A. *Felon whitlow grass, knot grass, whitloe-wort.* Nonnulli sub *Paronchiae* nomine *Drabam vernam* intelligunt.

PARONYCHIA, PANARIUM, PANARITIUM, sive **REDUVIA** est inflammatio in apice digiti manus, in periosteo, vel unguis radice, aut circa tendinem haerens, quae primo vix exterius conspicitur, cum dolore nihilominus acerrimo, qui vigilias molestas facit, et cum ardore et pulsatione, sed tumore paene nullo in principio, aut rubore manifesto; tertio autem, vel quarto die, cum tumor, tum inflammatio exterius elucent, et saepe ad manum, vel humerum usque, extenduntur. Nonnunquam post inflammationem caries digiti

quaedam ossicula invadit, cuius extremum, utpote minutum, saepe excidere visum fuit. Originem habet ex quacunque causa has partes inflammante, violenta, vel etiam interna, tum ex acri et corrodente humore, tendines, nervos, periosteum, imo os ipsum, corrodere valente. [Recentioribus audit *dactylitis.*] Ex *παρὰ, iuxta,* et *ὄνυξ, unguis,* quia malum circa radicem unguium haeret. Ge. *Wurm am Finger, Nagelgeschwür.* Ga. *Paronichie, panaris, le mal d'aventure.* A. *A felon, whitlow, wittloe.* B. *Nydnagel, de vyt, worm.*

PAROPIAE, [*αἱ παρωπίαι*] sunt anguli oculorum minores, tempora versus spectantes. Ex *παρὰ, iuxta,* et *ὤψ, oculus.* Vide *Canthus.*

PAROPTESIS, [Gr. *παρόπτησις*], antiqua quaedam adustionis species est, quae in variis morbis usu veniebat. — Item significat sudoris provocationem in balneo sicco cum prunis ardentibus. [Utriusque medicationis meminit Cael. Aurelianus: *παρόπτησιν*, quae fit per cauterium actuale, et quam laboriosam atque dolore gravissimam ignis usturam vocat, commendat contra stomachicam passionem, *morb. chron.* III. c. 2. Alteram paroptesis formam, quae carbonibus aequali vapore madentibus perficiatur, cephalaeae sanandae parem esse testatur idem, *morb. chron. I. c.* 1. *p.* 281.] A *παροπτάω, aduro.* Ge. *Das Schwitzbad.* B. *Zweetbad, drooge, stoving.*

PARORCHIDIUM, s. testiculorum serior descensus, vel retractio, est testiculi unius, vel utriusque, cuius post nativitatem sedes naturalior scrotum est, situs in alienum aberrans; quae situs nativi mutatio cognoscitur exploratione scroti, testiculo hinc, vel utrinque vacui, nec non sede, quam ambo, vel alteruter occupant; porro, vel serius descendens testiculus hic, ille, aut uterque, nunc abdomine occultatur, nullibi conspicuus, nunc in annulis extuberat, nunc infra haeret, ipsis proximus, vel nativum iam naetus locum, viam emensam remeat, ad annulos retractus, vel intropressus. [Ex *παρὰ,* quae praepositio in compositis peccantem s. abnormem formationem, situm, actionem denotat, et *ὀρχίδιον, testiculus.*] Ga. *Déplacement, retraction des testicules.* [Ge. *Hodenzurückhaltung.* A. *A detention of the testicles.*]

PAROTIDES sunt glandulae duae post aures sitae, occupantes foveam inter processum mammillarem, condyloidem et os iugale factam, quae a carotidibus externis sanguinem accipientes, salivam in magna copia conficiunt, ac communi ductui infundunt, qui circa tertium dentem molarem superiorem perforando musculum buccinatorem in os hiat, et *ductus Stenonianus* dicitur. — Item tumores glandulis, post aures, contingentes *parotides* vocantur, qui, si non

suppurantur, ad indolem strumarum accedunt; sed in morbis inflammatoriis materiam morbificam in se recipiunt, et per abscessum evacuant. Interdum etiam symptomatice superveniunt. Ex *παρὰ*, *pone*, *iuxta*, et *οὖς*, gen. *ὠτὸς*, *auris*. Ge. *Die Ohrendrüsen*, *harte Beulen*, *Geschwulst hinter den Ohren*. Ga. *Parotides*. A. *A swelling behind one ears*. B. *Oor-klieren*, *gezwellen achter 't oor*.

[**PAROTIDONCUS** est tumor glandulae parotidis unius, vel utriusque. A gr. *παρωτις*, *glandula salivalis prope aurem sita*, et *ὄγκος*, *tumor*.]

[**PAROTITIS** est anginae species, aut ab inflammatione glandulae parotidis producta, aut cum ea coniuncta. Synon. Cynanche parotidea *Sauv*. Ge. *Entzündung der Ohrdrüse*. Ga. *Oreillons*, *ourles*. A. *Mumps*. — Haud raro solet tumor parotidis subito evanescere, materia morbosa ad alias corporis partes non sine summo aegroti periculo delata. In maribus testes, in feminis mammas etc. in utroque sexu interdum cerebrum occupat. Hamilton tunc, periculi avertendi causa, vesicatorium ipsi glandulae applicari iubet.]

PAROXYSMUS est pars periodi morborum, qua intenduntur et exacerbantur. Estque vel ordinatus, qui certis temporibus intensionis affligit, ut in febri tertiana, vel inordinatus, qui nullum certum intensionis tempus observat, sed nunc hoc, nunc illo die redit; nunc citius, nunc tardius infestat, ut in febre erratica, hypochondriasi, hysteria, epilepsia, aliisque morbis plenarie intermittentibus. Vocatur et *periodus*, *accessio Celso*, *exacerbatio* et *invasio*: aliis *παροξυσμὸς*, *εἰςβολὴ Gal*. *λῆψις Arist*. cuius ipsius initium *ἀρχὴ* et *ἐπισημασία Galeno* dicitur. A *παροξύνω*, *exacerbo*. Ge. *Der Anfall*. Ga. *Accès*, *paroxysme*. A. *Fit of the disease*. B. *Aanval*, *verheffing*.

PARS est corpus, quod cum pluribus aliis totum perfectum constituit. Respectu corporis animalis est corpus toti cohaerens, communique vita coniunctum, actionibusque perficiendis comparatum. Partes sunt vel fluidae, vel solidae; similares et dissimilares; organicae, vel inorganieae; principales et ministrae; continentes et contentae etc. Gr. *μέρος* et *μοῖρα*. Ge. *Ein Theil*. Ga. *Partie*. A. *Part*. B. *Een deel*.

PARTHENIS et **PARTHENIUM** est planta, cuius nomen variis imponitur herbis. Sic appellatur, quod morbis uterinis mulierum, praesertim virginum, medeatur. Hinc *Matricaria*, *Artemisia* et *Cotyle* ita dicuntur: *παρθένος* enim virgo est. Ill. *Linnaeo Parthenium* est plantae genus flore composito, (Monoec. Pentandr.) e flosculis hermaphroditis et semiflosculis foemininis constante calyce communi pentaphyllo comprehensis, seminibus in foeminis tantum, solitariis, turbinato-cordatis, compressis, nudis: paleae flosculos

distinguunt, ut singula foemina a tergo duos obtineat hermaphroditos. Dicitur aliis *partheniastrum*. Vide *Cotyla*. Ge. *Bastard-Mutterkraut*. [Ga. *Parthene, herbe à mouton, herbe à Samson,*] *matricaire*. A. *The bastard feuer-few*. B. *Moeder-kruid, magdebloom*.

PARTIALIS botanicis dicitur *umbellula*, quae est pars *Umbellae* universalis, [Ge. *Eine einfache, besondere Dolde.*] et *involucrum partiale*, quod umbellae partiali subiectum est. Ge. *Eine besondere Blumenkrone*.

PARTITA dicuntur *folia*, quae ad basin fere divisa sunt. [De perianthio quoque et calyce adhibetur. Ge. *Getheilt.*]

PARTUS est foetus maturi in lucem editio: in partu ordinario foetus caput antrorsum vertitur, eoque versus uteri collum inclinato, membranis ruptis, egressum conatur; solito more foetus mense nono excluditur. Partus in sanis etiam laboriosus esse debet, si ratio ineatur molis foetus, et orificii, quo egreditur; hinc non fit absque motu admodum valido musculorum abdominis, dorsi, diaphragmatis, et aliarum partium. Imo etiam non sine dolore, anxietate et molestia. Hinc etiam dolores ratione effectus commode in praeparantes, aperientes et expellentes dividuntur, et praecipue a contractione fibrarum muscularium uteri pendent. Foeminae his doloribus laborantes *parturientes* dicuntur. Gr. *Τόκος, τέξις, κύημα*. Ge. *Gebährung, Geburt, Kindesnoth*. Ga. *L'accouchement, travail, delivrance*. A. *Child bearing*. B. *De baaring*. — Sumitur etiam pro ipso foetu, hinc de partu perfecto et imperfecto, vitali etc. medici loquuntur. Ge. *Die Frucht*. Ga. *Le fruit*. A. *The child*. B. *De vrugt*.

PARTUS CAESAREUS est, quando infantes, qui nullo prorsus alio modo in lucem edi possunt, ex abdomine et utero exscinduntur, vivente, vel mortua matre. *Scipionem Africanum* primo ex utero sectum testatur antiquitas, adhuc superstite matre; idem de *Manlio* aliisque creditur, unde omnes apud Romanos Caesares nomen accepisse vulgo putant, quia ex eadem familia erant:

Qui Caesaris nomen sit sortitus,
E matris caesum fuisse utero.

Ge. *Der Kaiserschnitt*. Ga. *Section,* ou *operation césarienne*. A. *The imperial cutting*. B. *De keizerlyke sneede*.

PARTUS DIFFICILIS, i. q. *dystocia*.

PARTUS LEGITIMUS, VITALIS, vide *Legitimus, Vitalis*.

[**PARULIS** est tumor saepissime in externa gingivae parte, rarius in interna ortus, inflammatus, plerumque ex vehementioribus dentis doloribus, aut carie sive dentis, sive mandibulae derivandus. Differentiam, quae inter *ἐπουλίδα* et

παρουλίδα intercedit, iam Paul. Aeg. lib. 3. c. 26. indicavit.] Ex *παρὰ, iuxta,* et *οὖλον, gingiva.* Ga. *Parulie.* Ge. *Ein Zahngeschwür.* B. *Tandvleesch-gezwel.*

PASMA, i. q. *Diapasma.* [A *πάσσειν, inspergere,* Phavor. p. m. 1456. 8. *πάσσειν φάρμακα παρ' Ὁμήρῳ, δηλοῖ οὐκ ἀλείμματα. πάσματα δ' ἀπὸ ῥιζῶν ἢ ὅλως φυτῶν τρίψεως.*]

PASSA et **PASSULA UVA** est uva sicca solem passa. Suntque *passae* vel *maiores*, vel *minores*, ex *Vite apyrena Linn.* quae et *Corinthiacae* dicuntur. Gaudent qualitate acido-dulci, vique lubricante et sublaxante; hinc frequens earum in tussi, stranguria et segnitie alvi usus, tum cibarius, tum medicus est. Ge. *Grosse und kleine Rosinen.* Ga. *Raisins de Damas, de Corinthe.*

PASSERINA est plantae genus flore monopetalo quadripartito, tubulato, (Octandr. Monogyn.) calyce nullo, capsula coriacea, ovata, uniloculari, monosperma. Sic dicta, quia passeres hac herba gaudent. [A. *The sparrow wort.* B. *Musschenwortel.* Ga. *La passerine.* Ge. *Vogelkopf, Sperlingswurz.*]

PASSIO, i. q. *pathema.*

PASSIO BOVINA, vide *Phthiriasis.*

PASTA vocatur medicamentum natum e subactione siccorum cum liquidis, pro diverso scopo variis, in consistentiam spissam, tenacem et ductilem, cuius usus plerumque externus, vel etiam internus est, ut pastae de Althaea etc. Ge. *Ein Teig.* Ga. *Pâte.*

[**PASTA ALTHAEAE** e pharmacopoeae Borussicae praescriptione conficitur hoc modo: radicis althaeae mundatae grossiuscule concisae unc. IV. infusae cum aquae fervidae libris VIII. stent per noctem. In colatura solvantur gummi mimosae electae et sacchari albissimi āā librae II. Sub perpetua cum spathula lignea agitatione, lenis caloris ope, evaporetur massa ad mellis consistentiam, dein ab igne remotae sub celeri et vehementi agitatione subinde albumina ovorum recentium XII, in spumam conquassata, et aquae florum aurantiorum unc. II. addantur. Ubi per breve adhuc tempus igni exposita fuit, in capsulas papyraceas effusa loco calido, ut penitus exsiccetur, asservetur. — Cum autem infusum radicis althaeae huic pastae colorem, qui albissimus desideratur leviter flavum impertiret, recentissimis temporibus, omisso illo infuso, e solo gummi mimosae paratur. Vocatur et pasta gummosa, s. massa de gummi arabico. Ga. *Reglise.* Ge. *Weisser Lederzucker.*]

PASTA REGIA, i. q. *Martius panis.*

[**PASTICIUM** a Frc. Pedemontano *de febre putrida c.* 6. *p.* 174. 8. una cum variolis et morbillis inter morbos pestilentiores refertur. Quinam autem intelligatur morbus, mihi non constat.]

PASTILLUM est pomum odoriferum, seu pomum ambratum. Fit ex odoratis pulveribus, qui cera, styrace liquida, balsamo Indico, tragacantho, cum tantulo terebinthinae excipiuntur, et in globum formantur. Usus est, ut gratus odor concilietur. Sumitur tamen [et quidem masculino genere] nunc ut plurimum pro trochisco. [Sic prostant in officinis Francogallicis pastilli ex emetine parati. Auctt. term. med. etc. pastillos definiunt per medicamentum solidum, siccum, formae diversae, cuius basis est oleum aethereum, saccharo exceptum.] Ge. *Geruchküchelchen.* Ga. *Pastille.* A. *Pomander balls.* B. *Een ruikballetje.*

PASTINACA est plantae genus flore umbellato, (Pentandr. Digyn.) cuius species apud nos frequentissima est Pastinaca sylvestris latifolia *Bauh.* *Pastinaca sativa,* foliis simpliciter pinnatis *Linn.* Habet haec caulem crassum, firmum, striatum, vacuum, ramosum. Folia ampla, villosa, in margine dentata, pinnata, ex aliis sat crassis, et costa magna sustentata composita, saporis grati et aromatici. Flos est luteus, rosaceus, e petalis quinque lanceolatis, incurvis constans. Radices sunt crassae, carnosae, esculentae, exterius flavo-fuscae, vel dilutius flavescentes, intus albicantes; qualitatis aquosae, subdulcis, diureticae, usus maxime culinaris. Semina sunt parva, ovata, margine donata; per maturitatem sacculum deponentia, virtutis subaromaticae et carminativae. Eius nomen a pascendo dictum videtur: alit enim corpus, et venerem excitat. [Isidor. XVII. 10.] Vel quod sponte in agris nascatur, eaque plebs saepissime pascatur. Vel quod pastinum habeat et referat radix: (pastinum est ferramentum bifurcum, quo semina panguntur, et Pastinaca vulgaris tale ferramentum unica furca refert. Sic et piscis pastinaca a tela pastino simili nomen accepit). Gr. Σταφυλῖνος. Ge. *Pastinack, weisse Möhren, oder Rüben, wälsche Petersilie, Marillen.* Ga. *Panais, pastenade, le grand chervi, le panais ordinaire des iardins.* A. *Parsneps.* B. *Pastinaken, pinsternakelen, witte wortelen.*

PATELLA, i. q. *mola, genu.*

PATENS botanicis dicitur folium vel petiolus, vel stipula, vel pedunculus, vel corolla, ad angulum acutum cauli insidens.

PATHEMA est omnis passio, morbus, seu affectus praeter ordinem, quo corpus nostrum laborat. Gr. *Πάθος,* et *πάθημα.* *Παθήματα τῆς ψυχῆς* sunt animi affectus, qui etiam inter sex res non naturales numerantur. A *πάσχω, patior.* Ge. *Leidenschaften.* Ga. *Affection, disposition, passion.* A. *Affection.* B. *Lyding, beweging des gemoeds, drift.*

PATHETICUS est *nervus* quarti paris intra cranium, omnium minimus, simplici, interdum duplici filamento utrinque oriens a processu a cerebello ad testes paulo exterius,

quam est transversa stria, quae eos processus coniungit, inde longissimo itinere medius inter cerebrum et cerebellum antrorsum migrans, sub basin cerebri circumflexus, super sinum superiorem petrosum, per propriam vaginam durae matris, trans carotidis arteriae transversam partem ad foramen lacerum tendens, et orbitam ingressus, tandem in musculum obliquum superiorem, vel trochlearem, distributus. *Hall.* *Patheticus* dicitur, quia praecipue huius musculi actione et motu oculi pathemata animi sese produnt. A *πάσχω, patior.* Ge. *Das vierte Hirnnervenpaar.* Ga. *Le nerf pathétique.* A. *The pathetick nerf.* B. *De lydende zenuw.*

PATHOGNOMONICUM est *signum* proprium inseparabile, quod singulari morbo convenit, eiusque essentiam indicat, quod etiam a principio ad finem durat: ut in pleuritide vera semper adest febris continua, respiratio molesta, lateris dolor punctorius et tussis. Ex *πάθος, affectus,* et *γινώσκω, cognosco.* Ge. *Das eigentliche Kennzeichen der Krankheit.* Ga. *Signe pathognomonique.* B. *Een eigen teiken der ziekte.*

PATHOLOGIA est pars medicinae, docens morbos corporis nostri, morborum differentias, origines, progressus, peculiares indoles, eventus, eorumque causas, unde oriantur et effectus, seu symptomata, quae in corpore praestent. Vide *nosologia.* Ex *πάθος, affectus,* et *λέγω, dico, narro.* Ge. *Lehre von den Krankheiten, Pathologie.* Ga. *Pathologie.* B. *Verhaal der ongezondheit, ziektekunde.*

PATHOS, i. q. *pathema.*

PATIENTIAE MUSCULUS, i. q. *levator scapulae.*

PAVANAE s. **PANAVAE LIGNUM, LIGNUM MOLUCCENSE**, vide *Ricinus.* [Non Ricino, sed Crotoni tiglio L. lignum Moluccense tribuitur a Richardo aliisque. Lignum, inprimis radicis, haud multo minorem possidet acrimoniam, quam semina, ingratum spirat odorem, atque maiore quantitate sumtum drasticas exserit vires, potenterque urinam ciet: qua de causa incolae insularum Moluccensium frequenter eo contra hydropem uti solent.]

PAVOR, vide *panophobia.*

PECAULINA RADIX est radix plantae vix nobis adhuc satis cognitae, in China nascentis, dum recens est lactescens, exsiccata substantiae spongioso-farinosae, inde a Malayis *lac tigrinum* dicta. Huic radici cum aqua decoctae eximiae vires nutrientes et demulcentes tribuuntur.

PECHURIM FABA, vide *faba pechurim.*

[**PECHIAGRA**, ex Blancardi sententia, arthritis est, quae in cubiti articulo sedem fixit. In quibus verbis duplex vitium inest. Nam primo debebat scribi *pechagra, πηχάγρα,*

non *pechyagra*, multo minus *pechiagra*. Dein πῆχυς non denotat articulationem cubiti, quae ἀγκῶνος nomine insignitur, sed eam extremitatis superioris partem, quam nunc *antibrachium* vocamus. Malum igitur, cui Blanc. pechagrae nomen imposuit, rectius ἀγκωνάγρα appellandum erit. — A. *The gout in the elbow.* B. *Elleboogs-jicht.* Ga. *Goutte qui siége au coude.* Ge. *Die Ellenbogen-Gicht.*]

PECTEN idem est quod *regio pubis.* [Sic vocatur quoque pars quaedam in avium oculis conspicua. Scilicet vasa centralia, intra singulas nervi optici laminas in oculi bulbum ingressa, coëunt statim post tunicarum bulbi perforationem in membranulam nigricantem, quadratam et eleganter plicatam, quae corpus vitreum penetrat. Syn. *Marsupium.* Ge. *Kamm, schwarzer Beutel.*]

PECTEN VENERIS, ACULA, Gr. σκάνδιξ, est species Chaerofolii sylvestris. Dicitur, quod eius seminum thecae pectinem referant, vel, si singuli dentes sumantur, acui similes sint. Est *Scandix Tournef.* et *Linn.* scilicet planta umbellifera, (Pentandr. Digyn.) flore rosaceo pentapetalo, petalis cordato-inflexis, fructu longissimo, subulato, bipartibili seminibus duobus filiformibus, basi nucleum condentibus, hinc convexum, sulcatum, inde planum. Haec planta quibusdam in regionibus copiose satis inter segetes et vites provenit. Rarior eius in medicina usus est; sunt tamen, qui ei eximias vires resolventes, aperitivas et vulnerarias tribuant, et morbis vesicae mederi credant. Esitatur a quibusdam in acetariis. Ge. *Nadelkörbel, wilder Körbel.* Ga. *Peigne de Vénus, aiguille der berger.* A. *Sheppherds needle, venus comb.* B. *Naalde kervel.*

PECTINAEUS MUSCULUS, vide *Lividus.*

PECTINIS OS, i. q. *os pubis.*

PECTORALE est thoracis, seu machinae species, qua thorax puerorum, si [spina vertebralis a normali statu paulisper recedit, atque] gibberositas imminet, includitur, ex panno, osse balaenae, imo saepe etiam ex ferri lamina composita. [Cum olim chirurgi hisce machinis multum abuterentur, et plus damni, quam auxilii adferrent, nostris temporibus aliam viam, pueris puellisque, quorum spina vertebralis aut iam a sua directione deflexerat, aut, ne id fieret, metum iniiciebat, medendi, ingressi sunt medici. Vid. inter alios inprimis Joergius *üb. die Verkrümm. d. mensch. Körp.* Lpzg. 1816. 4. et *Die Kunst, die Verkrümm. d. Kinder zu verhüt.* ib. eod. 8. Ge. *Schnürbrust.*]

PECTORALIA, seu **BECHICA** sunt medicamenta, quae agunt vel attenuando, vel incrassando et leniendo, ut ea, quae pulmonibus inhaerent et tussim excitant, ad expectorandum apta reddantur, iisque evacuatis tussis compescatur. Desumuntur partim ex incidentibus et resolventibus, par-

tim ex dulcibus et mucilaginosis. *Βηχικὰ*, a *βὴξ*, *tussis.* Ge. *Brustarzneien.* Ga. *Remèdes pectoraux.* B. *Borstmiddelen.*

PECTORALIS MUSCULUS: duo sic vocati sunt musculi, quorum alter *maior*, alter *minor* est. *Maior* oritur a facie exteriore omnium costarum verarum et claviculae, et inseritur ad latitudinem quatuor digitorum infra caput ossis humeri spinae exteriori eiusdem. Huius musculi tendo duplicatur et quasi intorquetur, ut in tam parvo loco tot fibrae tendinosae implantari possint; aliquae etiam eius fibrae carnosae confunduntur cum deltoide. Functio huius musculi est humerum ad pectus adducere et respirationi maxime laboriosae succurrere. *Pectoralis minor* oritur a facie externa secundae, tertiae, quartae, quintae costae dentatis productionibus circumcirca, ubi costae cartilaginibus sterni iunguntur et inseritur processui coracoideo scapulae, hinc anteriorem et superiorem scapulae partem versus inferiora et anteriora flectit. Dicitur etiam *serratus*, vel *dentatus anticus minor.* Ge. *Der grosse und kleine Brustmuskel.* Ga. *Muscle pectoral.* A. *The muscle of the breast* .B. *Die borstspier.*

[**PECTORILOQUIUM** a Laenneco ea vocis immutatio, qua sonus recta e pectore prodire videtur, appellata est. Haec peculiaris vocis conditio in phthisicis locum habet, in quorum pulmonibus vomicae post membranae investientis rupturam cavernas quasi efformarunt.]

PECTORIS OS, vide *sternum.*

PECTUS, Gr. *Στῆθος*, *θώραξ* est pars thoracis anterior, quae sub inguli clavicula est usque ad diaphragmatis regionem extensa, cuius posterior pars *dorsum* appellatur. Vide *thorax.* Ge. *Die Brust.* Ga. *La poitrine.* A. *Chest,* nam *breast* magis de mamma usurpatur. B. *De borst.*

PEDALIS est mensura botanicorum a flexura cubiti ad basin pollicis, qua in determinanda plantarum, aut foliorum, magnitudine utuntur.

PEDATUS botanicis dicitur *racemus*, vel *pedatum folium,* petiolo bifido, latere tantum interiore adnectente foliola plura. [Exempla offerunt Passiflora, Arum, Helleborus foetidus.]

PEDICELLUS est *pedunculus*, proprius singulis floribus pedunculo communi insidentibus.

PEDICULARIS est plantae genus flore monopetalo ringente, (Didynam. Angiosperm.) cuius species maxime frequens apud nos in pascuis paludosis nascens est Pedicularis pratensis rubra elatior *Rai.* *Pedicularis palustris* caule ramoso, calycibus cristatis, calloso-punctatis, corollis labio obliquis *Linn.* Habet haec folia crispata instar cristae galli et crenata; caules angulosos, debiles, excavatos, partim repentes, partim rectos. Calyx est monophyllus, ventricosus, ore quinquefido, crenato. Flores sunt monopetali,

personati, bilabiati, labio superiori galeato, in inferiori trifido, coloris purpurei, aut rubicundi, aut albi. Post florem sequitur capsula compressa, acuta, fere ovalis, inter duo folia latens, bilocularis et apice dissiliens in duas partes, plurimis seminibus compressis, nigricantibus et subrotundis foetas. Radix est digitum minimum crassa, aspera, alba, in multas crassas fibras divisa, saporis amari. Ab effectu nomen habere creditur: si enim a pecoribus, ut fertur, inter caetera pabula devorata fuerit, pediculorum ingentem copiam procreat. Gr. *Ἀλεκτορόλοφος*, (*Plin. h. n.* 27. 5.) ceu crista galli censetur, cui folia similia gallinaceae cristae sunt, imo ob florum congeriem, multiplicis et densae gallinaceae cristae modo fastigiatam, sic posteriores dici putant. Aliqui *fistulariam* nominant, quod ad fistulas et sinuosa ulcera utilis esse credatur: gaudet enim viribus subadstringentibus, vulnerariis et abstergentibus. Vide *Alectorolophus*. Ge. *Sumpf-Läusekraut, Sumpfrodel, grosses Fistelkraut.* Ga. *Pediculaire des prêts.* B. *Meerassig luis-kruid, groot fistelkruid.* A. *The marsh louse-wort, red rattle.* — — — *Pedicularia* et *pedicularis*, dicitur quoque Staphis agria, quod pediculos necet. [Nemnich contra ea refert, pecora hanc plantam copiose adsumentia pediculis infestari.] Vide *Staphis agria.*

PEDICULARIS MORBUS, i. q. *phthiriasis.*

PEDICULUS idem est, quod *petiolus*, quo nempe folium, fructus, aut flos dependet. Ge. *Stiel am Obst.* Ga. *La queve.* B. *De steel.* A. *Pedicle.*

PEDICULUS est insectum, apterum, pedibus sex ambulatoriis, oculis duobus, ore aculeo exserendo, antennis longitudine thoracis, abdomine depresso, sublobato. Species quidem maxime cognita est *pediculus humanus*, in capite scilicet et vestimentis humanis habitans, ut et aliorum animalium; sed pediculi mammalium aviumque multo plures etiamnum non observati, minus descripti, multo minus differentia determinati, exstant. Ge. *Eine Laus.* Ga. *Un pou.* A. *A louse.* B. *Luis.*

PEDICULUS ELEPHANTIS est *anacardium*, sic ob magnitudinem et fortasse ob imaginariam quandam similitudinem appellatur.

PEDILUVIUM est balnei species, lavandis pedibus utilis, uti ipso vocis sono liquet. Paratur vel ex aqua sola, vel sal, furfures, [pulvis seminum sinapis,] chamomillae flores, aliaque adiiciuntur. Ge. *Ein Fussbad.* Ga. *Bain pour les pieds.* A. *A footh-bath.* B. *Een voet-bad.*

[**PEDIONALGIA** est dolor nervosus, in metatarso pedis sedem figens, analogus dolori faciei Fothergillii. A *πεδίον*, *metatarsus*, v. c. praeter Poll. onom. 2. 197. ap. Oribas. (anat. p. 168.) *ἄρχεται τὸ καλούμενον πεδίον ἐκ πέντε συγκείμενον ὀστῶν* etc. et *ἄλγος*, *dolor.*]

PEDIUM, i. q. *planta pedis*, a graec. *πεδίον*.

PEDRA DE COBRA est lapis ovalis figurae, digiti circiter latitudine, ex uno latere planus, ex altero gibbosus, coloris fusci et splendentis, poris aliquot interspersus, reperiundus, ut vulgo ferunt, in serpente indico coronato, diademate, seu conspicillo insignito, (*Coluber naia L.*) cuius virtus est alexicaca, cum applicatur serpentum morsibus. Ita dictus lapis vocabulo a Lusitanis imposito. Adversus viperarum aliorumque venenatorum animalium morsus auxilium praestare, et externe applicatus venenum exsugere creditur, tum in lac, quod veneno inficit, iniiciendus. Attamen in serpente, teste *Kaempfero*, ut vulgo credunt, non invenitur, sed arte secreta fabricatur a Brahmanis, ex osse vituli calcinato. Plerumque enim hoc sub nomine ossa vitulina calcinata fraudulenter venditantur. Ge. *Schlangenstein.*

PEDRA DE GOA, s. *bezoar factitium.* Vide *bezoar.*

PEDRA DEL PORCO est lapis hystricis, constans ex omento, fibrillis et materia friabili, subrufa, amaricante, et deforis quibusdam in partibus, cretaceis et subnigris quasi unguibus coopertus, substantiae solubilis facile, ad linguae attactum summe et illico amaricans; eius vis sudorifera insignis esse dicitur. Animal illud est *Hystrix brachiura*, dentibus primoribus duobus oblique scissis, molaribus octo, corpore spinis tecto, pedibus pentadactylis, cauda abbreviata *Linn.* Lapis incolis dicitur *mastica de soho*, Lusitanis *pedro de vassar*, vel *piedra de puerco.* Iuxta *Kaempferum* coagulum est biliosum, rotundum, satis compactum, ut plurimum nucis myristicae, vel iuglandis magnitudine, leve, coloris rufi, substantiae quodammodo unguinosae, saporis subtilissime amarescentis, quod in vesicula biliaria hystricum terrae Malaicae, inprimis in provincia Pama-Malacca, reperitur. Rarius generari accidit, et saltem in animalibus aetate provectis reperitur, quod ipsum inprimis pretium eius extollit, ut in ditiorum duntaxat et principum nigritarum manibus versetur, qui illud sphaeris aureis argenteisve armari curant, adnexa ex eodem metallo catenula, cuius adminiculo tractari valeat. Usus eius est, ut suspendatur per horas aliquot, vel una alteraque vice agitetur in haustu aquae communis, quam, vix grani pondere imminutus, amarore imbuit. Haustum ita praeparatum habent summe cordialem et alexipharmacum tum in ictero, febribus putridis malignisque et in quibuscunque viscerum obstructionibus medicamentum efficacissimum. Vocatur etiam *bezoar hystricis*, daturque duplex, *Malacensis*, qui pretiosissimus est, et *Ceylonensis*, qui maior, sed levior est, nec tantis viribus gaudere dicitur.

PEDUNCULUS botanicis dicitur fulcrum sustinens florem fructumque, [foliorum autem fulcrum *petiolus.* A. *Peduncle.*

B. *Bloemensteel.* Ga. *Pedoncule.* Ge. *Blumenstiel, Blüthenstiel, Fruchtstiel.* Et anatomici hac voce utuntur ad eam cruris cerebri partem designandam, quae inferiorem et posteriorem thalami utriusque nervi optici partem simili modo ingreditur, ut fructum pedunculus. Practer hunc glandula quoque pinealis pedunculum habet suum.]

PEGANUM, vide *Ruta.*

PELADA: sic vocatur species capillorum defluvii, praesertim ex morbo gallico oriundi. Vide *Alopecia.*

PELECANATIO CHYMICA, i. q. *Circulatio chymica.*

PELECANUS, s. *Pelicanus*, est *Linn.* genus avium ad anseres pertinens, cui rostrum edentulum rectum, apice adunco, unguiculato; nares lineares, obliteratae, facies nudiuscula, pedes digitis omnibus quatuor simul palmatis. Eius variae species ex India olim adlatae nunc apud nos reperiuntur.

PELICANUS est ferramentum chirurgicum, dentibus evellendis destinatum. Forfex est rostro incurvato, dentibusque intus, melioris apprehensionis gratia, munito. Ge. *Ein Pelikan.* Ga. et A. *Pelican.* B. *Een pelikaan.* — Item instrumentum est chymicum circulatorium, dictum a figura Pelicani rostro pectus suum fodientis nuncupatum, amplo ventre sensim in angustius collum vergente, quod retortum et recurvum os rursum in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui, liquore infuso, hermetico sigillo occluditur, et calori admovetur.

PELIDNUS de colore faciei plumbeo et livido, melancholicis frequenti, et qui pro signo quasi pathognomonico passionum hypochondriacarum, vel haemorhoidalium habetur, adhiberi solet. Gr. *πελιδνὸς*, *lividus.* Ge. *Bleifarbenes Ansehen.* B. *Lootverwige kleur.*

[**PELIOMA** sive **PELIOSMOS** a Goodwyno morbus coeruleus vocatur, quo homines aqua submersi moriuntur, quique ab impedita sanguinis venosi in arteriosum transmutatione oriri solet. G. *πελίωμα* s. *πελίδνωμα*, *locus sugillatus, lividum colorem exhibens.* Sed *πελιωσμὸς* in graeca lingua non occurrit.]

[**PELIOSIS** a Swediauero (*nosolog.* II. 173.) vocatur purpura haemorrhagica Werlhofii *ἀπὸ τοῦ χρώματος πελιοῦ.*]

PELLAGRA, morbus cutaneus, inter Insubriae rusticos endemius, erythemate et porrigine in manuum dorso sese prodens, quotannis vere recrudescens, sensim in melancholiam, marasmum atque diarrhoeam colliquativam abiens, atque sic tandem lethalis. Jos. Frank. (*prax. med. praec.* I. vol. 3. sect. 2. p. 263. ed. alter.) dubius est, utrum nomen a *πέλας*, ut erysipelas, an a desquamatione cuticulae, ita-

lice *spellarsi*) derivandum sit. Synon. *Scorbutus alpinus.* Ital. *Malattia della miserie.*]

[**PELLARELLA** nomen, quo in lege, qua nosocomii maioris Mediolanensis constitutio regenda erat, 1578. data, Pellagra indicatur.]

PELLICULA idem quod *membrāna*, vel *tunica.* — — *Pellicula* etiam, vel *cuticula*, chymicis dicitur, quae in superficie apparet, dum solutiones salium evaporando inspissantur.

PELLIS cutis est brutorum, pilis, aut lana necdum orbata, alias, si praeparationem subiisset, corium, vel aluta appellatur. Ge. *Die Haut, Fell mit den Haaren.* Ga. *La peau.* A. *The skin, hide.* B. *De huid, vel.*

PELORIA est *Linariae*, seu *Antirrhini Linariae Linn.* proles hybrida, vel potius Linaria degeneri corolla regulari, quinquefida, quinquecorniculata, pentandra. Saepe in una eademque stirpe Linariae flores consueti et unus alterque Peloriformis simul occurrunt. Imo Peloria sensim in Linariam reducitur, et Linaria iterum frequenti transplantatione peloria fit. Referenda ergo erit Peloria ad flores impletos. Radicibus sese multiplicat, sed fructus semper abortiunt.

PELTALIS CARTILAGO, i. q. *ensiformis cartilago.*

PELTATUM dicitur *folium*, cuius disco petiolus insertus est. [Idem cognomen etiam certis antherarum, indusiorum, calycumque formis a botanophilis dari solet.]

PELVIMENSOR, vid. *Pelycometrum.*

PELVIS est locus ille in ventre imo, quo vesica, uterus et intestinum rectum continetur, et circumscribitur ossibus ilium, coxendicis, pubis, et osse sacro. In mulieribus haec ossa magis a se invicem distant, et tenuiora sunt, quam in viris, praesertim ossa pubis, ut sic cavitatem pelvis, et angulum inter ossa pubis et ischii maiorem efficiant, pro foetus commodiori gestatione, faciliorique in partu exclusione. Ge. *Das Becken.* Ga. *Le bassin.* A. *The bason.* B. *Het bekken,*

PELVIS AURIUM, vide *Cochlea.*

PELVIS CEREBRI, vide *Choana.*

PELVIS RENUM est receptaculum membranaceum in medio cuiusque renis, quod productiones emittit, *tubulos* dictas, papillas renales amplectentes, ex quibus urinam emulgendo quasi recipit, et in ureteres effundit. Ge. *Das Nierenbecken.* Ga. *Bassin des reins.* A. *Basin of the kidney.* B. *Het nierbekken.*

[**PELYCOMETRUM**, a Gr. *πέλυξ, pelvis,* gen. *πέλυκος,* et *μέτρον, mensura,* a Klugio vocatum est instrumentum variis pelvis dimensoribus metiendis aptum. Congruit instrumentum cum simili, a Baudelocquio invento sub nomine *Compas d'epaisseur.* Inter utrumque instrumentum haec sola

intercedit differentia, quod Klugii pelycometrum sit maius, et apparatu inclinationi pelvis definiendae destinato auctum. Cons. de pelvimensoribus variis **D. W. H. Busch** in *Encycl. Wörterb. d. med. Wissensch.* B. V. p. 180 — 188.]

PEMPHIGODES FEBRIS, PEMPHIGUS MORTA est febris saepius acuta, exanthematica, bullis, vel vesiculis pellucidis, avellanae magnitudine, sero flavo turgidis, per cutem praecipue, per abdomen et artus sparsis insignita. Ex *πέμφιξ*, *flatus*, *bulla*, *pustula*, et *εἶδος*, *forma*. Ge. *Blasenfieber*. Ga. *Fièvre vésiculaire*.

[**PEMPHIGUS** vocatus est a recentioribus morbus diuturnus, habitualis, rebellis, qui praeviis sive haemorrhagiis, sive spasmis, sive urinae difficultate, sive febre, sive universali cutis pruritu, sub forma vesicularum, bullis similium, erumpere solet. Vid. Jos. Frank. *prax med. praec. Pa. I. V.* 3. *s.* 2. *p.* 103—112. Denominatio morbi falsa est. Nam graece vocatur *πέμφιξ*, *flatus*, *gutta*, *pustula*, gen. *πέμφιγος*, penult. longa. Unde patet, Krausium errasse, dum penultimam corripi scriberet. Galenus ad *Hipp. epid. VI. comm.* 1. *p.* 879—881. to. XVII. de variis huius vocis significationibus exposuit, et quid sub pemphigode febre intelligendum sit, docuit. Proscribenda igitur falsissima morbi denominatio, qui rectius *pemphix* erit vocandus.]

PEMPTAEOS, sc. *πυρετὸς*, quintana dicitur febris intermittens, quinto quoque die recrudescens. Rarissima certe, si unquam vera exstitit, haec febris est. A *πέμπτος*, *quintus*. Ge. *Das fünftägige Fieber*. C. *De vyfdendaagsche koorts*.

PENAEA est apud *Linnaeum* plantae genus, (Tetrandr. Monogyn.) quod varias arbusculas Aethiopicas et inter eas illam continet, quae *sarcocollam* largitur. [In honorem Pet. Penae, qui cum Matth. Lobelio *stirpium advers. nova*. Londini, 1571. f. edidit, cognominatum genus.]

PENDULUS botanicis dicitur *pedunculus* laxus, ut cum folio deorsum tendat.

PENICILLA, i. q. *turundula*.

PENICILLUS est instrumentum chirurgicum, ex pilis, aut linteo carpto accomodatum, eluendisque ulceribus aliisque medelis destinatum. Ge. *Ein Pinsel*. Ga. *Brosse, pinceau*. A. *A pencil*. B. *Quastje*, *penseel*. — *Penicillus*, *penicillum*, vel *peniculus*, est quoque idem, quod *turunda*.

PENIDIUM est sacchari clarificati, depurati, et cum amylo mixti species, quae in bacillos arte redigitur. Ge. *Peniszucker*. Ga. *Penide*, *espenide*. B. *Penyn suiker*.

PENIS, muto, bolis, colis, veretrum *Suetonio*: fascinus virilis *Arnobio*, caulis *Lucillo*, nervus *Iuvenali*, tentum *Catullo*, verbus, virile, virile membrum *Cic.* scapus *Virgil.* Membrum genitale, cercolips *Catull.* et sicula, a sica, men-

tula, virga, priapus, hasta, cauda salax, σάθη, πέος, ἀναγκαῖον, *Artemidoro*, σαύγιον, *Cratino*, ταῦρος *Suid.*, δέμας *Plat* in com. ἔμβολον, βάλανος, *Aristoph.* ἐρέβινθος, οὐρὰ, *Eupolidi*, μύκης, σῖνος, στῖμα, τύλος, κάπρος; αἰδώς *Hom.* κωλὴ *Aristoph.* φλὲψ γονίμη *Epigr.* quasi genitalis vena. Ῥοδωνιὰ, ψωλὴ, κοώνη in oraculo quodam. Ποσθὴ *Xenoph.* κριθὴ, νεῦρον, τριέμβολον, ψοὰ, κορκούτης, ἀνδρεία *Artem.* est membrum virile, seminis eiaculationi et urinae excernendae transmissioni inserviens, quod constat ex duobus *corporibus spongiosis*, oblongis, septo medio lateraliter iunctis, a pube et tuberibus ischii incipientibus; *urethra, glande,* integumentis communibus absque pinguedine, et *praeputio* etc. Ge. *Das männliche Glied, Ruthe.* Ga. *Verge, le membre viril.* A. *Mans-yard.* B. *De mannelyke roede.*

PENIS CEREBRI idem quod *conarium*, seu *glandula pinealis.*

PENIS MULIEBRIS, i. q. *clitoris.*

PENNATUS vocatur *musculus*, qui longe de osse nascens ossi parallelus versus extremum artum pergit, et in quo carneae fibrae tendineis mistae de osse prodeunt ad angulum sursum ad corporis truncum obtusum, quae fibrae aut omnes, aut pleraeque, in carneam substantiam abeuntes, denique in tendinem quasi inseruntur, qui ossi genitori parallelus, aversum ab eo osse musculi limitem legit, atque paulatim crassior, denique nudus superest, pergitque, postquam fibras carneas ab osse desiit accipere. *Hall.* Hicque musculus, si ab uno osse oriatur, vocatur *simplex*, ut portio magna tricipitis femoris; *compositi* vero dicuntur, si a duobus ossibus nascantur, sicque duos habeant fibrarum versus, qui in medium ossibus genitoribus parallelum tendinem uniuntur.

PENSILIS VERRUCA, vide in *Verruca.*

PENTACULA, seu **PERIAPTA** sunt signa, sigilla et delineamenta admirandis et incognitis aliquando literis et characteribus implicata, quae collo appensa creduntur a malignis spiritibus, et quovis fascino et morbis inde oriundis praeservare. Idem quod *periamma.*

PENTADACTYLON, vide *Palma Christi.* Ex πέντε, *quinque*, et δάκτυλος, *digitus.*

PENTAGYNIA denotat in classe quinta, decima, undecima, duodecima et decima tertia ordinem plantarum, in quarum singulis floribus quinque pistilla, vel stigmata, scilicet partes foemininae sunt. E πέντε et γυνὴ, *femina.*

PENTAMYRON est unguentum ex quinque ingredientibus compositum. Constat enim ex styrace, mastiche, opobalsamo, cera et unguento nardino. Ex πέντε, *quinque*, et μύρον, *unguentum.*

PENTANDRIA significat in systemate sexuali classem quintam plantarum, in quarum singulis floribus stamina

quinque, seu partes masculinae, sunt. Ex πέντε et ἀνδρεῖος, *virilis.*

PENTAPETALUS dicitur *flos*, cuius corolla e quinque petalis constat.

PENTAPHARMACUM est medicamentum ex quinque constans ingredientibus. Ex πέντε, *quinque*, et φάρμακον, *remedium.*

PENTAPHYLLUM est *Quinquefolium,* quia quinque folia habet, unico insistentia petiolo. Est *Potentilla Linn.* (Icosandr. Polygyn.) *reptans* foliis quinatis, caule repente, pedunculis unifloris. Quinquefolium maius repens *Bauh.* Crescit passim in Europae ruderatis; qualitatis est vulnerariae, adstringentis, hinc, licet rarius, decoctum radicis in diarrhoea, vel in gargarismatibus adhibetur. Ex πέντε, quinque, et φύλλον, folium. Ge. *Fünffingerkraut.* Ga. *Quinte feuille.* A. *Five finger-grass, five leaved grass, Cinquefoil.* B. *Vyf-finger-kruid.*

[PENTAPHYLLUS CALYX vocatur, qui in quinque lacinias divisus est, qualis est Cisti, Adonidis, Cerberae. Ge. *Fünfblätteriger Blumenkelch.*]

PENTAPLEURUM est *Plantago minor, quinquenervia* dicta, eo quod eius folia costis quinque, tanquam nervis, distincta sunt. Ex πέντε, *quinque,* et πλευραὶ, *costae.* Vide *Plantago.*

PENTATHETON est emplastrum, ad collisa, vibices flagellorum et cutim excoriatam destinatum. [Occurrit eius compositio in Actii *tetrab. IV. serm.* 3. *c.* 35. Orib. *synosp. III. p.* 69. *to. I.* ed. Bas.] Ex πέντε, *quinque,* et τίθημι, *pono,* quasi diceres ex quinque rebus compositum.

PEPANSIS est vitiati corruptique humoris in convenientiorem sanitatis statum deductio. [De maturatione fructuum seminumve usurpatur, v. c. ap. Theophr. *hist. pl. V. c.* 1. *p.* 175. *to. I.* ed. Schneid.] A πεπαίνω, *excoquo.*

PEPASMUS est actio naturae, qua materia morbifica ad excretionem apta fit. Differt itaque a coctione, seu digestione, quae quoque pepasmus vocatur. Vide *Coctio* et *Pepsis.*

PEPASTICUM est medicamentum mitigans, et cruda concoquens. A πεπαίνω, *excoquo.* Ge. *Auflösendes Mittel.* Ga. *Digestif.* B. *Verteering middel.*

PEPLION, PEPLIS et PEPLUS est Esulae species, Esula rotunda *Bauh. Euphorbia peplus Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) umbella trifida, dichotoma, involucellis ovatis, foliis integerrimis obovatis, petiolatis. Habitat passim in Europae cultis oleraceis. Huic maxime affinis est *Euphorbia peplis Linn.* dichotoma, foliis integerrimis semicordatis, floribus solitariis, maxillaribus, caulibus procumbentibus; Peplis maritima, folio obtuso *Bauh.* quae in Galliae et Hi-

spaniae maritimis habitat. Pariter ut reliquae Tithymali species in omnibus suis partibus lacte acri et caustico turget. Sic forte nominatur, quod ramulorum ambitu, et quasi rotundo amictu, velum efformet, ac tellurem operiat. Peplus enim, sive peplum, sindon est, sive vestis praetenuis, proprie mulierum. Vel nomen *πέπλον* accepit, ob purpuream foliorum superficiem, sive xerampelinam, quae huic in vinetis nascenti, et Peplidi in maritimis sabuletis degenti, ut plurimum inest. Interdum ob colorem flammeum *Flammeolam* vocant. Ge. *Teufelsmilch, Hundsmilch, die runde Euphorbie.* Ga. *Reveille matin des vignes, l'euphorbe des vignes.* A. *Devils milk, petty spurge.* B. *Duivels-melk, wilde porselein, gekroont wolfsmelk.*

PEPO, Cucurbita maior rotunda, flore luteo, folio aspero *Bauh.* *Cucurbita pepo Linn.* (Monoec. Syngenes.) foliis lobatis, pomis laevibus, est planta, quae habet caules sarmentosos, crassos, repentes, in longum et latum se extendentes, cum capreolis vicinis plantis, vel lignis, adhaerentes. Folia sunt ampla, magna, incisa, dura, aspera, dentata, coloris viridis, subfusci, splendentia, caulibus longis, duris, aut spinosis, adhaerentia. Calyx est monophyllus, campanulatus. Flores sunt monopetali, campaniformes, lanuginosi; aliquantulum odorantes, alii steriles, alii embryoni insidentes, quibus succedit fructus oblongus, vel rotundus, carnosus, corticem durum, et quasi lignosum habens, trifariam divisus, foetus seminibus planis, oblongis, annulo quodam cinctis, quae habent sub cortice amygdalam albam, dulcem et gratam. Haec planta in hortis colitur. Fructus qualitatis est aquosae, subdulcis, refrigerantis. Seminis virtus blanda est atque demulcens, et inter semina quatuor frigida maiora numeratur. Gr. *Πέπων*, a *πέπτω*, *coquo*, vel a *πεπαίνεσθαι*, *maturescere.* Ge. *Pfeben, Türkenbund, Pfebenkürbiss.* Ga. *Citrouille, pepon.* A. *Pompion gourd.* B. *Pompoen, pepoen.*

PEPSIS est coctio, sive actio ventriculi, intestinorum, salivae, liquoris gastrici, intestinalis, pancreatici et bilis, in cibos assumtos, qua acquirere incipiunt naturam a sua priori diversam, et similem, ac corporis, in quo continentur, et attenuantur, subiguntur, miscentur, ut cum modo dictis liquoribus in bonum chylum redacti per lactea vasa transire, et in sanguinem mutari possint. A *πέπτω*, *coquo.* Vide *Coctio* et *Fermentatio.* Ge. *Verdauung.* Ga. *Concoction.* B. *Verteering.*

PEPTICA, i. q. *digestiva.*

PERACUTISSIMUS MORBUS, vide *Acutus morbus.*

PERACUTUS, vide *Acutus.*

PERCIPIOLUM est medicamentum ad morbum compro-

batum. Ge. *Bewährte Arzenei.* Ga. *Remède éprouvé, expérimenté.* B. *Een geprobeerd middel.*

PERCOLATIO est, quando liquor turbidus per pannum linteum, chartam, pannum laneum etc. transmittitur, ut a particulis crassis separetur. Ge. *Das Durchseihen.* Ga. *Couler, filtrer une liqueur.* A. *Straining.* B. *Een doorzyging, doorklenzing.*

PERCULSIO, vide *Carus.*

PERDICIUM est planta, sic dicta, quod perdices se ad id volutent, terramque suffodiant. Vide *Helxine.*

PERENNIS dicitur *planta*, per plures annos subsistens, sicque opponitur *annuae*, quae quovis anno interit. *Perennia* dicuntur *folia* plantarum per aliquot annos virentium.

PERETERION, Gr. *περητήριον*, est modiolus, vel terebellum rectum et acutum. [Usus iam est hoc instrumento Hippocr. *de intern. morb. p.* 470. to. II. ed. Lips. ad educendam aquam in cavitate abdominis collectam. In nostris quidem editionibus haec vox licet non occurrat, tamen Galeni tempore h. l. legebatur. Respexit enim ad illum in *Gloss. Hipp. p.* 542. ubi *περητήριον* explicatur per *τρύπανον ἐνθὺ καὶ ὀξὺ.* Hinc Foësius in Hippocrate pro *τρυγλητηρίῳ τρυπάνῳ* legi vult *τρυπ. περητηρίῳ,* et sic quoque Rich. Mead. in notis manuscriptis, quae meo Hippocr. exemplo Basil. 1538. adscriptae sunt, emendari iubet.] A *περάω*, *transfodio.* Ge. *Ein Trepan.* Ga. *Trepan.* A. *Borer.* B. *Een boortuig.*

PERFECTA CRISIS, vide *Crisis.*

PERFOLIATA, *Bupleurum rotundifolium Linn.* (Pentandr. Digyn.) involucris universalibus nullis, foliis perfoliatis, est planta umbellifera, quae caulem habet tenuem, firmum, striatum, nodosum, ramosum, saporis aliquantulum aromatici. Folia simplicia, alternatim disposita, ovalia, sed fere circularia, dilute virentia, sapore oleraceo, sed fervidiore. Flores in summitate ramorum nascuntur rosacei, parvi, in umbellas flavas dispositi, singuli ex quinque petalis inflexocordatis componuntur, in orbem positis. Fructus est subrotundus, compressus, striatus, bipartibilis, constans e duobus seminibus ovato oblongis, hinc convexis, striatis, inde planis. Radix ut minimi digiti crassa, simplex, lignosa, alba. Semina longa, striata, nigricantia. Planta haec vulneraria est atque adstringens, eiusque pulvis, vel decoctum, contra hernias, internorumque vasorum laesiones a nonnullis commendatur. Dicitur, quia folia circa caulem sese ita comprehendunt, ac si essent mutuo coalita, ut Vaccariae, Brassicae etc. species quaedam. Ge. *Durchwachs, Mundkraut, Hasenöhrchen, Knabenkraut.* Ga. *Percefeuille.* A. *Throwwax.* B. *Deur-wasch, deur blad, rond bladig haazenoor.*

PERFOLIATUM botanicis dicitur *folium*, cuius basis caulem transversim cingit, nec antice dehiscit.

PERFORANS MUSCULUS, perforato musculo substratus, interiori cubiti, radiique parti et ligamento interosseo adnatus, tendine quadripartito priorem perforans, in tertium usque excurrit articulum. Unde hos duos musculos, ex pluribus suorum generum simplicibus constitutos esse censendum est. Vaginis includuntur, praeter quae ex carpi armilla erumpit, membranaceo - cartilagineis, unumquodque circa internodium semicirculari obductis ligamentulo. Emittunt praeterea vaginae hae varias emissiones atque vincula, et digitos cum perforatore flectunt. Hic musculus etiam dicitur *profundus.* — Ita vero ut manus, sic et pes suum *perforantem* obtinuit, qui posticae tibiae superficiei adnatus sub malleolo interno decurrens, in quatuor inferius dissectus tendines, tertiis affigitur digitorum ossiculorum integumentis: perforat hic, ut prior, tendines musculi perforati, et pariter digitos flectit. Dicitur hinc etiam *flexor digitorum longus.* Ge. *Der durchbohrende Muskel.* Ga. *Muscle perforant communement le profond.* A. *The perforating muscle.* B. *De doorborende spier.* Conf. *Perforatus.*

PERFORATA est Hyperici species, s. *Hypericum perforatum Linn.* cuius folia plurimis punctis videntur pertusa. Vide *Hypericum.* Ge. *St. Johanniskraut, Hexenkraut.* Ga. *Mille-pertuis.* A. *The perforated St. John'swort.* B. *St. Jans kruid, jaagt den duivel.*

PERFORATORIA dicuntur instrumenta acuta vario modo fabrefacta, quibus caput foetus mortui in utero, aut vagina haerentis, si a matre ob pelvis angustiam, capitis magnitudinem, aut alias causas partu edi non potest, perforatur, quo ex cranii apertura cerebrum effluat, et capitis magnitudo minuatur. [Eiusmodi instrumenta a Smellio, Levreto, Roederero et novissime a Joergio inventa sunt.] Ge. *Perforatorium.* Ga. *Perce-crane.*

PERFORATUS MUSCULUS prior musculorum digitis adhaerens, *perforatus* dicitur, interno humeri ossis tuberculo, et superiori et interiori parti radii et ulnae adnatus; circa carpum tendines dispergit robustos quatuor, qui prope finem rima quadam singulo tendini musculi perforantis transitum praebente finduntur, tandemque digitorum internodio secundo affiguntur, et cum perforante digito flectit. Dicitur etiam hic musculus *sublimis.* — In pede in planta situs est, interius calcis ossi adnatus; quatuor adhaeret articulationibus secundis digitorum. Sic musculus coracobrachialis, a processu coracoide incipiens, et superiori et mediae ossis humeri parti insertus, etiam *perforatus* dicitur, quia nervum musculo-cutaneum externum transmittit. Ge. *Der durchgebohrte Muskel.* Ga. *Muscle perforé, communement le sublime.*

A. *The perforated muscle.* B. *De doorgeboórde spier.* Conf. *Perforans.*

PERIAMMA, *periapton, amuletum,* medicamentum est, quod de collo suspensum morbum arcere creditur, ac praecipue pestem. Ex *περιάπτω, circumannecto.* Ge. *Angehäng am Hals, Amulet.* Ga. A. *Amulet.* B. *Een halsdracht van geneesmiddelen.*

PERIANTHIUM sive *calyx* est pars plantae fructificationi contigua; vel circumvolutum flori integumentum, quod partim pro basi et fulcimento, partim pro tegmine erupturis deinceps petalis et staminibus inservit, pro quorum vario exortu variae magnitudinis et figurae deprehenditur, estque vel *μονόφυλλον,* ut in Quinquefolio, Fragaria, Caryophyllata, Filipendula, et similibus; vel *δίφυλλον,* ut in Papavere, vel *τρίφυλλον,* ut in Chelidonio minore, vel *τετράφυλλον,* ut in Bursa pastoris non raro observatur, vel *πεντάφυλλον,* et *ἑξάφυλλον,* ut in Ranunculo. Imo quandoque in sedecim et ultra solvitur folia, quae iterum in summitatibus, vel levioribus, vel profundioribus gaudent segmentis, et copiosis interdum pilis, fungis et spinis operiuntur, ut in Rubis, Rosis, et similibus apparet; angulare enim calycis foliolum tenui capillitio obductum laterales profert appendices, quarum extremitates rubicundis fungis liquidum quoddam fundentibus terminantur. Ge. *Der Blumenkelch.* Ga. *Calice des fleurs.*

PERIAPTUM, vide *Periamma.* [Gr. *περίαπτον* et *περίαμμα.*]

[**PERIBROSIS** est exulceratio marginis palpebrarum, quae si plicam seu valvulam semilunarem attigerit, ectropium partiale generat. Mali gravitas multum augetur, si puncta lacrymalia simul arrosa fuerint. A *περιβιβρώσκω, circumrodo.* Cons. de hoc morbo Benedict, *Augenkrankh. Th. I. p.* 183. Helling *Augenkr. B. II. p.* 207.]

[**PERICARDITIS** est inflammatio, modo acuta, modo chronica, pericardii et cordis, febre, dolore sub sterno aut ad latus pectoris sinistrum percipiendo, motu cordis abnormi, anxietate pectoris, spirandi difficultate, interdum tussi cum sputo cruento, lipothymiis et vomitu stipata. Ge. *Herzbeutelentzündung.*]

PERICARDIUM, *involucrum, capsula, bursa, scrotum,* seu *sacculus membranaceus cordis,* est involucrum membranaceum, quo totum cor includitur, ad basin cordis adnexum, ad apicem usque separatum, et in quo libere haeret, tantum ab ipso corde distans, quantum pro motu eius requirebatur. Cavitas pericardii ex vasculis exhalantibus, vel ipsi, vel cordis basi insidentibus, accipit perpetuo humidum aliquod, tenuissimum, quod de natura albuminosa est, ad ignem spissescens, et *liquor pericardii* dicitur, atque perpetuo iterum

absorbetur et inservit humectando et flexiles tenendo fibras cordis, liberumque, et motui necessarium spatium inter cor eiusque capsulam conservando. Duplici constat membrana, quarum interior propria lubrica est, exterior communis cum mediastino, et cum tunicis maiorum vasorum continua: vasa accipit ex ramis mediastinis et diaphragmaticis. Ex περὶ, *circum,* et καρδία, *cor.* Ge. *Herzbeutel.* Ga. *Pericarde, l'enveloppe du coeur.* A. *The purse of the heart.* B. *Hertezakje, herte-beursje.*

PERICARPIA vocantur medicamenta, quae aut in summa debilitate, aut contra febres intermittentes carpis manuum applicantur.

PERICARPIUM illud est in plantis, quod semen, vel fructum ambit; in quibusdam edule est, ut in pomis, pyris, in aliis non, ut in nucibus, castaneis etc. Dicitur *folliculus, siliqua, capsula, pomum, drupa, strobilus* etc. pro varia substantia, aut structura. Ge. *Die Fruchtkapsel.* Ga. *La gouse, l'enveloppe.* A. *The husk of seed.* B. *Pel.*

PERICHAETIUM est vagina, quae in quibusdam muscorum generibus basin setae cingit, et vel monophyllum est, ut in Iungermannia, vel polyphyllum, sicut in Hypno. A περὶ et χαίτη, *seta. Seta* enim in muscis idem est, quod in reliquis plantis *pedunculus.* Ge. *Der Mooskelch.*

PERICHOLUS est praeter modum biliosus. Ex περὶ, [quae praepositio in compositione *vires augendi et intendendi* habet. Vid. Viger. *de idiot. gr. ling. p.* 56. b.] et χολὴ, *bilis.*

PFRICHONDRIUM vocatur membrana, quae cartilagines exterius immediate investit. [A περὶ, et χόνδρος, *cartilago.*] Ge. *Knorpelhaut.* Ga. *Perichondre.*

PERICLYMENUM est *Caprifolium,* cuius nomine et alii frutices scandentes et circumvolventes vocantur. A περικλύζω, *circumvolvo:* nam circumvolvendo se vicinis arboribus, vel fruticibus, saepe tam pertinaciter adnectit, ut in iis manifestum imprimat vestigium. [Cuius derivationis ratio probari nequit. Diosc. IV. 14. meminit quoque Periclymeni, quod aut Lonicera periclymenum, aut L. caprifolium est.] *Periclymenum* proprie est *Lonicera periclymenum Linn.* (Pentandr. Monogyn.) corollae laciniis fere aequaliter profunde sectis, baccis distinctis, capitulis ovatis, imbricatis, terminalibus, foliis omnibus distinctis. Colitur in hortis, et ob florum elegantiam et foliorum virorem praecipue ad pergulas et sepes adhibetur. Ge. *Je länger, je lieber, Geissblatt.* Ga. *Chevrefeuille.* A. *Honeysuckle, woodbine.* B. *Geytenblat, kamperfoelie, memmekens kruid.*

[**PERICLINIUM** a Cassinio primum vocatur calyx compositorum florum communis, qui et alias *anthodium* seu *periphoranthium* audit. A περὶ et κλίνη, *lectus,* in botan. *receptaculum.*]

PERICRANIUM est membrana densa et valida, periosteo cranii superinducta, seu aponeurosis frontalis et occipitalis musculi. Vide *Epicranium.* Vulgo tamen ipsum periosteum cranii dicitur Pericranium. Ex *περὶ*, *circum*, et *κρανίον*, *calva.* Ge. *Das Knochenhäutchen der Hirnschale.* Ga. *Pericrâne.* A. *Pericranium.* B. *Het panvlies.*

PERIDESMION vocatur membrana *ligamenta* corporis investiens. A *πέρὶ*, *circum*, et *δεσμὸς*, *vinculum*, *ligamentum.*

[**PERIMYSION** a Claro (*Annal. d. klin. Instit. in Leipzig, B. I. Abth.* 2. *p.* 157.) vocatur membrana fibrosa, remotis una cum subtus posita adipe et tela cellulosa integumentis communibus, in conspectum veniens, duplici lamina constans, quarum exterior commune omnium musculorum integumentum efficit, interior autem, in singulorum musculorum interstitia penetrans quemlibet musculum a proxime adiacente separat. A graec. *περὶ*, *circum*, et *μῦς*, *musculus.* Ge. *Muskelhaut.*]

PERINAEUM, seu **INTERFOEMINEUM** est sutura illa ligamentosa inter anum et scrotum, aut in foeminis inter vulvam et anum, quam *Aristophanes κοχώνην* videtur dixisse, et *πυγαῖον*. *Archippus προχώνην* locum sub pudendo, inter femora et nates medium, uti cum *Polluce* sentit [II. 183.] *Aristoph.Scholiast.* [Galen. *comm. IV. in Hipp. de artic. p.* 741. *to. XVIII. P.* 1. exponit, quid Hippocrates sub hac voce intellexerit, sc. mediam partem eius regionis, quae inter inguem utriusque cruris sita est, et a partium naturalium initio usque ad anum pertinct. Vox a variis diversimode scribitur, *περίνεος* et *περίναιος* s. *περίναιον*. Non audiendus est Krausius, qui in *Etymol. Lex.* p. 605. hanc vocem *πηρινεῖον* s. *πηριναῖον* scribendam esse contendit. Cons. longa disputatio Schneideri de hac voce in eius Lex. graeco. Mitto etymologiae vocis absurditatem, prolatam a Bjm. Lara in *Dict. of surgery s. v.* a *περινέω*, *circumfluo*, eam deducente, quoniam locus ille universum madidus sit.] Ge. *Der Raum zwischen der Schaam und dem Hintern.* Ga. *Perinée, rhaphé, periné.* A. *Buttocks-suture.* B. *De bil-naad.*

PERINYCTIDES sunt papulae, pustulae et tubercula papulis similia, subito saepe in una nocte apparentia. Vide *Epinyctides.*

PERIODICUS MORBUS vocatur ille, qui plenarie intermittens, post statum aliquod temporis intervallum revertitur, ut saepe in *epilepsia*, *mania*, *podagra* fieri solet. Ge. *Periodische Krankheit.* Ga. *Maladie périodique.*

PERIODUS LUNARIS, i. q. *menstrua.*

PERIODUS MORBORUM est tempus in morbis intermittentibus ex intensione et intermissione, in morbis remittentibus ex exacerbatione et remissione constans. Ex *περὶ*, *circum*, et *ὁδὸς*, *via;* hinc *circuitus.* *Galeno* morbi eiusdem

eodem reversio, ut singulis acccssionibus redintegrari renovarique videatur.

PERIODUS SANGUINIS, seu **CIRCULATIO**, et **CYCLOPHORIA** [a Gr. *κύκλος*, *circulus*, et *φέρω*, *fero.*] est continua sanguinis per totum corpus circumgyratio. Haec est duplex, differt enim in *adulto* et *foetu*; in *adulto* sanguis omnis in venam cavam redux influit in sinum venosum ante dextram auriculam, inde impellitur in auriculam dextram cordis, hinc in cordis ventriculum dextrum, ex quo vi magna impellitur in arteriam pulmonalem, per cuius ramulos minimos, parietibus vesicularum aërearum superstratos, et inspiratione extensos, omnia loca pulmonis perfluit, et intrat venas pulmonales, quae ante auriculam sinistram in unum saccum quoque desinunt; ex hoc sacco pellitur in auriculam sinistram, inde in ventriculum cordis sinistrum, ex hoc iterum in arteriam magnam, quae cum dispergatur ad omnia corporis viscera et loca, nullo excepto, sanguinem quoque ad omnes partes circumvehit. Desinit autem vel immediate quaevis arteria in venam, vel mediante cellula, (ut in pene virili etc.), aut vasis minoribus; hinc sanguis ex arteriolarum finibus infunditur initiis venarum, quae omnes confluunt in venam cavam superiorem, inferiorem, et azygon, quae coniunguntur in sinum venosum ante auriculam dextram, soletque hoc circuitu continuo ferri. Verum in *foetu* magna intercedit differentia ob *placentae uterinae* vasa, *canalem venosum* in hepate, *canalem arteriosum* ex arteria pulmonali in aortam hiantem, et *foramen ovale*, quae cuncta suis sub nominibus videnda sunt. Ex *περὶ*, *circum*, et *ὁδὸς*, *via*. Ge. *Kreisslauf des Bluts.* Ga. *Circulation du sang.* A. *Circulation of the blood.* R. *De omloop des bloeds.*

[**PERIOSTEITIS** est inflammatio periostei, cum tumore ossis et acutissimo dolore coniuncta. Ge. *Entzündung des Beinhäutchens.*]

PERIOSTEUM, [Graec. *περιόστιος ὑμὴν*, Galen. *to. III. p.* 792. ed Lips. Ruf. Ephes. p. 34. *περιόστιος χιτὼν καλεῖται*, et sic alias centies. Accedit, quod pro *ὀστέϊνος* attici *ὄστινος*, Photio teste p. 257. dixerint. Vid. Lobeck ad Phrynich. p. 262. Quare non audiendus esse videtur Krausius, *περιόστιον* prorsus damnans.] Est membrana tenuis et fere pellucida, firma tamen, constans ex variis fibrarum stratis, sibi invicem appositis, et implexis ossa, dentibus prominentibus exceptis, immediate investiens, eorumque nutritioni per innumera vasa arteriosa, inde in osseam substantiam demissa, inserviens; ob nervulos superstratos exquisitissimi sensus est, licet per se non sentiat. Ex *περὶ*, *circum*, et *ὀστέον*, *os*. Datur etiam periosteum internum, quod est membrana tenerrima, cavam ossium partem tegens, constans textura vasorum innumerabilium, quae ex periosteo ex-

terno emissa per foramina ossium ingrediuntur. Ge. *Das Beinhäutchen.* Ga. *Perioste, membrane des os.* A. *Membrane covering the bones.* B. *Het been-vlies.*

[**PERISTOSIS** est parvus, durus, arcte circumscriptus tumor, ossis superficiei inhaerens, nec dolens. Ge. *Knochengeschwulst.*]

PERIPHERIA est corporis, vel alicuius visceris ambitus, aut circumferentia, vel etiam superficies externa. A *περιφέρω, circumfero.* Ge. *Ein Umkreis.* Ga. *Circonference.* A. *The roundnes of any body.* B. *De omtrek.*

PERIPHIMOSIS, vide *Paraphimosis* et *Phimosis.*

PERIPLOCA est planta, (Pentandr. Digyn.) quae a nonnullis ad Apocyna refertur. Habet caules longos, lignosos, flexiles, nodosos, rubicundos, repentes, scandentes, et arbores vicinas amplectentes. Folia sibi invicem opposita, ampla, oblonga, venosa, acuta. Calyx est quinquefidus, minimus, laciniis ovatis, persistens. Flores sunt rotati, monopetali, quinquefidi, villosi, tamen sine lanugine. Fructus constat e folliculis duobus, magnis, oblongis, ventricosis, unilocularibus, univalvibus, continentibus semina plurima, imbricata, coronata pappo, receptaculo longitudinali filiformi affixa. Radix est fibrosa, repens. Reliqua, ut in Apocyno scandente. Haec planta succum lacteum magna copia dat. Olim ex Arabia et Aegypto ad nos adlata, nunc passim in hortis nostris colitur. Sic vocatur, quia circumvolvit et implicat caeteras herbas. A *περὶ, circum,* et *πλέκω, plico, necto, texo.*

PERIPNEUMONIA est vasorum arteriosorum pulmonalium, tum arteriae pulmonalis, tum bronchialis, inflammatio, cum febri acuta, respirandi difficultate, tussi, et dolore gravativo, saepe etiam dolore interscapulari et decubitu supino, rubore omnium partium faciei, oculorum protuberantia, venarum in collo intumescentia, lingua sicca, primo flavescente, dein nigra, crassa, et tandem etiam fissa, pulsu exili, molli, et omni modo inaequali, et maxima anxietate coniuncta, citam saepe mortem adferens, si malum hoc utrumque pulmonem simul, et valide infecerit. Distinguitur ab autoribus in *veram* et *notham.* *Vera* oritur ex sanguine phlogistico, *notha* ex sanguine pituitoso, aut eius diathesi putrida, atque maligna, in qua etiam manifesta inflammationis signa se produnt, sed minora longe et obscuriora, quam in *vera.* Ex *περὶ, circum,* et *πνεύμων, pulmo,* a *πνέω, spiro.* [Ex hac vocabuli compositione patere putat Jos. Frank (*Prax. med. pr.* P. II. Vol. 2. s. 1. p. 288.), hanc denominationem potius affectionem pleurae, quam ipsius pulmonis indicare. At cum opus habuerit vocabulo, quod in universum inflammationem pleurae, parenchymatis pulmonis et bronchiorum designaret, et cui, tanquam generi, subessent pleuritis, pneu-

monia, bronchitis etc., retentam ab ipso fuisse fatetur *peripneumoniae* denominationem.] Ge. *Lungenentzündung.* Ga. *Inflammation des poumons, peripneumonie.* A. *An inflammation of the lungs.* B. *Een ontsteking der longe.*

PERIRRHOEA vocatur talis humorum effluxus, qui ex universo corporis ambitu fit, et per quem totum corpus superfluis humoribus repurgatur. [Saepius hac voce Hippocrates usus est, cuius loca collegit Foësius in *Oecon. Hipp.* p. 499.]

PERISCYPHISIS, et **PERISCYPHISMUS** est sectio integumentorum cranii ad calvariam usque, una tribusve lineis in variis laesionibus capitis, vel in trepanatione necessaria. [Scribendum est *periscythismus* pro *periscyphismus.* Posterior enim vox originem debet vitiosae lectioni, in Paul. Aegin. VI, 7. reperiundae, id quod bene intellexit Schneider. in *Lex. graec.* Reinesius *V. L. III. p.* 458. et Kuster. ad Suid. differentiam statuunt inter *περισκυτισμὸς* et *περισκυθισμὸς*; prius enim non denotare autumant *cutis capitis cum capillis resectionem,* ignominiosae tonsurae genus, quali Scythae in populis devictis uti solebant. Quod falsissimum esse demonstravit Jo. Toup *emend. in Suid.* P. III. p. 344. Utrumque enim cum de tonsura, tum de scalptura Scytharum dici, Galenus in *medico c.* 19. *p.* 784. to. XIV. *Ὁ δὲ περισκυθισμὸς τοιοῦτός ἐστι· διαιρεῖται ἐπὶ ἐγκρασίαις διαιρέσεσι τὸ μέτωπον, οἷον στεφανιαία· καθ᾽ ἕτερον δὲ μέρος αὐτῆς, μικρὸν ἀνωτέρω τῶν κροτάφων ἀφαιρεῖταί τινα τρίγωνα, ἐοικότα τὸ σχῆμα τῷ Δστοιχείῳ.*]

PERISTALTICUS MOTUS est vermicularis canalis primarum viarum motus, incipiens a ventriculo et desinens in extremitate coli, contrahens intestina perpetuo, quasi vermes repentes essent. Fit hic motus ope tunicae muscularis intestinorum, quae ex fibris longitudinalibus et orbicularibus constans, contractione sua alimenta magis resolvit, transitum chyli in vasa lactea promovet et simul faecum residuarum et flatuum ulteriorem motum, tandemque excretionem efficit. A *περιστέλλω, contraho, arcto.* Ge. *Wurmförmige Bewegung der Gedärme.* Ga. *Mouvement péristaltique.* B. *Nederwaarts drukkende beweging, ingewands beweging.*

PERISTERON [seu potius teste Diosc. IV. 60., ubi et alia huius plantae nomina allata sunt, *περιστερεὼν*] vocatur *Verbena,* Lat. *Columbina* et *Columbaris*, quia columbae huius plantae praesentia valde delectari creduntur. *Περιστερὰ* enim est *columba.* Dicitur etiam *ἱερὰ βοτάνη*, sive *sacra herba,* quod ea olim apud Romanos domus purgabatur, familia lustrabatur, Iovis mensam ad sacrificium et epulas verrebant et fetiales in sacris legationibus illa coronabantur; vel quod in expiationibus suspensa et alligata mire utilis sit. *Sagminalis* etiam vocatur, quod inter sagmina, hoc est, gra-

mina ex loco sacro, praesertim arce Capitolii, cum sua terra evulsa, primum haec honorem haberet. Vide *Verbena.*

[**PERISTHOTONIA**, ad analogiam vocabulorum *ὀπισθοτονία* et *ἐμπροσθοτονία* ineptissime formata vox, ut illud convulsionum genus significctur, quo corpus vehementissime in altcrutrum latus rapitur. Nullum enim adverbium *πέρισθεν* novit graeca lingua.]

[**PERISTOMA** choroidis membranae oculi appellantur a Döllingero (*Nova acta physico-med. N. C. to. IX. p.* 268.) processus ciliares.]

PERISTROMATA sunt stragula, quibus aegri solent insterni. — Item tunicae visceribus circumiectae, inprimis tunica illa villosa, qua interior intestinorum superficies obducitur. Ex *περιστρωννύω, circumsterno.*

PERISYSTOLE est tempus quietis inter systolen et diastolen cordis. Ge. *Der Stillstand des Herzens.* B. *De stilstand.*

[**PERITONAEITIS** sive **PERITONITIS** significat inflammationem peritonaei, eiusque appendicum aut prolongationum, sub nomine omenti et mesenterii notarum. Swediaur *l. c. II. p.* 88. duas huius morbi species adduxit, sthenicam et asthenicam. Prior denominatio a *περιτόναιον*, posterior a *περιτόνιον*, quod idem significare dicitur, derivanda est. *Περιτονΐτις* contracte *περιτονίτις*.]

PERITONAEUM est membrana tenuis, polita: exteriori superficie, qua diaphragmati aliisque partibus adhaerct, asperiuscula et villoso-cellulosa, interiori magis lubrica et satis robusta, adeo ut sine metu rupturae extendi possit, elastica tamen, ut, remotis causis dilatantibus, ad pristinum tonum redeat; musculis abdominis transversalibus proxime adhaerens, quae totum abdomen interius, eiusque viscera chylopoea exterius circumvestit et vasa spermatica substantia sua cellulosa, aut ex recentiorum observationibus etiam processu aliquo, qui in foetu canalem coecum in fine format, ad scrotum usque comitatur, simulque cum testibus continct. In sexu sequiori sepimentum transversale pelvis et ligamenta lata uteri constituit. Constat ex tunica velut duplici, densa scilicet interna et externa cellulosa, quae tamen ei non propria est, innumerisque vasis sanguineis, lymphaticis et absorbentibus scatet. A *περιτείνω*, *circumtendo.* Arab. *Siphac.* Ge. *Das Darmfell, Bauchfell.* Ga. *Le péritoine.* A. *Peritonaeum.* B. *De penszak, het buikvlies.* [Gr. *τὸ περιτόναιον* sc. *δέρμα.*]

PERITTOMA est, quod post ciborum concoctionem in corpore ut superfluum restat, excrementum. Plutarch. *d. plac. phil.* 513. *περίττωμα τῆς τροφῆς.* — Item reliquiae morborum. A *περιττεύω, redundo.*

PERIZOMA est cinguli species herniosis praesertim utilis.

Vide *amma* et *bracherium.* Ge. *Bruchband.* B. *Breukband.*

PERLA, vide *Margarita.*

[**PERNIO** est inflammatio cutis contextusque cellulosi subtus positi, a frigore brumali orta. Omnes corporis partes, frigori expositae vehementi, v. c. digiti manus pedisve, nasus, genae, auris, tumore albocaerulescente vel rubente, admodum pruriente, imo dolente corripiuntur. Semel natus pernio quotannis tempestate frigidiore ingruente recrudescit. Interdum finditur cutis atque in ulcerationem abit. A. *A kibe, chilblain.* B. *Kak bielen, winterbielen.* Ga. *Engelure.* Ge. *Frostbeulen.* Gr. *Χίμετλον* s. *χείμετλον*, a *χεῖμα*, *hyems, frigus hyemale*, quamquam prior scribendi ratio usitatior. *Μάλκη*, quod Blanc. addidit, leniorem frigoris gradum, quo partes molles rigent torpentque, indicare videtur.]

PERONA, PERONE, sive **FIBULA** [minime, ut voluit Blancardus, inde nominata, quod tibiae musculos coniungere videatur, sed quod in diversis animalibus hoc os cum fibulae lingua magnam habet similitudinem, os est longum, admodum gracile, irregulariter triquetrum, in exteriore cruris latere positum, cuius superior extremitas cum tibia cohaeret, inferior malleolum externum format. Angulo interno ligamentum interosseum adhaeret. Musculi tres inde nominati. A. *The small bone of the leg.* B. *Het kuit-been.* Ga. *Le peroné.* Ge. *Die kleine Mittelfuss-Röhre.* Synon. *Focile minus cruris.* Ultima vox addenda, quoniam radius simpliciter focile minus nominari solet, cui ossi quoque nomen *cannae minoris*, quod Blancard. fibulae tribuit, competere Sömmerringius docuit.]

PERONAEI: huius nominis tres dantur musculi, scilicet *peronaeus medius*, seu *anticus*, qui una cum musculo extensore digitorum pedis communi longo a media et interiore parte fibulae oriens, tendine suo sub malleolo externo transiens superficiei convexae apophyseos quinti ossis metatarsi inseritur. Plantam pedis versus exteriora attollit paulisper. *Peronaeus parvus*, qui ab interiori superficie fibulae oriens, et sub ligamento transverso decurrens tuberositati quinti ossis metatarsi infigitur. Hi duo musculi coniunctim cum tibiali antico pedem extremum flectunt. *Peronaeus longus*, seu *posticus*, ab exteriori et superiori fibulae superficie oriens, iuxta fibulam decurrens, sub malleolo externo, per sinuositatem ossis cuboidis tendinem transmittit, eumque interiori parti primi ossis metatarsi infigit. Hic musculus actione sua pedem extremum extrorsum extendit.

PERPERACUTUS, vide *Acutus.*

PERSEA est arbor, forte a regione Persia, quia ibi, ut Malus persica in Perside, exitiosa esset, sed ambae in Aegyptum translatae, mutari et in cibum recipi dicuntur. [Cons.

Diosc. I. c. 187. et ad hunc locum Sprengel. to. II. p. 423. sq.] Persea proprie ad lauros pertinet, (Enncandr. Monogyn.) et est *Laurus persea Linn.* foliis venosis, ovatis, coriaceis, perennantibus, floribus corymbosis. Prunifera arbor fructu maximo pyriformi viridi, pericarpio esculento, butyraceo, nucleum unicum maximum nullo ossiculo tectum cingente. *Sloan.* Habitat praecipue in America calida.

PERSICA MALUS, Persica molli carne et vulgaris *Bauh. Amygdalus persica Linn.* (Icosandr. Monogyn.) foliorum serraturis omnibus acutis, floribus sessilibus solitariis, est arbor, cuius rami sunt longi, extensi, fragiles. Folia oblonga, angusta, acuta, in margine dentata, e gemma terminali, nec infra flores nascentia, saporis amari. Calyx monophyllus, in quinque, vel sex segmenta profunde sectus, expansus, cavus, intra hunc flos rosaceus, pentapetalus, vel hexapetalus, ex margine calycis cavi interna enatis, et staminibus triginta foecundus, gemmalis, solitarius. Ovarium in imo fundo calycis, instructum tuba longa, apice globoso, scabro praedita, fit fructus carnosus, fere globosus, iuxta longitudinem sulcatus, foetus ossiculo profundis scrobiculis exsculptis ornato, in quo nucleus rubicundus, oblongus, plerumque unus; eius caro est medullosa, vinosa, succulenta, saporis grati; nucleus est compressus, saporis aliquantulum amari, sed grati. Gaudet viribus anthelminthicis; in emulsione capiti applicatus eius dolores in febribus mitigat. [Alvum leniter solvit syrupus florum persicorum sine intestinorum doloribus. Qua de causa infantibus tenellis propinari solet. Omnes Amygdali persicae partes continere oleum aethereum hydrocyanico acido dives primus Vauquelinus observavit.] In officinis e floribus aqua et syrupus prostant. Haec arbor colitur in hortis. Huius fructus in Persia dicuntur perniciosi, sed in Aegyptum translata, vitiosam vim deponere creduntur. Hinc sic forte appellata, quod ex Perside primum advecta sit. Gc. *Pfersichbaum.* Ga. *Pecher.* A. *Peach-tree.* B. *Persik-boom.*

PERSICARIA est planta, quae habet caules rotundos, excavatos, rubicundos, ramosos, nodosos. Folia Persicam referentia, aliquando maculata, aliquando non. Flores apetali spicati ex alis foliorum supremorum nascuntur, longis pedunculis adhaerentes, quinque staminibus donati, coloris purpurei, aliquando albi. Calyx quadrifidus. Ovarium in centro calycis compressum, ovatum, vel orbiculare, tuba bifida, fimbriata praeditum. Semen planum, vel triquetrum, ex ovato acuminatum, nigricans. Radix fibrosa. Crescit haec planta in locis aquosis. Huius plantae praecipue duae species frequentes sunt, scilicet Persicaria mitis maculosa et non maculosa *Bauh. Polygonum persicaria Linn.* floribus hexandris digynis, spicis ovato oblongis, foliis lan-

ceolatis, stipulis ciliatis. Ge. *Pfersichkraut*, *Flöhkraut*. Ga. *La persicaire douce*. A. *Dead* sive *spotted ars-mart*. B. *persik-kruid*. —— Et Persicaria urens *Bauh*. *Polygonum hydropiper Linn*. floribus hexandris, semidigynis, foliis lanceolatis, stipulis submuticis. Ge. *Wasserpfeffer*, *scharf Flöhkraut*. Ga. *Poivre d'eau*, *piment d'eau*, *curage*. A. *Water-pepper*, *water ars-mart*. B. *Water-peper*. — Pollet haec qualitate acri et urente. [Sed hoc principium admodum volatile est. Quare dum siccatur, multo magis dum coquitur planta, penitus evanescit.] Utrique, praecipue vero posteriori, a quibusdam eximiae tribuuntur virtutes aperientes, vulnerariae, antisepticae, diureticae et antiscorbuticae. Veterinariis quidem, rarius tamen medicis in usu est. Insecta abigere creditur, hinc eius decocto vulnera equorum eluuntur. Sic dici videtur, quod eius folia Persicae mali videantur aemula.

PERSICARIA SILIQUOSA, vide *Impatiens*.

PERSICUS IGNIS denotat morbum causticum et igneae indolis, estque vel *anthrax* ipse, vel ei similis. Vide *anthrax*, seu *carbunculus*. Sumitur quoque pro *gangraena*. [Swediaur *l. c. to. II. p.* 452. monuit, sub nomine ignis Persici Arabes intelligere anthracem seu carbunculum colis, morbumque, olim frequentiorem, nunc inter nos rarissimum, potissimum e coitu impuro oriundum, iam a Celso VI. c. 18. notatum fuisse.]

PERSISTENS botanicis dicitur *folium* peracta aestate non casurum, aut stipula, vel bractea, post defoliationem restans.

PERSISTENS FEBRIS quibusdam vocatur talis intermittentis species, cuius paroxysmus exacte eandem periodum servat.

PERSOLATA est *Bardana*, dicta ob foliorum magnitudinem, quibus si persona faciem tegat, eam a solis calore defendat: idem quod *Personata*.

PERSONATA, et **PERSONATIA**, Gr. [teste Diosc. IV. c. 105. *προσώπιον*, *προσωπὶς*, *ἄρκειον*], est *Lappa*, seu *Bardana* appellata, quod ob foliorum magnitudinem personae faciem tegat, atque a solis calore defendat. *Personatia* hac quondam ad personas utebantur, quoties in theatris aliisve locis, qui cognosci a populo nollent, egisse quippiam volebant. Vide *Lappa*. Ge. *Gross Klettenkraut*, *Klette*. Ga. *Bardane*, *glouteron*, *herbe aux teigneux*. A. *Burdock*, *clotburr*. B. *Groot klissen-kruid*.

PERSONATUS botanicis dicitur *flos*, cuius corolla irregularis, in duo labia hians, sed inter labia palato clausa est, ut sic confictam faciem, seu personam, rostrumque animalium rictu et labiis non male referat.

PERSPIRATIO, i. q. *diaphoresis*.

PERSULTATIO, i. q. *diapedesis.*

PERTURBATIO CRITICA est congeries symptomatum, quae in summo morbi vigore aegrum affligunt, dum causa eius corpus nostrum adgreditur, et vires vitae conantur eam subigere, coquere et e corpore eliminare.

[**PERTUSSIS** est tussis convulsiva, sonora, per intervalla irregularia accedens, cum sensu strangulationis in faucibus. A. *The hooping cough.* (Sydenhami *opera.* p. 170. ed. Lips.) *Chin-cough.* Ga. *La coqueluche.* Ge. *Keichhusten.* Swediaur *to. I. p.* 493. octo huius morbi formas adduxit.]

PERVIGILIUM, i. q. *agrypnia.*

PERVINCA, vide *Clematis daphnoides.*

PERUVIANUS CORTEX, vide *China Chinae.*

PES, Gr. *ποῦς*, sumitur late pro femore, tibia et pede ipso. Vel stricte pro pede, qui dividitur in tarsum, metatarsum et quinque digitos. Ge. *Der Fuss.* Ga. *Le pied.* A. *The feet.* B. *De voet.*

PES ANSERINUS est species *Atriplicis*, sic dicta, quod eius folia pedem anserinum referant. A Gr. *χὴν*, gen. *χηνὸς*, *anser*, et *ποῦς*, *pes.* Vide *Chenopodium.* Ge. *Gansfuss, Schweintodt, Sautodt.* Ga. *Pied, ou patte d'oye, mort aux porceaux.* A. *Goose-foot.* B. *Ganzen-voet, verkensdood.* — Anatomicis etiam ita vocatur illa portionis durae nervi auditorii portio, quae per musculos temporum, frontis, et palpebrarum totamque faciem distribuitur, et extremitatibus suis cum ramulis nervi frontalis, maxillaris superioris et inferioris, scilicet paris quinti propaginibus, communicat, sicque supra faciem plexum format, quem *pedi anserino* nonnulli compararunt.

PES COLUMBINUS est *Geranii* species, ob similitudinem cum pede columbino dicta. Ge. *Taubenfuss.* Ga. *Pied de pigeon.* A. *Pigeon, or dove foot.* B. *Duiven-voet.*

PES CORNICIS, vide *Coronopus.*

PES LEONIS, vide *Alchimilla.*

PES LEPORIS, i. q. *Lagopus.*

PESSARIUM est vel medicamentum solidioris consistentiae, digiti forma e variis pro diverso scopo compositum, vel annulus ex subere confectus et cera obductus, quorum illud contra varios uteri morbos, hic ad impediendum uteri prolapsum per vaginam ad orificium usque uteri immittitur, ibidemque gestatur. [Cons. Ph. Hunold *diss. de pessariis.* Marb. 1790. 8. cum fig.] Ge. *Mutterkranz, Mutterzäpfchen.* Ga. *Pessaire, suppositoire uterin.* B. *Moeder-pillen, vrouwen zet-pillen, moedersetsel.* A. *Pessary.*

PESSULUS, i. q. *pessarium.*

PESSUS idem quod *pessarium.* Proprie tamen de medicamento vaginae immisso adhibetur.

PESTIS est morbus epidemius, in quibusdam regionibus, inprimis calidis, frequentior et periculosior, quam in aliis, contagiosus, ex miasmate quodam primum orto et suscepto, deinde per contagium propagato, ortum ducens, qui occulte et latenter homines plurimos simul subitissime aggressus, febres validissimas, spirituum exstinctiones, cruoris solutiones, vel coagulationes, ipsius et partium solidarum siderationes ct *νεκρώσεις* infert, cum apparentia exanthematum, parotidum, bubonum, aut anthracum, nec non horrendo aliorum symptomatum apparatu aegros in vitae periculum adducit. Nomen pestis si usum tantum spectemus, terrorem secum involvit et morbum quemvis epidemicum lethiferum significat, ita ut dysenteriae, variolae, amphimerinae, purpurae, malignis epidemicis conveniat; verum genus morbi ex eius benignitate aut malignitate minime diiudicandum est; et uti character variolae ex pustulis, ita pestis character, iuxta omnes fere neotericos, ex anthracibus et bubonibus deducendus est, nec repugnat, dari pestem sporadicam et benignam, ut similis datur variola, ut et observationes confirmant. Differt *pestis* a *pestilentialibus* morbis, quod pestis sit genus morbi, unicum iam definitum, pestilentiales vero tot sint morbi, quot sunt maligni et epidemici, qui plures e medio tollunt quam sanos dimittunt. *Sauv.* Gr. *Λοιμὸς* [quam vocem J. Frank, qui in altera, denuo elaborata editione *Prax. med. praec.* Pa. I. Vol. 2. Sect. 1. plenissime de hoc morbo inde a p. 1. usque ad 324. exposuit, a *λείπειν*, i. e. a *deficiendo*, quoniam hominum defectum pariat, aut a *λιμὸς*, *fames*, quoniam pestis famem sequatur, deducendam putat, secutus Etymol. M. p. 69, 45. et 568, 23.] Ge. *Die Pest.* Ga. *Peste, contagion,* [*pestilence, la maladie, fièvre pestilentielle, fièvre adéno-nerveuse.*] A. *The pest, plague, pestilence.* B. *De pest, pesmettelyke ziekte, pestkoorts.*

PETALA botanicis vocantur folia illa colorata, ex quibus omnium plantarum corollae componuntur. Hinc *nectarium* petalo insertum *petalinum* dicitur. Ge. *Blumenblatt, Kronenblatt.* Ga. *Pétale.* B. *Bloem-bladen.* A. *The petal, flower leaf.*

PETALE, i. q. *phthiriasis.*

PETALOIDES est urina foliacea, aut squamea, cui scilicet foliola et sqamulae innatant. Ex *πέταλον*, *folium, squama, lamina,* et *εἶδος*, *forma.* B. *Schuvachtige pis.*

PETASITES est planta flore flosculoso, (Syngenes. Polygam. Superfl.) semine papposo; *Tussilago petasites Linn.* thyrso ovato, flosculis foemineis nudis, paucis. Habet haec caules plures, crassos, excavatos, lanuginosos. Folia initio angusta, acuta. Ubi caulis est deciduus, oriuntur folia ampla, fere circularia, aliquantulum in margine incisa, supe-

rius virido-fusca, inferius lanuginosa et albescentia, pedunculis longis adhaerentia, crassis, rotundis, carnosis. Calyx communis cylindraceus, squamis lanceolato-linearibus aequalibus; flosculi in petasitide maiori omnes hermaphroditi, in minore foeminini hermaphroditis intermixti; semina solitaria, oblonga, filo sustinentia pappum pilosum. His notis addendum est, flores petasitidis prius nasci, quam folia. Radix oblonga, digitum crassa, ramosa, resinosa, foris fusca, albicans, saporis acris, aromatici, amaricantis, odoris fragrantis. Viribus pollet haec radix eximiis aperientibus, sudoriferis et alexipharmacis; rarior tamen eius hodie in medicina usus est. Nomen accepit a foliorum magnitudine, pileum, seu petasum, referentium. Ge. *Pestilenzwurzel.* Ga. *Chaperonnière, herbe aux teigneux, glouteron, petasite.* A. *Butterbur.* B. *Dokke-bladen, podde-bladen, pestilentie-kruid* sive *wortel.*

PETECHIALIS FEBRIS, *pulicaris* etiam dicta, est febris continua maligna, qua cutis maculis subrotundis, morsibus pulicum similibus, rubicundis, quandoque purpureis, lividis, aut atris, sine tumore et pruritu, quae *petechiae* s. *peticulae* vocantur, variegatur. Oriuntur hae maculae plerumque a sanguine dissoluto in extremitatibus vasorum stagnante. Nomen derivatur a voce Italica *Pedocchio,* significans *pediculum.* Ge. *Fleckfieber, Peteschenfieber.* Ga. *Fièvre pétechiale.* A. *Petechial fever, spotted fever.* B. *Blutskoorts, vlekkoorts.*

PETIA est linteamentum, ex quo sacculi formantur, in quos herbae, vel aliae species, aqua, vel vino infundendae includuntur. Ge. *Ein Säckchen.* Ga. *Sachet.* A. *Little bay.* B. *Een zakje.* — *Petia* est quoque idem quod *pulvillus,* seu *plagula.* Ge. *Bausch, Compresse.* Ga. *Compresse.*

[**PETICULAE** sunt stigmata vel maculae varii coloris, subrotundae, discretae, lentium magnitudine, nullo ut plurimum cum pruritu coniunctae, et plurimorum morborum febrilium, praecipue contagiosorum, comites. A. *Purple spots, scorbutic rash.* B. *Blutskoorts, vlekkoorts, peperkorls.* Ga. *Pétechies.* Ge. *Pétetschen, Petechien, Rehflecken.*]

PETIGO, i. q. *lichen.*

PETIOLUS dicitur fulcrum sustinens folium. Ge. *Der Stiel.* Ga. *Pétiole.* — Hinc *petiolaris* dicitur pedunculus, pubes, cirrus petiolo insidens, aut gemma e foliorum rudimentis constans. *Petiolatum* vero dicitur *folium* petiolo ad basin inserto.

PETROLEUM, seu **OLEUM PETRAE** est oleum minerale, seu bitumen liquidum, tenuissimum, levissimum, nec aqua, nec spiritu vini miscibile, utrique supernatans, oleis plantarum aethereis facile iungendum, plus, vel minus graveolens, igne vicino illico inflammabile, e saxis, petris at-

que terra passim exsudans. Quibusdam vocatur *oleum fossile aethereum.* Variae eius dantur species. Purissimum est *petroleum album,* quod etiam *naphtha vera* dicitur et in Asia, praecipue in Persia, in Europa vero vix forte alio adhuc in loco, quam in ducatu Mutinensi, reperitur: *petroleum flavum,* seu *Italicum,* aliquantum crassioris consistentiae pariter in ducatu Mutinensi reperiundum. *Petroleum rubrum,* seu *Gabianum,* obscure rubrum, magis spissum et graveolens est, et in Italia passim et Gallia australi invenitur. Viliora plerumque incolae humo superfusa ad usum igniarium adhibent. Purissima raro ad nos deferuntur. Sunt, qui haec olea contra colicam pictonum, dolores osteocopos atque taeniam commendent. Pernionum molestias tollit. — Est denique et aliud petroleum, quod in Americae quibusdam insulis reperitur, *petroleum Barbadense, bitumen Barbadense,* vel *pissaeleum Indicum* dicitur, coloris obscure rubri, consistentiae melleae, minus inflammabile, cui incolae eximias vires medicas tribuunt. In Anglia frequenter adhibetur. Vide *Oleum terrae.* [Vires ei tribuuntur diureticae, anthelminthicae, ob quas contra taeniam nuper a Schwarzio laudatum est. In phthisi quoque ulcerosa petrolaeum rectificatum, saccharo exceptum, laudatur a gtt. X—XIV. Chemice disquisitum constare illud ex hydrogenio et carbonio, quibus Ure quoque aliquam oxygenii portionem addidit, inventum est. Optime caoutschuk solvit.] Ge. *Steinöl, Bergöl, Erdöl.* Ga. *Petrole, huile de petrole.* A. *Stone-oil.* B. *Steen, peter-olie.*]

PETROSELINUM est planta notissima, umbellifera, (Pentandr. Digyn.) quo sub nomine duae species apud nos frequentissimae sunt: *Petroselinum Macedonicum,* s. *Bubon Macedonicum Linn.* Vide *Apium.* Et *Petroselinum nostras, vulgare* et *hortense,* quod est *Apium petroselinum* foliis caulinis linearibus, involucellis minutis *Linn.* E Sardinia olim ad nos adlatum, nunc abundanter apud nos colitur. Usus maxime cibarius et culinaris est. Gaudet qualitate acri, subaromatica, subdulci, viribusque lactifugis, resolventibus, emmenagogis atque diureticis. Radix inter quinque radices aperientes numeratur. Sic forte appellatur, quod in petrosis rupibus, saxisve, locisque praeruptis nascatur. Vel quod calculi frangendi vim habet. [Aqua cum seminibus destillata continet oleum aethereum, quod acus albas, sic dictam camphoram petroselini, format. Herba recens, cum lacte cocta, et in pultem redacta, utiliter adhibetur contra glandularum indurationes. Aqua petroselini contra lentigines commendatur.] Ge. *Petersilien.* Ga. *Persil.* A. *Parsly.* B. *Petersilie.*

PETROSUM OS est interna ossis temporum portio, portioni squamosae sutura spuria adnexa formae fere conicae,

processum suum petrosum oblique antrorsum extendens, et partes organi auditus internas continens, ideoque nervum octavum, vel auditorium, per foramen proprium admittens. Petrosum dicitur, quod, post dentes, durissimum sit os corporis nostri, lapidemque fere duritie aequet. Ex πέτρος, *lapis*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Das Felsenbein*. Ga. *Os petreux*. A. *The stony bone*. B. *Het steen-been*.

PETUM est *Tabacum*, dicitur Americanis *Petune*. Hinc, quia est vox barbarica, eius etymologiam describere nescimus. Vide *tabacum* et *Nicotiana*.

PEUCE est *pini, laricis* [graeca denominatio.] An a πικρὸς, *amarus*, [Derivatio ob male intellectum Etym. M. p. 667. prorsus incongrua.] an quia πῖος ἔχει, aut a πίσσα, *pix?*

PEUCEDANUM, seu **PEUCEDANUS** est plantae genus umbelliferum, (Pentandr. Digyn.) cuius species officinalis est Peucedanum Germanicum *Bauh. Peucedanum officinale* foliis quinquies tripartitis, filiformibus, linearibus *Linn.* Habet hoc caulem excavatum, ramosum. Folia Foeniculi foliis maiora, laciniata, trilobata. Flores sunt rosacei, e petalis quinque aequalibus, oblongis, incurvis, integris, constantes. Semina sunt ovata, ampla, striis tribus elevatis notata, marginata, oblonga, involucrum deponentia. Radix est crassa, longa, saepe trifida et quadrifida, externe nigrescens, interne albescens, saporis pinguis, acriusculi, ut Foeniculi radix, odoris sulphurei. Radix haec recens vulnerata succum exstillat in gummi graveolens exsiccatione abeuntem, cui eximiae vires antihystericae tribuuntur. Ipsa radix, licet rarioris hodie usus, insigni virtute resolvente, nervina, thoracica et diuretica gaudet. Ulcera mundificat, hinc cum fructu quoque in tincturas vulnerarias recipitur. Dicitur etiam haec planta *Foeniculus porcinus*. Nomen accepit a Pinu, quae Gr. πεύκη dicitur, cui odore, ut et sapore, quodammodo par est. Hinc posteriores Lat. *Pinastellum* vocarunt. Ge. *Haarstrang, Saufenchel, Schwefelwurzel*. Ga. *Queve de pourceau, peucedane, fenouil de porc*. A. *Hogs-fennel, sulphur wort, horse strange, horse strong, sow-fennel*. B. *Solfer-wortel, verkens-venkel*.

PEZA significat imam plantam, vel pedis malleolum.

PEZIZA, vide *Auricula Iudae*.

PHACE, Gr. φακὴ, et φακὸς, est *lenticula*, quasi ἡ τὰ φάη κακοῦσα, οἷον φακάκη, vel φάκακος, quod oculos laedat et hebetet. [Plane contrariam etymologiam habet Etym. M. p. 786, 39. παρὰ τὸ ἀικίζειν τὰ φάη, ὡς ὁ ἰατρικὸς λόγος μαρτυρεῖ, φααική τις οὖσα.] Vel dicitur, quod semen eius formam et ideam maculae faciei, sive oculi, referat. *Phace*, vel *Phaca* hodie denotat plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) legumine oblongo, inflato, uniloculari, proxime ad Astragalum accedens. [A. *The bastard*

vetch. B. *Bootpeul.* Ga. *Phaque, bagnaudier.* Ge. *Knollenkraut.*]

PHACIA, i. q. *Lenticula.*

[**PHACITIS** appellatur lentis crystallinae inflammatio. A φακὸς, *lens.*]

[**PHACOIDEITIS** a Beerio nominata est inflammatio capsulae lentis crystallinae. Sed haec huius mali denominatio aeque probari nequit, ac *capsulitis.* Nam τὸ φακοειδὲς nunquam capsulam lentis significare potest.]

[**PHACOMALACIA** vocatur illud lentis crystallinae vitium, quo illa morbose emollita reperitur. A φακὸς, *lens,* et μαλακία, *emollitio.*]

PHACOS est macula faciei lentem referens, unde *lenticula* et *lentigo* appellatur. Ge. *Sommerflecken.* Ga. *Lentilles,* ou *taches de rousseur.* A. *Freckle.* B. *Sproeten.*

[**PHACOSIS** ab auctore introductionis, quae Galeno tribuitur, (*Oper.* to. XIV. p. 768.) refertur inter mala, quae in albo oculi locum habent, ut pterygium, icterus, tophus. Videtur igitur maculam lenticularem significare, in cornea tunica conspicuam. Castellus addit, vitium illud vocari etiam *nigram oculi maculam.*]

PHACOTOS est scalpri chirurgici species, apice corpusculum lenticulare habens, ne pungendo laedat. A φακὸς, *lens.* Ga. *Scalpel lenticulaire.*

PHAENIGMUS, vide *Phoenigmus.*

PHAENOMENA sunt omnia, quae secundum et praeter sanitatem in corpore nostro apparent, et a nobis sensibus observari possunt. A φαίνω, *appareo.* Ge. *Erscheinungen.* Ga. *Phénomènes, apparitions, accidens.* A. *An appearance,* sive *sign.* B. *Verschynselen.*

PHAGEDAENA, seu **PHAGAENA** est cancer exulceratus, seu ulcus quodvis malignum, latius et profundius serpens. [Galen. in *gloss. Hipp.* p. 586. φαγέδαιναν explicat per ἕλκος ἀναβιβρωσκόμενον. Quam proposuit Blancardus etymologiam, ea probari non potest.] A φάγω, *edo,* et δαίω, *rodo.* Ge. *Der Wolf, ein um sich fressendes Geschwür.* Ga. *Cancer, loup.* A. *Wolf, phagedaenic ulcer.* B. *De Wolf.* — Item enormis edacitas, ut in *Bulimia.*

PHAGEDAENICA sunt medicamenta, carnem superfluam ulcerum, eorumque latera callosa exedentia, qualis in officinis *aqua phagedaenica* prostat ex mercurio sublimato corrosivo in aqua calcis vivae soluto. — Item *ulcera* tumida, profunda, subiectas carnes erodentia, labia callosa habentia, et sanationi resistentia, sic vocantur. Vide *Phagedaena.*

PHALACROSIS est calvities, sive capillorum decidentia et profluvium. [Definitioni Blancardianae addenda sunt: *potissimum a sincipite orta et permanens.* A Graec. φαλακρὸς, quod Etym. M. p. 787. explicat, ὁ τὸν ἄκρον ἔχων φαλὸν, ὅ

ἐστιν λευκὸν.] Ge. *Das Ausfallen des Haars.* Ga. *Pélade.* A. *The falling of ones hair.* B. *Uitvallen des hairs.*

PHALANGIUM et **PHALANGITES** est planta flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) *Anthericum ramosum Linn.* cuius flos est nudus, hexapetalus, amplectens ovarium subrotundum, trisulcum, foetum seminibus angulosis. Folia sunt longa, angusta. Caulis ex imo foliorum erumpens, rotundus. Sic vocatur, quia creditur morsus Phalangii animalis, scilicet insecti apteri ad araneas proxime accedentis, et aliorum venenatorum animalium, posse sanare. Ge. *Weisser Wiederthon, Erd-Spinnenkraut, weisser Orant.* Ga. *Phalange.* A. *Spiderwort.* B. *Phalangium.*

PHALANGOSIS est palpebrarum vitium, quando duplicem aciem pilorum, vel ciliorum, repraesentant, vel quando hi pili interius crescunt, ita ut oculos pungant et lacrymas excitent. A φάλαγξ, *acies.* — Item est vitium palpebrae superioris, quod nimium sit relaxatum, et prolapsu suo oculi aperturam et visum impediat, nisi aeger palpebram manu elevet. [Aet. *tetr. II. serm.* 3. *c.* 68. καλοῦσι δὲ οἱ ἰατροὶ τὴν μὲν τοῦ βλεφάρου χάλασιν φαλάγγωσιν ἢ πτῶσιν.] Nasci autem istud vitium fere semper solet, quoties aut palpebrae musculus elevator resolvitur, aut cutis superior a quacunque causa nimium relaxatur. Ge. *Stechende Haare der Augenlieder, Lähmung des Augenliedes.* Ga. *Espèce de trichiase.* B. *Wenkbraauwen omkrulling.*

PHALANX, PHALANGA; sic vocantur ossicula cylindrica, quorum tria inter se articulata digitos manus atque pedis constituunt. Ge. *Knochen der Finger.* Ga. *Phalange.*

PHALARIS sive *Canarina* est planta ad gramineas pertinens, (Triandr. Digyn.) quae habet caulem nodosum, folia Tritici, sed minora. Spica est crassa, confecta ex glumis unifloris, bivalvibus, semina oblonga, alba, splendentia condentibus, [sic ea descripsit iam Diosc. III. c. 149.] squamatim congestis. Glumae binae, cavae, carinatae, semen medium utriculo involutum tenentes, faciunt squamulas apparentes. Haec planta [Phalaris canariensis] crescit in Hispania et regionibus calidis. Semini in forma pulveris sumto eximiae vires diureticae, lithontripticae et aperitivae adscribuntur. Nomen habet ἀπὸ τῶν φαλαριῶν, quod semen splendidum candidumque reddat. Ge. *Kanarienkraut, Kanariensaamen.* Ga. *Alpiste, graine de Canarie.* A. *Canary-grass, canary-seed.* B. *Kanarie-zaad.*

[**PHALLALGIA**, a φαλλὸς, *membrum virile,* et ἄλγος, *dolor*, est dolor continuus, colem occupans.]

[**PHANEROBIOTA** et **CRYPTOBIOTA** corpora Mich. a Lenhossek (*instit. physiol. to. I.*) loco *vivorum* et *mortuorum* rectius appellari opinatur. A φανερὸς, *manifestus,* et βιωτὸς quod per *vivens* explicat. Sed hanc notionem non habet

haec vox, sed significat *dignum, qui vivatur.* Sic βίος βιωτὸς, *vita vitalis,* (Cic. de *amic.* c. 6.) saepe ap. Graecos. Vid. Jacobs ad *Anthol. Pal.* p. 559. et Valck. ad *Theocr. Adoniaz.* p. 217. Quam ob rem cum animal sine manifestis vitae signis adhuc vivere possit, et linguae graecae ratio vocem improbet, usitatas *vivorum* et *mortuorum* corporum denominationes retinendas puto.]

PHANTASIA est sensus internus, seu *imaginatio,* qua aliquid menti ex arbitraria quasi idearum combinatione, cum obiectis externis non conveniente, repraesentatur et imprimitur. Singularia sunt eius affecta tam in sano homine, quam in aegrotante. In sano ab ea dependent multi appetitus, aliaque animi pathemata, dormientium insomnia etc. Aegri inde inanibus spectris delusi, verum esse putant, quod sibi tantum imaginantur, sive febri laborent, sive non, quod multis exemplis patet in phreniticis et melancholicis. Imo effectus suos exsercere creditur in foetum, utero matris contentum, adeo ut ille ab hac causa maculis aliisque deformitatibus inficiatur. A φαίνω, *repraesento.* Gr. Φαντασία. Lat. *Imaginatio.* Ge. *Einbildung.* Ga. *Phantaisie, imagination.* A. *Imagination.* B. *Inbeelding.*

PHANTASMA est perceptio visibilis obiecti falsi, dum scilicet oculo varia repraesentantur ab obiectis externis diversa. Fit hoc vel vitio oculi, vel partium internarum cerebri, vel per consensum. Vide Diss. III. *Delii de phantasmatibus.*

[**PHANTASMOSCOPIA** seu rectius **PHANTASMATOSCOPIA** est quaedam insaniae forma, qua qui laborant, et interdiu spectra vident, et ab iis turbari credunt. Ex φάντασμα, *spectrum,* et σκοπέω, *video.*]

PHARMACEUTICA, i. q. *pharmacia,* vel sunt ea, quae ab arte pharmaceutica dependent.

[**PHARMACODYNAMICE** (φαρμακοδυναμικὴ sc. βίβλος) a Ph. Fr. Gu. Voigt vocata est ea pharmacologiae pars, quae de remediorum usu contra certas et finitas aegritudines eorumque effectibus exponit. A gr. φάρμακον, *remedium,* et δυναμικὸς, *qui vim habet, efficax.* Scripsit Voigtius sub hoc titulo librum: *Pharmacodynamik.* Voll. II., cuius auctior et emendat. editio Giessae 1828. prodiit.]

[**PHARMACOGNOSIA** est ea scientiae medicae pars, quae remediorum simplicium genuitatem et probitatem sive e signis externis, sive per sic dicta reagentia cognoscere nos docet. A φάρμακον, *remedium,* et γνῶσις, *cognitio.* Cons. Jo. Chr. Ebermaiers *pharmakognostische Tabellen.* Fünfte Aufl. von D. Ghilf. W. Schwartze. Leipz. 1827. f.]

[**PHARMACOLOGIA** vocatur ea medicae scientiae doctrina, quae de qualitatibus physicis, de virtutibus chemicis, et

de agendi ratione remediorum agit. A graeco *φάρμακον* et *λόγος*, *doctrina.*]

[PHARMACON est vox anceps. Nam in utramque partem a veteribus adhibetur, tum de iis rebus, quae sanitatem aut integram conservare, aut fractam restituere possunt, tum de iis, quae vitam subruere et penitus destruere valent, de remediis et venenis. Hippocratem *φάρμακον* et *φαρμακεύεσθαι* inprimis de medicamentis purgantibus adhibuisse, probant loca, a Foësio in *Oecon. Hipp.* congesta. Derivat Fidicaeus ad Andromachi *Theriaca* p. 35. *φάρμακον*, si venenum denotat, a *φέρειν ἄχος*, *dolorem*, si remedium, a *φέρειν ἄκος*, *medelam.*]

PHARMACIA [gr. *φαρμακεία*, quae vox longe aliam notionem apud vett. scriptores obtinuit, quam quae hodie illi tribuitur. Nam nihil aliud denotabat, quam medicamenti aut oblationem, aut assumtionem. A *φαρμακεύω*, quod ap. Hippocr. ad solum medicamentorum purgantium usum restringitur.] est ars simplicia medicamenta colligendi, depurandi, solvendi, praeparandi, componendi, aliis miscendi pro scopo medici in usum aegrorum. Est haec una ex tribus medicinae partibus, cuius auxilio remedia, quibus morbi profligantur, suppeditantur. Aliae enim duae partes audiunt chirurgia et diaetetica. Ge. *Die Arzneikunst, die Apothekerkunst.* Ga. *La pharmacie.* A. *Pharmacy.* B. *Apothekers-konst, artzeny-bereiding, kruid-meng-konst.*

PHARMACOPOEA est doctrina, sive descriptio rerum medicamentalium, quoad notas distinctionis, colligendi, depurandi, praeparandi et componendi modum, earumque vires et dosin exhibens, in usum medicorum et pharmacopoeorum. Seu est doctrina medicamentorum. Adeoque et *pharmacologia* eodem sensu dicitur. Vide *Dispensatorium.* A *φάρμακον*, *medicamentum*, et *ποιέω*, *facio.* Ge. *Verzeichniss der Arzeneien, Apothekerbuch.* Ga. *Pharmacopée,* ou *apothicairie, boutique d'apothicaire.* B. *Artzeny-konst, artzeny-meng-konst.*

PHARMACOPOEUS sive SEPLASIARIUS est vir pharmaciae peritus, qui novit medicamenta colligere, eligere, praeparare, et tum componere. Ex *φάρμακον*, *medicamentum,* et *ποιέω*, *facio.* Ge. *Ein Apotheker.* Ga. *Apothicaire.* A. *A seller,* or *preparer of medicin, apothecar.* B. *Een apotheker, artzeny-bereider, kruid-menger.*

PHARMACOCHYMIA est illa chymia, quae tantum praeparationes medicamentorum tradit, quae sanitati humanae inserviunt, seu idem quod *chymia pharmaceutica.* Ge. *Chymische Arzneizubereitung.* Ga. *Medicinale chymique.* A. *Chymical medicine.* B. *Chymische artzeny-konst.*

PHARMACOPOLA est is, qui medicamenta simplicia et composita divendit. Ex *φάρμακον*, *medicamentum,* et *πω-*

λέω, vendo. Ge. *Apotheker.* Ga. *Apothicaire.* A. *An apothecary.* B. *Apotheker, kruid bereider.* — Locus etiam, praeparandis et vendendis medicamentis destinatus, vocatur *pharmacopolium.* Si portatilis sit huiusmodi cista plura medicamenta recondens, *pharmacotheca* dicitur. Ge. *Reiseapotheke.*

PHARMACUM, REMEDIUM seu **MEDICAMENTUM** est, quicquid morbos in corpore animali impugnat et profligat, estque vel *actuale*, vel *potentiale; simplex*, vel *compositum; dogmaticum*, vel *empiricum; externum*, vel *internum; naturale*, vel *artificiale.* A *φάρμακον* derivatur *φαρμακεύω, medicamenta conficio.* Ge. *Eine Arzenei.* Ga. *Medicine, remède.* A. *A medicine, remedy, physic.* B. *Een medicament, geneesmiddel.* — Aliquando tamen haec vox etiam *venenum* denotat. Cons. *Pharmacon.*

[**PHARYNGEA** ossa in plerisque piscibus inveniuntur, si Raiam et Torpedinem exceperimus, et laterali inferiorique pharyngis parti firmandae inserviunt. Earum descriptionem dedit Cuvier *üb. vergleich. Anat. III. p.* 303. Ge. *Schlundkopfknochen.*]

PHARYNGETRUM nunc pro pharynge, nunc pro osse hyoidis sumitur.

PHARYNGOTOMIA nonnullis i. q. *laryngotomia*, vel *oesophagotomia.* Proprie tamen sectio posterioris partis faucium hoc nomine insigniri debet. Hinc lanceola, qua abscessus ad amygdalas, s. posteriorem faucium partem, siti aperiuntur, *culter pharyngotomus*, vel simpliciter *pharyngotomus* vocatur. Ga. *Pharyngotome.*

PHARYNX est superior pars oesophagi, in formam quasi infundibuli dilatata, vertebris colli incumbens, interius membrana mucosa tecta: movetur et constat e stratis fibrarum muscularium partibus vicinis adnexis, quorum alia dilatationi eius, alia constrictioni in deglutitione inserviunt, et a varia insertione variis nominibus distinguuntur. Sic musculi cephalopharyngaei, stylopharyngaei, pterygopharyngaei, mylopharyngaei, glossopharyngaei pharyngem dilatant; hyopharyngaei, thyreopharyngaei, cricopharyngaei et chondropharyngaei eum constringunt. *Albinus* plurimos horum musculorum sub constrictore pharyngis inferiore, medio et superiore comprehendit. [Pharyngis vox male a *φάγω, comedo, deglutio*, a Blancardo derivata est: nec meliora sunt, quae Krausius attulit. Etym. M. p. 878, 30. *φάρυγξ παρὰ τὸ φέρω, δι᾽ ἧς φέρεται τὸ πνεῦμα.*] Latinis et *fauces*, et *frumen* Donato. Gr. *ἡ φάρυγξ, φαρύγγετρον, ἀσφάραγος, βρόγχος.* Ge. *Der Schlund.* Ga. *Le pharynx.* A. *The upper part of the gullet.* B. *Het keel-gat.*

PHASEOLUS et **PHASELUS** est plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) carina angusta, spiraliter

contra solem revoluta. Species eius frequentissima est Phaseolus maior *Bauh. Phaseolus vulgaris* caule volubili, floribus racemosis geminis, bracteis calyce minoribus, leguminibus pendulis *Linn.* Habet haec folia terna, venosa. Calyx est monophyllus, bilabiatus. Flores sunt leguminosi, papilionacei, albi. Flori succedit siliqua longa, in acumen desinens, in initio viridis, post maturitatem albescens, in duas partes dehiscens, foeta seminibus reniformibus, quae semina *Phaseoli* dicuntur, plerumque albi, tamen aliquando inveniuntur nigri, rubicundi, et vario colore instructi. Haec planta olim ex India adlata abunde apud nos cum *Phaseolo coccineo* et *nano Linn.* colitur, eiusque siliquae immaturae esitantur. Qualitatis sunt aquoso-farinaceae, viribusque nutrientibus, at simul flatulentis, pollent. Gr. *Δόλιχος*. Nomen ab effigie et longitudine siliquarum aut fructus accepit, qui lintrem, lembumque, seu naviculam, exprimunt. Ge. *Welsche Schminkbohnen, Vitsbohnen.* Ga. *Haricots.* A. *Kidney beans.* B. *Turksche,* sive *roomsche boon.*

[**PHATNORRHAGIA** est sanguinis profluvium ex alveolo dentis proveniens. Sic graeco nomine Uhlmann. in *Encyclop. Wörterb. d. med. Wiss. VI. p.* 93. hunc sanguinis fluxum insignivit. A *φάτνη, πάτνη, πάθνη, alveolus,* et *ῥαγή, ruptio,* derivavit vocem. Sed nullum e medico graeco proferet Uhlemann exemplum, quo *φάτνην,* quod *praesepe* tantum significat, pro alveolo dentium adhibitam esse probat. *Φάτνιαι* aut *φάτνια* alveolos denotant, v. c. Galen. *de oss. c.* 3. *p.* 749. *to. II.* ed. Lips. Oribas. *anat. p.* 140. Ruf. Ephes. *de part. c. h. p.* 49. Debet igitur rectius *Phatniorrhagia* vox ista formari.]

PHEGOPYRUM, i. q. *fagopyrum.*

PHELLANDRIUM est planta umbellifera, (Pentandr. Digyn.) Cicutae fere aemula, odore sii, habetque caulem crassissimum, striatum, excavatum, nodosum, in multos ramos divisum, qui rami se in alas extendunt. Folia ampla, in margine incisa, saporis grati, aliquantulum acris. Flores rosacei, e quinque petalis acuminatis cordato-inflexis constantes, in summitate caulium crescunt. Semina sibi invicem iuncta, aniso crassiora, obrotunda, fere ovalia, compressa, odorata, nigricantia, coronata perianthio et pistillo. Qualitas huius plantae, aeque ac cicutae, virulenta habetur, sunt tamen, qui eius semine eximio cum fructu in vitiis lymphae ulceribusque inveteratis etc. usi sunt. Crescit in locis aquaticis. [Phellandrium aquaticum L. vocatur quoque Oenanthe phellandrium Lam. et Decand.] Forte a *φελλεύω, fluito suberis more,* et *ἀνδρέομαι, virile robur assumo:* in aquis enim non tarde fluentibus intrepide quasi et viriliter se erigit. Ge. *Peersat, Wasserschierling, Froschkraut.* Ga. *Ciguë*

aquatique, cigüe en marret, cigue d'eau. A. *Water-hemlok.* B. *Water-scheerling.*

PHELLODRYS *suberis* est arbor. A φελλὸς, *suber,* et δρῦς, *quercus.* Ge. *Korkeichenbaum, Pantoffelholz.* B. *Korkeboom.*

PHELLOS, vide *Suber.*

PHIALA dicitur vas vitreum ex ventre amplo in modum sphaerae rotundae, gracilem canalem in proceritatem emittens. Eius usus frequens chymicis in variis operationibus. Ge. *Eine Phiole.* Ga. *Une phiole.* A. *A vial, phial.* B. *Een phiool-glas.*

PHILADELPHUS (*coronarius*) est planta, vel arbuscula, Syringa *Tourn.* (Icosandr. Monogyn.) calyce monophyllo, quadripartito; corolla tetrapetala, capsula ovali, utrinque acuminata, calyce per medium cincta, quadriloculari, quadrivalvi, polysperma. Flores spicatim in extremitatibus ramorum nascuntur. Ob florum fragrantiam in hortis colitur. Nomen habet a φιλεῖν, *amare,* et ἀδελφὸς, *frater,* quod rami eius sibi implicentur, seque fratrum instar amplectantur. Ge. *Deutscher Jasmin, Pfeiffenstrauch.* Ga. *Seringal.* A. *Syringa, mock-orange.* B. *Welriekende philadelphus, witte syring, fluitenboom, honigbloom.*

PHILANTHROPOS est Aparine. Sic dictus, quod praetereuntium vestibus adhaeret. Ex φίλος, *amans,* et ἄνθρωπος, *homo.* Vide *Aparine.*

PHILIATROS, PHILIATER est is, qui medicam artem amat, et illi operam dat. Ex φίλος, *amator,* et ἰατρὸς, *medicus.* Ge. *Arzenei Beflissener.* B. *Een liefhebber der artzeny.*

PHILIPENDULA est i. q. *filipendula.*

PHILLITIS, vide *Phyllitis.*

PHILLYREA et **PHYLLIREA** est planta, vel arbor, (Diandr. Monogyn.) quae habet folia oblonga, coniugata, semper virentia. Flos est monopetalus, campaniformis, quadripartitus; calyce quadrifido contentus. Ovarium in fundo calycis fit fructus unilocularis, semine rotundo, unico. Colitur passim in hortis, et ad sepes vivas et viridaria adhibetur. Flores cum aceto contusi, frontique applicati capitis dolores tollunt. Dictam volunt, quod in tenues assulas, sive philyras, discerpatur. Alii derivant a φλοιὸς, *cortex,* propter corticis utilitatem, vel dicitur a Phillyra, Saturni filio. Ge. *Phillyrea.* Ga. *Espèce de troëne.* A. *Meck-privet.*

PHILOCHYMICUS dicitur is, qui chymiam amat. Ex φίλος, *amator,* et χυμικὸς, *artis chymicae peritus.* Ge. *Ein Liebhaber der Scheidekunst.* B. *Een liefhebber der chymie.*

PHILONIUM est medicamentum electuarii consistentia, et quia recipit opium, opiatis annumeratur, estque vel Persicum, vel Romanum. Ita ab inventore [*Herennio*] *Philone,*

[Tarsensi] qui tempore Augusti floruit, vocatur. Sed huius medicaminis variae occurrunt descriptiones. [Descripsit medicamenti compositionem auctor ipse carmine elegiaco, quod Galenus (*de med. loc. comp. lib. IX. c.* 4. *p.* 267. *to. XIII.*) servavit.]

PHILOSOPHICA CALCINATIO, vide *Calcinatio philosophica.*

PHILOSOPHORUM OLEUM, vide *Laterinum* s. potius *latericium oleum*, et *Oleum laterinum* s. *latericium.*

PHILTRUM est concavitas oblonga labio superiori impressa eamque dividens, sic quasi amabile dicitur. [Poll. onom. II. 90. *ἡ δὲ ἐν τῷ ἄνω χείλει κοιλότης, φίλτρον.*] — Sumitur quoque pro medicamento amorem conciliante. Hinc *amatorium virus* Plin. [*H. nat. VIII.* 22.] *amatorium poculum* Cic. Sed rationem potius turbare, aut venerem excitare, quam verum amorem inspirare posse, nefanda huiusmodi subsidia rectius creduntur. Delirium tali modo excitatum *philtromania* dicitur. Gr. *Φίλτρον, ἴυγξ.* Ge. *Ein Liebestrank.* Ga. *Philtre.* A. *A love drink.* B. *Minnedrank.*

PHIMOSIS veteribus in genere erat meatuum praeclusio; unde phimosis palpebrarum, labiorum, uteri, narium dicebatur. Hodie hoc sub nomine intelligitur angustia praeputii, quae glandis denudationem impedit; estque vel nativa, vel inflammatoria, venerea etc. Etiam de phimosi vaginae dictum est, quae pendet a syphilitica inflammatione labiorum et nympharum, ob ulcuscula rodentia. A *φιμὸς, obturamentum.* Ge. *Enge der Vorhaut.* Ga. *Phimose.*

PHLASIS est fractura in osse plano, i. q. *θλάσις.* [Jonum more litera *φ* pro *θ* posita. Vid. *Thlasis.*]

[**PHLEBECTASIS** est dilatatio venae praeter naturam facta. Idem quod *varix* s. *phlebeurysma.* A gr. *φλὲψ, vena,* et *ἔκτασις, dilatatio.* Tertiam speciem angiectasium hac denominatione insignivit Breschetus. Ge. *Venenerweiterung, Krampfader.*]

[**PHLEBEURYSMA** idem, quod **PHLEBECTASIS**. A gr. *φλὲψ* et *εὔρυσμα, dilatatio;* Posterior tamen vox non nisi in composita *ἀνεύρυσμα* in graecis scriptoribus occurrit. Hoc autem, quod si eius compositionem ex *ἀνὰ* et *εὐρύνειν, ampliare,* respexerimus, nihil aliud, quam diductionem et dilatationem vasis cuiuscunque denotare potest, a Galeno, et qui eum secuti sunt, soli arteriarum dilatationi tribuitur. *De tumor.* enim *to. VII. c.* 11. *p.* 725. disertis verbis ait: *Ἀρτηρίας ἀναστομωθείσης τὸ πάθος ἀνεύρυσμα καλεῖται.*]

[**PHLEBITIS** est inflammatio venarum, quae inprimis earum membranam occupat internam, et dolorem ardentem, tensionem et tumorem comites habet, decursum venae affectae

sequentes. Vid. inter alios inprimis Arnott. in *Neu. Samml. auserles. Abh. XIII. p.* 266. sq. 571. sq.]

[PHLEBOLITHUS, a Gr. φλὲψ et λίθος, *lapis*, est calcarea massa, quae saepe in concremento sanguineo, venarum cavitatem obstruente, reperitur. Variae sunt magnitudinis; alii enim semina milii, alii pisa aequant. G. Andral (*Précis d'anat. to. II. p.* 412.) eos in venis dilatatis inferioris partis intestini recti, colli vesicae urinariae, uteri, ovariorum, testiculi, et in nonnullis venis subcutaneis extremitatum inferiorum reperit. Vid. Tiedemann in *Zeitschr. f. Phys. IV.* 1. *p.* 78 — 81.]

PHLEBORRHAGIA est venarum ruptio. A φλὲψ, *vena*, et ῥήγνυμι, *rumpo*. Ge. *Aderbruch*. Ga. *Rupture de veine*. A. *The breaking of a vein*. B. *Een ader-berst.*

PHLEBOTOMIA est venarum sectio, quae non tantum sanguinis minuendi gratia, sed ad varios alios fines instituitur. Ex φλὲψ et τέμνω, *seco*. Vide *Venaesectio*. Ge. *Das Aderlassen, Oeffnung der Ader*. Ga. *Saignée*. A. *Cutting of a vein*, or *bleeding*. B. *Bloedlaating, aderlaating.*

PHLEBOTOMUS est is, qui venas secat. — Item instrumentum, quo venae secantur. Ex φλὲψ et τέμνω, *seco*. Ge. *Eine Lanzette, Fliete, Lasseisen, Schnepper*. Ga. A. *Lancette*. B. *Vlym, lancet, laatyzer, laatmes.*

PHLEGMA, sive **PITUITA** est materia subalbida, limpida, tenax, sero sanguinis crassior, ex sanguine crudo viscidoque, vel stagnatione diuturna lymphae tenuioris in cavis suis collectae, et tenuissimis particulis spoliatae, oriunda, et inprimis in cavis narium, ventriculi, intestinorum etc. haerens, quae naturalis, et corpori nostro utilis, illis partibus obliniendis inservit. [Synon. *Mucus*, de cuius chemica disquisitione actum est supra sub *Mucus*.] Ge. *Schleim*. Ga. *Phlegme, pituite*. A. *Slime, phlegm*. B. *Slym, snot, fluim*. — *Phlegma* item est destillatus aquosus, a spirituoso liquore diversus liquor, separatim ab hoc transcendens. Item nubeculae, quae in aquis destillatis aliquando apparent, *phlegma* vocantur. — Apud *Hippocratem* inflammatio, seu *phlegmasia* sic saepe sonat. [Galen. *gloss. Hipp. p.* 590. *Φλέγμα οὐ μόνον τὸν χυμὸν τοῦτον τὸν λευκὸν καὶ ψυχρὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν φλόγωσιν δηλοῖ.* Cons. praeterea Foësii *oec. Hipp.*] — Sumitur quoque interdum pro excretione viscida.

PHLEGMAGOGA sunt medicamenta pituitam educentia. Ex φλέγμα, *pituita*, et ἄγω, *duco*. Ge. *Schleimabführende Mittel*. B. *Slym-dryvende*, seu *loosende middelen.*

PHLEGMASIA est inflammatio, aestus, ardor. A φλέγω, *uro*. — Alii hoc nomine classem morborum denotant, in quibus concurrit pyrexia continua, vel remittens, cum interna inflammatione, vel cum exanthematis eruptione. [Ex hac definitione apparet, Blancardum sub *aliis* intellexisse Frc.

Boissierum de Sauvages, qui in sua *Nosologie méthod.* à Lyon 1772. to. I. p. 361. hanc phlegmasiarum notionem exhibuit.] Vide *Phlegmone.*

[**PHLEGMASIA** *dolens*, sive *Phlegmatia alba dolens,* morbus plerumque feminarum est, doloribus vehementissimis stipatus, qui, brevi post partum spatio, in anteriore et interiore superficie unius aut interdum utriusque femoris oriuntur, seque ad genu usque aut profundius adhuc extendunt, nunc remittunt, nunc exacerbantur, sedem nunquam mutant, febrem interdum sat gravem comitem habent: postquam morbus aliquamdiu duravit, oritur, cutis colore non immutato, membri affecti intumescentia, durities et summa debilitas. Rob. Lee novissime plurimis observationibus cadaverumque sectionibus naturam huius morbi accuratius illustravit, eamque minime in compressis aut sub partu dilaceratis vasis lymphaticis quaerendam, sed a sola venarum iliacarum et cruralium inflammatione repetendam esse docuit. Morbum hunc in maribus quoque occurrere posse, observatio A. Coplandi Hutchisoni probavit. Vide Lee pathol. disquis. inflamm. venar. uteri in *Neue Samml. auserles. Abh. f. pract. Aerzte* B. XIV. p. 483 — 552. Si ulla huic morbo medendi ratio prosperum effectum promittit, ea est, quae phlebitidi curandae convenit. Ill. Jörg (*Handbuch der Krankheiten des Weibes.* Leipz. 1821. §. 823.) diaphoreticam medendi methodum, simul cum remediorum derivantium usu, commendat.]

PHLEGMATICI sunt, qui solida laxa habent, et nimia pituita abundant. Ge. *Ein Schleimblütiger.* B. *Slymige luiden.*

PHLEGMATIA est intumescentia oedematosa artuum inferiorum, seu turgescentia mollis, non elastica, cuti concolor, indolens. [Vid. Jo. Bpt. Mich. Sagar syst. morb. symptom. p. 153.] Ge. *Angelaufene Füsse.* Ga. *Oedeme, infiltration des jambes.*

[**PHLEGMATORRHOEA** (a Gr. *φλέγμα, pituita,* et *ῥέω, fluo*), a Graefio secundum ophthalmiae aegyptiacae stadium appellatur, quo tenax, spissa, ex albo grisea, semipellucida pituita a membrana palpebrarum coniunctiva secernitur.]

[**PHLEGMHYMENITIS** est a M. G. A. Naumanno (*Handb. d. medic. Klinik.* P. I.) pessime excogitata denominatio inflammationis membranae mucosae.]

PHLEGMONE, [penultima brevi] sive **INFLAMMATIO,** Gr. *Φλεγμονὴ* et *φλεγμασία*, veteribus dicebatur omnis calor, naturae modum excedens. Recentioribus autem definitur stagnatio sanguinis rubicundi in vasis arteriosis, angustioribus, quam ut globuli rubri sanguinis transire possint, cum attritu sanguinis a tergo prementis, hinc coniungitur cum tumore, calore, rubedine, pulsatione et dolore loci. Etiam errore loci contingere credunt, si vasa naturaliter

lympham vehentia in initio suo globulos rubros ob liquidi velocitatem et pressionem admittunt, vel quod ipsa vasa sanguinea fuerint angustata, vel quod liquidum transmittendum sit nimis crassum. Recentissimis tamen temporibus multi stagnationem et effusionem sanguinis in cellulosam telam in omni inflammatione fieri putant. Alii omnem obstructionem in inflammatione plane negant, creduntque potius sanguinem maiori impetu ad vasa inflammata ferri et per ea moveri, ita ut causa proxima inflammationis adhuc obscura sit. — Proprie *Phlegmone* quoque tumor inflammatorius partialis vocatur. Inflammatio vel resolvitur, vel in suppurationem, scirrhum aut sphacelum, abit. A φλέγω, *inflammo, uro*. Ge. *Entzündung*. Ga. *Phlegmone, inflammation*. A. *Inflammation*. B. *Ontsteeking*.

PHLEGMONODES est inflammatio levis, tumens, phlegmonae similis. Ex φλεγμονὴ, *inflammatio*, et εἶδος, *forma*.

PHLEUM est plantae genus ad gramineas pertinens, (Triandr. Digyn.) gluma uniflora, bivalvi; corolla bivalvi, calyce breviore, includente semen unicum, subrotundum. Est Gramen typhoides *Bauh.* et aliorum. [A. *Cat's-tail grass*. B. *Doddegras*. Ga. *Fléole*. Ge. *Lieschgras*.]

PHLOGISTICUS vocatur sanguis, aut calore, aut motu iusto vehementiori eo dispositus, ut partes eius fibroso-gelatinosae coëant atque cohaereant, et in superficie sanguinis e vena emissi crustam densam albicantem forment, quae crusta *pseudo-membrana*, vel *membrana phlogistica*, haecque sanguinis dispositio *lentor phlogisticus* vocatur. Apparet huiusmodi sanguis in morbis inflammatoriis, praecipue *pleuritide*. Hinc etiam *pleuriticus* dicitur. [Qui hoc corium pleuriticum chemicae disquisitioni subiecerunt, illud in centum partibus aquae 82, albuminis 4, fibrines 14, praetereaque salinarum particularum et ferri tantillum continere invenerunt.] Ge. *Ein entzündetes Blut, Speckhaut*. Ga. *Le sang coenneux*. A. *Sizy blood*.

PHLOGISTON chymicis dicitur sulphur, seu inflammabile in genere, id scilicet, quod igni concipiendo et alendo proprium est. [A Ge. Ern. Stahlio hoc principium, a cuius in corporibus praesentia eorum non solum inflammabilitas, sed etiam maius minusve pondus pendeat, in chemiam introductum huicque principio systema phlogisticum superstructum est, quod per integrum fere seculum in chemia principatum obtinuit, usque dum illius vanitas nostris temporibus a Lavoisiero demonstrabatur, et quam plurimis, ingeniosissime excogitatis experimentis confirmabatur.] Ge. *Brennliches Wesen, Entzündbar*. Ga. *Phlogistique*.

PHLOGIUM est *Violae* species. Eius nomen videtur impositum ἀπὸ τῆς φλογὸς, a *flamma*, et ἴον, *viola*, quod ex

Violae sit genere, floremque, in quo flammei quid emicet, habeat.

PHLOGMOS, ut et **PHLOMOS**, et **PHLOX**, vocatur *Verbascum*, quia flammae, seu facis in modum assurgit: φλὸξ enim est *flamma*. Ge. *Wollkraut*, *Kerzenkraut*, *Königskerze*. Ga. *Bouillon blanc*, *mollaine*, *bon-homme*. A. *Woll-wort*, *mullien*, *hightaper*. B. *Wolle-kruid*, *wollebladen*, *toortskruid*. Vide *Verbascum*. — *Phlox* Ill. *Linnaeo* est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) calyce monophyllo, cylindraceo, quinquedentato; corolla monopetala hypocrateriformi; capsula ovata, trigona, triloculari, trivalvi.

PHLOGOSIS idem quod *Phlegmone*. A φλογόω, *incendo*. — Aliis tantum est minor caloris febrilis gradus, quum scilicet subito in facie oritur rubedo cum quadam incalescentia brevi evanescente. Ge. *Fliegende Hitze*. Ga. *Phlogose*. A. *Flushing*. B. *Ontsteeking*.

PHLYCTAENA, sive **PAPULA** est pustula, vel vesicula in cute excitata, alba, basi inflammata, rupta dolens; oriunda a stagnatione lymphae in vasis lymphaticis, vel a ruptione et effusione lymphae ex suis vasculis. [Willanus sic phlyctaenam definit: eam esse vesiculam basi profunde rubrae s. plumbei coloris impositam. Ge. *Hitzbläschen*.] Ge. *Wasserblattern*, *Blatterchen*. Ga. *Bouton*, *phlicténe*, *pustule*. A. *Blisters*. B. *Water-puist*, *blaaren*. — Ita etiam vocatur collectio puris in cornea tunica, ab ulcusculo. Arab. *Saphati*, ab aliis *ignis sylvestris* appellatur. Gr. *Φλύκταινα*, *φλυκτὶς*, *φλυζάκιον Galeno*, a *φλυκταινοῦμαι*, *in pustulas erumpo*, [minime: versa potius vice descendit *φλυκταινοῦμαι* a *φλύκταινα*.] vel *ἀπὸ τοῦ φλύειν*, vel *φλύζειν*, quod *bullire* et *fervere* est, [Sic enim Etym. M. p. 799. *φλύειν τὸ ἀναζεῖν· ἔνθα ἡ ἐκ θερμότητος ἀνάζεσις λέγεται φλυκτίς*.] pustulae et vesiculae quasi a ferventibus et acerrimis humoribus excitatae, iis, quae ab igne, vel fervente aqua, excitantur, similes. Ge. *Hitzpocken*, *hitzige Blattern*, *das wilde Feuer*, *Nachtbrand*. Ga. *Phlicténe*, *feu volage*. A. *The wild fire*. B. *Het wild vuur*, *vuurige blaartjes*.

PHLYCTAENODES sunt pustulae phlyctaenis similes.

PHLYSACIUM, i. q. *phlyctaena*.

PHLYSIS, i. q. *phlyctaena*.

[**PHOENICISMUS** Ploucqueto idem est morbus, qui alias *morbillorum* nomen gerit.]

PHOENICIUS MORBUS idem quod *elephantiasis*. Sic vocatus forte, quia in Phoenicia aliisque orientalibus plagis grassatur, vel a colore rutilante. Est et nomen alicuius emplastri. [Haud dubie Blancardus dicere voluit, *phoenicium* esse cognomen emplastri cuiusdam, non autem *phoenicium morbum* emplastro nomen dedisse. Phoenicium em-

plastrum nullum aliud est, quam quod alias diachalcitis aut diapalmae dictum est.]

PHOENIGMUS est morbus apyretus cutis rubedine diffusa, maculata, virgata, vel punctato notatus, qui ab aliis morbis exanthematicis differt, quod nulla febre stipatus sit, et magnam cutis partem obsideat. Oritur interdum a venenis vegetabilibus et animalibus. Ge. *Art von Nesselsucht.* Ga. *Ictère rouge.* [Ploucquetus per phoenigmum intelligit tumores tuberculosos, corymbosos, exiguos, duros, rubros, vel e rubro livescentes, purpureos; nec dolentes, nec suppurantes, nec squamas formantes, faciem et nasum praeprimis foedantes.] *Phoenigmus* est quoque medicamentum, quod in cute per aliquod tempus applicatum, sua valida actione rubedinem excitat, hinc et *rubefaciens* dicitur, uti et *dropax* et *sinapismus.* [Galenus eius meminit *de med. meth. VII. c.* 4. *p.* 466. *to.* X.] A *φοινίσσω, rubefacio.* Ge. *Ziehende, rothmachende Mittel.* B. *'T vel roodmakend* seu *blaartrekkend middel.*

PHOENIX est Palma, seu Dactyli arbor, scilicet *Phoenix dactylifera* frondibus pinnatis, foliolis complicatis ensiformibus, *Linn.* in India utraque proveniens. Vide *Dactylus.* Quasi *φοίνιξ,* a sanguineo cruentoque quarundam palmarum dicitur colore. A *φοινίσσω, rubefacio.* [Potius a *φοίνιξ* descendit *φοινίσσω:* prius autem Eustath. ad Homer. p. 1310. derivat a *φόνος, ὃ δηλοῖ τὸ αἷμα.*] Ge. *Dattel- oder Palmbaum.* Ga. *Palmier.* A. *Date-tree, palm-tree.* B. *Dadel boom.* — *Phoenix* quoque dicitur nonnullis *Lolium perenne Linn.*

[**PHOENODINE**, a Gr. *φοινώδης, qui adspectu sanguineo est,* Hünefeldio (*physiol. Chem.* II. p. 45.) accomodatissima vox ad pigmentum sanguinis significandum visa est. Praefert igitur *cruori, haematinae* et *haematochroitae,* quae denominationes ab aliis commendatae sunt.]

PHOSPHORUS: solent in universum quaevis fere corpora, quae in tenebris lucem spargunt, hoc nomine insigniri et phosphorescentia dici, ut v. c. ligni putrescentis frustula, barometra phosphorescentia, varia insecta etc. Ut plurimum vero ita appellantur sulphuris artificialis quaedam genera, quae aëri exposita sponte motum igneum ita subeunt, ut vel luceant tantum, vel vere exardescant. Hinc duplex phosphori genus a physicis distinguitur. Unum *lucentes,* seu *lucidos,* comprehendit, e. g. illum *Balduini,* qui ex creta, seu terra calcarea quavis, cum acido nitri evaporatione et calcinatione fit; *Marggrafii,* quem ex calcinatis peculiari artificio lapidibus gypseis, potissimum ex spatho, s. lapide Bononiensi, parare solent; *Hombergii,* qui fit, si bacilli ferrei sale ammoniaco fixo, seu calcis vivae in acido salis solutione incrustantur; *Cantoni,* qui obtinetur, si tres par-

tes calcis ostrearum et una florum sulphuris calcinantur. Alterum genus *phosphoros ardentes* sistit, cuius notissima species ea est, quae ex urina conficitur, et vel *Anglicanus phosphorus*, vel ab inventoribus *Kunckelianus, Boyleanus, Brandianus, Kraftianus*, vel et, quod vulgatissimum, *urinae phosphorus* dicitur. Existimabant olim chymici, constare istam speciem ex salis communis, cuius magnam copiam urina continet, acido, cum phlogisto combinato. Sed comprobarunt recentiores, inprimis *Marggrafius*, celeberrimus ille Berolinensis chemicus, praeter phlogiston et terram quandam vitrescibilem, ei inesse proprium quoddam ac peculiare acidum, quod [pro diverso oxydationis gradu nunc *phosphorosum*, nunc *phosphoricum*] appellatur. Hoc autem una cum sale alcalino volatili, aut forte etiam cum alcali fixo, (uterque enim sal urinae inest) in urina sal quoddam medium singulare format, quod *microcosmicum*, seu *fusibile urinae*, vocatur. [Crystalli huius salis, quod et *sal urinae nativum* audit, constant ex ammoniaca, natro, acido phosphorico et aqua, quarum partium mutuam proportionem Fourcroy accurate finivit.] Solet vero *phosphorus urinae*, si cuidam corpori duriori affricatur, ardere, fumumque specifico et arsenicali odore fere praeditum spargere, vividissimeque lucere. Parabatur quondam paullo operosiori labore, quem varii, ut *Kunckelius* aliique descripserunt, sed contraxit eam difficiliorem methodum *Marggrafius* in suis Opusculis chemicis, eumque faciliori modo praeparare docuit. Olim phosphorus urinae in medicos usus, ut diaphoreticum et analepticum vocabatur, sed fere nunc ad obsoleta medicamenta pertinet, licet omnino subtilissimum et efficacissimum forte remedium sit. [Nunc quoque summo cum fructu tanquam potentissimum excidans adhiberi saepius solet.] Cum eo in multis proprietatibus *pyrophorus* convenit, de quo suo loco vide. Ge. *Phosphorus.* Ga. A. B. *Phosphorus.*

[**PHOSPHURIA**, quae vox a Guyton Morveau ad urinae suae in tenebris lucentis conditionem indicandam male excogitata est, urinae phosphorescentiam significare debet. A graec. φωσφόρος, *qui lucem spargit*, et οὖρον, *urina.* De hoc urinae phosphorescentia cons. Fr. L. Hünefeld *physiolog. Chem. I. p.* 218. ss.]

[**PHOTOPSIA** est symptoma inflammationis oculorum, quod aegrotis admodum molestum, quin saepe satis dolorificum esse solet. Conspicere enim sibi aegroti ante oculos scintillas, aut strias igneas, aut fulgora videntur. Phaenomena haec paralysin nervi optici saepe praecedere solent. Vid. Benedict *Augenheilkunde* Th. V. p. 11.]

PHRAGMITES ARUNDO sic dicitur, quod inde sepes fiant. Ex φράσσω, *sepio:* φραγμὸς enim est *septum.*

PHRENES sunt *praecordia*, idem quoque quod *diaphragma.*

PHRENESIS, i. q. *phrenitis.*

PHRENICAE, seu **DIAPHRAGMATICAE ARTERIAE** sunt duae exiguae arteriae ex ipso trunco Aortae inter appendices diaphragmatis transeunte orientes et in diaphragma distributae.

PHRENICI NERVI, seu **DIAPHRAGMATICI** sunt duo trunci nervi insignis longitudinis, tribus radicibus a secundo, tertio et quarto pari nervorum cervicalium utrinque orientes, inter claviculam et arteriam subclaviam in thoracem descendentes et facta cum primo nervo dorsali et intercostali magno communicatione, iuxta pericardium decurrentes, qui tandem innumeris ramulis in superiorem et inferiorem diaphragmatis musculum distribuuntur, et partim cum ipsis nervis abdominalibus et propaginibus ganglii semilunaris coniunguntur.

PHRENITIASIS, [a φρενετιάω, *phrenitide laboro.*] i. q. *phrenitis.*

PHRENITIS, **PHRENITIASIS**, seu **PHRENESIS**, [Huius vocis lexica nullum norunt exemplum.] est delirium cum febre acuta continua, saepe cum loquacitate, furore et excandescentia, inquietudine, rubore oculorum et faciei, adspectu truculento, sputatione indecora, pulsu duro, respiratione rara et magna, motu tremulo convulsivo, screatu frequenti, parca potus assumtione coniunctum, oriens vulgo ab inflammatione meningum atque cerebri. Ut plurimum in aetate iuvenili, tempore vernali et aestivo, post insolationem, vel post spirituosorum abusum, vel vehementia animi pathemata producitur: nam per infarcta et obstructa vasa cerebri turbatur functio sensorii communis et obiecta animae non debite repraesentantur. Est vero vel primaria, quando cerebrum immediate afficitur, vel secundaria, quae febribus ardentibus succedit, quando humoris morbifici portio ad cerebrum transfertur. A φρὴν, *mens*, quia mens laborat. Ge. *Entzündung des Gehirns, Tobsucht.* Ga. *Phrénésie.* A. *The phrensy.* B. *Krankzinnigheid, razende koorts.*

PHRICE, **PHRICIASIS**, **PHRICASMUS**, **PHRICIA**, [Gr. Φρίκη, φρικίασις, φρικασμὸς, τὰ φρίκια et αἱ φρικίαι, si uni Dioscoridis loco, I. c. 141. fides habenda, in quo tamen Bodaeus φρικία, uti apud eundem IV. c. 14. occurrit, legendum esse censet, a φρὶξ, qua voce *inaequalis maris leviter a vento moti superficies* intelligitur, v. c. ap. Simonid. epigr. (*Anthol.* III. 22.) μαλακὴν φέρει φρῖκα Ζέφυρος. Dein] est succussio tremula, involuntaria cutis cum sensu frigoris; unde differt a tremore, qui quandoque frigus febrile, aut catarrhale comitatur; nam in tremore artus etiam succutiuntur, in rigore vero cutis corrugatur et exagitari videtur. Ge. *Schauer.* Ga. *Frisson.* A. *Shivering.* B. *Huivering, schudding.*

PHRICODES est febris horrifica, scilicet febris continua, in qua una cum calore horrores sentiuntur. Ex φρὶξ, *horror*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Schauerfieber*. Ga. *Fievre tremblante*. A. *Trembling fever*. B. *Bevende koorts*.

PHRONTIS, vide *Panophobia*.

PHRYGANIUM, [Gr. φρυγάνιον. (Diosc. 3. 105.) diminutivum τοῦ φρῦγανον, quod an respondeat vooi *cremium*, vide ap. Foës. *oec. Hipp.*] sive **CREMIUM** est suffrutex. Sic forte dicitur a cremando: φρύγειν enim, seu φρύττειν, est *cremare*, *arefacere*, quia eius sarmentis ignes struuntur.

PHTHARTICUM est medicamentum corrumpens et deleterium. A φθείρω, *corrumpo*.

PHTHEIROCTONON, [Gr. φθειρόκτονον.] est *Delphinium staphisagria*. Sic dicitur, quia eius semen [cum adipe mixtum, et capiti illinitum] pediculos enecat. [Simili modo a Nicandro (*alexiph.* v. 305.) Aconitum vocatur μυόκτονον, *mures enecans*. Quamquam autem φθειρόκτονος nullo scriptoris antiqui testimonio firmari potest, tamen probum esse probat inde derivatum φθειροκτονέω, quod Phrynich. Bekkeri 71. habet.] A φθεὶρ, *pediculus*, et κτείνω, *occido*.

PHTHIRIASIS, sive **MORBUS PEDICULARIS** est affectio, qua verminat corpus, scatetque pediculis. In hominis corpore primo exiguae excitantur pustulae, quae si aperiantur, facile curantur, sin minus, in gravem morbum pedicularem incidunt. [quo praeter Pherecydem multi alii misere obiere, quorum nomina vide ap. Triller. *de pityriasi vesicae* in Opp. to. 1. p. 414. sq.] Ge. *Läusesucht*. Ga. *Maladie pédiculaire*. A. *The louy evil*. B. *Luis-ziekte*. — — — Aliud genus est, quod dicitur ἄγριον, sive *ferum*, in quo pediculi lati, seu inguinales, qui etiam *pattae*, vel *platulae* dicuntur, inguinibus, interdum etiam barbae, superciliis et regioni subaxillari, ita tenaciter adhaerent, ut divelli nequeant. A φθειριάω, *pediculis scateo*. Ge. *Filzläuse*. Ga. *Morpions*. A. *Plat-luis*.

PHTHIRION, i. q. *phtheiroctonon*. [Prorsus falsum! Haud dubie ab eo, qui hac voce usus est pro medicamento pediculos necante, male pro φθόριον lectum est φθείριον. Prior autem vox occurrit omnino pro lethifero medicamento, et inprimis pro tali, quod foetui necem infert. Sic ap. Dioscor. V. 72. p. 734. legitur οἶνος φθόριος ἐμβρύων.]

PHTHISICUS est, qui tabe laborat. A φθέω, *corrumpo*. Ge. *Ein Schwindsüchtiger*. Ga. *Etique*. A. *A consumptive*. B. *Die de teering heeft*.

[**PHTHISIS LARYNGEA** est, secundum Jos. Frankium (*pr. med. pr.* Pa. II. to. 2. s. 1. p. 195.), ulcus laryngis, gignens vocis extinctionem, dolorem ad partes adfectas, tussim clangosam, sputa spumosa, puriformia et febrim hecticam. Praeter ulceris sedem, quam trachea offert, eadem

symptomata in *phthisi tracheali* occurrunt. Ge. *Phthisie laryngée.* Gc. *Kehlkopf-Schwindsucht.*]

[PHTHISIS MESENTERICA pendet ab inflammatione et ulceratione glandularum mesaraicarum, quae interdum cum excretione fluidi sanguinolenti et foetentis per alvum, nunc doloribus stipata, nunc sine illis locum habente, coniuncta est. Morbus saepe a scrophulis producitur, et fere semper sanari nequit.]

[PHTHISIS SCROPHULOSA vocatur ille iuvenilis inprimis aetatis morbus, quando pulmones e vitio scrophuloso totius corporis ita sunt affecti, ut eorum glandulae, praecipue lymphaticae in inflammationem atque suppurationem abeant.]

PHTHISIS, TABES, Gr. *Φθόη, φθίσις, φθινὰς νόσος Plut. in Galba. καὶ φθίσις τηκεδὼν τοῦ σκήνεος Aretaeo,* est universi corporis consumtio, ex pulmonum, vel alterius visceris nobilioris scirrho, laesione, vel ulcere orta, cum febre lenta et continua coniuncta; quam respiratio difficilis, genae rubrae, oculi cavi, ungues curvi, sudores nocturni, anhelitus foetens, sputa saepe purulenta, et tussis comitantur; quae saepe haereditario quasi iure a parentibus contrahitur, vel perversam thoracis conformationem, haemoptoen, vel neglectos, aut male curatos, organorum respirationi inservientium morbos inflammatorios sequitur. A *φθέω, corrumpo.* Ge. *Schwindsucht, Lungensucht.* Ga. *Phthisie, étisie.* A. *Ulceration of the lungs, consumption, phthisick.* B. *Longe-zweer, teering.*

[PHTHISIS TRACHEALIS. Vid. *Phthisis laryngea.* Ga. *Phthisie tracheale.* Ge. *Luftröhrenschwindsucht.*]

PHTHOE, i. q. *phthisis.* [Galen. *comm. in Hipp. aph. VII.* 16. *p.* 116. *to. XVIII. pa. I.* *Ἣν ἰδίως ὀνομάζουσιν οἱ Ἕλληνες καὶ μάλιστ' οἱ Ἀθηναῖοι φθόην, ταύτην ὁ Ἱπποκράτης ὠνόμασε φθίσιν.*]

[PHTHONGODYSPHORIA, a *φθόγγος, sonitus,* et *δυσφορία, tolerandi molestia,* quid Ploucqueto sit, vide supra sub *Paracusis.*]

PHTHORA est *Napelli,* vel *Aconiti deleterii* species. A *φθείρω, corrumpo, perdo.* Tela enim huius succo illita parant vulnera deleteria, nisi excisione pernicies antevertatur. Vide *Staphis agria, Thora.*

PHU, seu PHY est Valeriana. Illa vox a Ponti incolis Graecis mutata. Dici volunt a putore gravique odore, mixto nardeae suavitati, quem *Phu,* seu *Phy,* adverbio admirantis et abhorrentis, adversamur subodorati. [Diosc. I. c. 10. ad q. l. conf. Sprengelius.] Vide *Valeriana.* Ge. *Baldrian.* Ga. *Valeriane.* A. *Valerian.* B. *Speerkruid, St. Joris-kruid. valeriane.*

PHYGETHLON, sive **PANUS** est tumor ex inflammatione glandularum ortus, ut in peste circa inguina, vel sub axillis etc. s. furunculus. [Cons. de phygethlo Swediaur l. c. to. II. p. 475. — Gr. *φύγεθλον*, a *φύω*, *gigno*, *produco*. Galen. defin. med. p. 445. to. XIX. *φύγεθλόν ἐστι κατὰ βουβῶνα γινόμενον ἀπόστημα.* Paul. Aegin. IV. c. 22. p. 142.] Ge. *Eine entzündete Beule*, *Schwär*. Ga. *Clou*. A. *Boil.* B. *Een buil*, *klierontsteeking*.

PHYLACTERIUM est amuleti species, qua venenati morbi arcentur. [A gr. *φυλάσσειν*, *custodire*.]

PHYLLIREA, vide *Phillyrea*.

PHYLLITIS quasi foliosa herba, cum tota quasi folium sit. Vocatur etiam *lingua cervina* et est Scolopendrii, vel Asplenii species. Sic dicitur, quod foliosus cespes appareat. Ex *φύλλον*, *folium*. [Dioscor. III. c. 111. ubi synonyma plura plantae commemorata sunt, ad q. l. Sprengel. docet, haud dubie sub hac planta intelligendum esse Scolopendrium officinarum.]

PHYLLUM est *Mercurialis*. An sic dicatur per excellentiam ob frondes et folia? frondosa et foliosa enim est planta, et *φύλλον* est *folium*. [Dioscor. III. c. 140.]

PHYMA, sive **TUBERCULUM**: generaliter sic vocatur omnis tumor praeternaturalis, praesertim in ambitu extremo corporis, a causa quacunque interna proveniens. [Accuratiorem huius affectionis cutaneae notionem exhibet Willanus, esse tumorem durum, superficialem, circumscriptum, apice plerumque suppurantem, interdum gangraenescentem.] Gr. *Φύμα* et *φυτὸν*. Quatuor, vel quinque generum sunt, *verrucae*, *calli*, *vari*, *furunculi et hydroa*, sive desudationes, de quibus suo loco. — Aliis est tumor glandularum duntaxat, praecipue cervicalium, iugularium et subaxillarium, qui statim augetur et ad suppurationem festinat. [Cons. Swediaur l. c. to. II. p. 473.] A *φύω*, *cresco*.

PHYMATODES est tuberculum *phymati* simile.

PHYMOSIS, i. q. *phimosis*.

PHYMUS et **PHYMOSIS**, i. q. *phyma*.

PHYSALIS est lupulus, vel potius eius flores, seu umbellae. Forte dicitur a *φυσάω*, *inflo*, quia cerevisia cum lupulo cocta facile in bullas elevatur. — Eodem quoque nomine vocatur *Solanum vesicarium* ob vesicas: *φυσαλὶς* enim est *bulla*, *vesica*. Vide *Lupulus* et *Alkekengi*.

PHYSALOS est bufo, qui se mirum in modum inflare potest. A *φυσάω*, *inflo*.

PHYSCONIA est intumescentia totius abdominis citra graviditatem a volumine visceris cuiusdam aucto pendens. A *φυσάω*, *inflo*.

PHYSEMA, seu **PHYSESIS** est inflatio in quacunque corporis parte, intestinis, vel abdomine, ut in tympanitide.

— Item resina pini. [Teste Galeno *de medic. comp. p. g.* lib. II. c. 10. p. 514. to. XIII. ἐπέβαλε τὴν πιτυΐνην ῥυτίνην, ἣν ἰδίως καλοῦσι φύσημα.] A φυσάω, *inflo.*

PHYSESIS, i. q. *physema.*

PHYSETER, vide *Sperma ceti.*

PHYSICA est scientia rerum naturalium, quatenus sunt possibiles, vel quae examinat omnia, quae in toto universo sunt, corpora, eorumque naturam, proprietates, actiones, etc. indagat. Medicina propterea est pars physicae, quatenus corpus humanum, omniaque, quae ad salutem eius tendunt, pro obiecto habet. Medici olim, antequam doctoris gradum obtinerent, dicebantur magistri in physica. Ge. *Naturkunde.* Ga. *Physique.* A. *Natural philosophy.* B. *Natuurkunde.*

PHYSIOGNOMIA est in universum peritia in natura, hoc est, in creatis cognoscendis. Proprie tamen ea est scientia, qua animi indoles ex vultu cognoscitur et praesagiri potest. A γινώσκω, *cognosco,* et φύσις, *natura.* Ge. *Physiognomie.* Ga. *Physiognomie.*

PHYSIOGNOMICA sunt *signa,* quibus nonnihil ex vultu praesagiri potest. Ex φύσις, *natura,* et γινώσκω, *cognosco.*

PHYSIOLOGIA est medicinae pars, quae docet corporis humani constitutionem, quatenus sana est, quoad omnes eius partes, fabricam tam solidorum, quam partes et mixtionem fluidorum, ex quibus constat, exhibens, legesque tradens, iuxta quas haec in se agant, et functiones suas absolvant, quaenam effecta producant et cui usui omnia destinata sint, ut sic oeconomia animalis atque sanitas conservetur. Ex φύσις, *natura,* et λέγω, *narro.* Ge. *Die Lehre vom gesunden Zustande des thierischen Körpers, Physiologie.* Ga. *Physiologie.* A. *Physiology.*

PHYSIS, i. q. *natura.*

PHYSOCELE, i. q. *pneumatocele.* [A Gr. φύσα, *vesica,* et κήλη, *ramex.*]

PHYSOCEPHALUS est tumor totius capitis emphysematosus, seu tensus, elasticus, sub digito crepitans. Hunc arte excitasse in tenellis infantibus, inflicto in vertice vulnusculo, et inflato per tubulum in telam cellulosam aëre, ad commiserationem excitandam stipemque extorquendam sceleratos homines lego. [E graeco φύσα, *vesica,* et κεφαλή, *caput.*]

PHYSODES est, quod flatibus abundat. A φυσάω, *inflo,* et εἶδος, *forma.*

PHYSOMETRA est constans permanensque tumor levis, elasticus, uteri figuram et sedem referens in mulierum hypogastrio, pendens ab aëre in cavo uteri contento. [A Gr. φύσα et μήτρα, *uterus.*] Ge. *Windsucht der Mutter.* Ga. *Tympanite de la matrice.*

PHYTEUMA est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) calyce monophyllo quinquepartito, corolla stellata quinquepartita, laciniis recurvis; capsula subrotunda, triloculari, polysperma. Est Rapunculus *Tourn.* [Occurrit sub hoc nomine planta apud Diosc. IV. c. 128. a Linnaeano Phyteumate diversa.] Huius etymon etsi omnibus plantis commune videatur, (quia *φυτεύονται* omnes) tamen *φυτεύειν* non tantum *plantare*, sed *producere*, *generare* ac *parere* significat. Haec cum ad amatoria maxime apta credatur et sic ad generationem, prae aliis *φύτευμα* est appellata. [Haec nominis derivatio placuit Dioscoridi l. c.]

[**PHYTEUMACOLLA** est illa in plantis a Brandesio detecta materies, quae ab aqua quidem, neutiquam vero ab alcohole solvitur, calori exposita coagulatur, in gelatinam non coiens, a principio denique scytodepsico praecipitatur. Ante Brandesium cum gummi haud dubie permutatum fuisse, Braconnotus contendit.]

[**PHYTOCHLORAINON** appellavit Giese illam materiam tingentem, quae alio nomine *chlorophyllum* a Pelletiero vocata est. A Graec. *χλωραίνω*, *colore e flavo viridi tingo*, et *φυτὸν*, *planta*.]

PHYTOLACCA, Solanum racemosum americanum *Pluk.* *Phytolacca decandra* floribus decandris decagynis *Linn.* est planta ad plures pedes excrescens, foliis amplis, mollibus, calyce nullo, floribus rosaceis pentapetalis racematim crescentibus, baccis orbiculatis, depressis, sulcis decem longitudinaliter exaratis, pistillis umbilicatis, decem locularibus. Habitat in Virginia; passim tamen in hortis nostris colitur. Qualitatis est acris et drasticae; sunt tamen, qui succum baccarum expressum et inspissatum super eiusdem plantae folia extensum summo cum fructu cancro exulcerato applicari contendant. [Zollikoferus una cum medicis anglis recentioribus non solum folia recentia ulceribus malignis, callosis utiliter imposuerunt, sed succi baccarum expressi, indeque parati extracti usum in rheumatismo chronico commendarunt. — Braconnotus in foliis, chemicae disquisitioni subiectis, acidum invenit, acido malico simile, nisi fortasse fuerit idem.] Ge. *Phytolacka, die amerikanische Scharlach- oder Kermesbeere, amerikanischer Nachtschatten.* Ga. *Raisin d'Amérique, morelle à Grappes, vermillon plante, mechoachan de Canada.* A. *American night-shade, virginian poke, porke physic.* B. *Tienmannige lakplant.*

PHYTOLOGIA est vegetabilium et plantarum cognitio. Ex *φυτὸν*, *planta*, et *λέγω*, *dico*. Ge. *Erkenntniss der Pflanzen.* B. *Plantkenning.* Vide *Botanica.*

PIA MATER, vide *Mater tenuis.*

PICA est appetitus vix superabilis eorum, quae quidem in nutrimentum commutari queunt, sed rariora, aut insueta

sunt, vel eorum, quae neutiquam apta huic operi. Huius mali causam observationes docuere esse humorem acrem praedominantem in visceribus chylopoieticis, vel ad stomachum et intestina delatum, vix, nisi insueto assumto, compescendum: circuitum cruoris mutatum: affectionem peculiarem nervorum: imaginationem depravatam; unde virgines, gravidasque mulieres inprimis, mirabilis hic affectus occupat; raro autem viri eo infestantur, nisi qui aliquomodo hypochondriaci. Dicitur ita ab ave eiusdem nominis, [nunc *Corvus glandarius* dicta,] quae globulos terrae esitare perhibetur. [Synon. *ἀλλοτριοφαγία*, ab *ἀλλότριος*, *peregrinus,* et *φάγω*, *edo.* A. *Longing.* Ga. *Envie*, *fausse envie.* Ge. *Gelüsten*, *Lüsternheit.* Cons. Swediaur l. c. to. I. p. 534.] Vide *Citta*, *Malacia.*

PICATIO, vide *Dropacismus.*

PICEA, Gr. *πίτυς,* est abietis species, picem proferens. Vide *Pinus.*

PICRA, vide *Hiera picra.*

PICRIS: sic nominatur Cichoreum, aliquando Hieracium, idque propter amaritudinem. *Πικρὸν* enim est *amarum.* Hodie tamen hoc nomine peculiare denotatur plantae genus flore semiflosculoso, (Syngenes. Polygam. Aequal.) seminibus ventricosis, obtusis, coronatis pappo plumoso. [Picris hieracioides L. caule erecto scabro, fol. amplexicaulibus lanceolatis dentatis, floribus corymbosis, calyce superiore laxo. A. *The hawk-weed picris*, *the yellow succory.* B. *Ruuwbladig bitterkruid.* Ga. *Picride éperviere*, *herbe aux vermisseaux.* Ge. *Bitterkraut*, *Kostenkraut*, *Wurmblume*, *Wullhabichtskraut*, *gelbe Zichorie* oder *Wegwart.*]

PICROCHOLUS est is, qui amaram bilem eructat, eaque abundat. Ex *πικρὰ*, *amara*, et *χολὴ*, *bilis.* Ge. *Gallsucht.* Ga. *Bilieux.* A. *Cholerick.* B. *Galachtig.*

[**PICROMELI**, a Thenardo in bile bubula detectum principium, quod, quoniam saporem amarum simulque dulcem possidet, inde nomen suum accepit: (*πικρὸς* enim *amarus,* et *μέλι,* *mel,* significat) a Chevaliero etiam bili humanae inesse repertum est. Berzelius e suis cum bile institutis experimentis conclusit, hunc liquorem peculiare principium, *biliosum* dictum (*Gallenstoff*), continere, quod ex albuminosa sanguinis parte originem ducat, et, quemadmodum haec, duplicem cum acidis coniunctionem ineat, quarum una ab aqua solvi possit, altera, si acetates exceperis, non solvatur. — Aëri expositum picromeli humiditatem attrahit, a spiritu vini facile, ab aethere contra ea plane non solvitur. Ge. *Pikromel.*]

[**PICROTOXINE** parata est a Boullayo ex decocto seminum excorticatorum Menispermi cocculi, quod ad consistentiam syrupi evaporatum per viginti quatuor horas cum vicesima

parte magnesiae purae in calore modico servatur: alcohole absoluto massa nunc tam diu eoquitur, quam liquor iste aliquid solvere potest: haec solutio spirituosa ad siccitatem evaporata denuo spiritu vini solvitur, et ab omni colore per carbonem animalem liberata sensim evaporatur frigorique exponitur. Crystalli oriuntur albae, semipellucidae, prismaticae quadrilaterae: odore earent: sapore admodum amaro et virtute venenata pollent. A πικρὸς, *amarus*, et τόξον, *venenum.* Cum graeca lingua nullum a τόξον derivatum noverit adiectivum τοξινὸς, miror Krausium vocabuli huius ineptitudinem non intellexisse. Johnius e τοξικὸν composuit vocem *picrotoxicinae* vocem. Ga. *Picrotoxicine.* Ge. *Bittergift, Picrotoxin.*]

PICTONUM COLICA, in Indiis occidentalibus familiaris, propter dolorum atrocitatem etiam *colica nervosa* audit. Nomen a Pictonibus, Galliae incolis, obtinuit, quod et iis familiaris sit. Dicitur etiam *colica sicca* et si a saturninis oriatur, *colica saturnina*, vel *pictorum.* Vide *Colica.* Ge. *Die Blei-, Töpfer-* oder *Mahlercolik, Colik von Poitou.* Ga. *La colique des peintres, colique de Poitou.* A. *Dry belly-ach, Devonshire-colick.*

PIESTRUM est instrumentum ehirurgicum ad contundenda ossa capitis in extrahendo foetu mortuo. [Sic usus est Hippoer. *de morb. mul.* lib. I. p. 702. to. II. ed. Lips. ad quem locum glossa Galeni πιέστρῳ, τῷ ἐμβρυοθλάσθῃ καλουμένῳ respicit, quam Phavarinus in suum *Dictionar.* p. 1505. recepit. A πιέζω, *premo.*] Dicitur et *pissorium* et *contusorium,* et *embryothlastes.*

PIGER HENRICUS, vide *Athanor.*

PIGRITIA est maxima corporis tarditas cum appetitu otii et somni, metuque defatigationis lassitudinisque; cuius causa physica non tam in macie, vel tabe, pinguedinis carnisque et succorum defectu, quam in succis non satis agilibus et fibris motricibus laxis consistit. Ideo qui pingues, carnosi, erassique sunt, longi item et ventre tumidi, solent pigri esse. At pigritia unum est ex praecipuis scorbuti dicti signis atque symptomatis; quae vero pigritia aliquos tenet, qui, eum alacres sunt uni rei, ad aliam segnes existunt, ea non morbus in motu corporis tardiore, sed animi hebetudo et aegritudo est ex aliis causis, cum corpore nimium agili. Gr. ὄκνος. Ge. *Faulheit, Trägheit.* Ga. *Paresse.* A. *Slothfulnes, idlenes.* B. *Luiheid, traagheid.*

PILA vocatur ille globus, aut pulvillus, e linteo vel corio confectus et pilis equinis fartus, qui bracheriis insuitur, et in herniis exacte illis locis imponitur, quibus partes vitiose elabuntur, ad prolapsum hunc impediendum. Ge. *Der Ball im Bruchband.* Ga. *La pelotte.*

PILA species mortarii est, ex varia materia fabricata, ut

aenea, lapidea, vitrea, fictilitia etc. Sumitur et pro pistillo. Ge. *Ein Mörsel.* Ga. *Un mortier.* A. *A mortar.* B. *Een mortier.*

PILA MARINA est fasciculus sphaericus pugni circiter magnitudine, constans e fibris implexis, conglutinatis Algarum, aliarumque plantarum marinarum, praecipue vero *Zosterae marinae Linn.* (Gynandr. Polyandr.) quae est Alga angustifolia vitriariorum *Bauh.* Ruppia foliis linearibus obtusis *Moerb.* Reperitur passim in littore maris mediterranei. Olim contra strumas specificum credebatur remedium. Hodie vix in usu est. Ge. *Meerball.* Ga. *Pelotte de mer.*

PILARIS MORBUS, i. q. *phalangosis* et *trichiasis.*

PILEUS, idem quod *galea* in foetu. — [Item in fungis est orbiculus horizontaliter expansus, qui subtus fructificationes gerit. —] Item est instrumentum chirurgicum, ligneum, eburneum vel etiam cereum, undique in vertice perforatum, quod exulceratis papillis nutricum applicari solet pro commodiori lactatione, aut papillarum defensione. Ge. *Ein Hütchen.* B. *Een hoedje.*

PILI sunt corpora teretia et tenuia filamenti instar, solida et facillime in quamcunque partem flexilia, variae formae et coloris, intus cava, seu substantia spongiosa, farcta, in locis nonnullis exterioris ambitus corporis eminentia, per cutis poros penetrantia, radicem sub ea figentia bulbosam, multis vasculis ornatam, per pili substantiam distributis. Inserviunt fotui partium, quibus supereminent, pororumque exhalantium defensioni, ne ab externis comprimantur. Dividuntur in *connatos*, quales sunt pili capitis, palpebrarum etc. et *postnatos*, sive qui post nativitatem crescunt, ut pili genarum, pudendorum etc. Differunt inter se ratione loci, crassitiei, longitudinis et pro varietate loci variis nominibus distinguuntur. Sic pili sincipitis capilli, temporum cincinni, occipitis crines, palpebrarum cilia, narium vibrissae, menti barba, vel primi, lanugo et pappus, labii superioris mystax, pectinis pubes dicuntur. Ge. *Das Haar.* Ga. *Cheveux, poil.* A. *The hair.* B. *Hair.*

PILI in plantis sunt ductus excretorii setacei et caulis, vel folia huiusmodi pilis distinctis elongatis tecta *pilosa* dicuntur.

PILOSELLA est planta, dicta a copiosis pilis, quibus folia investiuntur. Vocatur etiam *auricula muris* a similitudine foliorum. — *Pilosella* proprie est species *Hieracii,* planta scilicet flore semiflosculoso, semine papposo; *Hieracium pilosella Linn.* foliis integerrimis ovatis, subtus tomentosis, caule repente, scapo unifloro. Habitat in Europae pascuis aridis. Qualitatis est amarae et subadstringentis; hinc in infusis vulnerariis, diarrhoea, haemorrhagiis et herniis laudatur. Ge. *Mäusöhrchen, Nagelkraut, Ducatenrös-*

chen. Ga. *Piloselle, oreille de rat, l'épervière piloselle.* A. *Mouse ear, hawkweed.* B. *Muizen-oor.*

PILULA, sive **CATAPOTIUM** est medicamentum solidum sphaericae figurae, pisi ut plurimum magnitudine, ex pulveribus, gummi, extractis etc. glutinoso liquore exceptis, efformatum, deglutitioni faciliori inserviens. Ge. *Pillen.* Ga. *Pillules.* A. *Pills.* B. *Pillen.*

PILUM, i. q. *pistillum.*

[**PIMELINIUM.** Cum J. Andr. Buchnerus halitum inter destillationem pinguedinis evolutum, oculis gutturique infestum, a lixivio alcalico debili non suscipi, ab alcohole autem et acido sulphurico absorberi, destillatoque liquori adhaerentem a kali puro magis evolvi, addito autem acido sulphurico fere evanescere observasset, suspicatus est, eum principium naturae basicae continere, quod alcoholi odorem et saporem acerrimum tribuat, et e sulphate per kali purum, processu destillatorio evolutum, liquorem suppeditet, qui odoris pungentis, nequaquam ammoniacalis, et saporis tetri sit, laccae musicae rubefactae coeruleum colorem restituat, curcumae colorem in fuscum mutet, et sulphatem neutralem deliquescentem praebeat. Huic principio Buchnerus *Pimelinii* nomen tribuit. A graeco πιμελὴ, *pinguedo.* Sed O. B. Kühn *diss. de pinguedine, inprimis humana.* Lips. 1825. p. 78. observavit, hoc examen nimis adhuc imperfectum esse, quam ut illud principium vere existere concedere possimus.]

PIMENTA, vide *Piper Iamaicense*, vel *Amomum.*

PIMPINELLA: variae hoc nomine plantae in usu medico sunt: Pimpinella sanguisorba maior *Bauh. Sanguisorba officinalis* spicis ovatis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.). Ge. *Bibernell, Blutkraut, Sperberkraut.* Ga. *Pimpernelle.* A. *Burnet.* B. *Pimpinell.* — Habet haec caules rubros, angulosos, ramosos; folia oblonga, aut obrotunda, in margine dentata, bina uni costae adhaerentia. Flores sunt monopetali, rotati, plerumque quadrifidi ad centrum usque, quatuor ornati staminibus, praelongis, bracteis vero herbaceis, minutis, vix conspicuis, unde apetalos eos esse alii pronunciant. Ovarium fit fructus quadrangularis plerumque, utrimque acutus, modo unicapsularis, modo bicapsularis, foetus seminibus oblongis, coloris fusci vel subrufi, saporis subamari, adstringentis; odoris tenuis non ingrati. Haec planta crescit in pratis et montibus. Dicitur etiam *pampinella, bipinella,* seu *bipennula,* quibusdam *pompenella,* quia pepones olet. Ideoque forte corrupta vox a pepone erit. Alii nomen deducunt a foliorum binis ordinibus, pinnatim, sive plumatim, digestis. Vocatur *sanguisorba,* quoniam radix ob virtutem suam adstringentem sanguinem quasi absorbet, et in haemorrhagiis conducit. — *Pimpinella* vero *ita-*

lica offic. est Pimpinella sanguisorba minor hirsuta *Bauh. Poterium sanguisorba* inerme, caulibus subangulosis *Linn.* (Monoec. Polyandr.) calyce triphyllo, corolla monopetala, quadripartita et post foemineos flores bacca exsucca, angulata, seminibus tetragonis, utrinque acuminatis. Ge. *Welsche Pimpinelle.* Ga. *Pimpernelle d'Italie.* B. *Groote Pimpinell, pimpernell.* — Crescit haec in Europa australiori, eiusque et folia et semina ob virtutem subadstringentem et vulnerariam in infusis passim contra haemorrhagias et alvi fluxum commendantur. *Pimpinella* denique *nostras* est Pimpinella saxifraga maior altera *Bauh.* *Pimpinella saxifraga* foliis pinnatis, foliolis radicalibus subrotundis, summis linearibus *Linn.* (Pent. Dig.) quae est planta umbellifera, passim in campis et pratis nostris proveniens. Nonnulli *tragoselinum officin.* vocant, et in solo calcareo crescens in varietatem, scilicet *pimpinellam* saxifragam *nigram* degenerat. Ge. *Weisse* oder *schwarze Pimpinelle, Steinpimpinelle, deutsche Theriakwurzel.* Ga. *Bouquetine.* A. *Bournet saxifrage.* B. *Steenbreek, bevernaart, bevernel.* — Radix eius frequentissimo in usu est. Qualitatis est acris et hircinae, sed eximiis viribus resolventibus et anticatarrhalibus gaudet. Additur vel decoctis, vel essentia eius in morbis lymphaticis propinatur. Sine vehiculo deglutita in angina tantum serosa, non vero inflammatoria prodest.

PINASTER, i. q. *Pinus sylvestris.*

PINEA, PINEOLI, vide *Pinus.*

PINEALIS GLANDULA, vide *Conarium.*

[**PINGUECULA** vocatur tuberculum molle, lentis magnitudinem non excedens, coloris flavescentis, aut flavo-fusci, in scleroticae superficie ortum. Vid. Beer *Augenkrankh. II. p.* 645.]

PINGUEDO, vide *Adeps.*

PINGUICULA seu Sanicula montana, flore calcare donato *Bauh.* est planta flore monopetalo ringente, nectario corniculato, e basi petali postice producto, (Diandr. Monogyn.) capsula ovata, uniloculari, polysperma. Habitat in uliginosis Europae. Folia ovata, integra, splendentia et quasi unguine obducta, humi repunt. Rarius haec planta in usum medicum adhibetur, licet viribus consolidantibus gaudere videatur. In aqua decocta alvum movet. Lac foliis superfusum spissescit, nec facile coagulatur. Ovibus devorata planta noxia creditur. Ge. *Sonnenthau, Butterwurzel, Schmeerwurzel.* Ga. *Grassette,* [*tue brebis, sanicle à éperon.*] A. *Butterwort, whiteroot.* [B. *Smeerblad, Boterwortel.*]

PINNA AURIS est superior et latior pars ipsius auris, quae et *ala* dicitur. Ga. *Das ganze Auswendige des Ohrs.* B. *De oor-top.*

PINNA NASI, vide *Pterygium* et *Ala.*

PINNATA botanicis dicuntur *folia*, petiolo simplici lateribus adnectente foliola plura.

PINUS: duae potissimum arborum coniferarum et foliis sempervirentibus instructarum species, quae hoc nomine insigniuntur, ad officinas pharmaceuticas pertinent, scilicet: 1) *Pinus sylvestris*, foliis genuinis, primordialibus solitariis glabris. *Linn.* Ge. *Kiefer, Föhre, Kienbaum.* Ga. *Pin des bois.* A. *Wild pine, pine-tree.* B. *Wilde pyn-boom, sparreboom,* quae abunde in sylvis nostris siccioribus provenit et ex qua praeter usum mechanicum et igniarium etiam *terebinthina communis* elicitur. Turiones eius, male strobili, vel coni dicti, in scorbuto utilissimi sunt. Cortex quoque, folia et lignum in hoc morbo, uti quoque una cum turionibus in lue venerea et aliis lymphaticis morbis laudantur. Cortex exterior ruber adstringens est et balsamicus, atque in fluore albo aliisque eiusmodi morbis a variis commendatur. *Pix* quoque *liquida* et *solida* in variis locis ex ligno huius arboris praeparatur. Vide *Pix.* — Altera est 2) Pinus sativa *Bauh.* seu *pinus pinea* foliis geminis, primordialibus solitariis, ciliatis *Linn.* Ge. *Pinien-* oder *Piniolenbaum.* Ga. *Pin-pignier.* A. *Cultivated pine-tree.* B. *Tamme pyn boom.* Haec in Europa australi nascitur, eiusque semina sub nomine *pinearum* ob qualitatem dulcem, demulcentem et nutrientem in cibis, iusculis et emulsionibus adhibentur. Nonnulli ea in stranguria et tabe commendant, sed quae in officinis apud nos servantur, fere semper rancida sunt. Genus vero botanicum *Linnaeanum,* quod has duas species comprehendit, ad Monoec. Adelph. pertinet. Plures tamen eiusdem species huc notandae sunt, ut: *Pinus mugo* seu *montana.* Ge. *Krummholzbaum.* Ga. *Pin de montagne,* ex qua *balsamus Hungaricus,* sponte ex ramis effluens et *oleum templinum,* Ge. *Krummholzöl,* ex ramis et conis destillatione obtinentur. — Porro *Pinus cembra Linn.* Ge. *Zürbelnusskiefer.* Ga. *Alviez,* ou *arobe,* ex qua *balsamus Carpathicus,* seu *balsamus e Libano* praeparatur. — *Pinus Larix,* ex qua *Terebinthina veneta* est. Vide *Larix.* — *Pinus picea Linn.* seu *Abies mas,* vel *alba.* Ge. *Weisstanne.* Vide *Abies,* ex qua in multis locis *terebinthina communis,* s. *argentoratensis,* educitur. — *Pinus abies Linn.* seu *abies,* vel *picea,* Ge. *Fichte, Rothtanne.* Ga. *Pesse.* A. *Fir,* cuius turiones, resina, pix etc. etiam adhibentur. Resina sponte exstillans *thus* dicitur. — *Pinus balsamea Linn.* Ge. *Die Gileadische Balsamtanne.* Ga. *Baumier de Gilead.* A. *Balm of Gilead fir,* ex qua arbore Americae septentrionalis terebinthinae species exsudat, quae in Anglia *balsamo Giliadensi* substituitur et denique *Pinus Canadensis Linn.* Ge. *Die weisse Nordamerikanische Fichte,* ex qua *balsamum* sic dictum *Canadense* officinarum

Anglicarum est. — Pinus in universum Gr. *Πεύκη* et *πίτυς*, unde forte pinus.

PIPER: eius sunt variae species, uti *vulgare piper*, sive *nigrum*. Gr. [*τὸ μέλαν πέπερι*. Diosc. II. c. 188. p. 299.] dictum. Secundo *album*, sive [Gr. *τὸ λευκὸν πέπερι*, quod Diosc. *l. c.* ocularìis remediis, aut antidotis, aut theriacis facultatibus convenire testatur.] et *longum*, Gr. [*τὸ μακρὸν πέπερι*, Diosc. *l. c.* Sprengelius recte verba: *ἔστι δὲ τὸ μὲν μακρὸν ἐπιτεταμένον τῇ δήξει καὶ ὑπόπικρον διὰ τὸ ἄωρον, καὶ ἐπιτήδειον εἰς τὰς ἀντιδότους καὶ θηριακὰς δυνάμεις*, tanquam spuria uncinis inclusit.] In Malabaria maxima piperis provenit quantitas; nascitur et in Malacca, insulis Iavae vicinis, Sunda et Cuda, aliisque locis. Seritur ad radices alterius arboris, ad cuius usque fastigium sese convolvendo scandere solet, foliis raris, Mali assyrii effigie, sed minoribus, et per extremum acutis, virentibus, gustu acri. Fructus uvarum fere modo racematim cohaeret, quamvis racemi et fructus minores sint. Flores sunt apetali antheris duabus, (Diandr. Trigyn.) bacca subrotunda, uniloculari, monosperma. Est *Piper nigrum* foliis ovatis subseptinerviis glabris, petiolis simplicissimis *Linn.* cuius semen, detracto per macerationem cortice exteriori nigro, *Piper album* dicitur. — *Piper longum* foliis cordatis petiolatis sessilibusque *Linn.* est foliis tenerioribus et pallidius virentibus. — *Piper iamaicense*, s. *pimenta* Anglorum est fructus, seu bacca ante maturitatem avulsa et exsiccata arboris in Iamaica provenientis, quae est *Myrtus pimenta* foliis alternis *Linn.* Myrtus arborea aromatica foliis laurinis *Sloan.* Dicitur quoque *Amomum*, et *Cocculus Indus aromaticus*, et pro *Amomo Plinii* a nonnullis habetur, licet nobis vix a duobus saeculis innotuerit. — *Piper Hispanicum*, vel *Indicum*, vide *Capsicum*. Cuncta haec aromata, quae piperis sub nomine ex India nobis adferuntur, gaudent qualitate acri, resinosa, fervida, viribusque calefacientibus, stimulantibus atque stomachicis; hinc praeter usum culinarium frequentissimum ad cibos condiendos, plura quoque medicamenta composita ingrediuntur. [Pelletierius, qui *piper nigrum* chemice examinavit, praeter piperinen illud continere reperit materiam pinguedinosam acrem, a Gmelino resinae mollis nomine insignitam, cum oleo volatili iunctam, principium extractivum, cytisinae simile, quod a principio scytodepsico praecipitatur, materiam gummosam coloratam, bassorinen, amylum, fibram vegetabilem, acidum malicum, parum acidi tartarici, denique varia salia, e kali, calce et magnesia composita. *Piper album* in eo a nigro differt, quod piperine prorsus absit, amyli copia maiore, extractivarum autem partium minore. Lucae enim, qui nuper (anno 1822.) primus chemicam huius piperis analysin instituit, in centum eius partibus invenit

aquae 12,50, olei aetherei flavido-albi, quod sapore manifeste piperino, nec tamen ingrate urente est, 1,61, resinae e flavo fuscae, cuius sapor piperinus admodum acris est, 16,60, albuminis 2,50, amyli 18,50, gummi cum materia extractiva 12,50, fibrae vegetabilis 29,00, iacturae 6,79.] Ge. *Pfeffer*. Ga. *Poivre*. A. *Pepper*. B. *Peper*.

[**PIPER CUBEBA** foliis obliquis ovatis s. oblongis venosis acutis, spica solitaria pedunculata oppositifolia, fructibus pedunculatis L. frutex in sylvis Iavae et Guineae indigenus, cuius fructus immaturi atque siccati recentioribus temporibus denuo a medicis contra varios morbos frequentius, quam hucusque locum habuerat, adhibiti sunt. Inprimis eorum vires laudatae sunt contra gonorrhoeam recentem, vetustas easque pertinaces leucorrhoeas, chronicum catarrhum pulmonum aliasque blennorrhoeas. Cubebarum chemicam analysin instituerunt et Vauquelinus et Trommsdorffius, quorum hic in unciis sedecim invenit materiae extractivae peculiaris, quae amarum atque aromaticum possidet saporem, et cum materia animali (?) paucaque kali acetici quantitate nupta erat, unc. 4, drach. 4, materiae gummosae extractivae unc. 1, dr. 4, olei aetherei, ut aqua pellucidi, dr. $2\frac{2}{3}$, resinae fusco-viridis saporis mordentis et aromatici unc. 2, dr. 4, lignosi residui unc. 8. A. *Cubebs*. B. *Koebeben, staartpeper*. Ga. *Cubebes, quabebes, poivre à queve*, frutex *poivrier pedicillé*. Ge. *Kubeben, Schwindelkörner, Schwanzpfeffer*.]

[**PIPERINE**, ab Oerstedtio in Piperis nigri seminibus detecta materia salificabilis, a Pelletierio novae analysi chemicae subiecta est. Utraque analysis non omnino inter se convenit. Cuius rei causa haud dubie in eo quaerenda est, quod Oerstedtius cum piperine nondum prorsus pura, Pelletierius autem cum purissima sua instituit experimenta. Via ac ratio, qua Pelletierius piperinem praeparavit, haec est: piperis semina cum spiritu vini coquuntur, sic parata tinctura ad siccitatem evaporatur: residuum cum aqua extrahitur, quod ab aqua intactum relictum est, spiritu vini fervente solvitur. In hoc liquore post aliquot dies crystalli comparent, quae ubi spiritu vini frigido ablutae sunt, aut fervente spiritu vini, aut aethere solvuntur, atque sic ab acri resina, quae piperis seminibus inhaerens saporis acris et urentis causa est, liberatur.]

PIPERITIS est planta, cuius folia et praesertim radices acrem et mordicantem habent saporem, ideoque a piperis acrimonia nomen mutuatur. Vide *Lepidium*. Ge. *Pfefferkraut, Pfifferling*. Ga. *Passerage, poivrée*. A. *Dittammer, pepper-wort*. B. *Peper-kruid*.

PISO, i. q. *mortarium*.

PISSASPHALTUS, s. **PISSASPHALTUM** est bitu-

men molle, nigricans plus, vel minus graveolens, *nativum*, vel *factitium*. *Nativum* describitur a *Dioscoride* [lib. I. c. 100.], atque nihil aliud esse videtur, quam *asphaltus*, de quo vide suo loco. *Factitium* est mixtura ex pice ac bitumine, (unde et nomen accepit) videturque id esse, quod nostrates *asphaltum* vocant, seu *bitumen Iudaicum*. Non desunt, qui putent, Arabum esse *mumiam*. Attamen ipso vocis sono medium quid picem inter et bitumen notat; nigrum, terrenum graveolens. Ge. *Erdharz*. Ga. *Pissasphalte, poix minérale*.

PISSELAEON, s. **PISSELEON**, vide *Pix* et *Petroleum*.

PISTACIA, **PISTACIUM**, **TEREBINTHUS** *Tournef.* est arbor flore amentaceo, (Dioec. Pentandr.) Pistacia peregrina, fructu racemoso *Bauh.* *Pistacia vera*, foliis imparipinnatis, foliolis subovatis recurvis *Linn.* cuius flores foeminini ferunt drupam siccam, ovatam, et nucem eiusdem figurae, inclusam cortice lignoso, extus coloris sub-viridis, substantiae farinoso-oleosae. Habitat haec arbor in Persia, Arabia atque Syria, neque minus in Italia atque Sicilia colitur. Nuces, quae inde ubertim ad nos transferuntur, ob qualitatem dulcem atque subpinguem, et virtutem nutrientem et demulcentem, tum in usu cibario, tum medico, frequenter adhibentur. — Ex alia generis *Linnaeani* specie, seu *Pistacia terebintho*, obtinetur *terebinthina* sic dicta *Cypria*, uti *mastix* ex *Pistacia lentisco eiusd.* Ge. *Pistazienbaum.* Ga. *Pistachier.* A. *Pistach-tree.* B. *Pistassie-boom, fisticen, pimpernoot-boom.*

PISTILLUM est instrumentum pharmaceuticum, quo res in mortario tunduntur. Ge. *Der Stämpfel, die Keule des Mörsers.* Ga. *Le pilon.* A. *A pestle.* B. *Stempel.* — In botanicis sic vocatur pars illa floris, quae eius centrum inter stamina occupare solet, et plerumque pistilli oblongi pharmaceutici formam habet. Sumitur recte pro ovario, sive seminali conceptaculo; eoque sensu est foemininum plantae organum semper bene tectum, et in intimo floris centro ut plurimum dispositum, quod semina, quae vera sunt ova, usque in perfectam maturitatem continet, conservat, et ab externis iniuriis defendit, et, postquam foecundata sunt, uteri vicem gerit. Constat ergo pistillum e tribus partibus, scilicet *stigmate*, quod pollinem masculinum excipit, et humore suo emollit et aperit; *stylo*, seu *tubo*, per quem materia foecundans defertur, et *germine*, quod rudimenta seminum continet. Haec autem singula foetus ad instar umbilicali fune instructa assurgenti ex utero stylo annectuntur, qui intus cavus est; et ad superiora exporrectus in veram vaginam expanditur, quae diversa plerumque figura praedita mirum in modum in extremis oris fimbriata apparet. Hinc totum styli corpus,

maxima autem eius superior pars, tubis Fallopianis non absimilis est. Gc. *Die Fruchtröhre, Stämpel.* Ga. *Le pistille.* B. *Een stamper.*

PISTOLOCHIA est Aristolochiae species et quidem Aristolochia pistolochia dicta *Bauh. Aristolochia pistolochia* foliis cordatis crenulatis, subtus reticulatis petiolatis, floribus solitariis *Linn.* (Gynandr. Hexandr.) corollae labio incurvo. Radix eximiis pollet viribus cephalicis, vulnerariis, aperitivis, antihystericis et emmenagogis. Inde forte nomen obtinuit, quasi fideliter partum expellens. [Cum Aristolochia, teste Dioscor. III. c. 4. quocum consentit Plin. *h. n. XXIV. c.* 8. *s.* 54. nomen acceperit *ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχοῖς*, Pistolochiae denominatio derivari potest, *ὅτι πιστεύεται ἀρίστη ταῖς λοχευούσαις*, non autem, quemadmodum Blancardo absone voluit,] a *πιστὸς, fidelis,* et *λοχὸς, puerpera, gravida,* a *λέγω*, id est, *κεῖμαι, iaceo*, scilicet *ἐν τῷ λέχει, in lecto.* [A. *The spanish branching stemmed birthwort.* B. *Kraamwortel.* Ga. *L'aristoloche crénulée, pistoloche de Narbonne.* Gc. *Die spanische Osterluzey.*]

PISTOLOCHIA VIPERINA, vide *Serpentaria.*

PISUM est planta flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius plures dantur species et varietates, colore, magnitudine et figura seminum distinctae. Pisum arvense *Bauh. Pisum sativum L.* petiolis teretibus, stipulis inferne rotundatis, crenatis, pedunculis multifloris. Habet caules longos, cavos, fistulosos, fragiles, coloris viridis, albescentis, ramosos, repentes. Folia sunt oblonga, a caule quasi penetrata, caetera pinnata, costis apposita. Calyx est monophyllus, quinquefidus. Flores sunt leguminosi, albi, punctis purpureis instructi. Flori succedit siliqua longa, inflata, cylindrica, foeta seminibus subrotundis, viridibus, sed post siccitatem angulosis, albis, aut florescentibus. Radix est parva. Pisa gaudent qualitate dulci, sicca et farinosa, viribusque nutrientibus et flatulentis. Frequentissimus usus culinaris, rarior medicus est. Sunt, qui decoctum pisorum contra tussim ab acrimonia orientem commendent. Siliquae virides remedium antiscorbuticum dicuntur. [Hae ab Einhofio chemice disquisitae continent saccharum mucosum, amylum, fibram vegetabilem, faeculam viridem, albumen, calcem phosphoricam et aquam: semina autem matura praeter allatas partes, excepta, quae deest, faecula viridi, constant quoque ex gummi et gliadine.] Gr. *Πίσον, πίσσον,* et *λέκυθος,* vel *λέκιθος*, nomen accepit, vel *ἀπὸ τοῦ πτίσσειν,* quod *decorticare* significat. Vel ab agro, vel urbe Pisa, circa quam copiosissime olim nascebatur. *Lecythos* est ovi vitellus cortice obductus; hinc pisa, quia cortice etiam vestiuntur, Gr. *λεκίθους* nominant. Ge. *Erbsen.* Ga. *Pois.* A. *Peas, peasest* B. *Erwten.*

PITTACIUM est pannus modicus, qui medicamento illitus, affecto loco imponitur. [Celsus III. c. 10. *deinde duo* pitacia *habere oportet.* De voce graeca exposuere viri docti ad Moer. *atticist. p.* 306.] Proprie tabulam pice obductam significat. *Πιττάκιον*, *πλάτυσμα*, qui latior videtur, ut *splenium* oblongior. *Splenium Plinio* a splenis figura, longiusculum proprie emplastrum est. Ge. *Wundpflaster.* Ga. *Emplastre pour les playes.* A. *A wound-plaister.* B. *Wondpleister.*

PITUITA, vide *Phlegma.*

PITUITARIA vocatur *Staphys agria*, quia masticando pituitosam salivam copiose elicit.

PITUITARIA GLANDULA, vide *Glandula pituitaria.*

PITYRIASIS, vide *Furfuratio.* A *πίτυρον*, *furfur.*

PITYROIDES est urinae sedimentum furfuraceum. Ex *πίτυρον*, *furfur*, et *εἶδος*, *forma.* Ge. *Kleyenähnlicher Bodensatz im Urin.* B. *Zemelachtige pis.*

PITYS est *Pinus*, s. *Picea*, quasi a *πῖος*, *pinguedo*, quia pingui abundat, vel a *πίττα*, *pix*, siquidem ex ea pix defluit. Vide *Pinus.* Ge. *Fichtenbaum.* B. *Pik-boom.*

PITYUSA est Esulae species, Tithymalus foliis brevibus aculeatis *Bauh.* [Describitur *πιτίουσα* a Diosc. IV. c. 163. ubi et plura plantae synonyma adferuntur.] *Euphorbia pityusa Linn.* (Dodecandr. Trigyn.) umbella quinquefida, bifida, involucellis ovatis, mucronatis, foliis lanceolatis; infimis involutis retrorsum imbricatis. Eiusdem cum reliquis huius generis, qualitatis est acris et causticae. Nomen forte habet, quia eius folia Pini foliis proxime accedunt. Hinc nomen venit a *πίτυς*, *pinus.*

PIX, Gr. *Πίσσα*, est pars resinoso-gummosa ex arboribus resinosis, uti pinu, abiete, larice, terebintho, cedro, etc. vi ignis extorta, destillatio fit per descensum. Primo venit pix *liquida*, deinde crassior et crassissima. Pix liquida dicitur *pisselaeon Dioscoridis* IV. c. 95. Pix illa, ubi denuo coctione purgatur, seu, si mavis, dephlegmatur, aut destillatione liquor acidus et oleum aethereum elicitur, crassescit magis et magis, diciturque *pix sicca*, *Palimpissa*, [*παλίμπισσα*, apud Diosc. IV. c. 97.] *Pix navalis*, (quod navibus picandis adhibeatur) non quod a navibus maritimis derasa sit, quippe haec appellatur [*ζώπισσα*, teste Diosc. IV. c. 98.]. Praeter amplissimum usum picis oeconomicum etiam variae eius species in chirurgia tum ad evellendos capillos, tum ad unguenta et emplastra adhibentur. — *Aqua picea*, s. *infusum picis navalis*, s. *picis liquidae.* Ge. *Theerwasser.* A. *Tar-water*, haud ita pridem remedium summe efficax in vitiis lymphae, simulque aperitivum, balsamicum, calefaciens et stimulans habitum est, eius tamen usus multum hodie exolevit. Infusum hoc destillatione liquorem aci-

dum [aceticum scil. acidum, oleo volatili eique empyreumatico nuptum] largitur, remanente substantia spongiosa, nigricante, amara, in aqua partim solubili. [Paratur sic, ut unciae quatuor aquae libris infusae saepius agitentur, et liquor post aliquot dies decantetur. Aqua haec picea, flavescente colore conspicua, cum fortem spiret odorem, et in lingua acrem et resinosum saporem excitet, suspicionem movit multarum in corpus animale virium. Celebravit illas inprimis Ge. Berkeley in libro: *Gründl. histor. Nachr. vom Theerwasser, dess. herrl. medic. Tugenden* u. s. w. A. d. Engl. von Diet. Wessel-Linden. Amst. u. Leipz., 1745. Eodem anno in francogall. quoque linguam translatus prodiit.] Addito pulvere liquiritiae parantur inde *pilulae piceae nosocom. Edimb.* Ge. *Pech.* Ga. *De la poix.* A. *Pitch.* B. *Pek, pik.*

PIX BURGUNDICA est resina solida mollis, coloris flavo-bruni, saporis odorisque eiusdem, ac terebinthina, quae ex resina abietis forte paratur. Conf. *Pix* et *Colophonia.* Ge. *Burgundisches Pech.* Ga. *Poix de Bourgogne.* A. *Burgundy pitch.*

PIX GRAECA, vide *Colophonia.*

PLACENTA PLANTARUM est pars illa capsulis fructuum affixa, cui semen ipsum adhaerescit, et a qua alimentum ipsi subministratur.

PLACENTA SEMINUM, vide *Cotyledon.*

PLACENTA UTERINA, seu *hepar uterinum.* Substantia quasi fibroso-vasculosa, forma fere placentae, sanguine plena, rotunda, livida et compressa, in humano foetu maturo diametri a sex ad duodecim pollices, crassitiei ab uncia una ad duas, et in partu naturali foetum exclusum illico sequens. Facies ei duae sunt, concava, quae foetui obvertitur, et quam trunci vasorum umbilicalium pererrant, et convexa, quae uterum respicit, pluribus tuberculis grandibus inaequalis. Constat e convolutionibus ramulorum vasorum umbilicalium, substantia celluloso-fibrosa inter se connexorum, et vaginulis cellulosis a chorio natis. Nascitur ex pariete ipsius ovuli, seu chorio, scilicet ea parte, quae in utero accuratius radicatur, e qua fila efflorescunt in lacunas uteri se immittentia, et cum osculis vasorum communicantia, hinc quacunque sede plus de uteri alimento recipitur, ibi vasa placentae maiora fiunt. Est ergo placenta chorii portio, cuius vascula aucta et extensa sunt, et maxime cum natura convenit, cam circa uteri fundum adhaerere, in circulum inter duas tubas, ut totum sibi fundum sumat; licet interdum et anterius, vel ad latera, adnascatur, immo etiam in peculiari uteri scrobe latuisse deprehensa sit. Homini unica est placenta, saepe etiam gemellis, etsi non semper, ut et duabus similes sint, quae vere sunt unica, et uni similes, quae verius duae. Plerumque tamen respondet numero foetuum,

secus quam in animalibus ruminantibus, quibus numerosae sunt huiusmodi massae cotyledones dictae. Vide *Cotyledon.* Placenta in parte concava recipit a foetu funiculum umbilicalem, et in hoc arterias duas umbilicales et venam umbilicalem, quae vasa in minimos ramulos distributa orificiis suis osculis internis uteri sese iungunt, sicque ad incrementum foetus primis diebus tenuissimum succum lymphaticum et lacteum, at sequenti tempore, orificiis magis dilatatis, sanguinem rubrum ex utero absorbent, inque eum revehunt, et sic circulum sanguinis inter matrem et foetum sustinent. Vide *Umbilicalis funiculus.* Placenta, quae una cum membranis post enixum foetum expellitur, *secundinarum* nomine venit. Ge. *Der Mutterkuchen, die Nachgeburt, Aftergeburt.* Ga. *Le gateau*, ou *l'arrière faix.* A. *After-birth, placenta.* B. *De nageboorte, geboorte-koek, moeder-koek.*

PLADAROSIS, PLADAROTES sunt parva et mollia cystica, vel tunicata tubercula, internae parti palpebrarum accrescentia. [*Πλαδαρότης* a Galeno (*introduct. c.* 16. *to. XIV. p.* 767.) adhibitum est, ut significentur corpuscula mollia, vetusta, decolora, in interna palpebrarum superficie residentia, nec aspera adhuc; unde malo nomen ortum. Aspredo enim cum sit cum siccitate coniuncta, descriptum palpebrarum vitium, nondum eo perventum, ut eius superficies exasperata sit, *πλαδαρότην* vocari posse. *Πλαδαρὸς* enim a Phavarino per *χαῦνος, humidus*, exponitur.] Ge. *Speckbeulen an den Augenlidern.* B. *Stukjes vlees aan de oogscheelen.*

PLAGULAE vocantur assulae illae, vel ferulae ligneae, concavae, corio subducto saepe unitae, quibus ossa fracta circumdantur, et quae ligatura firmantur, ne ossa fracta iamque reposita e situ debito dimoveantur. Ge. *Schiene.* Ga. *Ais, eclisse.* — Nonnullis etiam *Pulvilli* ex linteo, Ge. *Bausch, Compressen.* Ga. *Compresses*, ita vocantur

PLANETICA ARTHRITIS. A *πλανητικὸς*, *erraticus*, quod descendit a *πλανάω, erro, vagor.* Idem quod *arthritis vaga.*

PLANTA est vegetabile integrum, sive arborem velis, sive fruticem, sive herbam, estque corpus hygro-organicum, id est, quod constat diversa solidarum partium fabrica, in quibus varii generis liquores evolutioni et nutritioni inservientes praeparantur moventurque per radicem terrae affixum, unde nutrimentum capiens crescit. Planta ergo, vel vegetabile, crescit et vivit, sicque a fossilibus omnibus differt, quod structura determinata gaudeat, ab animalibus, quod vera sensibilitate careat. Ge. *Ein Gewächs, Kraut, eine Pflanze.* Ga. *Une plante.* A. *Plant.* P. *Plantgewas.*

PLANTAGO est plantae genus floribus spicatis, calyce quadripartito erecto; corolla monopetala persistente quadri-

partita, (Tetrandr. Monogyn.) capsula ovata, biloculari, horizontaliter dehiscente, dissepimento libero, polysperma. Huius generis numerosae sunt species. Frequentissime apud nos provenientes et in usum medicum adhibitae duae sunt: *Plantago latifolia maior Bauh. Plantago maior* foliis ovatis glabris, scapo tereti, spica flosculis imbricatis *Linn. et Plantago angustifolia* maior *Bauh.* [A. *The great plantain, the broadleaved plantain, the way bread.* B. *Groote weegbree, weegblad.* Ga. *Le grand plantain, le plantain à larges feuilles, le plantain à bouquet.* Ge. *Wegerich, grosser,* od. *breiter,* od. *rother Wegerich, Wegebreit, Wegeblatt, Vergeblatt, Partenblatt, Schaafzunge, Ballenkraut, Sauriissel.*] *Plantago minor* [*media*] foliis lanceolatis, spica subovata nuda, scapo angulato *Linn.* [A. *The hoary plantain* s. *lamb's-tongue.* B. *Mittelbaare weegbree, lamstonge, hondstonge.* Ga. *Le plantain moyen, le plantain blanc, langue d'agneau.* Ge. *Mittelwegerich, kleiner, breiter, kurzer, rauher, weisser Wegerich, Mittelwegebreit, Schaafzunge.*] Provenit utraque in campis nostris apricis atque sterilibus, et qualitate herbacea insipida et substiptica, viribusque vulnerariis convenit. Folia contusa bono cum effectu vulneribus applicantur. Prostat in officinis aqua destillata. Gr. *Ἀρνογλῶσσον.* Nomen *plantaginis* descendit a *planta.* Ge. *Wegerich, Wegebreit.* Ga. *Plantain.* A. *Plaintain, Way-bread.* B. *Weeg-breed.*

PLANTAGO ANNUA est *Psyllium.*

PLANTA NOCTIS idem quod *Hydroa,* et *Sudamina.* Sic dicitur, quod a frigore nocturno potissimum inducatur.

PLANTA PEDIS est pedis inferior carnosa et concava pars, inter digitos et calcem, cuius musculi ne laedantur, teguntur firma *aponeurosi,* quae *plantaris* dicitur, et a calcis inferiori parte orta per totam plantam decurrit, omnesque adit digitos, sensimque in pinguedine evanescit. Ge. *Die Fusssole.* Ga. *Plante du pied.* A. *The sole of the foot.* B. *De voet-zool.*

PLANTARIS MUSCULUS: ita eum vocarunt antiqui, quod credebant, musculum hunc, ut palmaris longus volae manus, eodem modo aponeurosin dare plantae pedis, sed nequaquam ad illam pertingit. Oritur autem brevi et gracili ventre a condylo externo ossis femoris, decurrit inter gastrocnemium et soleum longo tendine, qui ab interiori parte iuxta tendinem Achillis inserit se calci, hinc actione sua pedem extremum extendere iuvat. Ge. *Der Fusssohlenmuskel.* Ga. *Le jambier grêle, dit vulgairement plantaire.* A. *The muscle of the sole of the foot.* B. *De plant spier.*

PLANUM botanicis dicitur *folium,* vel *receptaculum,* cuius superficies aequalis est.

PLANUM OS est pars ethmoidis ossis, seu ossium spon-

giosorum superiorum lamina exterior, quae superiorem lateralemque cavi narium et simul orbitae partem constituit.

PLASTICA VIRTUS veteribus dicebatur vis quaedam et facultas naturae, quae corpora singula in debitam structuram compingeret. Huic ergo et formationem foetus in utero, et structuram plantarum, et figuram lapidum, quos idiomorphos, vel sui generis, vocabant, attribuerunt. Sic etiam alias facultates fingebant: ut est vis ossifica, ossifraga, expultrix, attractrix etc. A *πλάσσω, fingo.* Ge. *Bildende Kraft.* Ga. *Vertu plastique.* B. *Vormkunst-kracht.*

PLATANARIA est species Sparganii, et quidem Sparganium ramosum *Bauh. Sparganium erectum Linn.* (Monoec. Triandr.) foliis erectis triquetris. Radix vulneraria, praecipue morsui serpentum mederi credebatur. Dicta forte est ob similitudinem fructuum, quam globuli arboris Platani habent. Ge. *Igelsknöpfe.* A. *Reed-grass.* B. *Riet-gras.* [A. *The great burr-reed.* B. *Opstaand egelknop, driekantig lisch, rietgras.* Ga. *Rubannier droit, ruban d'eau.* Ge. *Die aufrechtstehende Igelsknospe, Igelskolbe, Riedknospe, Rindknospe, Knospengras, Degenkraut, Schwerdtelried Schmertel, Grasriedkraut.*]

PLATANUS est arbor, quae etiam *Platanus latus* dicitur, et quae, ut referunt, in Asia tam mirifice ramos expandit, ut plus quam mille homines sua grata umbra tegat. Haec arbor in Asia et Archipelago habitans, feliciter passim apud nos colitur, et in insignem altitudinem excrescit. Folia *Platanus orientalis Linn.* habet palmata. Flos masculus amentaceus est; foemininus in eadem arbore polypetalus, ferens plures fructus in globum congestos, constantes e seminibus subrotundis, stylo setaceo insidentibus, styloque subulato terminatis, pappo capillari basi seminis adhaerente. [A. *The oriental plane-tree.* B. *Oostersche platanus.* Ga. *Le plantane orientale* s. *du Levant, la main decoupée des anciens.* Ge. *Der morgenländische Platanus.*] Species vero *Platani*, quae *occidentalis* vocatur, et cuius patria America septentrionalis est, foliis lobatis instruitur. [A. *The americain plane-tree, the large button-wood.* B. *Westersche platanus.* Ga. *Le plantane d'occident* s. *de Virginie* s. *de Louisane* s. *de l'Amérique septentrionale.* Ge. *Der americanische Platanus, Wasserbuche, Kleiderbaum.*] Nomen habet ob folia lata et ampla, a *πλατύνω, dilato,* ramos effundo. Ge. *Platanus.* Ga. *Platane,* ou *plane.* A. *Plane-tree.* B. *Platanus.*

PLATINA est substantia metallica; haud ita pridem ad nos ex America meridionali adlata. Substantiae est splendentis, granuloso-lamellatae, coloris argentei, admodum solida, duritie ferrea, magneti tamen resistens: eiusdem

cum auro gravitatis specificae, et aeque fixa in igne; in aqua regia solubilis, non malleabilis, neque ductilis, cum mercurio in amalgama transiens, cum omnibus reliquis metallis miscibilis, quae fragiliora et asperiora reddit, et ab iis difficillime separabilis. Hinc cum aurum hoc metallo saepe adulteraretur, mangonisatione vix per experimenta solita cognoscenda, eius nunc et effossio et exportatio prohibita, haeeque causa raritatis eius dicitur. At singulares hae huius metalli proprietates eximiorum chymicorum excitarunt solertiam, qua, num naturale esset, num, ut nonnulli suspicantur, corpus artificiale, vel compositum, inquirerent. Ge. *Das weisse Gold, Platin.* Ga. *Platine, or blanc.* A. *Platine.* [Vide in fine operis meliora.]

[**PLATYCORIA**, i. q. **MYDRIASIS**. A Gr. *πλατὺς, latus*, et *κόρη, pupilla.*]

PLATYPHYLLOS est *Esculi* species, quasi *latifolia.* A *πλατὺ, latum*, et *φύλλον, folium.*

[**PLATYSMA** in genere denotat, quicquid in latum extenditur. Hinc Galen. *de med. comp. s. g.* 4. c. 14. p. 759. ed. Lips. *πλάτυσμα ἐκ τῆς ἐμπλάστρου* ulceribus imponi iubet, quod in versione latina et in Castelli lex. per *linteum latius* male exponitur. Sed *πλάτυσμα* potest quoque e corio, aliaque tela molli constare.] A *πλατὺ, latum.*

PLATYSMA MYODES, vide *Myodes.*

PLECTRUM, vide *Cion.*

PLENITUDO est *plethora*, sive boni sanguinis abundantia; quae dicitur esse vel *ad vasa*, vel *ad vires.* Vide *Plethora.*

PLENUS PULSUS est, qui sub tactum cadit distentus adeo, ut ipsa quidem arteria in maiorem diametrum elevetur: hinc copiam humorum, vires vitales validas, et vasa libera et aperta denotat. Ge. *Ein voller Puls.* Ga. *Le pouls plein.*

PLERES ARCHONTICUM est pulvis quidam veterum cephalicus: Quasi *implens principale.* [Inveni eius commemorationem a Lemeryo (*pharmacop. univers.* p. 31.) factam, qui a scrupulo semis usque ad duos pulverem hunc a Nicolao Salernitano aegrotis praescriptum esse refert. A *πλήρης, plenus*, et *ἀρχοντικὸς, proprie qui ad archontem pertinet* aut *ad principatum;* dein fortasse *qui potens est, qui viribus valet*, ut *πλῆρες ἀρχοντικὸν* medicamentum denotet, *quod plenum sit efficaciae.* Ex his apparet, falsam esse a Blancardo prolatam versionem: *Implens principale.*]

PLEROTICA sunt medicamenta carnem restaurantia et vulnus implentia. Vide *Sarcotica.* A *πληρόω, impleo.* Ge. *Fleischmachende Arzeneien.* Ga. *Remèdes incarnatifs.* B. *Vleesmakende middelen.*

[**PLESSOMETRUM** a πλήσσω, *percutio*, et μέτρον, *mensura*. Debebat autem potius *Plexeometrum* vocari a πλῆξις, gen. πλήξεως, ipsa percutiendi actio. Instrumentum ad percussionis actionem metiendam aptum. In *Nov. polit. Lipsiae*, 1830. No. 49. hoc instrumentum, a Piorryo inventum, male nominatur Pleosimetrum, cuius vocis derivatio mihi non liquet. Instrumentum, e lamina tenui eboris, ligni duri, metalli, aut alius cuiuscunque materiae, sonum propagantis constans, parti corporis, quae exploranda est, imponitur, et digito leviter percutitur. Sonus ab hac percussione productus conditionem partis exploratae indicat.]

PLETHORA est proprie abundantia sanguinis boni, qua laeduntur functiones hominis sani, diciturque esse vel *ad vasa*, cum sanguis ita abundet, ut vasa, quibus continetur, mole sua distendat, vel *ad vires*, quando tanta est sanguinis copia, ut vasa quidem non supra modum repleat, viribus tamen sit gravis. Sed illa differentia potius ad morbos referri debet, quam ad sanitatem. Nam si vasa distendantur, vis eorum contractilis minuitur, et humorum circuitus retardatur, hinc crassum sanguinem et obstructiones indicat: et si homines viribus fuerint graves, obstructiones et compressiones vasorum minimorum et nervorum significat. Distinguitur porro plethora in *veram* et *spuriam*; illa copiam humorum bonorum sensim collectam et auctam, vasis minus congruentem exhibet; haec vero, etiamsi sanguis non nimium auctus sit, tamen ob dispositiones quasdam morbosas, praecipue ob solida massam humorum non recte coërcentia, symptomata verae plethorae inducit. Plethora *topica*, s. *partialis* est collectio iusto maioris quantitatis sanguinis in parte quadam corporis ob minorem vasorum resistentiam, ut in capite, pulmonibus, utero etc. fieri solet. Plethora *commota*, s. *transitoria* dicitur, dum a causa quadam externa, seu vitio diaetae, motus sanguinis iusto plus incitatur. A πλήθω, *impleo*, *plenus sum*. Ge. *Vollblütigkeit*. Ga. *Plethore*. B. *Bloed-rykheid, overvloed van bloed*.

PLETHORICUS est is, qui multo sanguine et succis abundat. A πληθώρα, *plenitudo*, et hoc a πλήθω, *repleo*. Ge. *Ein Vollblütiger*. Ga. *Plethorique*, *sanguin*. A. *Plethoric habit*. B. *Een die veel bloed heeft*.

PLEURA, sive **MEMBRANA SUBCOSTALIS** est membrana serosa, firma ac densa, totam internam superficiem thoracis et superiorem superficiem diaphragmatis vestiens, [duos, qui pulmones includunt, saccos formans, et per telam cellulosam musculis intercostalibus, costis et diaphragmati affixa. Hi sacci in media thoracis cavitate haud ita invicem coniunguntur, ut eorum parietes se proxime tangant, sed cor cum pericardio interpositum est. Illa autem spatia fere triangularia, quae, recedentibus magis a se invicem saccis

efformantur, *mediastina* vocantur, in quorum *anteriore* s. *antico* adeps, thymus et glandulae lymphaticae, in *posteriore* autem s. *postico* aorta, oesophagus, vena azygos, ductus thoracicus et glandulae lymphaticae posita sunt.] Laevitas superficiei eius internae, quae pulmones respicit, horum actionem iuvat, et laesionem et attritum impedit. Ge. *Das Brustfell, Rippenfell.* Ga. *Pleure.* A. *The internal membrane of the breast,* B. *Het borst-vlies, ribbe-vlies.*

PLEURAE, i. q. *latera, costae.*

[**PLEURESIS**, unde Francogallorum *pleuresie* deductum esse videtur, idem denotare dicitur, quod *pleuritis.* Sydenh. *oper.* p. 211. ed. Lips. hac voce usus est. Sed graeca lingua eam non agnoscit, quare ab eius usu abstinendum.]

PLEURITICUS SANGUIS, vide *Phlogisticus.*

PLEURITIS in genere est *morbus laterum,* eodem modo, ut arthritis morbus articulorum. Proprie vero ita dicitur pleurae et musculorum intercostalium inflammatio, cum febre acuta, continua, punctorio lateris dolore, aucto in inspiratione, in exspiratione autem, vel animae retentione mitiori, quare coniungitur cum difficili respiratione, pulsu duro, tussi fere perpetua, sed ob dolorem, quem infert, ut plurimum suppressa, sputoque interdum cruento; quod tamen, ut recentiores plurimi putant, in ea specie huius morbi tantum occurrit, in qua pulmonum inflammatio quoque adest, seu in pleuroperipneumonia. Estque vel *vera,* inflammatoria, vel *spuria*, seu rheumatica; sicca, vel humida; idiopathica, vel sympathica. A *πλευρὰ, latus, costa.* Ge. *Das Seitenstechen, Entzündung des Rippenfells.* Ga. *Pleuresie.* A. *The pleurisy.* B. *Zyde wee, pleuris.*

PLEURITIS NOTHA, seu **SPURIA** est forma pleuritidis, in qua musculi intercostales externi, vel musculi alii his incumbentes, rheumatismo corripiuntur, cum signis nonnullis pleuritidis verae. Ge. *Unächter Seitenstich.* Ga. *Fausse pleuresie, pleuresie batarde.* B. *Een bastaard pleuris.*

PLEURODYNE est genus morbi, cuius praecipuum est symptoma dolor pectoris laterisve pungitivus cum difficultate respirandi citra phlegmasiam acutam. Hinc idem, quod pleuritis in latiori sensu. Oritur a plethora, vermibus, flatibus, scorbuto, arthritide, catarrho etc. A *πλευρὰ, latus,* et *ὀδύνη, dolor.* Ge. *Schmerz in den Seiten.* Ga. *Douleur de la poitrine.*

PLEUROPNEUMONIA, PLEUROPERIPNEUMONIA morbus est, ex pleuritide et peripneumonia compositus.

PLEURORTHOPNOEA est lateralis morbus, in quo non, nisi erecto collo, respirare possumus. Ex *πλευρὰ, latus, ὀρθὸς, rectus,* et *πνέω, spiro.*

[**PLEUROTHOTONUS** est convulsio totius corporis versus alterutrum latus. Quemadmodum *emprosthotonus* a

graeco ἔμπροσθεν, *anterius*, s. *in anteriorem partem*, et τείνω, *tendo*, et *opisthotonos* ab ὄπισθεν et τείνω, sic a πλεύροθεν, *versus latera*, et τείνω descendit pleurothotonus. Falsissima igitur huius morbi convulsivi denominatio est *pleurosthotonus*, quam adhuc in Ph. Ca. Hartmanni *theoria morbi*, Ed. II. 1828. p. 286. legimus. Nam πλεύροσθεν non extat.]

PLEXUS CHORIOIDES, non *choroideus*, supra glandulam pinealem, et in basi ventriculorum lateralium cerebri veli ad modum expanditur. Nempe pia mater in glomerem convoluta irrepit in ventriculi lateralis utriusque cornu inferius. Ea in sede cranii plexus in basin cerebri propullulat, liber, impositus nascenti nervo optico, solaque pia membrana velatus. Inde cum thalamo nervi optici surgit extrorsum, retrorsumque et introrsum, et ad summum cornu descendens ventriculi dilatatus, totum tegit hippocampum. Inde iterum contrahitur, taeniamque solam a fornice ortam, proximamque partem thalami tegit, atque ita per ventriculi cornu superius pergit introrsum, antrorsum, impositus thalamo, cumque plexu medio continuatur usque ad thalamorum finem anteriorem, et posteriorem septi lucidi terminum. Ea sede dexter plexus sinistro aut proximus, aut coniunctus, deinde extrorsum de sodali recedens evanescit, cumque plexu medio confunditur, a quo in ipsum suum apicem grandes venas accipit, aliasque vicissim in septum lucidum et fornicem emittit; praeter has venas grandes, sed paucas, et flocculentam membranam in hoc plexu adhuc sunt arteriae plurimae, carotidis internae et vertebralis propagines, quae partim reticulatae manent, partim ad septum lucidum, corpora striata, thalamos et fornicem exeunt. Bullae ovatae, coccae saepe in hoc plexu reperiundae, sine dubio per morbum nascuntur. *Hall.* [Quamquam non sum nescius, in Galen. de Plat. et Hipp. decr. libr. 7. c. 3. aliisque locis πλέγματα χοροειδῆ occurrere, tamen non recte scribi sic vocem puto. Nam χορὸς praeter saltandi actionem, saltantium multitudinem et quasi coronam locumque, ubi saltatur, nihil significat; quae omnia nullam offerunt similitudinem, quacum plexus illi comparari possint. Sed cum illo foetus involucro, quod *chorion* appellari solet, ratione tenuitatis utique similitudinem habent plexus isti.] Ge. *Das netzförmige Aderhäutchen, Adergeflechte.* Ga. *Le plexus choroide.* A. *The net choroides.* B. *De aderen-vlegting in de herssen.*

PLEXUS GANGLIFORMIS dicitur, quando varii nervi interiectis gangliis inter se communicant. Ge. *Nervenknotengewebe.* B. *Zenuw-vlegts knoop.*

PLEXUS NERVOSUS est communicatio plurimorum ramulorum nerveorum e diversis truncis oriundorum. Talis est in facie. Vide *pes anserinus.* Tales etiam e propaginibus nervi intercostalis, vagi et spinalium circa singula vis-

cera reperiuntur, et dicuntur plexus cardiacus, pulmonalis, gastricus, hepaticus, splenicus, renalis, mesentericus superior et inferior, qui et solaris nomin' tur etc. Hi omnes plexus rursus emissis plurimis filamentis nerveis inter se communicant. Ge. *Ein Nervengewebe.* Ga. *Lacis nerveux.* A. *Nervous plexus.* B. *Zenuw-vlechten, zenuw-knooping.*

PLEXUS RETICULARIS, seu **RETIFORMIS**, vide *Plexus choroides.*

PLICA, TRICHOMA est morbus Polonis endemius, contagiosus, chronicus, quando capilli capitis in unum cirrhum, vel plicam, concrescunt, instar caudae vaccinae: ad haec etiam gibbi fiunt, laxantur artus, et dolent, facies pallet, accedit cephalaea, membra conglobantur et retorquentur, aliaque symptomata inde proveniunt. Non sine periculo resecari dicitur. [Cons. inter alios Iust. F. A. Schlegel *über die Ursachen des Weichselzopfs d. Menschen u. d. Thiere, die Mittel, denselben zu heilen* etc. Jen., 1806. 8.] Ge. *Weichselzopf, Wichtelzopf, Judenzopf.* Ga. *La plic, plique.* B. *Een vlecht.*

PLICATUM botanicis dicitur *folium* disco plicis acutis alternatim flexo.

PLUMACEOLI, s. **PULVILLI** vocantur convoluta lintei carpti variae formae et magnitudinis, quae vel sicca, vel remediis vulnerariis imbuta, vulneribus et ulceribus imponuntur. Ge. *Bäuschchen, Plumaceaux.* Ga. *Plumaceaux,* atque si oblongo-rotundi sunt, Ge. *Karpey-Meissel, Zapfen.* Ga. *Bourdonnet.*

PLUMBAGO idem quod *molybdaena* seu *galena plumbi.* [Est fossile obscure cinereum aut fusco-nigrum, dissectum caeruleo-glaucum, colorem facile cum aliis corporibus communicans. Synon. Supercarburetum ferri. A. *Black lead.* B. *Teckenloot.*] Ge. *Bleiglanz, Reissblei.* Ga. *Plomb de mer, plumbagine, mine de plomb noire, carbure de fer, graphite, crayon noir.*

PLUMBAGO est planta flore monopetalo, (Pentandr. Monogyn.) calyce monophyllo, tubulato, pentagono, corolla infundibuliformi, quinquefida, semine unico, ovato, incluso. [*Plumbago europaea* foliis amplexicaulibus, lanceolatis scabris, caule stricto.] Qualitatis dicitur summe acris et causticae. Oleum infusum foliorum ad callos clavosque pedum absumendos commendatur. Sic dicitur, quod maculas habeat plumbeas. [A. *Loadwort.* B. *Loodkruit.* Ga. *Dentelaire, malherbe.* Ge. *Zahnwurz.*]

PLUMBUM est metallum mollissimum, malleabile, ductile, scissile, e livido nigricans, inquinans, ante ignitionem in igne liquescens, fumando avolans, quod diu fusum per vasa pleraque transit, ante ignitionem calcem eiicit, vitrescit cito, tum fusum nullo vase in igne contineri ultra potest.

Cum metallis impuris vitrescit, tumque eadem secum ex cava superficie catilli docimastici abripit, solum aurum et argentum pura a caeteris relinquit; cum mercurio facile in amalgama abit, in aqua forti, aliisque liquoribus et menstruis acidis, non in aqua regia, solvitur, salemque dat dulcem. Minime sonorum est, coloris lividi, specificae gravitatis ad aquam, ut 11345. ad 1000. Medicis *Saturnus* dicitur. In substantia vix in usum medicum adhibetur, nisi forte mechanico-chirurgicum. Sed variis praeparationibus vires exsiccantes et obstipantes adipiscitur. Usus internus valde suspectus est, externus horum praeparatorum frequentissimus et saluberrimus. Vide *Cerussa, Lithargyrium, Minium.* Ge. *Bley.* Ga. *Plomb.* A. *Lead.* B. *Loot.*

PLUMBUM CANDIDUM, i. q. *stannum.*

PLUMBUM CORNEUM, s. *Saturnus corneus,* ex acido salis cum plumbo vario modo coniuncto oritur. [Duas eius species chemici recentiores constituerunt: Plumbum *deutomuriaticum,* et *submuriaticum*, quod a natura productum in Anglia (Derbyshire) inventum est.] Ge. *Hornblei.* Ga. *Plomb cornée.*

PLUMBUM NIGRUM est idem, quod *pnigites,* s. *creta nigra,* s. *nigrica.* Ge. *Schwarze Kreide,* vel fissilis mollior, friabilis, pictorius *Waller.*

PLUMBUM USTUM est plumbum leniori igne calcinatum. Ge. *Bleiasche.*

PLUMBI OLEUM est solutio sacchari Saturni in oleo terebinthinae aethereo, quae in ulceribus commendatur. Vocatur et *oleum Saturni.* Ge. *Bleiöl.* Ga. *Huile de saturne.*

PLUMOSUS botanicis dicitur *pappus* pilis pennatis constans.

PLUMULA in plantis est pars corculi squamosa adscendens. Ge. *Das Blattfederchen.*

[**PNEOBIOMANTIA** a Wildbergio (*gerichtl. Arzneyw.* §. 430.) male excogitata denominatio, ut omnium rerum, quae infantem post exclusionem ex utero materno respirasse probare possunt, disquisitio et diiudicatio significetur. Quamquam enim hanc denominationem multo aptiorem, prius excogitata pneumomantiae, habet, tamen connubium harum trium vocum linguae graecae regulis et commodo sensui adversatur. A *πνέω, spiro, βίος, vita,* et *μαντεία, vaticinium.*]

PNEUMATICI olim vocabantur medici, qui a flatu, vel spiritu, corpora subeunte omnia, vel secundum naturam se habere, vel in morbos incidere, censebant. Huius scilicet sectae auctor, *Athenaeus*, primo post Christum natum saeculo florens, quatuor suis, quae supposuit, elementis, calido, humido, frigido et sicco, quintum addidit, spiritum nempe omnia penetrantem, regentem et conservantem, unde

eius discipuli *Pneumatici* dicebantur. [Historiam sectae pneumaticorum exposuit C. Sprengel in *krit. Gesch. d. Arzneyk.* Th. II. p. 95 — 132. ed. 3.]

PNEUMATOCELE, OSCHEOCELE FLATULENTA est ramex, seu hernia ventosa, cum scrotum ab accumulato aëre distenditur, adeo ut etiam translucere, praesertim lumine admoto, videatur. Recentiorum tamen plurimi, v. c. Bell (*Lehrb. d. Wundarzn. I. p.* 375.) veram pneumatocelen, nec exemplis, nec rationibus, satis luculenter hucusque stabilitam, in dubium vocant, nisi forte simul adsit enterooscheocele, aut forte emphysema scroti sic appellare lubeat. Si scrotum pelluceat, hydrocele adest. A *πνεῦμα, ventus,* et *κήλη, tumor.* Ge. *Windbruch.* Ga. *Pneumatocele, hernie venteuse.* A. *A windy rupture.* B. *Wind-breuk.*

PNEUMATOIDES respiratio est anhelosa. A *πνέω, spiro*, et *εἶδος, forma.*

PNEUMATOMPHALUS est umbilici, a flatibus in ventre collectis, protuberantia. Sunt tamen, quibus etiam haec species dubia videatur. Vide *Pneumatocele.* [Ab *ὄμφαλος, umbilicus*, et *πνεῦμα, spiritus, aër.*] Ge. *Nabelwindbruch.* Ga. *Hernie venteuse du nombril,* ou *pneumatomphale.* A. *Windy rupture in the navil.* B. *Een windbreuk in de navel.*

PNEUMATOSIS est spirituum animalium, seu fluidi nervei generatio, quae fit in ipsa corticis cerebri substantia, nisi forte vascula ex sanguineis recte oriunda sint nervorum communicatoria. Illic arteriolae deplentur, et spiritus secernuntur, qui, postquam cerebri meditullium subierint, totum nervosum genus motibus actionibusque sensitivis perficiendis aptum reddunt. [Qui hac notione vocem adhibuerint, eos non curo. Paul. Aegin. III. c. 38. p. 94. agit *περὶ πνευματώσεως γαστρὸς,* i. e. de extensione ventriculi, ab aëre e cibis potuque assumtis evoluto producta. Sauvages (*nosolog. syst. IX. p.* 109.) hoc nomine designat genus sextum secundi ordinis *intumescentiarum* classis decimae, quae *cachexias* comprehendit, eiusque causam a rarefactione aëris in fluidis corporis animalis contenti derivat, qualis evolutio in cavitate abdominis, in tympanita et in emphysemate sub integumentis communibus locum habere potest.] A *πνεῦμα, spiritus,* et *τίθημι, constituo.* [Quae qualis. A *πνευματόω* potius, *vento impleo.*] Ge. *Absonderung der Lebensgeister.* Ga. *Generation,* ou *production d'esprits.* A. *Generation of spirits.* B. *Geestmaaking.*

PNEUMATOSIS, SARCITES FLATUOSUS, TYMPANITIS UNIVERSALIS, EMPHYSEMA UNIVERSALE, EMPNEUMATOSIS est elastica et flatulenta cutis intumescentia pendens ab expansione aëris in fluidis latentis. Conf. *Emphysema.* Ge. *Windgeschwulst.* Ga. *Bouffissure, emphyseme.*

[**PNEUMOMANTIA** a Wildbergio (v. *Pneobiomantia*) male excusa vox. Debebat dici *pneumonomantia.* A πνεύμων, *pulmo*, et μαντεία, *vaticinium.*]

PNEUMON, Gr. *Πνεύμων*, Lat. *Pulmo.* A πνέω, *spiro.* Vide *Pulmones.*

PNEUMONANTHE est Campanula autumnalis, seu *Gentiana pneumonanthe Linn.* et vox ipsa significat *florem pulmonalem.* Ex πνεύμων, *pulmo*, et ἄνθος, *flos.* Ge. *Lungenblume.* A. *Marsh-gentian, galathian violet.* B. *Klein gentiaan lelyties, spade-klokjes.*

PNEUMONIA, vide *Peripneumonia.*

PNEUMONICA sunt, quae respirationem facilitant. A πνέω, *spiro.*

[**PNEUMONITIS** idem quod inflammatio pulmonum, quam Swediaur *l. c. to.* 1. *p.* 79. sic descripsit: Pyrexia primaria vel secundaria cum dolore obtuso, rarius acuto, in interiore thoracis; respiratio difficilis; tussis frequens. A. *Inflammation of the lungs, peripneumony.* Ga. *Peripneumonie, inflammation des poumons.* Ge. *Lungenentzündung.*]

[**PNEUMONOLITHUS** est concretio lapidea, quae interdum in sputis eorum reperitur, qui phthisi tuberculosa laborant. Variae sunt eiusmodi concretiones magnitudinis, inde a seminum milii magnitudine usque ad eam nucis iuglandis. Chemica analysis docuit, eas e calcaria aut phosphorica, aut carbonica, cum pauca materiae animalis quantitate coniuncta compositas esse. Plura de pneumonolithis habet G. Andral jun. cuius disputationis versio vernacula in *Neue Samml. auserl. Abh. f. prakt. Aerzte B. XIV. p.* 413. sq. legi potest. — A πνεύμων, gen. πνεύμονος, *pulmo*, et λίθος, *calculus, lapis.* Ge. *Lungenstein.*]

[**PNEUMONORRHAGIA**, a Ios. Frankio (*Acta instit. clin. Viln. III. c.* 4. *p.* 20. formata denominatio haemorrhagiae, e vasis pulmonum sanguiferis ortae, minus recte habet. Nam sicut φλεβοῤῥαγία est venae disruptio, ita pneumonorrhagia nihil aliud significare potest, quam pulmonis e ruptura dilaceratio. Aptior igitur *haemoptoës* denominatio est.]

PNIGALIUM, idem quod *Epialtes.* A πνίγω, *suffoco.* Vide *Incubus.* Ge. *Alp, Nachtschrecken.* B. *De nachtmerrie.*

PNIGITES PLINII et **DIOSCORIDIS** [V. c. 175.] est terra bolaris veterum, aut, iuxta alios, terra vitrioli nigra. Plurimis idem est cum plumbo nigro, s. creta nigra. [Nomen hanc terram forsitan invenisse a locis πνιγηροῖς, ubi effodiebatur, auctor est Sprengel ad Diosc. *l. c. p.* 663.]

PNIGMUS, **PNIX** est suffocatio, seu strangulatio. A πνίγω, *strangulo.* Vide *Hysterica passio.*

[**PNIGOPHOBIA** a Swediauero formata denominatio ste-

nocardiae, sive asthmatis dolorifici Darwini, sive anginae pectoris, a πνῖγος, *suffocatio*, et φοβεῖν, *metuere*. Reiicit Krausius hanc vocem ob compositionis ineptitudinem.]

POCGEREBA CORTEX, ex America allatus in alvi fluxibus commendatur. Nullum fere saporem habet.

POCULA EMETICA sunt pocula, e regulo, vel vitro antimonii fusa, quae vino infuso post brevem moram qualitatem drasticam et emeticam impertiunt. Rarissimus eorum hodie usus est. Ge. *Brechbecher*. Ga. *Gobelet émétique*.

PODAGRA est arthritis pedum, quae prima vice regulariter media nocte, verno tempore, adgreditur articulum maiorem pollicis pedis, eumque sensim rubedine suffundit, cum exigua intumescentia, et plerumque periodice revertitur. Ex ποῦς, *pes*, et ἄγρα, *venatio*, quae laqueis fit. Vid. *Omagra*. *Cic. Pedibus captus*. Vide *Arthritis*. Ge. *Das Zipperlein*, *Podagra*. Ga. *Goute*. A. *The gout in the feet*. B. *Voeteuvel*, *voet-flerecyn*.

PODAGRA DENTIUM, i. q. *odontalgia*.

PODAGRA LINI, i. q. *cassutha*, s. *cuscuta*.

PODAGRARIA est planta vulgaris umbellifera, quae *Linnaeo* et aliis *Aegopodium* vocatur. Ge. *Gierisch*, *Geissfuss*.

[**PODENCEPHALUS** vocatur a Geoffroy St. Hilaire (vid. *Coccycephalus*) capitis ea monstrositas, qua cerebrum extra cranii cavitatem quasi pedunculo, cranii superficiem supercranti insidet. Ex ποῦς, *pes*, et ἐγκέφαλος, *cerebrum*.]

PODEX, i. q. *anus*.

POLEMONIUM COERULEUM s. **VALERIANA GRAECA** est planta flore monopetalo, quinquepartito, (Pentandr. Monogyn.) calyce monophyllo, semiquinquefido, capsula trigono-ovata, triloculari, trivalvi, polysperma. Folia habet ovata, trinervia, coniugata, ultimo impari claudente. Colitur passim in hortis. Sunt, qui ei vires vulnerarias tribuant. Nomen forte habet a Cappadociae urbe, *Polemonium* dicta. [Affert quidem Diosc. IV. 8. nomen χιλιοδύναμις quod Cappadoces plantae tribuant, de Polemonio autem, illius regionis urbe, quae plantae nomini originem dederit, silet.] Ge. *Blaues Speerkraut*, *Jacobsleiter*, *griechischer Baldrian*. Ga. *Valériane grecque*, *la valériane blanc*. A. *Greek-valerian*. B. *Griekische valerian*, *Jacob's ladder*, *blau speerkruid*.

POLIATER vocatur medicus, iussu et auctoritate magistratus artem suam in civitate quadam exercens, [et publicae sanitatis curam gerens.] Ge. *Stadtarzt*, *Stadtphysicus*.

[**POLITOBIOTHERAPIA** a πολίτης, *civis*, βίος, *vita*, et θεραπεία, *curatio*, quasi *civium vitae curatio*. Hoc nomen imponi voluit Mayerus, Bonn. prof., politiae medicae.]

POLIUM: variae plantae, (Didynam. Gymnosperm.) ex genere Teucrii, apud nos hoc nomine insigniuntur, et pro-

miscue adhibentur, scilicet *Polium creticum,* s. angustifolium offic. et *Bauh.* seu *Teucrium creticum Linn.* [Ge. *Kretischer Germander.*] et *Polium maritimum erectum Monspeliacum Bauh.* vel *Teucrium montanum Linn.* quae species apud nos frequentius occurrit, et Ge. *Berglavendel, Bergpolei,* vocatur. Polium habet caulem obrotundum, tenuem, durum, lignosum. Folia oblonga, lanugine flava instructa, dentata, crassa. Calyx est monophyllus, semiquinquefidus. Flos est monopetalus, labiatus, cuius labii superioris locum occupant stamina, labium vero inferius in quinque partes dividitur. Ex calyce autem surgit pistillum posticae floris parti ad instar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui abeunt in totidem semina, in capsula, quae floris calyx fuit, recondita, obrotunda, minima. Flores in capitulum collecti summis ramulis et caulibus innascuntur, suntque aurei coloris, odoris penetrantis, aromatici, saporis amari. Crescit haec planta s. Teucrium creticum, in Creta insula aliisque regionibus calidis in montibus. Dicitur a canitie, canisque capillamentis et tomento hirsuto, quae non modo capitula corymbacea, sed etiam universam plantam incanam reddunt, perinde ac Gnaphalium. Qualitatis est amarae et aromaticae, viribusque cephalicis et nervinis gaudet. Infusum menses et urinam eiet, et contra morsum venenatorum animalium commendatur. Haec planta quoque Theriacam et Mithridatium ingreditur. Gr. *Πολιὸς, canus.* Ge. *Bergpolei, Berglavendel.* Ga. *Germandrée tomenteuse.* A. *Poley.* B. *Grys-kruid, polium.*

POLLEN in genere subtilissimam farinam seu pulverem denotat, proprie vero de tenuissimo pulvere dicitur in antheris plantarum contento et debito tempore in stigma foemininum pro foecundatione eiecto. Ge. *Der Fruchtstaub.* Ga. *Poussière prolifique.*

[**POLLENINE** vocatur materies peculiaris, quae partem principem pollinis plantarum constituere videtur, et in iis pollinibus, qui hucusque chemice disquisiti sunt, nunc animalem, nunc vegetabilem prodidit naturam. Partes constituentes pollinis, quae animalem testantur naturam, sunt pollenine et mucus; ad eas autem, quae vegetabilis naturae sunt, materies extractiva, cerine, acidum malicum, olea, resina etc. pertinent. Flavus color, levitas, teneritudo, odoris saporisque absentia magnaque inflammabilitas pollelinae competunt ut virtutes characteristicae. Vid. supra *Mays.*]

POLLEX, vide *Digitus.*

POLLINCTURA idem quam *conditura,* sive *cadaverum balsamatio.*

POLLUTIO NOCTURNA est involuntaria seminis, cum titillationis sensu, per libidinosa insomnia, excretio. Ge.

Nächtliche Befleckung. Ga. et A. *Pollution.* B. *Onwillige Zaadloozing.*

POLYACANTHAS est Cardui spinosi species, et quidem *Carduus* foliis sessilibus, lanceolatis integerrimis, subtus tomentosis, margine spinis ternatis *Linn.* (Syngenes. Polyg. Aequal.) Acarna maior, caule non folioso *Bauh.* Haec planta descripta est a Casabona, ducis Hetruriae olim botanico. Hinc etiam carduus Casabonae dicitur. Ex πολὺ, *multum*, et ἄκανθα, *spina.* Ga. *Chardon beau.*

POLYADELPHIA botanicis est classis plantarum, in quarum floribus staminum filamenta invicem in plura corpora, quasi in totidem confraternitates, connascuntur. [A πολὺς, *multus*, et ἀδελφὸς, *frater.*]

[**POLYAEMIA**, a Graec. πολὺς, πολὺ, *multus, multum,* et αἷμα, *sanguis,* est illa corporis animalis conditio, qua sanguinis copia ita adaucta est, ut viribus vasorum continentium maior sit. Synon. *Plethora vera* s. *absoluta, plethora ad molem.* Ge. *Vollblütigkeit.*]

POLYANDRIA est classis plantarum, in quarum floribus plura, quam viginti, stamina sunt, nullam determinatam proportionem longitudinis inter se invicem habentia. [A πολὺς, *multus,* et ἀνὴρ, *mas.*]

POLYANTHEMUM est planta multos flores proferens. Ex πολὺς, *multus,* et ἄνθος, *flos.*

[**POLYCHOLIA** Reilio (*Tract. de polycholia I.* p. 13.) ille corporis status nuncupatur, in quo ultra consuetam et naturalem rationem bilis elementa in sanguine coacervata sunt.]

POLYCHRESTON [A πολὺς et χρηστὸς, *utilis*], est medicamentum multis morbis accommodatum. Ita nitrum, cui intra crucibulum ad ignem fuso parum sulphuris simul iniicitur, eousque pergendo, donec deflagratio peracta sit, exhibet sal, quod in aquae fervidae quintuplo solutum, colatum, post evaporationem collectum, albescens, amarescens, neutrum, *Sal polychrestum de Seignette* dicitur, et ex soda Hispanica et crystallis tartari praeparatur. Sic et plures pilulae prostant, quae *polychrestae* dicuntur, ex extractis amaris et lenioribus, plerumque laxantibus, atque aloëticis compositae. Ge. *Arznei zu vielen Krankheiten.* B. *Een middel tot veele ziekten.*

[**POLYCHROITES** a πολὺ, *multum,* et χροιὰ, quod superficiem corporis, quatenus colore obducta est, dein colorem ipsum denotat. Nomen hoc propterea materiae extractivae coloranti, in croco a Bouillon-Lagrange et Vogelio detectae, datum est, quod ab acidis kalibusque eius color varias inter coeruleum viridemque experitur mutationes, et a radiorum solis vi prorsus evanescit. Extrahitur sive crocus ipse, sive eius extractum aquosum, ad syrupi consistentiam inspissatum, spiritu vini = 40° B., qui postea leni ca-

lore evaporatur. Massa sic obtenta aurantiacum possidet colorem, pellucet, splendens est, gratum spirat mellis odorem, amarique est saporis. Quantitate sua haec ipsa peculiaris materia reliquas e croco per chemicam analysin extricatas partes superat. Nam duumviri illi, paulo ante nominati, in centum croci partibus invenerunt polychroitae 65, gummi 6, 50, albuminis 0, 50, materiae ceraceae 0, 50, olei aetherei 1, 04, aquae 10, fibrae ligneae 10, iacturae 6, 46.]

POLYCHRONIUS est morbus diuturnus, qui ad menses et annos plurimos saepe extenditur. Ex πολὺς, *multus*, et χρόνιος, *diuturnus*. Ge. *Langwierige Krankheit.* Ga. *Maladie longue, chronique.* A. *A long* or *chronik disease.* B. *Een langduurige ziekte.*

POLYDIPSIA est desiderium potulentorum continuum atque immodicum, quale febribus, hydropi, aut nimiis evacuationibus supervenire solet. [A graec. πολὺς, *multus*, et δίψα, *sitis*.] Ge. *Unmässiger Durst.* Ga. *Soif excessive.*

POLYGALA est herba lac generans, vel multum succi lactei habens. Ex πολὺ, *multum*, et γάλα, *lac*. Habet caulem tenuem, sat durum, alterum rectum, alterum repentem. Folia exigua, graminea, altera acuta, altera oblonga, et obrotunda. Flores sunt monopetali, personati, perforati, exigui, in spicas congesti; labio superiori erecto, et inferiori bifido, quod magis prominet, seu potius sunt papilionacei, ex figura, numero petalorum indeterminato existente. (Diadelph. Octandr.) Post florem sequitur fructus compressus, turbinato-cordatus, in duo loculamenta, semina oblonga continentia, divisus. Floris calyx quinquefidus hunc florem involvit. Radix lignosa, exigua, dura, saporis amari et aromatici. Crescit haec planta in locis incultis. Oves prae omnibus graminum speciebus hanc eligunt. Species officinalis est *Polygala amara Linn.* foliis cristatis racemosis, caulibus erectiusculis, foliis radicalibus obovatis maioribus; Polygala vulgaris, foliis circa radicem rotundioribus, flore caeruleo, sapore admodum amaro *Bauh.* Habitat in montosis, et eximiis pollere dicitur viribus incidentibus et resolventibus, hinc eius decoctum summopere in pleuritide et peripneumonia ad iuvanda sputa, imo in phthisi, commendatur. [Nupera tamen experimenta hanc huius plantae efficaciam admodum dubiam reddunt. Fortasse huius inefficaciae causa in magna plantae genuinae raritate quaerenda est. Pfaffius enim testatur, Polygalam amaram genuinam nunquam ab ipso in officinis repertam fuisse.] Decoctum vinosum mulieribus lac provocare lego. Ge. *Kreuzblume.* Ga. *Herbe à lait.* A. *Milk wort.* B. *Kruis bloem.*

POLYGALA VIRGINIANA, vide *Seneka*.

POLYGALACTOS est foemina, quae multo lacte abun-

dat. Ex πολὺ, *multum*, et γάλα, *lac.* Ge. *Die viel Milch hat* B. *Die vol zog, sive te milk is.*

[POLYGALINE est peculiaris quaedam, in Polygalae Senegae radice detecta materies, quae volatilis, resinosa splendens, fusca, friabilis, amaro-acris, saponaceoque odore et sapore praedita est.]

POLYGAMIA botanicis dicitur classis plantarum, quae flores compositos ferunt, in quibus flosculi hermaphroditi discum occupant, et marginem cingunt flosculi foeminei, staminibus destituti, idque triplici modo: *polygamia superflua* dicitur, cum flores disci hermaphroditi stigmate instruuntur, et semina proferunt, flores quoque foeminei radium constituentes similiter semina ferunt: *polygamia frustranea* est, cum flores disci hermaphroditi stigmate instruuntur et semina proferunt, flosculi vero radium constituentes, quum stigmate careant, semina proferre nequeunt: *polygamia necessaria* est, cum flores hermaphroditi ob defectum stigmatis pistilli semina perficere nequeunt, floribus autem foemineis in radio semina perfecta proferentibus: *segregata*, cum calyces floriferi plures comprehenduntur a communi calyce, ut unicum florem conficiant, ut in Sphaerantho et Stoebe. Exempla *polygamiae superfluae* praebent Xeranthemum, Gnaphalium, Artemisia etc. *frustraneae* Coreopsis, Centaurea etc. *necessariae* Calendula, Osteospermum etc.

POLYGONATUM, *sigillum Salomonis*, est *Convallaria polygonatum Linn.* (Hexandr. Monogyn.) foliis alternis amplexicaulibus, caule ancipiti, pedunculis axillaribus subunifloris. Planta haec habet caules rotundos, politos, nullos ramos dantes, in summitate aliquantulum incurvatos. Folia ad caulem alternatim et quasi pendula disposita, oblonga, ampla, nervosa, coloris obscure viridis. Flores sunt monopetali, campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, uni cauli adhaerentes pedunculis brevibus, in sex segmenta fissi, sex staminibus e latere interno floris enatis praediti. Ovarium ex floris centro natum tubam emittit longam, apiculo fimbriato instructam, et fit bacca mollis, fere rotunda, ovalis, viridis, aut purpurea, continens semina ovalia, dura, alba. Radix est longa, digiti crassitiei, per intervalla articulata, et nodosa, aut tubulata, alba, multas fibras possidens, saporis subdulcis et glutinosi. Haec radix proprie, ob vires vulnerarias, in usum medicum cedit; cum vino decocta contra hernias laudatur. Aqua destillata cosmetica est. Folia cum aceto macerata clavos pedum tollunt. Cataplasma e radice coctum inflammationi uteri medetur. Baccae qualitate drastica pollent. Haec planta crescit in sylvis et locis umbrosis. Sic dicitur a radice geniculorum frequentibus nodis ex intervallis tumente, impressis pluribus sigilli instar vestigiis. [Fuerunt, qui Polygonatum, a Diosc. IV. c. 6.

descriptum, Convallariam polygonatum esse contenderent. Minor tamen florum numerus obstat, indice Sprengelio, quominus illa sententia extra omnem dubitationem posita sit.] Ex πολὺ, *multum*, et γόνυ, *genu*, seu *nodus*. Ge. *Weisswurz*. Ga. *Seau de Salomon, signet de Salomon, genouillet, geniculére*. A. *Salomons-seal*. B. *Salomons zegel*.

POLYGONUM, seu **CENTUM NODIA** est planta flore apetalo, (Octandr. Trigyn.) quae habet caules longos, tenues, rotundos, solidos, tenaces, plerumque repentes, creberrime geniculatos. Folia oblonga, angusta, acuta, viridia, caulibus brevibus adhaerentia, et alternatim disposita. Calyx est quinquefidus, infundibuliformis, qui per maturitatem fit capsula seminalis. Flores apetali, plurimis staminibus constantes, parvi, ad foliorum alas oriuntur. Semen perfecte triangulare est, sat crassum, coloris Castaneae. Radix longa, satis crassa, simplex, dura, lignosa, fibrosa, valde repens, saporis adstringentis. Species apud nos frequentissima est Polygonum latifolium *Bauh. Polygonum aviculare* floribus octandris, trigynis, axillaribus, foliis lanceolatis, caule procumbente herbaceo *Linn.* passim in incultis et ruderatis et viis Europae habitans. Viribus gaudet subadstringentibus et vulnerariis; hinc in diarrhoea, haemoptysi et mictu cruento commendatur. Datur in infuso. Veterinariis frequenti in usu est contra mictum cruentum vaccarum et boum, quibus globi ex herba contusa compacti intruduntur, datis prius ad avertendam ex fluxu subito suppresso inflammationem, remediis refrigerantibus. — Nomen eius ex πολὺ, *multum*, et γόνυ, *genu*. Vocatur etiam *Proserpinaca*, forte a proserpendo; *Seminalis*, a seminis multitudine; et *Sanguinalis*, a sanguine cohibendo; ut et *Corrigiola*, an quod morbos corrigat? [Olim sub nomine herbae centumnodiae officinalis erat. In *Pharmac. Bat.* ed. Niemann. *to. II. p.* 76. tanquam medicina subadstringens laudata est.] — Ad *Polygoni* genus a *Linnaeo* etiam *Bistorta*, *Hydropiper*, et *Fagopyrum* referuntur, quas plantas sub suis nominibus vide. Ge. *Weggrass*, *Blutkraut*, *Vogelwegetritt*. Ga. *Sanguinaire, centinode, renouée*. A. *Knot-grass*. B. *Duizend-knoop, verkens-gras, kreupel-gras, knoop-gras*.

POLYGYNIA est ordo plantarum, in quarum floribus plures partes foemininae, scilicet styli, vel stigmata, adsunt. [A πολὺ, *multum*, et γυνὴ, *femina*.]

[**POLYMERISMA** a Sagaro illud vitium corporis animalis vocatur, quo plures, quam secundum naturam adesse debent, partes adsunt. Cum autem μερισμὸς (nam μέρισμα non reperitur) a verbo μερίζω, *divido*, descendat, facile patet, vocem illam id, quod Sagarus voluit, denotare haud posse. Nec a πολυμερὴς derivari posset, nam et hoc eum, qui in multas partes divisus est, significat.]

POLYMORPHUM OS, vel Latinis *multiforme*, dictum ob varios, quibus interius et exterius exasperatur, processus, est idem quod *os cuneiforme*, s. *sphenoides*. Nonnulli quoque *os cuboides tarsi* ita vocant [A πολὺ et μορφὴ, *forma*.]

POLYNEURON, vide *Arnoglossum*.

POLYPETALUS *flos* botanicis dicitur, cuius corolla e pluribus petalis constat. [A πολὺ et πέταλον, *folium*.]

POLYPHAGIA est multi alimenti assumtio. Ex πολὺ, *multum*, et φάγω, *edo*. Ge. *Fresserei, das Viel-* oder *Vielerleiessen*. Ga. *Gourmandise*. B. *Veel-eting*.

POLYPHARMACON, idem quod *polychreston*. [Krausius quoque putat, vocem significare posse medicamentum valde compositum. Id nullo scriptoris loco poterit probare. Πολυφάρμακος enim nihil aliud significat, quam eum, qui multis dives est medicamentis, aut qui multorum medicamentorum notitiam habet.] Ex πολὺ, *multum*, et φάρμακον, *medicamentum*.

[**POLYOPIA** est illud visus vitium, quo ob peculiarem h. e. polyedricam corneae conformationem unum idemque obiectum pluries simul conspicitur. A πολὺ et ὄπτομαι, *video*.]

POLYPHORA sunt potus, seu vina, plurimis spiritibus pollentia. Ex πολὺ, *multum*, et φέρω, *fero*. Ge. *Starke geistige Getränke*. B. *Sterke wyn, krachtige wyn*.

POLYPHYLLUM botanicis est *perianthium* e pluribus foliis constans.

[**POLYPIONIA** est adipis seu sebi in membrana cellulosa, aliisve partibus, praecipue in omento, accumulatio nimia, functiones corporis laedens. A πολὺ, *multum*, et πίων, *pinguedo*.]

[**POLYPIOTES**, morbus a Swediaur *syst. nos. II. p.* 121. ad Cl. IV. ord. 4, qui *intumescentias* continet, relatus, a multis nosologis cum *polysarcia* confusus, a qua natura sua longissime recedit. Polypiotes, a πολὺ et πιότης, *pinguedo*, idem est, quod *polypionia*.]

POLYPODES idem quod *aselli* et *millepedes*. [Oniscus asellus, ovalis, cauda obtusa, stylis simplicibus.] Ge. *Ein Kellerwurm*. Ga. *Cloportes, pourcelets de saint Antoine*. A. *Hogs-lice, many-feet*. B. *Duizend-been, ezelkens*.

POLYPODIUM est planta capillaris et dorsifera, (Cryptogam. Filic.) cuius species maxime frequens est *Polypodium vulgare Linn.* frondibus pinnatifidis; pinnis oblongis subserratis, obtusis, radice squamata. Eius folia ad nervum paene in partes angustas et oblongas secari solent. Fructus foliis innascuntur; capsulae scilicet membranaceae sphaericae in acervulos congestae annulo carentes, quae fibrarum contractione rumpuntur et semina fundunt minutissima. Radix est oblonga, minimi digiti crassitie, foris rufescens, intus herbacea, ex viridi pallescens, multis nodis

et tophis, quasi acetabulis, geniculata, saporis subaeris dulcis, quodammodo adstringentis et nauseosi. Gaudet viribus edulcorantibus, incrassantibus, expectorantibus et eccoproticis; hinc decoctis contra arthritidem, rhachitidem, pulmonumque affectus additur. Crescit in opacis sylvis et montibus ad petras muscidas, inprimis ad radices caudicesque vetustos arborum Fagi, Coryli, Quercus. Ex πολὺ, *multum*, et ποῦς, *pes*. Repit enim quasi plurimis pedibus. Vel nomen accepisse ferunt a radice, scilicet quae cirrhos et acetabula polyporum modo habet. [Huius sententiae est Diosc. IV. c. 104. qui plantae radicem πλεκτάνας ἔχειν, ὡσπερεὶ πολύπους, refert.] *Filicula* etiam a quibusdam vocatur a similitudine foliorum cum filice. [Hoc nomen a Romanis huic plantae tribui, narrat Dioscor. l. c.] Ge. *Engelsüss*, *Süssfarrn*, *Baumfarrn*. Ga. *Polypode*. A. *Polypody*, *oakferne*. B. *Veel voet*, *boom-vaaren*, *engel-zoet*, *eiken-vaaren*.

POLYPUS [in universum est, secundum Swediaur *l. c. to. II. p.* 586., excrescentia carnosa, plerumque mollis, rarius dura, pyriformis, pedunculo, aut etiam quandoque basi latiore membranae mucosae ac cellulosae, vel etiam periosteo adhaerens, albicans vel rubescens aut livida, dolens vel indolens, saepe humorem ichorosum foetidum exsudans. Cum polypi in hominibus sanissimis saepe occurrant, adeoque opinionem illorum pathologorum, qui illorum causam a vitio syphilitico, scrofuloso etc. pendere putarunt, falsam esse appareat, Swediaur coniicit, polypos, interdum saltem, quemadmodum hydatides, a vermibus peculiaribus generari posse.] — *Polypus narium* est tumor in cavitate narium ab erosione, vel laesione tunicae pituitariae, et vasis luxuriantibus excrescens, estque duplex, vel turundae formam refert, et *Sarcoma* generali nomine vocatur: [differentiam inter *sarcoma* et *polypum* intercedentem statuit Galen. *def. med. to. XIX. p.* 440. magnitudinem et fabricam.] vel ramulis, aut pedibus variis, ad oris interiora, aut nasi exteriora, se extendit, easque partes sic obstruit, ut loquendi, spirandi, et mungendi libertas intercipiatur. Color est albus, instar muci concreti, vel propter vasa sanguinea in eo conspicienda saepe ad rubedinem vergit; modo mollis, et dum trahitur, valde prolongandus, vel durior; aliquando lividus, niger, et graveolens, ad carcinomatis naturam accedens, et tunc admodum dolens et periculosus. Huiusmodi excrescentiae in naribus et sinibus crassae meningis aliquando contingunt. — In *corde* quoque et *arteriis* maioribus sanguis pro tempore stagnans ob animi deliquia, etc. in parte sua gelatinoso-fibrosa concrescit in massam solidam, tenacem, postea non dissolvendam, quae vel libere pluribus radicibus in vasis illis aliquamdiu fluctuat, donec impellatur trunco uni alterive, vel accrescit lateri vasis, quod summe exten-

dit, plurimasque pulsus et respirationis perturbationes, saepe etiam suffocationem, vel mortem subitaneam, causatur. Simile quoque concrementum in utero a sanguine fibroso, vel a portione secundinarum remanente, vel etiam a laesione uteri, generari potest, ipsi interdum substantiae uteri accretum, tumque magis ad *sarcomata* pertinens. *Polypus* dicitur huiusmodi concrementum ob plures radices, quae quasi pedibus similes sunt, quo polypum animal aemulantur. Ex *πολὺς, multus,* et *ποῦς, pes.* — Concretiones ex lymphatica sanguinis parte, quae in vasis maioribus libere haerent, ac in ipso mortis articulo, vel post mortem oriuntur, *polypi spurii* vocantur. Ge. *Ein Nasengewächs, Herzwurm, Schleimgewächs, Schleimpfropf.* Ga. *Polype.* A. *Polypus.* B. *Een slym-prop, veel voet.*

POLYPYRENAE botanicis dicuntur *baccae,* quae plura *grana,* vel *acinos* continent.

POLYSARCIA est nimia corpulentia corporis, in qua nimia pinguedinis moles corpus deturpat, eiusque agilitatem minuit. Ex *πολὺ, multum, σάρξ, caro.* Ge. *Vollleibigkeit.* Ga. *La corpulence.* A. *Corpulent.* B. *Corpulentigheid, grof lyvigheid.*

POLYSPASTON est trochleae compositae species, et machinamentum articulis extendendis et reponendis accommodatum; ita dictum, quod multis orbiculorum circuitionibus facilitatem praestat, et vim attrahendi usque adeo insigniter amplificat, ut huius beneficio unicus homo plus, quam decem pluresve homines sine illa efficiat. Ex *πολὺ, multum,* et *σπάω, traho.* Ge. *Flaschenzug.* Ga. *Polyspaste.*

POLYSPERMOS, qui semine dives est. Botanicis dicuntur capsulae *polyspermae,* quae plura semina continent. Ex *πολὺ, multum,* et *σπέρμα, semen.* Ge. *Der viel Saamen hat.* B. *Veel zaadig.*

POLYTRICHUM ita *Capillus Veneris,* ac aliae filicum species vocantur. Vocatur ob capillarem faciem. Ex *πολὺ, multum,* et *θρὶξ, capillus.* Dicitur quasi *multicomum,* quod capillos densos ac multos faciat, eiusque defluvia expleat. Vide *Adianthum, Capillus Veneris.* — *Polytrichum* etiam est plantae genus ad Cryptogam. Muscos pertinens, in cuius flore masculo calyptra conica, aequalis, anthera oblonga, ore ciliari, tecto operculo conico, in foemineo flore in distincto individuo, calyx communis patens in rosulam imbricatam, coloratam, pistilla filiformia articulata sunt. Huius species maxime frequens est Polytrichum aureum maius et minus *Bauh.* *Polytrichum commune Linn.* caule simplici, anthera parallelepipeda. Habitat in Europae pascuis et uliginosis. Eius decoctum passim ut insigne remedium diaphoreticum et pectorale laudatur. Ge. *Güldner Wiederton,*

Haarmoos, Jungfernhaar. Ga. *Perce mousse.* A. *Golden maiden-hair.* B. *Goude vrouwen-hair, gulde wederdood.*

POLYTROPHIA est nutritio multa, quando nempe corpus nimium nutritur. Ge. *Uebermässige Ernährung.* B. *Veel-voeding.*

POMAMBRA, POMUM AMBRAE, dicitur quasi pomum ex ambra aliisque odoramentis compositum. Ingredientia sunt plerumque ambra grisea, moschus, zibethum, ladanum, benzoin, styrax calamita, oleum cinamomi, oleum caryophyllorum etc. Ex hisce cum mucilagine alicuius gummi, globuli maiores, seu poma, odoris gratia componuntur. Usus frequentissimus olim fuit in balsamatione corporum, dum, exscissis oculorum bulbis, in singulas orbitas huiusmodi pomum ambratum intrudebatur. Ge. *Geruchball, ein wohlriechender Ball.* Ga. *Pastille.* A. *A smell-ball, pomander, muske-ball.* B. *Een amber-bal, reuk-bal.*

POMATUM est unguentum grati odoris, pinguedinem porcinam et poma recipiens, unde nomen. Ge. *Apfelsalbe.* Ga. *Pomade.* B. *Appel-zalf.*

POMPHOLYGODES *urina* est, cui in superficie plurimae bullae innatant, quae plerumque in flatibus et doloribus corporis observatur, et materiam viscidam aegre dissolubilem denotat. [Non a πομφολυγόω, *bullas excito*, uti Blancardus voluit, sed a πομφόλυξ, *bulla,* et εἶδος, *species,* descendit.] Ge. *Schaumartiger Harn.* B. *Schuim-achtige pis.*

POMPHOLYX est favilla tenuissima et volatilis, quae, dum aes [zincum continens torretur, aut] in fornacibus liquefit, supernae earum parti adhaerescit. Coit ibidem in glomusculos vellerum lanae similes, contactaeque farinae modo dispergitur. [Hoc oxydum zinci] qualitatis est exsiccantis; hinc externe pluribus in emplastris, unguentis et collyriis adhibetur. [Quae non in supremam fornacum partem adscendit, sed paulo profundius haeret, coloris est profunde grisei, et massam compactam format, quae diffracta superficiem offert flavescentem. *Nihilum griseum,* seu] Arab. *Tutia.* Lat. *Bulla:* nam πομφόλυξ, *bullam* significat, a πέμφιξ, *flatus;* officinis *Nil,* unde dicitur *nihil album.* Ge. *Weisses Nichts, Ofenbruch.* Ga. *Calamine, tutie blanche.* A. *The white tutty.* B. *Niet, witniet.*

POMUM botanicis in genere dicitur pericarpium farctum, revalve, continens capsulam.

POMUM latius patet, quam malum: comprehendit enim fere omnes fructus molliorem corticem habentes, seu qui *horaei* dicuntur, omnesque qualitate acidula, dulci et refrigerante pollent. [*Pomus,* quod tanquam synonymon τοῦ *pomum* a Blancardo positum est, ab hoc, uti *malus* et *malum,* ita differt, ut masculino arbor, neutro autem fructus, quem arbor profert, designetur.] Vide *Malus.* Forte sic

dictum, quod eorum plurima etiam sitim tollant, ita ut simul sint cibo et potui. Gr. *Μῆλον*, *ὀπώρα*. Nonnulli a *πόμα*, *potus*, derivant. Ge. *Obst*, *Apfel*. A. *Fruits*. B. *Ooft*, *vrugten*. Ga. *Fruit*.

POMUM, vel **MALUM** vocatur etiam illa rupturae corneae species, per quam uvea tunica prorumpens eminentiam format, quae pomi figuram utcunque refert. Vide *Staphyloma*.

POMUM ADAMI, vide *Adami pomum*.

POMUM ADAMI est *Mali aurantii* species, volumine maior, colore obscuriore, et minus fragrans. Nomen accepisse ferunt, quod cortex rimis quibusdam exasperatur, ac si dentibus demorsus esset.

POMUM AMORIS et **POMUM AUREUM**, seu **MALUM AUREUM**, sic vocatur ob pulchrum et amabilem adspectum. Dicitur etiam *Lycopersicum*. Vide *Lycopersicum*.

POMUM ODORIFERUM, i. q. *pomambra*.

PONDO. De ponderibus *Ioh. Rhodius* haec habet: inter pondera Romana reliquorum omnium, tam ponderum, quam mensurarum, veluti regula primas partes merito poscit *libra*. Cuius schema *P. Celso* sine ulla adiectione notat pondo solum, hoc est, libram, non mercalem, negotiatoriam, *στατικὴν Polluci*, Gallis regiam, quae senum denum *Budaeo*, de ass. lib. 2. fol. 38. sedecim unciarum *H. Iunio*, sed Romanam, quae tam mensuralis a mole, quam a gravitate ponderalis, assis instar, Romanis usitatissime XII. unciarum, sive 14. denariorum, erat: non quidem levi coniectura, sed computatione legitima, nostrae aequalis. Hoc tamen discrimine, ut librae unciae XII. mensurales, X. ponderales respondeant, ex *Galeni* lib. 6. de comp. med. s. gen. cap. 8. *Budaeo* de asse, duodecim et dimidiae, cuius sententiae momenta *Agricola* solide infregit lib. 4. de ponderibus et mensuris. Nostris sic notatur: pond. et lib. ℔. Pro regionum, imo et urbium diversitate innumera paene dantur ponderum genera. Vide etiam *Libra*. Ge. *Ein Pfund*. Ga. *Un livre*. A. *A pound*. B. *Een pond*.

PONS VAROLII est expansio quaedam, seu protuberantia *medullae oblongatae*, sita in cavitate ossis sphenoidei, figurae ovalis, et variis nervorum paribus originem praebens. Sic a *Varolio* inventore dicta, quod pontem inversum repraesentaret, qui postea a *Willisio prominentia annularis* vocatus fuit. Ge. *Die Brücke im Gehirn*. Ga. *Pont de Varolius*. A. *Bridge of Varolius*. B. *De brug van Varolius*.

PONTICUM ABSINTHIUM nomen habet a Ponto regione, in qua nascitur. Est *Artemisia pontica Linn*. (Syngenes. Polygam. Superfl.) foliis multipartitis subtus tomentosis, floribus subrotundis nutantibus, receptaculo nudo. Qualitatis est suavioris minusque amarae Absinthio vulgari,

quocum caeterum viribus convenit. — *Ponticum* etiam epitheton est saporis cuiusdam salini, cum acore et faeculentia coniuncti.

POPLES est articuli istius, quo os femoris articulatur ossi tibiae, pars interior, sive posterior, qua crus flectitur. Gr. Ἰγνὺς [Poll. *onom. II.* 190. Videtur poëtis inprimis usitata fuisse.] et Ἰγνία [Ruf. Eph. *l. c. p.* 52. γόνυ ἐστὶ τὸ ἄρθρον τοῦ μηροῦ, τὸ πρὸς τῇ κνήμῃ. ἡ δὲ σύγκαμψις, ἰγνύα. Ita et Oribas. *anat. p.* 254.] Ge. *Die Kniebeuge, Kniekehle.* Ga. *Le jaret.* A. *The hollow of the afterpart of the knee, the harm.* B. *Knieboog.*

POPLITAEA ARTERIA est continuatus truncus arteriae cruralis, sub poplite decurrens, qui, sparsis exiguis ramulis ad musculos vicinos, in duos ramos maiores, aut potius tres, arteriam scilicet tibialem anteriorem, suralem et peroneam, finditur. Ge. *Die Kniepulsader.* Ga. *L'artère poplitée.*

POPLITAEA VENA ex duplici ramo venae cruralis misto constat, et sub cute tecta posterius per medium poplitis flexum decurrens, atque in tres, tandemque plures et minimos ramos fissa, excurrit usque ad calcem, aliquando ad malleoli cutim. Ge. *Die zurückführende Knieblutader.* Ga. *Veine poplitée.*

POPLITAEUS MUSCULUS est unus ex iis, quo tibia flectitur. Externo infernoque femoris osseo tuberi adnatus, oblique, itidem tibiae superiori posteriorique eminentiae quadrata ex parte figura inseritur. Ge. *Der Kniekehlenmuskel.* Ga. *Muscle poplité,* seu *jarretier.*

POPULAGO, [seu *Vitellinum,*] seu *Caltha palustris Linn.* est planta, quae habet caules ramosos, rotundos. Folia rotunda, ampla, polita, leviter crenata in margine, coloris virido-obscuri, Chelidonii minoris foliis satis similia, sed quadruplo maiora. Flores sunt polypetali, rosacei, nudi, ranunculoidei. (Polyandr. Polygyn.) Pistillum floris abit in plurimas vaginulas, quae deorsum pendentes ferunt plurima semina plerumque oblonga. Radix fibrosa, albescens. Haec planta crescit in locis aquosis. Decocto florum et foliorum insignes virtutes aperitivae et resolventes, emmenagogae et alexipharmacae tribuuntur; laudatur quoque in cura variolarum. Gemmae aceto conditae, capparidum instar, inter acetaria apponuntur. [Lappones e radice arefacta panem coquunt: acrimonia, quae radici recenti inest, coctione dissipatur.] Est quoque *Tussilago altera,* item *Caltha palustris,* et *Chelidonia palustris,* sic dicta ob foliorum albedinem, quam cum Populo arbore communem habet. Ge. *Dotterblume, Wiesenblume, Schmalzblume.* Ga. *Peuplier, souci, souchet d'eau.* A. *Marsh-marygold.* B. *Dodder bloem, botterbloem, hoefbladeren.*

POPULARIS MORBUS, idem quod *endemius*, seu *epidemius*.

POPULEUM est *unguenti* nomen, sic dictum, quia componitur ex oculis, seu gemmis populi, quibus additur bardana, hyoscyamus, lactuca, mandragora, papaver nigrum, sempervivum maius et minus, solanum, violaria, umbilicus veneris, rubi cymae, et porci axungia. Ge. *Pappelsalbe.* B. *Populier zalf.*

POPULUS est arborum genus, (Dioec. Octandr.) cuius flores masculi et foeminei in amentis dispositi calycem habent ex lamina lacera constantem, corollam vero turbinatam, obliquam, integram. In foeminino flore stigma quadrifidum, capsula bilocularis, semina multa, papposa. Species huius arboris officinalis est *Populus nigra* foliis deltoidibus acuminatis serratis *Linn.* quae in locis humidis et ad oras fluviorum crescit, et plurimum in oeconomia usum largitur. [Diosc. lib. I. c. 110. sub nomine *Αἰγύρου* arborem descripsit, e cuius lacrymis succinum originem suam trahere refert. De qua re cons. Sprengel ad h. l.] Eius *oculi,* seu gemmae, scatent vernali tempore, ut in hoc genere vulgare est, succo balsamico, odoro, ex quo olim infusione cum vino et oleo *oleum aegirinum* parabatur, de quo vide sub hac voce. Iam tantum pro *unguento populeo,* quod ex plurimis rebus et inter alias ex anodynis compositum est, et emolliendi ac refrigerandi vim habet, hae gemmae colliguntur. Ge. *Pappel, schwarze Pappel.* Ga. *Peuplier noir.* A. *The black poplar.* B. *Populier boom, pope-laar.* — *Populi* quoque *albae,* foliis subrotundis dentato-angulatis, subtus tomentosis *Linn.* gemmae eiusmodi balsamico succo scatent. Vide *Opobalsamum germanicum.* Ge. *Weisse Pappel.* Ga. *Peuplier blanc, aubel.* A. *White poplar, abele-tree.* B. *Abeel-boom.* — Ad hoc genus quoque arbor secundum *Linnaeum* pertinet, ex qua resina Tacamahaca colligitur, licet alii eam ex alia arbore oriri putent. Vide *Tacamahaca.* — Populi nomen a *πάλλω, vibro, quatio, concutio,* quia a minimo aëris motu populi folia concutiuntur.

PORCELLANA, seu **MASSA PORCELLANA** est massa semipellucida, et quasi semivitrificata, quae ex fluoribus et argilla purissima ignis ope paratur. Eius species variae variis in locis parantur. Ab initio tamen ex China allata est, [ubi e terra *kaolin* dicta parabatur. In Saxonia anno 1706. I. F. Böttger, qui auri chemiae ope conficiendi artem iactitans propterea ab electore in custodia detinebatur, primus ex argilla fusco-rubra genuinam in Europa Dresdae conficiebat porcellanam: ex alba autem argilla eandem Gener. a Tschirnhausen 1609. Misenae parabat.] Ge. *Porzellan.* Ga. *Porcellaine.* A. *China-ware.* B. *Porcellin.* — Porcellanae spuriae species, quam ab inventore *Reaumurianam*

dicunt, caementatione vitri cum gypso, aut terra calcarea, paratur. Ge. *Reaumurisches Porzellain.* Ga. *Porcellaine de M. de Réaumur.*

PORCELLUS est insectorum species, quae et *Aselli* et *millepedes* dicuntur.

PORCELLUS CASSONIENSIS est tumor hypochondrii sinistri cum dyspnoea, pulsu tardo, dyspepsia, animi tristitia, sputatione multa, in Hungaria frequens. Hinc potissimum symptoma passionis hypochondriacae.

PORCUS est animal quadrupes ad Mammalia bestias pertinens, quibus dentes primores utrinque; intermediis distantibus, laniarii semper uno plures utrinque, nasus ultra os prominens. *Sus scrofa Linn.* Aper vix a sue domestico differens, nisi quod lanam inter setas non habeat: dentibus primoribus superioribus quatuor, convergentibus; inferioribus octo patulis; laniariis superioribus duobus brevioribus, inferioribus duobus exsertis: dorso antice setoso, cauda pilosa; est animal odore pollens, naribus fodiens; tendinibus truncandis; quisquilias, stercus, succulenta, variaque spurca vorans, multa seligens; pinguissimum, stupidissimum, somnolentum, tempestatum praenuncium et impatiens; apricatur in sole; in coeno se volutat; immundum, grunniens, accurrit clamanti adversus hostem, spumante ore dentibusque horrens; crotalis infestum; tardum venere: pene laxo, longo; mammis numerosissimis, prole innumera; laborat pediculis, scabie, scrophulis, pipere; ganeae numerosa materies; athletis et exercitatis salubris, non vero criticis; saccharo, seu ficu inprimis altilis laudatur; inde pernae, sincipitia, trunculi, costae, sumina, vulva, isicia, botuli iuscula, *Linn.* Dentibus apri, licet qualitatis tantum insipidae, inodorae, terreo-gelatinosae, in pulverem tritis, nescio quae virtus antipleuritica tribuitur. Axungia porcina emolliente vi pollet et ad multa unguenta adhibetur. Stercus suillum in profluviis sanguinis laudatur. Ge. *Ein Schwein.* Ga. *Porc, cochon.* A. *Swine, sow.*

PORI dicuntur extremitates vasorum minimorum exhalantium, vel meatus exigui et insensiles cutis aliarumque partium, per quos sudor et effluvia vaporosa ex corpore decedunt. Ge. *Schweisslöcher, Oeffnungen.* Ga. A. *Pores.* B. *Sweet gaten, pipjes.*

PORI BILIARII dicuntur extremitates, vel principia ductuum biliariorum in hepate, qui denique in magnum *porum biliarium*, vel *ductum hepaticum*, confluunt. Ge. *Die Gallengänge.* Ga. *Les pores biliaires.* Vide *Porus biliarius.*

PORI INORGANICI dicuntur minima interstitia et hiatus passim relicti inter fibras, e quibus membranae, aut lamellae corporis nostri conflantur.

POROCELE est hernia, ex callo, aut calculo excitata, renitens, dura et inaequalis. [Galen. *defin. med. to. XIX. p.* 448. *Πωροκήλη ἐστὶ πώρων σύστασις κατά τι μέρος τοῦ ὀσχέου.*] Ex *πῶρος*, *callus*, et *κήλη*, *tumor.*

POROMPHALUS est calculus, aut callus, in umbilico protuberans. [Idem Galen. *l. c. p.* 445. *Πωρόμφαλόν ἐστι πώρου σύστασις κατὰ τὸν ὄμφαλον.*] Ex *πῶρος*, *callus*, et *ὄμφαλος*, *umbilicus.*

[**POROPOEIA** a methodicis appellata est ea medendi methodus, qua per medicamenta pori aut recluduntur, aut immutantur. Adhibuit *ποροποιΐας* vocem Galen. *meth. med. IV. c.* 4. *p.* 270. *to.* X.]

POROSIS est calli generatio. A *πωρόω*, *callum induco, induro.* B. *Eeltmaaking.* [Vocatur et sic *chalazium* s. induratus furunculus, in palpebrarum marginibus ortus. Apud Helling. (*Augenkrankh.* B. 2. p. 212.) et Kraus. (*med. etym. Lexic.*) memoratur quoque *porosis* corneae, explicaturque per texturae naturalis corneae emollitionem. Id quod linguae usui penitus repugnat. Ge. *Auflockerung der Hornhaut.*]

POROSITAS dicitur de corporibus, meatus exiguos et foraminula habentibus. Hinc applicatur ossibus, in quorum lamellis plurimae aperturae observantur, per quas medulla ad omnia ossium puncta duci potest.

POROTICA sunt medicamenta callum generantia, seu quae exsiccando, incrassando et adstringendo partis alimentum in callum convertunt. A *πωρόω*, *callesco.* [Adiectivum *πωρωτικὸς* nullibi, opinor, occurrit.]

PORPHYRITES est iaspis durissima, rubens, lapillulis variis inspersis. Ge. *Porphyr.* Ga. *Porphyre.*

PORPHYRITES vocatur quoque tabula lapidea ex marmore, silice, aut porphyreo saxo superficie laevi et aequali, super qua, ancillante alio lapide, cursore dicto, alii lapides, gemmae, corallia, testae etc., in subtilem pulverem rediguntur. Ge. *Reibstein, Präparirstein.* Ga. *Porphyre.* B. *Een vryf-steen, prepareer-steen.*

PORRACEA BILIS, vide *Bilis.*

PORRIGO, i. q. *furfuratio.*

PORRUM est planta flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) *Allium porrum Linn.* caule planifolio umbellifero, staminibus tricuspidatis, radice tunicata, s. Porrum commune capitatum *Bauh.* Habet folia ex tunicis radicis enata, plana, quandoque carinata. Caulis est rectus, crassus, solidus, succulentus. Flos hexapetalus, quasi campaniformis, ornatus staminibus latis, planis, in tria capillamenta exeuntibus, quorum medium apice donatur; flos in fasciculos globosos colligitur. Ovarium fit fructus subrotundus, trilocularis, foetus seminibus subrotundis. Bulbi sunt oblongi, angusti, fere cylindrici, tunicati, politi, splendentes, albi. Tota

haec planta habet odorem allii, et colitur in hortis. Planta haec ita tunicata est, ut bulbus totus in tunicas possit resolvi, et folia sint tantum elongatae squamulae bulbi. Usus maxime culinaris tantum est. Pollet tamen etiam viribus resolventibus, alexipharmacis, diaphoreticis et diureticis. Succus expressus tinnitui aurium, ipsaque planta contusa ambustioni et morsui animalium venenatorum medetur. Cum butyro frixa et applicata in pleuritide et angina levamen fert. Nomen habere dicunt, quod porro eat et longe lateque grassetur. Gr. *Πράσον*, a *πράω*, *incendo:* est enim calidum. [Diosc. II. c. 179. *πράσον κηπαῖον* a Romanis *porrum* vocatum esse testatur.] Ge. *Lauch.* Ga. *Poireau.* A. *Leek, porrey.* B. *Porey, prey.*

PORRUS est verrucae, vel condylomatis species, quae habet quasdam radices ad extra, ad similitudinem porrorum, et ita minutim fixa. Talis in obscoenis partibus nasci solet ex venereo morbo, si virus eius, ut putat *Astrucius,* unicam cutis papillam, vel exiliorem papillarum manipulum singulatim afficit, sed valide. Ge. *Feigwarzen.* Ga. *Poireau.*

PORTA, Gr. *πύλη,* sic vocatur hepatis pars sima, ubi duae parvae inveniuntur eminentiae, seu protuberantiae, quas *portas* appellarunt veteres medici, putantes, chylum per facultatem attractricem suctum ex intestinis in venas mesaraicas ad venam portarum attrahi, et per vim hepatis assimilatricem in sanguinem converti; quod falsum esse recentiorum anatomicorum inventa, et inprimis *Harvaeii* observata, evicerunt. [Oribas. *anat. p.* 114. *ὀνομάζουσι δὲ τὸν τόπον τοῦτον, εἰς ὃν ἀθροίζονται πᾶσαι, πύλας ἥπατος.*] *Vena,* quae ibidem loci ex visceribus imi ventris, scilicet ex vena mesenterica et splenica confluens, sanguinem in hepar ducit, ideo *vena portae* vocatur. Ge. *Die Pforte.* Ga. *Porte.* A. *The livers port.* B. *De lever poort.*

PORTAE VENA, vide *Vena.*

PORTULACA, PORTELLA, PORTICULA est plantae genus flore rosaceo, (Dodecandr. Monogyn.) cuius species maxime frequens est Portulaca latifolia sativa *Bauh. Portulaca oleracea* foliis cuneiformibus, floribus sessilibus *Linn.* Habet haec caulem rotundum, crassum, rectum, succulentum, tenerum, politum, splendentem, rubicundum, in ramos divisum, Folia succulenta, oblonga, fere rotunda, crassa, satis ampla, splendentia, carnosa, coloris albescentis aut flavescentis, saporis viscosi, subacidi. Flos est rosaceus, quinque petalis in orbem positis constans, ex cuius calyce monophyllo et bifido surgit pistillum, quod deinde simul cum calyce abit in fructum, plerumque ovatum, seminibus foetum orbiculatis, nigris, parvis, et duabus testis in summo donatum, quarum exterior, quae calycis pars fuit bifida, primo, interior vero, quae aliud nihil est, quam pi-

stillum ampliatum, postremo transversa, bifariam dehiscunt, inferiori, seu calycis altera parte, pediculo affixa. Radix est fibrosa, simplex. Culinaris est huius plantae usus, et iusculis atque acetariis additur. Gaudet tamen eximia virtute refrigerante, antiscorbutica, et, ut lego, anthelminthica. Semen inter quatuor semina frigida minora refertur. Gr. Ἀνδράχνη, [Diosc. II. c. 150.] πυλὶς, πυλίδιον. Quidam putant a porco, (quasi porcorum lactuca) nomen habere, unde *χοιροβότανον, porci herba;* vel a *πύλη, porta. Ἀνδράχνη,* quasi ἀδράχη, quasi cum *ἁδρᾷ ἄγνῃ pullulet.* Ge. *Portulack, Burzelkraut.* Ga. *Pourpier, porcelaine.* A. *Purslain, porcelain.* B. *Porselein.*

PORUS proprie est parvum et vix visibile foraminulum, exhalationi inserviens, qualia inprimis in integumentis reperiuntur. Dicitur tamen etiam de parvis canaliculis. Vide *Pori.*

PORUS BILARIUS, seu **HEPATICUS** est canalis, qui ex tota hepatis substantia undique oriundus, atque ex minimis in maiores canales tandemque in unicum desinens, eo loco, ubi vena portarum hepar ingreditur, exit; inde descendens cum ductu cystico iunctus, ductui choledocho inseritur: vehitque bilem, in hepate praeparatam, ex hepate; et eam in intestinum duodenum amandat. A *πείρω, pervado.* Ge. *Der Gallengang.* Ga. *Pores biliaires.* A. *The bile channel.* B. *Gal-leider,* sive *pyp.*

POSCA putatur dici a *πόσις, potio,* i. q. *oxycratum.* [Mercur. *V. L. III. c. ult.* probat, poscam non semper apud Romanos scriptores denotare potionem, ex aqua cum aceto mixta constantem, sed quemadmodum esca pro cibo quocunque adhibitum sit, ita quoque poscam potulentum quodvis significasse. Cons. *Gloss. manuale ad script. med. et inf. lat.* to. V. p. 390.]

[**POSOLOGIA** a nonnullis, non solum Galliae, sed et Germaniae medicis ea doctrina appellatur, quae medicum docet, quanam quantitate quodlibet medicamentum, ratione habita et aetatis, et constitutionis corporis aegrotorum et formae remedii ipsis propinari debet. A *ποσὸν, quantitas,* et *λόγος, doctrina.* Nescio, cur Krausius hanc denominationem pro singulari declaraverit. Id non nisi tunc locum haberet, quando quis vocis derivationem a *ποσὸς, aliquantus,* aut adeo a *πῶς, quomodo,* quod utrumque ab ipso allatum est, deduceret.]

POSSETUM, Gr. *Ζυθόγαλα,* est lac decoctum, cui sub finem coctionis cerevisia infunditur, tunc liquidum serum in febribus sorbendum datur, et coagulum removetur; potio est Anglis familiaris. [*Zythogala* secundum Krausium a Sydenhamo et Pecqueto ad potulentum significandum adhibitum fuit, quod e lacte, cuius caseosa pars a sero aceti aut pirati

auxilio separata est, paratur. Sed in Sydenhami operibus huius potulenti conficiendi ratio nullibi descripta legitur, sed de eo tanquam de re nota sermo est. Sydenhamus peccavit, quod vocem *zythogala* (*Oper. p.* 39. ed. Lips.) adhibuit tanquam substantivum femininum primae declinationis. Est potius neutrum tertiae declinationis *ζυθόγαλα*, gen. *ζυθογάλακτος*. Auctt. dict. term. med. etc., cum zythogala explicarent per miscelam lactis cum cerevisia, fortasse ad Sydenhamum respexerunt, qui p. 179. hanc potionem vocat lac cerevisiatum.] Ge. *Posset, Biermolken.* Ga. A. *Posset.* B. *Bierwei.*

POSTBRACHIALE, i. q. *metacarpus.*

[**POSTHITIS** est inflammatio praeputii. A *πόσθη*, quod Poll. *onom. II.* 171. per *τὸ ἐπὶ βαλάνῳ δέρμα* exponit.]

POTAMOGEITON, vel **POTAMOGETON**; Gr. *σταχοίτης*, Lat. *fontalis*, quia fontibus, et praesertim fluminibus, vicina est, siquidem in aquosis et palustribus locis nasci amat. Est planta flore tetrapetalo, calyce nullo, ferens semina quatuor subrotunda, acuminata. (Tetrandr. Tetragyn.) Flores sunt spicati. Viribus gaudet subadstringentibus et refrigerantibus, variisque simul cutis morbis medetur. *Stachyites* vocatur, quasi spicata, ob caulem, quem ex se mittit floribus et semine spicatum. [Novit iam plantam Diosc. IV. c. 99. ad q. l. cons. Sprengel.] Ex *ποταμὸς*, *fluvius*, et *γείτων*, *vicinus*. Ge. *Samkraut, Seeholderkraut.* Ga. *Epi d'eau.* A. *Water-cultrops, pond weed.* B. *Fontein-kruid, swem-kruid, swam-kruid.*

POTENTILLA: an ita dicitur ob potentes vires sistendi sanguinem. Vide *Anserina, Argentina* et *Pentaphyllum*, s. *Quinquefolium.* [Nemnich (*Polyglotten-Lex. p.* 1052.) explicat rationem variorum plantae synonymorum. Diosc. IV. c. 42. quinquefolium quidem sanguinis fluxum sistere, sed simul pluribus aliis iisque gravissimis morbis opitulari testatus est. Hinc potius ob potentes virtutes medicas in universum Potentillam nomen accepisse putandum est.]

POTERIUM est plantae genus floribus masculis et foemineis in eadem planta et spica separatis, (Monoec. Polyandr.) corolla quadripartita, bacca disperma nascente e tubo corollae indurato, incrassato, clauso. Viribus gaudet subadstringentibus et vulnerariis. Secundum nonnullos sic dicitur, quod sit potrix herba, paludosum riguumque solum amet, vel forte quasi *ποτὸς*, quod paludosi riguique soli amans sit, sed etymologia non arridet, quia potius montes et loca arenosa amat. Hinc potius quasi *πολὺ ἔριον*, vel *πότε ἔριον*, quod lanugine obducatur lanosa. Vide *Pimpinella* et *Sanguisorba.*

[**POTHOPATRIDALGIA** est tam vehemens patriae desiderium, ut, nisi illi satisfiat, sanitas vel firmissima infriu-

gatur, tandemque mors inducatur. Scripsit de hoc argumento sub illo titulo dissertationem Zwingerus iun. in *Fascic. diss. med. select.* Bas. 1710. 8. A gr. *πόθος*, *desiderium*, *πατρὶς*, gen. *πατρίδος*, *patria*, et *ἄλγος*, *moeror*, adeoque denotat vox *moerorem e patriae desiderio non expleto ortum.* Ge. *Heimweh.*]

POTIO, seu **POTUS**, a *potare*, est mixtura, vel dissolutio ex variis; vel decoctio, quae una, vel pluribus dosibus bibitur, ut haustus, decoctum, emulsio, iulapium etc. Ge. *Ein Trank.* Ga. *Potion.* A. *A drink, potion.* B. *Een drank.*

[**POTOLOGIA** est enumeratio et descriptio potulentorum, quae inter varias gentes in usu sunt. A *ποτὸν*, *potus*, et *λέγω*, *recenseo.* Sub *Potographiae* titulo Odo Staab librum edidit Francof. a. M. 1807.]

PRACTICUS vocatur medicus, qui medicinae apud aegros exercendae operam dat. Hinc *practica medicina*, vel *praxis medica*, est artis medicae exercitium, theoriae cognitionem praesupponens.

PRAECIPITANTIA sunt remedia, praecipue terrea, quae acidum in corpore nostro infringunt, et quasi praecipitant. Est vox a chymicis mutuata, quia praecipitando res alterius indolis fiunt. [Chemici *praecipitantia* vocant ea corpora, quorum ope substantiae menstruo quodam solutae inde sub forma concreta exterminantur. Ga. *Précipitans.* Ge. *Niederschlagungsmittel.*] Vide *Absorbentia.*

PRAECIPITATIO est quaedam minimarum particularum, in liquore conveniente solutarum, per contrarium liquorem infusum subsidentia et reviviscentia. Sic v c. si terrea, vel metalla acido soluta sint, et sal aliquod alcalicum iniiciatur, particulae, antea invisibiles, statim sub pulveris forma subsident. Ita sulphur, succinum, resinae etc., spiritu vini soluta, ab infusa aqua praecipitantur. [Distinguunt chemici inter praecipitationem via humida et sicca. Posterior fusione corporum mixtorum efficitur. Praecipitatio autem via humida locum habet, quando inter corpus praecipitans et menstruum maior affinitas, quam inter corpus solutum eiusque menstruum, observatur.] Ge. *Niederschlagung*, *Präcipitation.* Ga. et A. *Précipitation.* B. *Neederstooting.*

PRAECIPITATUM in genere dicitur omne id, quod per *praecipitationem* subsidet, in specie vero pulveres metallici, et praecipue mercuriales sic vocari solent. Ge. *Präcipitat*, *Niederschlag.* Ga. *Precipité.*

PRAECOGNITIO, vel **PRAENOTIO**, vide *Prognosis.*

PRAECORDIA, Gr. *φρένες*, sunt viscera omnia, in thorace contenta. Ge. *Die Eingeweide der Brust.* Ga. *Les parties autour du coeur.* A. *The entrails in the breast.* B. *Borstingewanden.* — Aliis hac voce denotatur anterior tho-

racis regio, vi vocis hoc indicante, quasi diceretur, partes prae corde, sive ante cor. Alii rursus hoc sub nomine intelligunt regionem sub costis spuriis et cartilagine sterni. Ge. *Die Gegend der Herzgrube.* A. *Pit of the stomach.*

PRAEDISPONENS CAUSA, PRAEDISPOSITIO est is status corporis, secundum quem, accedente *causa procatarctica*, morbus inducitur.

PRAEFOCATIO UTERINA, vide *Hysterica passio.*

PRAEMORSA botanicis dicitur *radix* apice quasi truncata. *Praemorsum folium* vocatur, quod incisuris inaequalibus obtuse terminatum est.

PRAEPARANTIA VASA, sed melius *testicularia,* s. *spermatica,* sunt venae et arteriae, ad testes et epididymides euntes, sic a veteribus appellantur, ex praeiudicio putantibus, in iis semen praeparari. Vena utrinque plurimis ramificationibus et anastomosibus tandem uno trunco et quidem dextro in venam cavam, sinistro vero in venam emulgentem sinistram abit. Arteria vero, utrinque ex aorta oriens sub arteriis renalibus, recto ductu, duabus, aut ad summum tribus bifurcationibus incedit et testi inseritur. Ge. *Die Samengefässe.* Ga. *Vaisseaux spermatiques*, seu *pampiniformes*, seu *pyramidaux.* A. *The preparing* or *spermatic vessels.* B. *Bereidende vaten, zaad vaten, kloot-vaten.*

PRAEPARATA: ita in officinis in universum omnia simplicia certa encheiresi mutata, seu etiam composita, vocantur. Ge. *Zubereitungen.* In specie autem *praeparatio* est, si medicamenta sicca pulverisata supra porphyritem ulterius adhinc affusa aqua pulverisantur, atque ex iis globuli minores, vel coni formantur. Hinc oculi cancrorum praeparati etc. in officinis prostant. Ge. *Präparirte Arzneien, das Praepariren.*

PRAEPUTIUM, Gr. *ἀκροβυστία* et *πόσθη* est glandis penis virilis involucrum, estque tantum continuatio epidermidis, cutis et membranae cellulosae, quae super se ipsam reflexa, coronae glandis adhaeret, et inferiori glandis parti frenulo adnectitur. A putando dictum: ab Hebraeis enim et Turcis resecatur. Item clitoridis proiectura in foeminis ita vocatur, quae praeter exilitatem a virili diversum in eo est, quod partem glandis tantummodo superiorem tegit, constans ex coniunctione integumentorum utriusque *nymphae.* Ge. *Die Vorhaut an dem männlichen Gliede.* Ga. *Prépuce.* A. *The fore-skin.* B. *De voorhuid.*

PRAESAGIUM, vel **PRAEDICTIO** est declaratio prognoseos, qua medicus indicat futurum morbi cuiusdam exitum, ex praesentibus ratiocinio cognitum; quae licet non semper necessaria, tamen ad fiduciam aegri, vel eius amicorum conciliandam, valde utilis est. Ge. *Vorhersagung des Ausgangs einer Krankheit.*

PRAESEPIA, seu **PRAESEPIOLA** sunt foraminula illa utriusque maxillae, seu alveoli, quibus dentes continentur. Gr. *φάτναι* et *φάτνια* *Galeno.* [et Rufo Eph. p. 49. qui eosdem quoque *ὁλμίσκους* vocari cum Polluce (*onom.* II. 94.) adseruit.] Ge. *Zahnhöhlen, Laden darin die Zähne stehen.* Ga. *Alveoles, cavités des dents.* A. *The holes of the teeths, sockets.* B. *Tand berbels.* — Item apum alvei, sive cellulae *praesepia* appellantur. Vide *Mortariola.*

PRAESERVATORIA INDICATIO est modus, quo per victus rationem et remedia convenientia a morbis futuris praeservamur. Idem quod *prophylaxis.* Ge. *Verwahrende Anzeigung.* B. *Verhoedende inzicht.*

PRAESIDIUM idem quod *auxilium, remedium,* aut *indicatum.*

PRAET. NAT., vel **P. N.** significat *praeter naturam.*

PRASINA BILIS, vide *Bilis.*

PRASUM est *Porrum,* a *πράω, incendo;* quia Porrum comestum sanguinem accendit, linguam mordet. [Diosc. II. c. 178.] Vide *Porrum.*

PRASUM et **PRASSIUM** vocatur a veteribus *marrubium,* s. *balote.* Nomen impositum a cauliculis quadrangularibus videtur. [Diosc. III. c. 109. plantam esse testatur *τετράγωνον τοῖς ῥάβδοις.*] *Πρασιαὶ* enim dicuntur dispositiones quadrangulares; vel quod *ἐν ταῖς πρασιαῖς* coleretur: adeo ut eum porro, ut viri docti voluere, nullam similitudinem habeat. Vide *Marrubium.* — *Prasium* autem iuxta Ill. *Linn.* est plantae genus peculiare, (Didynam. Gymnosperm.) calyce monophyllo, bilabiato, corolla monopetala ringente, baccis quatuor, unilocularibus in fundo calycis, seminibus solitariis, subrotundis. Hinc semina ipsa, ut in Rubo, pulpa circumdata, baccae naturam induunt. Hinc planta tetragymnosperma baccifera, qua nota ab aliis eiusdem ordinis omnibus dignoscitur.

PREGMA, vide *Bregma.*

PREHENSIO, vide *Catalepsis.*

PRESBYTIA, PRESBYOPIA, AMBLYOPIA PROXIMORUM est obscuritas visus in rebus propinquis, cum tamen in distantibus aliqua sit perspicacitas, senibus familiaris, ex oculorum planiori figura, vel a nimia distantia corneae, vel lentis crystallinae, utriusque, a retina, vel a vi refractiva corporum pellucidorum oculi solito minori, vel a pupillae angustia, oriunda. Ex *πρέσβυς, senex.* Ge. *Gesicht in die Ferne.* Ga. *Vüe longue.* B. *Blindheid van ouderdom, oud gezicht.*

PRESSURA vocatur inflammatio digiti in suppurationem vergens et in secessum unguis tendens, a frigore.

PRIAPISMUS est *tentigo,* sive pudendi diutina et ingrata sine libidine erectio, qualis saepe dysuriae et gonor-

rhoeae supervenire solet. Gr. etiam vocatur *σατυρίασις*. A *Πρίαπος*, Priapus, Veneris et Liberi filius, qui semper ab antiquis pingitur cum membro genitali tenso et erecto. Vide *Satyriasis*. Gc. *Krampfartige Aufrichtung des männlichen Glieds*. Ga. *Priapisme*. B. *Roedestand tegens wil*.

PRIAPUS, i. q. *penis*. In officinis [olim] *priapi* variorum animalium, ut cervi, ceti, tauri, vulpis, prostabant, quibus singulares virtutes medicas tribuebat credulitas. [Nunc autem ab hisce quisquiliis officinae repurgatae sunt, ultimusque, qui earum mentionem iniecit, haud dubie Sam. Hahnemannus fuit (*Apotheker-Lex.*)].

PRIMAE VIAE vocantur ventriculus et intestina, quoniam in iis incipit alimentorum coctio.

PRIMORES DENTES, sive **ANTERIORES** ita vocantur, quia propter gingivarum tenuitatem, suam aciem et alveolorum parvitatem primi erumpunt; ab officio in cibis incidendis dicuntur *incisorii*. [Synonyma horum dentium vid. ap. Poll. *onom.* II. 91. Vocantur enim *τομεῖς*, aut, uti Celsus 8. c. 1. habet, *τομικοὶ*, quoniam secant, dividunt, in duas partes (ad verbum) separant (*διχάζουσι*) alimenta; *διχαστῆρες* (non ut Blancardus habebat, *διγαστῆρες*), *divisores*; *κτένες* a *κτεὶς*, gen. *κτενὸς*, *pecten*, quod huius formam habent; *γελασινοὶ*, quasi *risorii*, quoniam sub risu in conspectum prodeunt. De dentium nominibus egit Rigalt. ad Artemid. l. c. 33.] In homine numero quatuor sunt cum in superiori, tum in inferiori maxilla. Gc. *Die vordersten* oder *Schneidezähne*. Ga. *Les dents de devant*, ou *incisives*. A. *The fore-teeths*. B. *De botter tanden*.

PRIMULA VERIS, sive **BETONICA ALBA**, aut **HERBA PARALYSEOS**, Verbasculum pratense odoratum *Bauh.* *Primula veris* officinalis foliis denticulatis, rugosis, limbo corollarum concavo *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) est planta, quae habet folia ampla, oblonga, aspera, rugosa, repentia; ex his erumpunt caules lanuginosi, rotundi, nudi. Flos est monopetalus, hypocrateriformis et multifidus, ex cuius calyce (qui tubulatus, monophyllus, pentagonus, quinquedentatus et persistens est) surgit pistillum infimae floris parti ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, seu testam oblongam, in ipso calyce ferme reconditam, apice dehiscentem et seminibus foetam minimis, obrotundis, nigris, placentae affixis. Radix est satis crassa, squamosa, rubicunda, fibrosa, saporis adstringentis, odoris grati et aromatici. Haec planta crescit in pratis et sylvis. Qualitatis est fragrantis et subamarae, viribusque nervinis, anodynis et exhilarantibus gaudet; hinc in vertigine, paralysi, cephalalgia, epilepsia, aliisque morbis nervinis commendatur. Prostat in officinis aqua et conserva florum, qui *flores para-*

lyseos dicuntur. Hi quoque frequenter in infuso adhibentur. Succus expressus cosmeticus est. Sic dicitur, quod incipiente vere et ante illud tempus flores suos emittit. Ge. *Schlüsselblume*, *Himmelschlüssel*, *St. Petersschlüssel*, *Weissbetonie* u. a. m. Ga. *Coucou*, *prime vere*, *bavillon*, *primerole*. A. *Cow slips*, *prim-rose*. B. *Sleutel-bloemen*, *hemelsleutel*, *back-kruid*, *St. Pieters-kruid*.

PRINCIPES DIES, vide *Critici dies*.

PRINCIPIA, i. q. *elementa*. [Hoc nomine materiae simplicissimae, nulla arte in simpliciores resolvendae, omni pondere orbae, intelliguntur, quarum existentia sese effectibus peculiaribus et constantibus prodit. Referuntur huc principium electricum, caloricum, oxygeneticum, similiaque.]

[**PRINCIPIA IMMEDIATA** vocantur in chemia materiae compositae, functionum corporum organicorum ope formatae, e quibus per simplices processus immediate et sine naturae ipsarum immutatione prodeunt. Sic principia immediata vegetabilium corporum admodum numerosa Thenardus et Gay-Lussacus in quatuor ordines pro diversa principii oxygenetici et hydrogenetici, quam continent, quantitate distribuerunt. Primus ordo eas materias includit, in quibus principium oxygeneticum maiori ad hydrogeneticum est ratione, quae in aqua obtinet. Huc pertinent acida oxalicum, tartaricum, citricum, malicum, benzoicum, prussicum, chininicum, gallarum, aceticum. Secundus ordo continet illas materias, in quibus principiorum et oxygenetici et hydrogenetici mutua ratio eadem est, quae in aquae compositione observatur. Saccharum, mannam, sarcocollam, gummi, asparaginen, gelatinam, ulminen, extractivum principium, amarinen, scytodepsicum, suberinum, narcoticum, haematinem, polychroitem, indigo, amylum, inulinum, glu, gossypinum, lignosum. Ad tertium ordinem referuntur illae materiae, in quibus principii oxygenetici minor est ratio ad hydrogeneticum, quam quae in aqua occurrit. Olea fixa, cera, olea volatilia, camphora, resinae, guaiacinum, gummiresinae, balsama, caoutchouc, picrotoxicum et scilliticum huc referuntur. Quartus denique ordo comprehendit eas materias, quae principio azotico divites aut eiusdem cum materiis animalibus, aut certe similis sunt naturae, v. c. gluten, fibrinem, albumen, gelatinam, adipoceram, zomodmon. — Principia immediata animalium corporum, quorum numerus longe minor est, quomodo distribuenda sint, nondum definitum est.]

PROBOLE, i. q. *apophysis*.

PROCATARCTICA est *causa morbi* remotior, quae etiam aliis *occasionalis* dicitur, et quae ad *causam praedisponentem* accedens id efficit, ut morbus oriatur, sive illa sit externa, sive interna, ut ira, vel aestus aëris, cacochymiam movens, febrimque inducens. A *προκατάρχομαι*, *antegredior*. Ge.

Gelegenheitliche Ursache. B. *Voortrekkende*, seu *beginnende oorzaak.*

PROCATARXIS, [gr. *προκάταρξις, origo,* abusive pro causa procatarctica adhibitum esse dicitur.]

PROCESSUS, i. q. *apophysis.*

PROCESSUS CHYMICI nihil aliud sunt, quam operationes chymicae. Ge. *Chymische Processe.* Ga. *Operations chimiques.* A. *Chymical process.* B. *Chymische werking.*

PROCESSUS CILIARES sunt quaedam striae, vel plicae, in oculo, quibus lens crystallina aliquantum in sede sua firmatur, aut movetur. Ab oculi pupilla, velut radii a centro profecti, in orbem disponuntur; fibrae istae serie densa ordinatae, anterius, ubi corneae tunicae cohaerent, colore variegato insigniuntur; interim ubi crystallini humoris margini, ac etiam tunicae retinae orae contignae sunt, semper nigrae apparent, respondentibus scilicet similibus lineis in vitrea membrana, vel in retina. Iste processus ciliaris ex minusculis plicis de superficie choroideae orientibus, dum scilicet ad unam striam duae, tres, quatuor lineae elevatae concurrunt, componitur, numerum septuagenarium forte excurrentibus, ligamento cuidam ex totidem nigricantibus exstructo, alligatis. Harum utriusque ordinis fibrarum quaedam ligamenti latitudinis margines ambos tangunt, quaedam ad medium pertingunt. Vasculosa haec contextura cum tota uvea membrana mobilis est. Non tantum etiam oculi pupillam turgentibus vasculis dilatant, aut contrahunt, quin et humorem crystallinum protrudunt, ac retrahunt, inque obiectorum adspectus deflectunt. Vide *Corpus ciliare, ligamentum ciliare.* Ge. *Das Band des Augensterns.* Ga. *Procès ciliaires.* B. *De regenboogs hairige kring.*

PROCESSUS MAMMILLARIS, vide *Olfactorius nervus.*

PROCESSUS PERITONAEI sunt in universum omnes illae productiones ex duplicata lamina peritonaei oriundae, quae viscera firmant etc. In specie vero canales ita vocantur versus abdomen aperti, in fine vero coeci, qui in recens natis adhuc patent et sub testium descensu ex abdomine in scrotum oriuntur. Hi canales deinde concrescunt cum funiculo spermatico et tunicam vaginalem formant. In puellis similes adsunt canales, qui deinde cum ligamentis uteri rotundis coalescunt, eaque involvunt. Optime hos processus Cl. *Hunterus* descripsit.

PROCIDENTIA, PROLAPSUS est partis mollis ex naturali sede recessus talis, ut sine integumentis communibus emineat; hinc differt ab hernia, in qua partes prolapsae cute obvelatae manent. Ge. *Der Vorfall.* Ga. *Chûte.* B. *Uitzakking.*

PROCIDENTIA, vel **PROLAPSUS ANI, PROCTOCELE** est intestini recti inversi, propter nimiam laxitatem,

per anum delapsus. Oritur etiam ab humore acri, intestinum vellicante, a dystocia et a calculo vesicae, a quo intestinum per consensum toties irritatur, ut musculorum levatorum fibrae relaxentur. Vocatur item *procidentia sedis* et *procidua sedes Plin.* *Προπίπτων ἀρχὸς*, quando sedes prolabitur. Gr. *Πρόπτωσις ἀρχοῦ, ἢ ἕδρας.* Ge. *Vorfall des Mastdarms, Afterdarmvorfall.* Ga. *Chûte* ou *descente de l'anus, du fondement.* A. *Falling down [of the fondament], of the arse-gut, [the bearing down of the rectum.]* B. *Uithangen des einde darms.*

PROCIDENTIA, vel **PROLAPSUS UTERI** aut **VAGINAE, HYSTEROPTOSIS** est uteri, vel vaginae prominentia, cognoscenda per protuberantiam in vagina observandam, aut extra ipsam propendentem ab utero prolapso, inverso, vel a vagina inversa prolapsa efformatam, reductibilem saltem initio, stipatam doloribus ad renes et inguina, pondere hypogastrii, incessu difficili, tenesmo, urinae frequentia, aut difficultate etc. Ge. *Vorfall der Mutter, oder der Mutterscheide.* Ga. *Abaissement, chûte,* ou *descente de la matrice,* ou *du vagin.* A. *A falling down of the womb.* B. *Uitval,* seu *zinking der lyfmoeder,* seu *der scheede.*

PROCONDYLUS [est phalanx prima digiti cuiusque, cui unguis inhaeret: altera, quae huic adiacet, *condyli* nomen habet, tertia denique *metacondylus* vocatur. Vid. Io. Ant. v. d. Linden *med. phys.* c. 14. §. 91. p. 638. sq.] Ex *πρὸ*, *pro*, et *κόνδυλος*, *media digiti phalanx.* Vide *Metacondyli.*

PROCTALGIA, DOLOR ANI est dolor podicis, sive extremi intestini recti, et vicinarum partium, oriens vel ab inflammatione, vel ulceribus cancrosis, fistula, intertrigine, rhagadibus, procidentia, mariscis, tenesmo, haemorrhoidibus albis etc. [A gr. *πρωκτὸς, anus, nates,* et *ἄλγος, dolor.*]

PROCTITIS est inflammatio ani cum febre et tenesmo.

[**PROCTOENCLEISIS** est morbosa angustatio et constrictio sive intestini recti, sive ani tantum. Synon. Stenochoria intestini recti. A. *Strictures of the rectum.* Ga. *Retrécissement de l'anus.* Ge. *Aftersperre, krankhafte Verengerung des Mastdarms.*]

[**PROCTOMETRUM**, v. **ARCHOMETRUM.**]

[**PROCTOPTOSIS** i. q. prolapsus s. procidentia ani. A gr. *πρωκτὸς*, et *πτῶσις, casus, lapsus*, a *πίπτειν, cadere.* A. *Falling down of the arse-gout.* B. *Uithangen des eindedarms.* Ga. *Chûte* ou *descente de l'anus, du fondement.* Ge. *Mastdarmvorfall.*]

[**PROCTORRHAGIA** idem, quod proctorrhoea. Synon. *Blennorrhoea* s. *leucorrhoea intestini recti* s. *ani; achorrhoea mucosa; haemorrhoides mucosae.*]

[**PROCTORRHOEA** est, secundum Sagarum, effluxus humoris mucosi, subalbi, flavescentis, quandoque striis san-

guineis tincti, e vasis haemorrhoidalibus cum internis, tum externis. A πρωκτὸς et ῥέω, *fluo.*]

[**PROCTOSTENOSIS** est abnormis coarctatio sive intestini recti, sive ani. Synon. *Strictura intestini recti* s. *ani.* A. *Strictures of the rectum, constriction spasmodic of the sphincter.* Ga. *Ressermement* sive *constriction spasmodique de l'anus.* Ge. *Zusammenschnürung* od. *Verengerung des Mastdarms* od. *Afters.* It. *Strignimento di intestino retto.*]

[**PROCTOTOREUSIS** a Gerdesseno (*diss. d. proctotoreusi.* Berol. 1818. 8.) incongrue vocata est illa operatio chirurgica, qua ani orificium, quod sive per primae formationis vitium plane deest, sive per morbum praegressum obstructum coalitumque fuit, aut de novo formatur, aut denuo aperitur. — Incongrue formatam donominationem fuisse dixi. Nam τόρευσις nihil, nisi *tornandi actionem* significat. Phavorinus τορείαν et τόρευσιν unum idemque denotare auctor est. Poll. 6, 141. inde orationem σὺν τορείᾳ factam pro maxime polita adhibuit, uti contrario sensu Horat. *art. poët.* v. 440. duros incultosque versus *male tornatos* vocavit.]

PRODROMUS est morbus, ex suo genio alium superventurum indicans. Ut haemoptysis phthisin, vel vertigo apoplexiam praesagit. Ex πρὸ, *pro*, et *inusitato* δρέμω, *curro.* Ge. *Ein Vorbote, Vorläufer.* Ga. *Avant-coureur.* A. *A fore-runner,* sive *presage.* B. *Voorlooper.*

PRODUCTA chymicis dicuntur illae substantiae, quae ex aliis corporibus, vel putredine, vel ignis tortura, eliciuntur, sicque per novam particularum unionem genita sunt, nec antea hae sub forma his corporibus inerant, ut salia volatilia, olea empyreumatica etc. Distinguuntur ergo ab *eductis,* quae talia, qualia antea fuerant, saltem separantur, ut aqua, terra etc.

PRODUCTIO, vide *Apophysis.*

PROËGUMENA, PRAEDISPONENS est *causa* morbi antecedens interna, in corpore ex alia remota ortum habens, et accedente causa occasionali ita morbum producens, ut, ea sublata, morbus possit perseverare; quemadmodum cacochymia, a vitiata victus ratione producta, unde obstructio vasorum et meatuum, vel constipatio viscerum, producitur. A προηγοῦμαι, *antecedo.* Ge. *Vorhergehende Ursache.* Ga. *Cause antecédente.* A. *Antecedent cause.* B. *Voorgaande oorzaak.*

PROFLUVII CORTEX, s. **CONESSI**, aut **TILICHERRY**, vel **TELLICHERRY CORTEX** est Cortex arboris humilis in Malabaria et Zeylona crescentis, nigricans, [rugosa], saporis austeri et grati amari, qui in dysenteria, diarrhoea et febribus intermittentibus [inprimis a Iussieuo] laudatur. Arbor est *Nerium antidysentericum* foliis ovatis

acuminatis petiolatis *Linn.* [Cuius iconem dedit Plenck tab. 129. Vocatur ab indigenis *Codaga-Pala.*] Ge. *Conessirinde.* A. *Conessi* seu *tili-cherry-bark.*

PROFLUVIUM in genere est excretio praeternaturalis quorumcunque fluidorum e corpore, quantitate, aut etiam qualitate peccans, ut sanguinis ex naribus, vulneribus, ex pudendo muliebri, ut in expurgationibus et menstruis nimiis. Sic dicitur de semine, ut in gonorrhoea, sic de excrementis, ut in diarrhoea, lienteria, coeliaca passione, sic de lacte, nimia quantitate profluente. Ge. *Ein Fluss*, [seu potius ut facile discernatur a catarrho etc. *ein Ausfluss.*] Ga. *Ecoulement, perte.* A. *A fluxion, fluxe, praeternatural discharge.* B. *vloed.*

PROFUNDUS MUSCULUS, i. q. *perforans musculus.*

PROGNOSIS et PROGNOSTICA SIGNA sunt, e quibus praesentibus futura, quae aegro accident, praecognoscimus. Quae inprimis petuntur 1) ex observationibus in simili morbo notatis, ac praesens hic adest. 2) Ex viribus vitae praesentibus cognitis, et comparatis cum causis et indole morbi; quibus trutinatis, num morbus diu, num brevi duraturus sit, satis bene tutoque praevideri potest. 3) Ex aegri praegressa vitae ratione, corporis habitu firmo, vel debili, aetate, sexu, climate, sub quo vivit, anni tempore, et praegressis in eodem corpore morbis. 4) Ex effectu remediorum promto, vel nullo. Si haec omnia sollicite perpendit medicus, singulaque exacte trutinat, tuto ex arte concludere potest, quid in morbo secuturum sit, si nihil novi, quod mutet aegri statum, accedat; similibus *Hippocrates* insistens viis, tantam sibi conciliavit famam, unde nihil medicum Deo magis similem reddere, quam futura praedicere, asseruit. A *προγινώσκω*, *praenosco.* Ge. *Vorbedeutung, Anzeigung, Vorhersagung.* Ga. *Prognostique.* A. *Prognostication, foretelling.* B. *Voorkenning, voorzegging.* Vide *Praesagium.*

PROIECTIO est terminus chemicus et dicitur, quando pulvis calcinandus crucibulo cochleatim, sive per vices, iniicitur.

PROIECTURA, i. q. *apophysis.*

PROLABIA sunt extremae labiorum partes prominentes. [Accurate partem labiorum, hoc nomine *πρόχειλα*, seu *προχειλίδια* notatam, descripsit Ruf. Ephes. *l. c. p.* 48. et ex eo Poll. *onom.* II. 90. *ἡ ἐν τῷ ἄνω χείλει κοιλότης, φίλτρον· ἡ δὲ ἐν τῷ κάτω, τύπος ἢ νύμφη, καὶ τὸ προῦχον ἀυτῶν, προχειλίδια, πρόχειλον.*] Ge. *Die Vorlippen.* Ga. *La partie antérieure des levres,* seu *le devant des levres.* A. *The fore lips.* B. *Voorlippen.*

PROLAPSUS ANI, UTERI etc., vide *Procidentia ani, uteri* etc. — Prolapsus uveae, vide *Staphyloma.*

PROLEPTICUS morbus est semper anticipans: ut si pa-

roxysmus, vel exacerbatio, febris hodie hora quarta adveniat, cras vero hora tertia, vel secunda. A προλαμβάνω, *anticipo*. Ge. *Eine vorrückende Krankheit*. B. *Een vervroegende ziekte*.

PROLIFER FLOS est ille, ubi novus ex centro prioris, id est, ex pistillo continuato, enascitur. Ge. *Sprossende Blume*. — *Prolifera umbella* est, si umbellae partialis pedunculus novam umbellulam, s. prolem, emittit. Ge. *Sprossende Dolde*.

PRONATORES MUSCULI: eorum alter est *rotundus*, alter vero *quadratus*. *Primus* a forma et munere dictus *pronator rotundus*, interiori humeri tuberculo alligatus, hinc ad radii medium, cui valido adhaeret tendine, excurrit. *Secundus* dicitur *quadratus*, ab inferiori et interna ulnae ossis parte transversim productus, interno et inferiori itidem radii lateri annectitur. Uterque hic musculus actione sua, immoto prorsus *olecrano*, inferiorem extremitatem radii supra inferiorem extremitatem ulnae introrsum volvit, sicque pronationem manus, seu eum situm efficit, in quo vola manus retrorsum, vel deorsum, dorsum vero antrorsum, vel sursum, respicit. Ge. *Der vorbeugende Muskel*. Ga. *Muscles pronateurs*. A. *The pronator muscle*. B. *De vooromkeerende spieren*.

PROPAGO dicitur [secundum Festum,] vitis vetula depressa, atque in terram per inflexos arcus submersa, ut ex una plures emergant. Ge. *Ein Rebenschoss*, *Fechser*. Ga. *Provin de vigne*. B. *Afzetting*, *afleiding*. — In anatomicis interdum vasorum et nervorum rami minores *propagines* vocantur.

PROPATHIA vocatur quarundam functionum sensibilis perturbatio, quae morbos ingruentes praecedit et praenuntiat, e. gr. lassitudo spontanea etc. [Gr. προπάθεια, *morbi futuri sensus*.] Ge. *Vorempfindung der Krankheit*. Ga. *Propathie*, *presentiment*.

PROPHASIS est praenotio in morbis. — Item, occasio et causa antecedens. [Cum Galenus in *Comm. 1. in libr. 1. epidem. to. XVII. pa.* 1. *p.* 52. Hippocratem τὰς φανερὰς αἰτίας vocare προφάσεις statuat, videtur Blancardi derivatio] a προφαίνω, *praeluceo*, [locum habere posse. Krausius quoque putat, πρόφασιν, si causam morbi remotam significare debeat, a προφαίνειν, contra ea a πρόφημι, *praedico*, derivandam esse, si praesagii notionem exprimat. Foësius in *oec. Hipp. p.* 539. sq. de hac voce copiose exposuit.] Vide *Procatarctica*, *Prognosis*.

PROPHYLACTICA est pars hygieinae, quae morbos futuros et imminentes avertit. A προφυλάσσω, *praeservo*. Vide *Praeservatoria indicatio*. Ge. *Verwahrungsmittel*. B. *Verhoedende inzicht*.

PROPHYLAXIS, i. q. *prophylactica.*

PROPOLIS est erassior apum materia, flava, odorata, styraeem, ut scribunt, seu potius resinam, odore referens, eerae finitima; gluten in alveorum foribus repertum, in spiritu vini et oleo terebinthinae solubile. Quidam *ceram sacram* vocarunt. [Denominationis rationem Varro *de r. r. lib. III. c.* 16. tradit: Medici utuntur in emplastris. Propter quam rem etiam earius in saera via, quam mel venit.] Unde et a quibus vegetabilibus apes hanc materiam eolligant, nondum hucusque satis innotuit, interim videtur esse rudis quaedam resina nullam habens nee odore, nee sapore, nee eonsistentia cum cera similitudinem. Sapor subamarus est, igni si imponatur, lignum aloës redolet et eonsistentia spissior est, imo et eolore subnigra. Illa materia lateribus alvei non tantum ab apibus apponitur, ne aëris iniuriae apum generi nocuae sint, sed hyemali tempore etiam circa introitum, sive alvei portam, ob eandem eausam; unde et ei nomen impositum est. Ex *πρὸ, pro,* et *πύλη, porta.* [Huic etymologiae adversatur praesentia literae *υ* in *πύλη*. Reetius de voee *propolis* statuit Krausius, eam proprie *suburbium* denotare, dein quoque id, quod Blaneardus attulit. Plin. *h. n. XI.* c. 7. ubi de vocabulis operis apiarii agit, propolin ait esse crassioris iam materiae, additis floribus, nondum tamen eera, sed favorum stabilimentum, qua omnes frigoris iniuriaeque aditus obstruuntur, odore et ipsa etiamnum gravi, ut qua plerique pro galbano utantur.] Huie materiae, praeter usum mechanicum et oeconomieum, eximiae virtutes digerentes, emollientes, maturantes, atque mundificantes attribuuntur; hinc in antiquis ulceribus summopere eommendatur. [Inde Oribas. Matthaei p. 352. propolin laudavit inter medieamenta digerentia.] Ge. *Vorstoss, Stopfwachs.* Ga. *Propole.* A. *Propolis.* B. *Voorwasch.*

PROPOMA est potus, ex vino et melle, vel saccharo paratus. A *προπίνω, praebibo.*

PROPOTISMA est medieamenti propinatio. A *προποτίζω, ante bibendum praebeo, potionem porrigo.* [Usus est voce Ruf. Ephes. apud Paul. Aeg. II. c. 35. *χρηστέον καὶ τοῦτο προπότισμα.*]

PROPTOMA est partis externae, etiam ante lapsum eonspicuae et a palpebris, bulbo oculi, lingua, ae uvula diversae proeidentia, ut in seroto, mammis, labio inferiori, praeputio, vel auriculis, vel a eausis internis, vel externis et interdum artifieio produeitur. *Sauv.* [A *προπίπτω, prolabor.* Lexica et H. Stephani thes. nov. edit. adeo ignorant voeem.]

PROPTOSIS est partis alieuius proeidentia: ut oculi, omenti, uvulae ete. A *προπίπτω, procido.*

PRORAE OS, vide *Basilare os.*

PROSERPINACA, vide *Polygonum.*

[**PROSOPALGIA** a *πρόσωπον*, *facies*, et *ἀλγέω*, *doleo*, est secundum Swediaur *l. c. to. I. p.* 387. dolor nervorum et musculorum faciei intensissimus, chronicus, saepe per intervalla revertens, utplurimum cum convulsione musculorum variorum faciei, sine causa aut vitio externo evidente; non raro praegressa anxietate, cnesmo aut dolore molesto in alia quadam corporis parte invadens, et praecipue cursum nervi infraorbitalis vel facialis, in pedem anserinum expausi sequens. Vocatur et *dolor faciei Jo. Fothergillii*, quoniam is inter recentiores eum accuratius descripsit libro: A concise and systematic view of a painful affection of the nerves of the face. Lond. 1805. 12. Vid. et *K. A. Thdr. Harttmann*, praes. *Autenrieth*, d. i. sist. observatt. quasd. de prosopalgia. Tub. 1811. 8.]

PROSPHEROMENA sunt cibi, vel medicamenta, quae intra corpus sumuntur. A *προσφέρω*, *offero*, *adhibeo*, *admoveo*.

PROSPHYSIS est adnascentia, cohaerentia et coalitio, cum scilicet digiti sibi invicem connexi sunt et coalescunt, vel etiam extrema pars ossis, diaphysi contigua. A *προσφύω*, *adnascor*. Ge. *Zusammenwachsung*. Ga. A. *Coalition*. B. *Zamen-wassen*.

PROSTATAE, ADSTANTES, sive **CORPORA GLANDULOSA** sunt duae glandulae, infra vesiculas seminales sitae, iuxta meatum seminarium; vel potius una continua in homine et quibusdam animalibus glandula, seu cellulosum compactum corpus, hactenus utcunque cordis forma, quod ad vesicam crassius et ea sede quasi emarginatum sit, versus urethram autem gracilescat, ut eius fines accurate definiri nequeant. Subiicitur partim urethrae, ut recto intestino insideat et vesicae, et vesiculis seminalibus. Urethram superne amplectitur, ut tamen maior pars prostatae inferius ponatur. In eam prostatam et superne et inferne fibrae rectae vesicae urinariae denique evanescunt. Fabrica obscura est, et neque glandulae simplicis similis, cuius cavea esset aliqua, neque compositae; neque enim in lobulos recte discedit, neque acini in ea reperiuntur, neque quidquam praeter densam cellulosam, tenacem et stipatam, quasi scirrhosam carnem sistit. Ductus tamen excretorii numerosi, recti, exigui adsunt, qui oblique antrorsum decurrentes, propriis poris in valleculam nascentis urethrae, quae est ad utrumque latus capitis gallinaginis, aperiuntur, succumque secretum effundunt. Unde accurate hic miscentur semen et humor prostatae: dum vesiculae et prostatae eadem membrana musculari cinguntur. Humor hic factus est blandus, subspissus, ab alcohole vini coagulabilis, candidus, copiosus; post abstinentiam ab opere venereo diuturnam actione deponendae alvi, aut reddendi lotii, saepe expressus, animal-

cula, quae in semine adsunt, non continens, ablata testium, et vesicularum seminalium actione superstes, nec tamen tunc prolifer. Videtur hinc semen crassius et cineritium diluere, vehere et forte in primis a coitu momentis nutrire animalcula in vero semine contenta, unde una cum semine eiicitur; forte et urethrae lubricationi inservit, titillationi ansam dare etiam perhibetur. Simile corpus in foeminis reperisse se crediderunt *Bartholinus* et *R. de Graaf.* Dubia tamen adhuc huiusmodi corporis glandulosi in foeminis exsistentia est, cum nihil circumscripti, nihil solidi, in cellulosa tela urethrae circumposita reperiatur. [A *προΐσταμαι, defendo, ante collocor.* Rationem nominis vide in *Prostatitis.*] Ge. *Die Vorsteherdrüse.* Ga. *Prostate.* A. *Prostata.* B. *De voorstaanders, klieren aan den wortel der mannelyke roede.*

[**PROSTATITIS** est inflammatio glandulae prostatae. Neque in Galeno, neque in alio medico graeco occurrit haec vox *προστάτης* de parte corporis animalis usurpata. A *προΐστημι, ante colloco.* Cum illud corpus glandiforme ante collum vesicae urinariae collocatum sit, totumque urethrae principium cingat defendatque, hinc nomen videtur deductum esse. Ge. *Entzündung der Vorsteher-Drüse.*]

[**PROSTATONCUS** est tumor glandulae prostatae, aut ab inflammatione chronica, aut ab alia quacunque ortus. A *προστάτης, prostata glandula,* et *ὄγκος, tumor.* Ge. *Geschwulst der Vorsteher-Drüse.*]

PROSTETHIS est pectus, sive thoracis anterior facies. — Item pars carnosa in manuum et pedum cavitate, nec non inter digitos nascens. [Poll. *onom. II.* 198. quid hac voce designatum quondam fuerit, docet, dum partes pedis enumerat: *τὸ δὲ κάτωθεν, τὸ μὲν ὅλον, τύλωμα, τοῦτον δὲ τὸ μὲν προῦχον ὑπὸ τοὺς δακτύλους, στῆθος ποδὸς ἢ προστηθὶς.*] Ex *πρὸ, pro,* et *στῆθος, pectus.*

PROSTHESIS est pars chirurgiae, quae, quod deficit, restituit. Exemplum habemus in solutione continui, cum iactura substantiae, ut patet in ulceribus cavis et fistulosis, quae arte chirurgica carne iterum replentur. [Luculentum prostheseos exemplum habemus in restitutione nasi deperditi e carne frontis, brachii etc. De qua operatione chirurgica vid. Gasp. Taliacotius in *Chirurgia nova de narium, aurium labiorumque defectu per insitionem cutis ex humero sarciendo.* Francof. 1598. 8. Nuper experimenta talia a Graefio quoque optimo cum successu repetita sunt.] A *προστίθημι, appono,* Ge. *Ersatz.* Ga. *Prothèse.*

PROTEUS dicitur mercurius, qui se in omnes formas vertit et propriam tamen iterum recuperat. — [*Proteus anguinus,* hoc ipso, quo vivimus, seculo in subterraneo lacu Sittichensi Crainiae detectus, lacertam in universum referens animalculum, a Treviranó in *Comm. soc. scient. Gott.*

rec. vol. IV. post Gener. de Schreibers in *Philos. Transact.* 1801. p. 241—264. accurate descriptum est.] *Proteiformes* vocantur illi *morbi*, qui sub larva aliorum morborum delitescunt, vel etiam ii, qui saepius typum mutant, quod in febribus inprimis obtinere docuit *Mortonus.*

PROTOGALA, i. q. *colostrum,* seu *primum puerperae lac.*

PROTOPATHIA est morbus primarius, sive idiopathia, quae ab alio morbo non est orta. Sic haemoptoë potest esse morbus *protopathicus*, et inde oriens phthisis pulmonalis erit morbus *deuteropathicus.* Ex *πρῶτος, primus,* et *πάσχω, patior.*

PROTUBERANTIA, vide *Apophysis.*

PROTUBERANTIA ANNULARIS, vide *Pons Varolii.*

PROVOCATORII DIES, vide *Critici Dies,* et *Intercalares.*

PRUNA, i. q. *anthrax.* [Ignis persicus quoque nominatur.]

PRUNA, de fructu, vide *Prunus.*

PRUNELLA sumitur aliquando pro *aphthis*, vel albicantibus, nigris, vel puniceis, aliquando [ab antiquioribus medicis] pro *angina.* [Chronica magis inflammatio est, quae inde a linguae, albo muco obductae, radice usque ad praecordia extenditur.] Ge. *Die Herzbräune.* Ga. *Prunelle, mal de gorge.* A. *Sore-throat.* B. *De bruine.*

PRUNELLA, sive *Brunella*, est plantae genus, (Didynam. Gymnosperm.) calyce monophyllo, bilabiato, corolla monopetala, ringente, filamentis quatuor bifurcis. Species maxime frequens in pratis et pascuis Europae proveniens, est Brunella maior, folio non dissecto, *Bauh. Prunella vulgaris* foliis omnibus ovato-oblongis, petiolatis, bracteis ovatis *Linn.* Qualitatis est subodoratae, viribusque subadstringentibus pollet. Hinc decoctum eius in sanguinis et alvi fluxu, praecipue vero gargarisma in angina commendatur. Planta haec sic videtur dici, quod conveniat in febribus ardentibus, quando os et lingua prunae instar ardent. Planta haec veteribus plane incognita, nomen traxisse videtur a vocabulo Germanico *die Bräune,* quae est species anginae, quae semper intra paucos dies in gangraenam abit, estque morbus interdum epidemicus et castrensis. Dicunt, exercitum quondam hoc morbo fere totum laborasse, multaque remedia esse adhibita, et tandem hanc plantam esse inventam, quae omnes aegros hoc morbo laborantes curaverit, succo huius plantae in gargarismate assumto, et foliis pro cataplasmate adhibitis. Ge. *Brunellen, Gottsheil, St. Antonskraut.* Ga. *Herbe au charpentier, brunelle.* A. *Self-heal.* B. *De brune, brunelle.*

PRUNELLAE SAL, LAPIS PRUNELLAE, NITRUM TABULATUM, CRYSTALLUS MINERALIS: ita voca-

tur sal ex nitri unciis quatuor cum scrupulo florum sulphuris deflagratus, et in tabulas effusus. [Nunc nitrum funditur, atque guttatim laminae ferreae instillatur.] Nomen hoc ut Prunella planta acquisivit a Germanis eo, quod epidemica castrensisque angina, quae Germanis *die Bräune* dicitur, huius salis ope felicissime sanaretur. Caeterum non est nitrum perfecte purum, sed sale polychresto aut tartaro vitriolato parcissime remixtum. Nam acidum gravissimum sub deflagratione sulphuris a phlogistae substantiae compedibus liberatum, nitrum ex parte intrat, acidum levius nitrosum expellit, et eius locum denuo occupat. Contusum subtiliorem pulverem, quam nitrum depuratum, suppeditat, virtute tamen refrigerante eidem aliquantulum postponendum est. Datur in eadem dosi et in morbis iisdem, in quibus nitrum depuratum proficuum censetur. *Carth.* Frequentissime vero gargarismatibus additur. Ge. *Salpeterküchelchen.* Ga. *Sel de prunelle.*

[**PRUNINE**, sive **CERASINE**, sive **BASSORINE**, diversa sunt nomina unam eandemque substantiam significantia, quae sapore odoreque caret, colorem flavescentem habet, translucet, dura et fragilis est, et neque ab aqua, neque ab alcohole, neque ab aethere solvitur.]

PRUNUS est plantae, vel arborum genus, (Icosandr. Monogyn.) quod tum *prunos* proprie sic dictas, tum apud *Linn.* cerasos comprehendit. Cuius cortex est griseus, fere purpureus. Calyx est monophyllus, quinquefidus, deciduus; flos est albus, rosaceus, pentapetalus, staminibus triginta, vel ultra praeditus. Ovarium in fundo calycis fit fructus niger, subcaeruleus, flavescens, rubescens, ovatus, vel globosus, sub tenui, glabra tunica pulpam mollem condens, in suo medio continentem ossiculum oblongum, vel ovale, in prunis proprie sic dictis, compressum, utrimque acuminatum, unico intus nucleo foetum. Pediculus satis longus fructui suppositus. Fructus immaturi caro in prunis proprie sic dictis est dura, viridescens, saporis styptici. Radix lignosa, nigra, se undique extendens. Prunorum quam plurimae dantur species et varietates, partim sylvestres, partim cultura provenientes. Frequentissimae sunt inter cultas: 1) Prunus fructu parvo, dulci, atro-caeruleo *Tourn.* *Prunus domestica*, pedunculis subsolitariis, foliis lanceolato-ovatis, convolutis, ramis muticis. *Linn.* Pruna Gallica *Pharm.* Ge. *Zuckerpflaumen.* Ga. *Petit damas noir.* A. *Commun prune,* seu *plum tree.* 2) Prunus fructu magno, dulci, atro-caeruleo *Tourn.* *Pruna damascena Pharm.* Ge. *Zwetschken.* Ga. *Gros damas violet de tours.* A. *Damask prune.* 3) Prunus Brignoniensis, fructu suavissimo *Tourn.* Pruna ex flavo rufescentia, mixti saporis gratissima *Bauh.* *Pruna brignolensia* et *Pruneolae Pharm.* Ge. *Prüniolen.*

Ga. *Brignoles, prunes de brugnoles.* Conveniunt omnes hi fructus in qualitate acidiuscula dulci, gaudentque viribus refrigerantibus, humectantibus, lubricantibus et eccoproticis. Prostant in officinis pruna laxativa, quae ob addita leniora laxantia in segnitie alvi conveniunt. — *Prunus sylvestris,* s. *spinosa.* Vide *Acacia Germanica.* Ge. *Schwarzdorn, Schlehen.* Ga. *Prunier sauvage.* A. *Black thorn, sloe-tree.* — Gr. *προύνη.* Asiat. *προύμνη*, an quia ei magnus et durus nucleus, sive *πυρήν.* Ge. *Pflaumenbaum, Quetschenbaum, Zwetschgenbaum.* Ga. *Prunier.* A. *Plum tree.* B. *Pruimboom.*

PRURIGO, i. q. *pruritus*, seu *scalpurigo.*

PRURITUS est molesta cutis sensatio, quae habet aliquid ex titillatione, dolore et voluptate. Sed illud proprium est, ut ad scalpendum incitentur, unde clarum est, vires ad resistendum hic minores esse, sed tamen maiores, quam in dolore, unde scalpendo nova sensorio inducta concussione, adeo videntur vires augeri, ut id, quod titillat, excutiatur, et ad latus depellatur. Id etiam notandum, non sentiri facile pruritum, nisi in cute externa, adeoque comitem esse scabiei, aliorumque morborum cutaneorum. Ortum habet vel a levi adtactu mechanico, vel a particulis acrioribus acriter pungentibus, in cutis glandulosis acinis et poris ab aliis tenacioribus retentis, quae per diaphoresin emanare non possunt. Gr. *Κνισμὸς, κνησμὸς, ξυσμὸς.* Ge. *Das Jucken der Haut.* Ga. *Prurit, demangaison.* A. *Itching.* B. *Jeukte.*

PSALTERIUM ob similitudinem quandam vocatur portio quaedam substantiae medullaris cerebri, triangularis, inter discedentia posteriora crura fornicis. Haec retrorsum latescit, et a vasis plexus choroidei multis lineis inscribitur, quae nonnunquam truncum medium rectum, transversasque lineas habent. Ge. *Gehirnharfe.* — [*Psalterium* quoque vocatur ventriculus tertius animalium ruminantium. Insignis est plicis asperis, tenuibus, latis, in longitudinem directis. Ab hac plicarum conditione nomen eius desumtum est. Synon. *Centipellio, omasum, erinaceus.* Ga. *Le feuillet.* Ge. *Das Buch, der Blättermagen, Psalter, Löser, Faltenmagen.* Gr. *ἐχῖνος.*]

PSAMMISMUS est balneum ex arena sicca et calida, quo hydropicorum pedes exsiccantur. [Galen. *de simpl. medic. lib. IX. c. 2. p. 200. to. XII.* lapides, minutim contusos ratione virtutum medicarum similes esse ait *ταύταις ταῖς θαλαττίαις τε καὶ ποταμίαις ψάμμοις, αἵτινες καὶ αὐταὶ τὴν μὲν κοινὴν ἁπάντων λίθων δύναμιν ἔχουσιν. ξηραίνουσι γοῦν τὴν ὑποιδόν τε καὶ ὑδερώδη σάρκα, κατακλινομένων ἐν αὐταῖς τεθερμασμέναις τῶν καμνόντων.* Krausius scriptores minus accuratos balnea ex arena calefacta, qualia Galenus descripsit, ad morbos sanandos adhibita, *ψαμμισμὸν* appellare

putat.] A ψάμμος, *arena.* Ge. *Ein warmes Sandbad.* Ga. *Bain de sable.* A. *A bath of sand.* B. *Een bad uit warm zand.*

PSAMMODEA sunt urinarum contenta arenosa et sabulosa. Ex ψάμμος, *arena,* et εἶδος, *forma.* Ge. *Sandichter Satz im Urin.* Ga. *Urine sabloneuse.* A. *Sandy urine.* B. *Zandachtigheid in de pis.*

PSAMMOS est arena [in universum, dein significat etiam arenulas,] in corpore humano genitas, quae in passione nephritica saepe eminguntur. Ge. *Griess, Sandkörnchen.* Ga. *Sable, gravier.* A. *Gravel, sand.* B. *Graaveeling zand.*

PSELLISMUS est impotentia, vel difficultas, quasdam litteras recte pronunciandi, et pro varietate harum litterarum plures species sub se comprehendit. [Accuratius hoc loquelae vitium, quod tertiam mogilaliae formam secundum Swediauerum (*nosol. meth. syst. to. II.*) constituit, definit Jos. Frank *l. l. Pa. II. vol.* 2. *s.* 1. *p.* 68. sic, ut sit illud vitium, quo literae consonantes ex duris in molles mutantur. A graeco ψελλὸς, *blaesus,* unde ψελλίζω, *balbutio* et ψελλισμὸς.] Ga. *Bégayement.*

PSEUDACORUS, s. **PSEUDO-IRIS,** i. q. *Acorus adulterinus,* seu *Iris palustris.*

PSEUDACACIA, *Robinia Linn.* (Diadelph. Decandr.) habitans in America septentrionali, nunc autem satis frequenter ob suavitatem in Europa culta, est arbor procera, valde grata, quae habet folia oblonga, coniugata, ultimo impari claudente. Flores sunt albi, longi, leguminosi, papilionacei, odoris dulcis et grati; ex horum calyce fit ovarium membrana fimbriata obvolutum; quod abit in siliquam planam, in duas partes dehiscentem, foetam seminibus reniformibus. Cortici et radicibus vires expectorantes, floribus autem laxantes et antihystericae attribuuntur. Nomen a ψεῦδος, *falsum,* et acacia, quasi falsa acacia. [Potius a ψευδὴς, *erroneus, falsus.*] Ge. *Akacienbaum.* Ga. *Faux acacia, acacia commun.* A. *The common bastard acacia, locust-tree, sweet smelling locust-tree.* B. *Valse acacia, wilde pruim-boom.*

[**PSEUDACOÏA,** a ψευδὴς, *erroneus,* et ἀκοὴ, *auditus,* est sensus tinnitus, susurri, strepitus aut vocis resonae per auditus organum perceptus, quorum tamen nulla adest causa externa. Haec auditus affectio aut in una tantum, aut in utraque aure locum habet, et vel permanens, vel transitoria est. Synon. *Paracoïa, Paracusis, Phthongodysphoria, Syrigmos.* — A. *Noise in the ear, ringing in the ear, false* sive *faulty hearing.* Ga. *Tintoin, sifflement, brouissement des oreilles, fausse ouïe.* Ge. *Ohrensingen, Ohrensausen, Gehörtäuschung.* Vid. Friedlaender *pathol. elem. p.* 423.]

[**PSEUDAPHIA,** a Gr. ψευδὴς, *erroneus,* et ἀφὴ, *tactus,*

secundum Swediaur *l. c. to. II. p.* 327, est tactus perceptio, quasi ab impressionibus externis, quae tamen absunt, producta. Dolor v. c. in membro, amputatione ablato, pseudaphiae effectus est. Ge. *Gefühlstäuschung.*]

[**PSEUDARTHROSIS**, a ψευδὴς, *erroneus,* et ἄρθρωσις, *articulatio,* est coniunctio mobilis duorum ossium, ita effecta, ut caput unius ossis non in cavitate articulari naturali sit repositum, sed extra eam sibi novam quasi formaverit.]

PSEUDASTHMA vocatur nonnullis illa dyspnoeae species, quae non a proprio vasorum aëriferorum in pulmonibus vitio, sed ab abscessu, aliave causa, pulmones exterius comprimente, originem ducit.

[**PSEUDOBLEPSIS**, a Gr. ψεῦδος, *mendacium, error,* quod et adiective pro ψεῦδες, *falsum,* adhiberi solet, et βλέψις, *ipse videndi actus,* est, Culleno (*nosol. method.*) teste, illud visus vitium, quo obiecta falso conspiciuntur, cum aut res, quae vere non adsunt, comparent, aut corpora, ante oculum posita, prorsus aliam imaginem in oculo formant, quam ipsis competit. Ad priorem pseudoblepseos formam visus muscarum volantium pertinet. Ge. *Falschsehen.*]

PSEUDOBUNIUM ab aliis ad Napum, ab aliis ad Nasturtium refertur, estque Brassica (Napus sylvestris) (Tetradyn. Siliquos.) floribus tetrapetalis cruciformibus spicatis, siliquis longis, cylindricis, teretibus. Additur acetariis, sed etiam viribus abstergentibus et vulnerariis pollet. Decoctum in colica nephritica, scorbuto atque hydrope incipiente laudatur. Folia contusa et in oleo macerata eximium rusticis balsamum traumaticum suppeditant. Vires in stranguria celebres. Ge. *Wilde Steckrüben.* Ga. *Herbe aux charpentiers, navet sauvage.* A. *Wild-naphew.* B. *Wilde steekraap.*

PSEUDODICTAMNUM est species *Marrubii,* (Didynam. Gymnosperm.) et quidem *Marrubium pseudodyctamnus* calycum limbis planis villosis, foliis cordatis concavis, caule fruticoso *Linn.* Habet scilicet cauliculos multos, minimos, lanuginosos, nodosos, albescentes. Folia mollia, tomentosa, obrotunda, Dictamnum Creticum fere referentia. Calyx est monophyllus, infundibuliformis, decemstriatus, et saepe decemdentatus. Flores sunt verticillati, dense congesti, coloris purpurei, monopetali, bilabiati. Labium superius fornicatum est, plerumque bifidum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem infundibuliformi surgit pistillum, posticae floris parti ad instar clavi infixum, ac quatuor embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina oblonga, in capsula infundibuliformi, quae floris calyx fuit, recondita. Radix est fibrosa, minima, lignosa. Qualitate spirante et calida, ut et viribus resolventibus, pellentibus,

nervinis, uterinis et emmenagogis cum Dictamno Cretico convenit, quo tamen in omnibus longe est inferior. Dicitur quasi Dictamnum falsum, a ψεῦδος, *falsum*, et Dictamnum. Ge. *Wilder Diptam.* Ga. *Faux dictamne.* A. *Bastard dittany.* B. *Bastaard diptam.*

PSEUDO-IRIS, vide *Pseudacorus.*

[**PSEUDOKYESIS**, a Gr. ψεῦδος, *error*, et κύησις, *gestatio in utero*, est ille uteri abdominisque totius status, quo cum symptomatibus, veram graviditatem mentientibus, tumet. Causa huius affectionis aut a monstro molave, aut ab hydatidibus et hydrope pendere potest. A. *False conception.* Ga. *Grossesse fausse.* Ge. *Falsche Schwangerschaft.*]

PSEUDONARDUS, i. q. *Lavendula angustifolia.*

PSEUDOMEDICUS idem est, quam *agyrta*, vel *medicaster*, qui nulla theoriae medicae cognitione imbutus, praxin tamen exercet, et pompa externa, aliisque imposturis ignaro vulgo imponit. Ge. *Ein ungelehrter Arzt.* B. *Een onbedreeven arts.*

[**PSEUDOPIA**, i. q. *pseudoblepsis*, quod vide.]

PSEUDOSELINUM est Caucalidis minoris species, cuius usus culinarius. Est *Tordylium anthriscus Linn.* Ge. *Heckenpetersilien.* Ga. *Faux persil.* A. *Hedge parsley.* B. *Ackerklitten met roode bloemen.*

[**PSEUDOSPHRESIS**, a ψεῦδος, *error*, et ὄσφρησις, *olfactus*, est perceptio odoris in naribus, sine effluviis extus applicatis, aut sensus odoris alieni ab eo, quem res odoriferae vere exhalant. Swediaur *l. c. II. p.* 320.]

PSIDIUM est cortex Mali granati, qui quoque vocatur *Malicorium.*

PSILOTHRON, vide *Bryonia.*

PSILOTHRON, seu **DEPILATORIUM** est medicamentum, quo pili vel e corpore auferuntur, vel propter hirsutiem attenuantur. Tale est maxime cognitum, quod e mixtione calcis vivae et auripigmenti praeparatur. [Reliqui Blancardi ineptissimam vocis ψίλωθρον derivationem a ψιλὸς, *tenuis*, et λούω, *lavo*, vel a ψιλόω, *deglubo*, *denudo*, et θρὶξ, *pilus*, ut pateat, quam necessaria fuerit huius lexici revisio. Descendit a ψιλόω, *depilo.*] Ge. *Salbe, davon das Haar ausfällt.* Ga. *Depilatoire.* B. *Een hair uitvallend middel.*

PSOAS MUSCULUS *maior* est et *minor.* *Maior*, qui etiam *lumbaris internus* dicitur, oritur ab ima vertebra dorsi et quinque lumborum, tum a corporibus, tum a processibus transversis, descendit secundum lumbos, hinc oblique in latus demittit se ad priorem partem ischii, et cum iliaco interno, sub ligamento Poupartii ex pelvi elabens, affigit se trochanteri minori ossis femoris. Hinc actione sua est flexor femoris. *Minor*, qui interdum deficit, oritur ab ima verte-

bra dorsi et summa lumborum, iuxta maiorem: descendit, et inseritur margini superiori ossis pubis. Hic, quum agit, dorsum et lumbos flectere iuvat. [Poll. *onom. II.* 185. *οἱ δὲ ἔνδοθεν κατὰ τὴν ὀσφὺν μύες καλοῦνται ψόαι*, quem locum hausisse videtur e Rufo Ephes. *de part. hom. p.* 40. Descendit a *ψάω, attingo;* Athenaeus enim ait *ψόας* vocari *διὰ τὸ ῥᾳδίως ἀποψᾶσθαι.*] Ge. *Der Lendenmuskel.* Ga. *Le grand et le petit psoas.* B. *De lenden-spieren.*

[**PSOITIS** vocatur inflammatio musculorum lumbalium.]

PSORA est scabies fera, cutim in furfures mutans, constans e pustulis ichorosis, escharoticis, cum pruritu magno. A *ψωριάω, scabie laboro,* [immo versa vice a *ψώρα* descendit *ψωριάω.* Sunt, qui vocem a *ψάω, scalpo,* derivent.] Gr. *ψώρα ἀγρία.* Ge. *Die Räudigkeit, Krätze.* Ga. *Galle, rogne.* A. *Scurf, itch.* B. *Een zemelachtige schurftheid.*

PSORALEA est plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cuius species est Psoralea pentaphylla, radice crassa *Iuss.* *Psoralea pentaphylla* foliis digitato-quinatis, foliolis inaequalibus *Linn.* Habitat in Mexico et Malabaria, et ob singularem, quae ei tribuitur, virtutem alexipharmacam *Contrayerva alba Mexicana* vocatur.

PSORIASIS est scabies scroti sicca, pruriginosa, quae saepe cum exulceratione molestat. [Alii, ut Swediaur *l. c. II. p.* 211., non scroti solum, sed cutis in universum asperitatem summe pruriginosam, siccam vel humidam, quandoque etiam eruptione papularum aut pustularum subrubra et exulceratione ac extenuatione corporis stipatam, scalpendo sese diffundentem, psoriasin esse volunt. Psoriasin a Willano nominatum morbum, ineptam habere denominationem, quippe cum morbus difficulter a lepra distingui possit, auctor est Sam. Plumbe (*Pract. treat. on diseas. of the skin.* Lond. 1826. 8.) A *ψωριάω*, *pruritu laboro.*]

PSORICA sunt medicamenta adversus scabiem.

PSOROPHTHALMIA est pruriginosa oculorum, vel potius palpebrarum, scabies. Ex *ψώρα, scabies*, et *ὀφθαλμία, oculorum inflammatio.* Ge. *Die juckende Krätze der Augenlieder.* Ga. *Galle,* sive *gratelle des paupieres.* A. *Itching,* sive *itch of the eye-lids.* B. *Schurftheid der oogen.*

PSYCHOLOGIA est doctrina de anima. Ex *ψυχή, anima,* et *λόγος, sermo.* Haec ad medicum tantum pertinet, quatenus ex mutato corpore mentis actiones insignem etiam patiuntur mutationem; vel ex mentis operationibus intensis corpus afficitur. Ge. *Die Lehre von der Seele, Psychologie.* Ga. *Psychologie.*

[**PSYCHROLUSIA**, a Gr. *ψυχρὸς, frigidus*, et *λούω, lavo,* est lavacrum frigidum. Magna eius utilitas in scarlatina aliisque morbis acutis usu comprobata est. Vide Fr. Ant. Caspari *d. i. de psychrolusiae in morb. acut. usu.* Lips.

1812. 4. et Ant. Frölich in *Abh. üb. d. kräft., sichere u. schnelle Wirk. d. Uebergiess. u. Baed. v. kalt. und lauwarmen Wass. im Faul-, Nerv.-, Gall.-, Brenn- und Scharlachf. den Mas. und in ein. and. langwier. Krankh.* etc. Wien, 1820. 8.]

PSYCTICA sunt medicamenta refrigerantia. A ψύχος, *frigus.*

PSYDRACIA ad mentem *Pauli* et *Alexandri* [lib. I. c. 5. p. m. 11.] sunt exigua cutis capitis ulcuscula, similia eis, quae cutem exardere solent. *Celsus* autem definivit, quod sit paulo durior pustula subalbida, acuta, ex qua quod exprimitur, humidum est. [De Celso dubitandum. Nam lib. V. c. 28. s. 15. optimae editiones legunt φλυζάκιον.] *Psydraces* aliis sunt parvae pustulae, tanquam bullae, supra cutim, a frigore hyemali efflorescentes. A ψυχρὸς, *frigidus. Psydracium* iuxta *Galenum* est effervescentia, quae in diversis corporis partibus accidit, in summo rubicunda; [In *introd. s. med. c.* 16. *to. XIV. p.* 773. contendit, hoc nomine exanthema significari, quod in universo corpore, et in albo oculi quoque locum habere possit. In *Gloss. Hippocr.* p. 592. exponitur φλυζάκια per ψυδράκια.] alibi vero psydracias esse vesiculosas, vel phlyctaenodes, innuit; verum saepius accidit, ut initio effervescentia sit rubra, intus firma, quae deinde cuticulae separationem a cute inducit, unde intus cava, vacua, vel sero flavo turgida, videtur. Variae dantur species, a causis internis vel externis, ut punctura vesparum, urtica, sironibus, oriundae. [Bateman (*Hautkrankh. p.* 110.] variolas hoc ipso nomine ab Hippocrate insignitas esse, contendens refutatus est a C. Sprengelio ad. h. l. Vid. et Hensler *de herpete et formica veter. p.* 20.] Ge. *Blattern auf dem Haupt.* B. *Blaartjes, puistjes.*

PSYLLIUM, Psyllium maius erectum *Bauh.* est planta, quae ab aliis pro specie Plantaginis habetur, quippe cum qua in flore convenit: *Plantago psyllium,* caule ramoso, herbaceo, foliis subdentatis, recurvatis, spicis aphyllis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) Habet scilicet caules foliosos, sarmentosos, ramosos, repentes. Folia sunt oblonga, angusta, acuta, villosa, incisa, nervosa et parum laciniata instar Coronopi. Caetera sunt ut in Plantagine et Coronopo. Semina sunt parva, oblonga, puliciformia, lubrica, lucida, ex fusco punicea, saporis primum mucilaginosi, postmodum acris et nauseosi. Hinc mucilago extracta viribus inviscantibus, lubricantibus, refrigerantibus et emollientibus gaudet. Ardorem quoque urinae, praecipue in gonorrhoea, demulcet. Additur gargarismatibus, clysteribus et collyriis. Haec planta crescit in Italia et Germania. Nomen habet, quoniam semen pulici apprime simile est, vel, ut nonnullis videtur, quia, si viridis in domum feratur, generari in ea pu-

lices prohibeat. A *ψύλλα*, *ψύλλος*, *pulex*. Hinc quoque *pulicaris herba* appellatur. Ge. *Psyllenkraut*, *Flöhkraut*. Ga. *Herbe aux puces*. A. *Flea-bane*, *flea-wort*. B. *Vlookruid*.

PSYLOTHRUM, vide *Psilothrum*.

PTARMICA, seu **STERNUTATORIA** sunt medicamenta, quae inspirando in nares attracta maiori, quam errhina, praedita acrimonia, tantopere irritando et corrugando nervos nasales et membranam pituitariam sternutationes excitant, sicque pituitam circa nares exprimunt, ut magna copia tum expellatur, tum erumpat. A *πταίρω*, *sternuto*. Ge. *Niesenmachende Mittel*. Ga. *Sternutatoire*. A. *Sneezing powder*. B. *Nies-middelen*.

PTARMICA, Dracunculus hortensis, folio serrato *Bauh*. *Achillea ptarmica* foliis lanceolatis acuminatis, argute serratis *Linn*. (Syngenes. Polygam. Superfl.) est planta, quae habet caulem unicum, tenuem, rotundum, fistulosum, satis firmum, undequaque instructum foliis, Draconis esculenti foliis similibus, argutis, asperiusculisque denticulis circumquaque serratis, atro virore splendentibus, sapore acri et fervido pyrethri mitiore. Flos est radiatus, cuius scilicet discus ex plurimis flosculis, corona vero ex semiflosculis constat, embryonibus insidentibus, et calyce squamoso comprehensis. Embryones autem deinde abeunt in semina parva, ovata, flocco instructa. Radix est longa et filamentosa. Qualitatis est acris, inodorae; et praecipue radix viribus sialagogis, errhinis et sternutatoriis gaudet. Commendatur in odontalgia. Folium etiam naribus intrusum sternutationem excitat, inde ei nomen datum est. A *πταίρω*, *sternuto*. Ge. *Niesskraut*, *weisser Dorant*. Ga. *Herbe à éternuer*. A. *The common*, *the goose sneeze wort*, *the goose tongue*. B. *Nieskruid*, *veld-dragon*.

PTERIS est plantae genus, ad plantas dorsiferas, seu epiphyllospermas, (Cryptogam. Filic.) pertinens, in quo fructificationes digestae sunt in lineam subtus cingentem marginem folii. [Notissima huius generis species est *aquilina*. Synon. Filix femina. A. *Common brakens*, *female fern*. B. *Randvaren*, *arendkruit*. Ga. *Fougere femelle*, sive *impériale*, sive *commune*. Ge. *Saumfarren*, *Flügelfarren*, *Adlerkraut*.]

PTERNA, i. q. *calx*, seu *calcaneum*. [Poll. *onom*. II. 197. partes pedis enumerans *πτέρναν* vocari ait *τὸ ἀπολῆγον τοῦ ποδὸς κατόπιν*. Galen. *de oss*. c. 24. *ὑπόκειται αὐτῷ* (articulo cruris cum pede) *τὸ μέγιστον ὀστοῦν ἐν ποδὶ, καλεῖται δὲ πτέρνα*.]

PTERYGIUM, i. q. *ala*. Hinc *ala*, vel *pinna* nasi, aut processus alaeformis ossis sphenoidis ita vocatur. — Item, excrescentia membranosa, quandoque etiam carnosa, vel pinguis, alba, quamdiu recens est; rubra vero, et vasis prae-

dita, si magis inveterata fuerit, *unguis* et *ungula* dicta, supra corneam oculi tunicam, ab angulo ut plurimum interno, versus oculi pupillam excrescens, eamque saepe obscurans. Ge. *Ein Nagelfell im Auge.* Ga. *Ongle.* B. *Een nagel aan het oog.* — Item nymphae pudendi muliebris sic vocantur. — *Pterygium* saepe etiam confunditur cum *panaritio,* ab aliis autem stricte sumitur pro carnis incremento, aliquam unguis partem operiente. A *πτερὸν, ala.*

PTERYGOIDES dicuntur processus et musculi ossis cuneiformis a parte inferiore. Duo tales ossei sunt processus in osse cuneiformi, quorum singuli rursus in duas laminas longitudinales, seu alas, externam scilicet et internam, distant. His adnectuntur duo paria musculorum, quorum unum est *externum*, quod ortum ab externa parte alae exterioris pterygoideae, progressum retro inseritur forti tendine in spatio semilunari sito inter condyloidem et coronoidem maxillae inferioris processum. Alterum est *internum,* ortum carneum et tendinosum ex tota interna superficie lamellae externae pterygoideae, progrediens antrorsum descendit, ac lato et robusto tendine affigitur fossulae paulo supra angulum internum maxillae inferioris sub magnis apophysibus. Horum musculorum *externi* maxillam inferiorem antrorsum, *interni* retrorsum ducunt, omnes vero alternatim eam ab uno latere ad alteram movent, sicque proprie triturationem in manducatione efficiunt. Ex *πτερὸν, ala,* et *εἶδος, forma.* Ge. *Die flügelförmigen Fortsätze des Keilbeins, und Muskeln dieser Fortsätze.* Ga. *Muscles pterygoidiens, apophyse pterygoidienne.* B. *Vleugels-wyze spieren, en uitstecksels.* — Item, cui scapulae alarum in modum exstant, teste *Galeno* et *Aretaeo,* [*morb. acut. I. c.* 8.] quod genus hominum tabi obnoxium est, *πτερυγώδης, Hippocr.* et *Aretaeo, φθινώδης Hippocr.* [*Epidem. lib.* III. aegrot. 6. Cons. Foës. *oec. Hipp. p.* 654.] Ge. *Dem die Schulterblätter heraussstehen.* B. *Dien de schouder-bladen uitsteeken.*

PTERYGOMA vocatur M. A. *Severino* excrescentia quaedam, ex lento humore, in exteriores vulvae partes affluente, subnascens, quae pudendum uteri sinum sic opplet et obstruit, ut necessaria in coitu masculini seminis immissio intercludatur. [Nota quidem pterygomatis denominatio partis cuiusdam, in pudendo muliebri conspicuae, v. c. Ruf. Ephes. p. 32. et Poll. *onom. II.* 174. sed Severinus antiquorum loquendi consuetudinem ita immutavit, ut, quod illi tanquam naturalem conformationem considerabant, hic ut morbosam affectionem describeret. Caeterum monendum et hoc est, lexica temere ad Ruf. Ephes. provocare, ut probent, *πτερύγωμα* supremam eamque latam auris externae partem dici. Nam is p. 26. hanc partem non *πτερύγωμα,* sed potius *πτερύγιον* appellari auctor est.]

PTERYGOSTAPHYLINI sunt musculi uvulae, qui a processibus aliformibus originem trahunt, et in uvulae lateribus finem consequuntur. Sunt duo, internus et externus; *pterygo-staphylinus internus*, sive *spheno-staphylinus*, oritur prope supremam processus pterygoidei partem ex osse sphenoide, et finitur in parte posteriori ac superiori uvulae; hic *salpingo-staphylinus* a *Valsalva* vocatur, quia e parte tubae Eustachianae provenit. *Pterygo-staphylinus externus* oritur iuxta latus externum praecedentis, descendit inter utramque lamellam processus pterygoidei, tendinemque super apophysi tenui lamellae interioris, quasi per trochleam, ad anteriorem uvulae partem reflectit, unde uvula ab hoc pari sursum et antrorsum, a reliquis retrorsum, et ad latera videtur moveri. Hic musculus a *Valsalva musculus novus tubae* vocatur, quia, si per alios musculos fixa teneatur uvula, tubam Eustachii, ut et nares, ab eo dilatari existimat. A *πτερὸν, ala,* et *σταφυλὴ, uvula.* Ge. *Muskeln des Zäpfchens.* Ga. *Muscles pterygo-staphylins, muscles de la luette.* A. *The muscle of the roof, of the mouth.* B. *De lel-spieren.*

[**PTILOGENESIS** ab Eble (*Die Lehre v. d. Haaren in der gesammten organischen Natur, Wien* 1831. 8. P. II. p. 248.) illa vocatur peculiaris et rarissima pilorum conditio, ubi pilorum loco pennae generantur. Aliquot exemplis, sibi cognitis, hoc nomen ei morbo superstruxit. Ge. ea conditio vocatur *Federkrankheit.*]

PTILOSIS [Gr. *πτίλωσις.*] est oculorum vitium, in quo, incrassatis palpebrarum marginibus, ciliorum pili excidunt. [Galen. in *medico c.* 16. *p.* 767. *to. XIV. περὶ δὲ τὴν στεφάνην κριθὴ καὶ ποσθία — πτίλωσις* etc. Defin. *med.* 368. *p.* 439. *to. XIX. πτίλωσίς ἐστιν ἀπὸ δριμυτάτου ῥεύματος ἀπόπτωσις τῶν βλεφάρων*).* Aet. *tetrab. II.* 3. *c.* 22. *ἡ μαδάρωσις καὶ ἡ πτίλωσις τῶν ταρσῶν εἰσι πάθη. — ἐπὶ δὲ τῶν πτιλῶν καλουμένων καὶ πεπάχυνται καὶ τετύλωται τὰ μέρη ταῦτα, ὡς εἶναι σύνθετον τὸ πάθος ἐκ μαθαρώσεως καὶ σκληροφθαλμίας.* Paul. Aeg. *III. c.* 22. *p.* 74. *ἡ πτίλλωσις παχύτης ἐστὶ τῶν βλεφάρων τυλώδης ἐνερευθής, οἷς συμβαίνει πολλάκις καὶ τῶν τριχῶν ἀπόπτυσις.* Dioscor. I. 86. p. 91. *πτίλα βλέφαρα.* Ge. *Das Ausfallen der Augenwimpern.* B. *Een dikte den oog-scheelen met eene kaalheid des hairs.*

PTISANA est decoctio ex hordeo decorticato, passulis mundatis, glycyrrhiza, aliisque vegetabilibus in aqua decoctis parata. A *πτίσσω, pinso, decortico.* Ge. *Gerstenwasser, Decoct, abgesottener Trank, Ptisane.* Ga. *Ptisane.* A. *Ptisan.* B. *Een koel-drank, gersten-drank.*

PTOSIS est morbus palpebrae superioris, in quo aut ob paralysin musculi elevatoris, aut a tumore enato depressa

---

*) Scrib. *τῶν τοῦ βλεφάρου τριχῶν.* Sic Aet. II. 3. c. 60.

delabitur, sic ut oculus recte aperiri nequeat. [Vid. Benedict. (*Augenkrankh. III. p.* 57.) — A. *Praeternatural descent of the eye-lid.*] Ge. *Das Niederfallen des obern Augenliedes.* Ga. *Chûte de la paupière.*

PTYALAGOGA sunt medicamenta salivae se- et excretionem promoventia. [A gr. *πτύαλον, sputum, saliva,* et ἄγω, *duco.*] Ga. *Remèdes ptyalagogues.*

PTYALISMUS est maior, quam naturaliter solet, salivae ex ore excretio. A *πτύω, spuo.* Ge. *Das Spucken, Speichelfluss.* Ga. *Flux de bouche, salivation.* A. *Salivation.* B. *Speekzelvloed, kwyling.*

PTYALON est *sputum,* sive illa materia, quae tussiendo ex pulmonibus eiicitur. *Saliva* namque proprie significat liquorem per ductus salivales effusum; humorem e naribus et supra palatum profluentem, *pituitam cerebri* vocant; at *mucus* tonsillarum est materia viscida, quae per tonsillas excernitur. A *πτύω, spuo.* Vide *Saliva.*

PTYSMA, i. q. *ptyalon.*

PUBERTAS dicitur illud tempus aetatis iuvenilis, quod anno duodecimo, vel quarto decimo incipit, in quo uterque sexus ad generationis opus idoneus evadit. Ge. *Mannbares Alter.* Ga. *Puberté.* B. *Huwbaarheid.*

PUBES est illa pars abdominis, quae pudendo proxima lanugine, seu pilis in iis, qui puberes facti sunt, tegitur. Hinc, qui huiusmodi pilis non adornati sunt, *impuberes* dicuntur. Maribus decimo quarto accrescit, foeminis vero duodecimo. Ge. *Die Haare auf der Schaam.* Ga. *Le poil des parties honteuses.* A. *Hair in the privie parts.* B. *'t schaam-hair.* — *Pubes* etiam botanicis dicitur omnis hirsuties in planta.

PUBIS OS, sive **PECTINIS OS** est pars ossis innominati, quae in iunioribus cartilagine ab ischio et ilio separata, in adultis cum iis in acetabulo in unum os concrevit. Est vero praecedentibus duobus minus, situm transversim, in parte anteriori, ubi duo ossa utriusque lateris se invicem contingunt et pelvim formare iuvant. In hoc osse, ubi cum ischio coniungitur, relinquitur foramen magnum, fere ovale, musculis obturatoribus clausum. Sic vocatur ob pudendorum viciniam. Ge. *Das Schaambein.* Ga. *L'os pubis, l'os barré.* A. *The share bone.* B. *Het schaam-been.*

PUDENDA vocantur partes externae, in utroque sexu generationi dicatae. Ge. *Schaamglieder.* Ga. *Les parties honteuses.* A. *Privie-parts.* B. *Schaamdeelen.*

PUDENDAGRA in genere quidem dolorem partium genitalium denotat, aliis autem proprie est idem, quod *lues venerea.* [Vocatur et *mentulagra*, aut *aedoiodynia,* ab *αἰδοῖα, partes naturales,* et *ὀδύνη, dolor.*]

PUERPERA foemina est, quae iamiam peperit, et quamdiu

ex incommodis puerperium sequentibus decumbit. Gr. παιδοτόκος. Ge. *Eine Kindbetterin, Sechswöchnerin.* Ga. *Une accouchée, une femme en couches.* A. *A woman in childbed.* B. *Een kraamvrouw.*

PUGILLUS, Gr. δεσμίδιον, [Cum δεσμὶς iam *fasciculum* significet, Blancardus minorem adhuc quantitatem, quam fasciculus comprehendit, novo diminutivo δεσμίδιον, cuius tamen nullam auctoritatem invenire potui, insignivit.] est mensura medicorum, qua herbae et flores mensurantur; continet pugillus, quantum quinque digitis capi potest, et fere drachmam unam pondere aequat. Aliis tamen, quantum tribus digitis prehenditur. *Galenus* abusive rutae fasciculum dixit, quantum duobus digitis comprehendi potest. Ge. *Fünf Finger voll.* Ga. *Une pincée.* A. *Smal handfull.* B. *Een handvol.*

PULEGIUM est planta ad Menthas pertinens, (Didynam. Gymnosperm.). Habet scilicet caules longos, quadratos, villosos, quosdam elatos, alios repentes. Folia sunt obrotunda instar Maioranae, sed tactui molliora, et nigriora: ex horum alis ramusculi oriuntur, vel parva foliola valde tenuia. Calyx est monophyllus, erectus, quinquedentatus. Flores sunt verticillati, coloris caerulei, vel purpurei, aliquando rubicundi, raro albi, labiati, labium superius bifidum. Flori succedunt semina quatuor minima. Radix est fibrosa. Huius plantae tres praecipue species prostant, scilicet: 1) *Pulegium latifolium Bauh. Mentha pulegium* floribus verticillatis, foliis ovatis, obtusis, subcrenatis, caulibus subteretibus, repentibus, staminibus corolla longioribus *Linn.* 2) *Pulegium erectum mas Dal.* 3) *Pulegium cervinum angustifolium Bauh.* Mentha aquatica Satureiae folio *Tourn.* Qualitatis sunt omnes amaricantis et spirantis, multoque oleo aethereo scatent. Gaudent viribus resolventibus, pellentibus, stomachicis, carminativis, emmenagogis, et antihystericis; hinc decoctum vel aquosum, vel vinosum in affectibus soporosis, cephalalgia, vomitu, colica, anorexia, lienteria, hysteria, dysmenorrhoea, leucorrhoea, asthmate et tussi convulsiva commendatur. Nomen habere dicitur, quod eius flores recentes incensi, pulices odore suo interficiant. Gr. βλήχων, seu γλήχων, quod gustatum a pecore, cum floret, balatum concitet. Ge. *Pulei, Polei, Flöhkraut.* Ga. *Puliot.* A. *Penny-grass, penny-royal.* B. *Polei, pulei, palei.*

PULICARIA, seu **PULICARIS**, i. q. *psyllium.*

PULMONARIA, i. q. *peripneumonia.*

PULMONARIA est planta, gymnotetrasperma asperifolia (Pentandr. Monogyn.). Species officinalis est Pulmonaria latifolia, vel Symphytum maculosum *Bauh. Pulmonaria officinalis*, [seu *maculata*] foliis radicalibus ovato-cordatis scabris *Linn.* Habet haec caulem angulosum, villosum, co-

loris purpurei, Buglossum referentem. Folia quaedam ex radice erumpunt dispersa et repentia; alia stipiti adhaerent sive caulibus; sunt oblonga, acuta, ampla, in medio nervum habentia, lanuginosa, et plerumque maculata; semina obrotunda, in calyce ampliato inclusa. Radix est fibrosa, saporis viscosi. Crescit haec planta in sylvis, et circa montium radices. Vires habet vulnerarias, et pulmonum exulcerationibus, aliisque eorum morbis mederi putatur. Vel sunt, qui a similitudine cum pulmonibus sic denominari putent. Ge. *Officinelles Lungenkraut, Fleckenkraut* u. s. w. Ga. *Herbe aux poumons, pulmonaire, herbe du coeur.* A. *Cowslips* sive *sage of Jerusalem, the common lungwort.* B. *Gewon longenkruid, wrangekruid, wolvensla.*

PULMONARIA ARBOREA, LICHEN ARBOREUS est planta parasitica, (Cryptogam. Alg.) ad Lichenes pertinens; Lichenoides pulmonarium reticulatum vulgare, marginibus peltiferis *Dill.* *Lichen pulmonarius* foliaceus laciniatus obtusus glaber, supra lacunosus, subtus tomentosus *Linn.* Adnascitur trunco quercus et fagi. Qualitatis est siccae et inodorae, viribusque thoracicis et roborantibus pollet. Sunt, qui in ictero, tussi inveterata, diarrhoea et nimio mensium fluxu commendent. Veterinariis pulvis cum sale contra tussim pecorum in usu est. A. *The lungwort* sive *tree lichen.* B. *Longachtig schurftmos, longemos, longekruid.* Ge. *Die Lungenflechte, Lungenmoos, Lungenkraut.* Ga. *Pulmonaire de chêne, le lichen pulmonaire.*

PULMONARIA GALLORUM, vide *Hieracium, Pilosella.*

PULMONES, Gr. *πνεύμονες* et *πλεύμονες*, sunt duo viscera in universum sibi similia, sita in utraque cavitate thoracis a mediastino separata. Coni, sed valde irregularis, cuique figura in homine est. Superior finis in obtusum conum fastigiatus aliquantum super costam primam se effert. Ima basis cava oblique truncatur, anterius brevior, pone longior est, et marginem acutum cum superiori convexitate intercipit. Medio loco anterior quidem, non longa tamen portio pulmonis, plana fere est, inde ad obtusum angulum altera, lateralis facies pariter paene plana et modice omnino convexa, qualis costarum cava ubique facies est; posterior longitudo valde convexa est, ut caveas a costarum prima, magisque exsculpta costarum parte formatas subeant. Qua dexter pulmo sinistrum respicit, uterque anterius planus est, deinde cavus, et sinister pulmo pro recipiendo corde exsculpitur, ut aliquam partem eius visceris nudam relinquat. Dexter ad finem auriculae dextrae venit, reliquum cor a sinistro tegitur. Totus pulmo liber est, et non nisi vasis maioribus adnexus: vitiose enim, etsi frequenter, pulmo ad pleuram revincitur. Dexter pulmo, constanter sinistro maior, duos

cum medio minore lobos, sinister duos lobos habet. *Haen.* Substantia pulmonum propria, quasi spongiosa est, in infantibus grate rubens, in adultioribus livescens; constans vasis sanguini soli vehendo, et mutando, (ut *arteria* et *vena pulmonali*) aliis suo sanguine tantum nutriendo hunc, (ut *arteria* et *vena bronchiali*) aliis soli aëri excipiendo, (ut *arteria aspera* cum suis divisionibus) dicatis: atque innumeris nervis a plexu pulmonali, et lymphaticorum copiosorum omni genere et magnitudine variis etc. Ipsa enim *arteria aspera*, post varias divisiones continuo decrescentes, tandem abit in substantiam ex vesiculis sphaeroideae figurae conflatam, membranaceam, subtilissimam, ultimo coecam expansilem ab aëre inflato, contractilem propria vi, ut et thoracis compressu. Hae vesiculae mediante substantia cellulosa, vel reticulari, sibi invicem iunctae, et ita sitae, ut a trachea mox ex una in alteram patens sit aditus, undique vasis traiectoriis sanguineis et nutrientibus cinguntur. Dum igitur, dilatato thorace, aër per laryngem et asperam arteriam in vesiculas aëreas ingreditur easque expandit, vascula minima parietes vesicularum perreptantia explicantur, sicque alterna inspiratione et exspiratione transitus sanguinis per ea promovetur, ipse sanguis sic conquassatus intime miscetur, et exhalatione caloris humidi condensatur, sicque mutatus auriculae cordis sinistrae infunditur, ut adeo pulmones sanguificationi, sanguinis circulationi, respirationi, voci, loquelae etc. inserviant. Ge. *Die Lungen.* Ga. *Le poumons.* A. *The lungs.* B. *De longe.*

PULPA est caro fructuum, radicum, aliorumve corporum, quae infusione, vel coctione extrahitur, eam per setaceum traiiciendo: ut pulpa tamarindorum, cassiae, dactylorum, etc. vel contundendo, ut in cucumeris, melonumve semine; vel eligendo, ut pulpa colocynthidis etc. Ge. *Das Mark, das Fleischichte, Fleisch.* Ga. *Pulpe, chair.* A. *Flesh, marrow, pulp.* B. *Vlees, merg.* — Botanicis etiam *pulposa* dicuntur *folia* materia tenaci farcta.

PULSATILLA est planta ad Anemones pertinens, (Polyandr. Polygyn.) cuius species hodie officinalis et maxime frequens est *Pulsatilla nigricans Pharm.* Pulsatilla flore minore nigricante *Bauh.* *Anemone pratensis* pedunculo involucrato, petalis apice reflexis, foliis bipinnatis *Linn.* Habet haec folia Pastinacae sylvestris satis similia, sed minora, huic tenui divisura, pilisque respondentia, ex pediculo longiori palmari circiter admodum villoso, et prope terram subrubente appensa, odoris acris et admodum nares ferientis, dum digitis conteruntur, gustus acerrimi; ex horum medio producitur cauliculus rotundus, cavus, lanugine spissa obductus. Flos est rosaceus, plurimis scilicet petalis in orbem positis constans, ex cuius meditullio surgit pistillum stami-

..ous plerumque obsitum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur semina, in tenue capillamentum desinentia. Folia etiam quaedam caulem infra florem cingunt, non secus, ac in aliis speciebus Anemones, a quibus differt semine lanato in caudam tenuato. Radix est crassa, longa, nigra, in plura capita interdum divisa. Crescit in collibus sylvisque montosis Europae. Qualitatis quidem est acris et rubefacientis, auctore tamen Ill. *Stoerk.* extractum eius, cum saccharo mixtum, ut praestantissimum remedium in variis amblyopiae speciebus, aliisque sonticis oculorum morbis, eximio saepe cum fructu adhibetur, idque passim praestat, quod aliis remediis obtineri non poterat. Nomen habet, quod ostia anni quasi pulset, verque instare indicet; vocatur etiam *herba venti*, quod scilicet nimium tremuli pappi levissimo flatu huc atque illuc agitentur et propellantur. Quare ὀρίγερον [?] dici potest. [Herba huius plantae continet secundum experimenta Heyeri principium peculiare, *anemoneum* seu *anemonine* dictum, quod ab aliis, minus tamen recte, *camphora anemonea* appellatur. Parandi huius principii ratio haec est: herba anemones L. recens cum dupla et semisse aquae quantitate destillationi subiicitur. Si una aquae pars destillata est, residuum denuo destillatur, donec eius octava pars in excipulum transierit. Liquor destillatus in cellam subterraneam seu locum quemcunque frigidum reponitur; quo facto anemonine in crystallorum forma comparet, quae regularia prismata striata, niveae albedinis, referunt. Crystalli integrae linguae admotae pinguedini similem, calore flammae liquefactae autem maxime urentem saporem efficiunt. Anemonine, quae a nonnullis ad olea aetherea pertinere creditur, non nisi maiore principii oxygenetici quantitate ab his differre videtur. Eius vis nervos praecipue oculorum afficit, quippe qui ab huius remedii usu terebrantem sentiunt dolorem, et resoluti, ut in amaurosi fieri solet, denuo, ut ita dicam, vivificantur.] Ge. *Küchenschelle, Windblume.* Ga. *Coquelourde.* A. *Pasque flower.* B. *Keuken-kruid, keuken-schelle.*

PULSATIO, vide *Palpitatio.*

PULSATIO CORDIS, vide *Pulsus.*

PULSUS, sive **PULSATIO CORDIS** et **ARTERIARUM**, est alterna cordis et arteriarum dilatatio et contractio, facta ex sanguine influente et dilatante tum cor, tum arterias; et ex harum fibrarum musculosarum vi contrahente, in sanguinem dilatantem agente, eumque propellente. Haec actio, quae in corde dicitur *diastole* et *systole,* in arteriis vocatur *pulsus.* Hae vicissitudines in cordis ventriculis fiunt tempore contrario, quam in arteriis; dum enim cordis ventriculi constringuntur, arteriae a sanguine replente ex corde emisso dilatantur. Prout igitur cor, vel arteriae, frequentius vel

lentius, fortius vel debilius, agunt in sanguinem, pulsus variant; hinc observatur in morbis *validus, languidus, celer, tardus, durus, mollis, plenus, vacuus, aequalis, inaequalis, deficiens, myurus, mediocris, undosus, vermicularis, formicans, tremulus, serratus, caprizans* etc. Ge. *Der Puls.* Ga. *Pouls, battement*, ou *mouvement des artères, pulsation.* A. *Pulse, beating of the heart and arteries, pulsation.* B. *De pols, aderslag.*

PULSATILIS FONS, vide *Fontanella.*

PULVERISATIO est, quando contundendo res durae in pulverem rediguntur. Ge. *Zu Pulver reiben.* Ga. A. *Pulverisation.* B. *Poeder,* sive *stofmaaking.*

PULVILLI, i. q. *splenia.*

PULVIS est medicamentum siccum, particulis minimis, non cohaerentibus, constans, quod illa forma praescribitur, si integras simplicium vires desideremus. Constat vel ex uno ingrediente, vel e pluribus mixtis. Plures huiusmodi pulveres compositi in officinis prostant, quorum etiam multi *species* vocantur. Vide *Species.* Ge. *Pulver.* Ga. *Poudre.* A. *Powder.* B. *Poejer, poeder.*

PULVIS CARTHUSIANORUM, vide *Kermes minerale.*

PULVIS PYRIUS est pulvis granulatus factus ex sulphure, nitro et carbonum farina invicem mistis, subactis et exsiccatis. Usus est notissimus. Si forte in usum medicum adhibere necessitas cogat, easdem, quam *nitrum*, vires exhibet. Ge. *Schiesspulver.* Ga. *Poudre à canon.* B. *Buskruid.*

PULVIS TONANS est pulvis constans e tribus partibus nitri, duabus salis tartari, et una sulphuris, invicem mixtis, qui si igni admoveatur, cum ingenti fragore dissilit. Ge. *Knallpulver.* Ga. *Poudre fulminante.*

PUMEX, *Pumex vulcani*, schisti niger *Linn.* Porus igneus lapidis Asbesti *Wall.* lapis est erosus, porosus, spongiosus, exiguisque cavernulis, seu foraminibus plenus, levis, saporis subsalsi, odoris sitilenti. Praecipue circa montes ignivomos reperitur. Probatur, qui candore, minimoque pondere praecellit, ut et qui quam maxime spongiosi, aridique sunt, trituque faciles, nec fricando arenosi. Usus maxime mechanicus est, sed etiam pulveribus dentifriciis [male] additur. Specificas in tollendis strumis vires etiam habere credebatur. Gr. *Κίσσηρις.* Arab. *Tanech.* Ge. *Bimsstein, Reibstein, Tuffstein.* Ga. *Pierre-ponce.* A. *Pumice-stone.* B. *Puimsteen.*

PUNCTATUM botanicis dicitur *folium,* vel *receptaculum,* punctis excavatis adspersum.

PUNCTUM AUREUM vox est chirurgorum veterum, hernias curantium, atque illud fit, quando peritonaeum ab hernia in sacculum formatum, reducto intestino in abdomine au-

reo filo constringitur, ne rursus intestina in eundem incidant locum. At dudum haec methodus ob sontica incommoda a peritissimis chirurgis explosa est. Ge. *Goldne Naht.* B. *De gulde steek.*

PUNCTUM consideratum ut parva et rotunda particula, dicitur etiam de quibusdam corporis humani partibus, v. c. *Punctum lacrymale.*

PUNCTUM LACRYMALE, vide *Colliciae.*

PUNCTUM SALIENS: dum ovum grandescit, in interiori eius tunica amnios dicta, nubecula quaedam comparet, quae sensim crassior evadens, mucosam materiam acquirit, in cuius medio primo punctum saliens, deinde rude embryonis corpusculum, ut informis galba, conspicitur, quod indies augescendo maiorem perfectionem nanciscitur. Est ergo proprie *punctum saliens* cor embryonis eousque iam evolutum, ut humoribus attenuatis et influentibus irritatum eius oscillationes conspicuae fiant. [Qui nisi omnia, pleraque tamen ad evolutionem embryonis pertinentia, collecta et bene disposita legere cupit, adeat: Die Physiologie als Erfahrungswissensch. Bearbeitet v. *Ca. Fr. Burdach.* Mit Beitr. v. *C. Ern.* v. *Baer*, *H. Rathke* u. *Ern. H. F. Meyer.* Leipz. 1828. 8. B. II.]

PUNCTURA est talis partium mollium per instrumentum tenue et acutum separatio, ut parvum et valde contractum relinquatur vestigium. Ge. *Ein Stich.* Ga. *Coup de pointe.*

PUNCTURA NERVORUM est, quando nervus acu, spina, aut alia re acuta compungitur, unde saepe symptomata letalia orta fuerunt. Veteres, qui tendinosas partes omnes nervosas partes esse putabant, etiam vulnera earum gravissimis symptomatibus ansam praebere credebant. Hincque earum laesionem nominis puncturae nervorum insigniebant. Licet vero recentiorum experimenta ostendant, tendines per se non sentire, tamen tensio ex tendine semidiscisso, aut aponeurosi vulnerata orta plurima symptomata producit. Ge. *Nervenstich.* Ga. *Nerf piqué.* A. *A puncture of a nerve.* B. *Een zenuw-steek.*

PUNCTURA SCROTI, vide *Paracentesis.*

PUNCTURA VESICAE est idem quod *Paracentesis vesicae,* qua foramine in vesica per acum triquetram in perinaeo, aut supra pubem, vel per intestinum rectum facto, urina morbose retenta emittitur. Ge. *Blasenstich.* Ga. *Ponction de la vessie.*

PUNICUM MALUM, *Punica granatus Linn.* Rami huius arboris sunt exigui, angulosi, spinosi. Eius cortex est rubicundus. Folia exigua, myrtum referentia, sed minus acuta sunt, caules rubicundos habentia, contusa odorem satis fortem praebentia. Flores sunt magni, rubicundi, rosacei, polypetali, ovario intra calycem innati, staminibus numero-

sissimis praediti. Ovarium, excusso flore, emarcidis staminibus, calycem in umbilicum contrahens, fit fructus pomiformis, cuius cortex est coriaceus, durus, rugosus, foris ex spadiceo luteo puniceus, intus vero luteus, saporis amaricantis, adstringentis, austeri. Fructus est fere globosus, coronatus, in plura loculamenta divisus, acinis succi plenis foeta, membranis tenuissimis distincta, et semine turgentibus ut plurimum oblongo. Punica mala triplicia sunt ratione saporis, 1) dulcia, 2) acido-dulcia, seu vinosa, 3) acida. Haec arbor crescit in hortis, praesertim in regionibus calidis, ut in Hispania. Dici volunt a Poenis, quod in Punicaregione abunde inveniatur, aliis placet nomen deduci a colore puniceo. Vide *Granatus*. Ge. *Granatapfel.* Ga. *Grenadier.* A. *Pomgranate.* B. *Granaat-appel.*

PUPILLA, seu **PUPULA** est choroidis, sive uveae tunicae et iridis apertura, radios luminis transmittens ad humorem crystallinum, in homine rotunda, quae pro influxu spirituum animalium in fibras radiantes longitudinales et orbiculares limbum internum constituentes, seu potius pro vasculorum impletione et turgescentia musculi in modum in maiori, vel minori luce contrahi, vel dilatari solet. Nomen habet ab imaguncula, seu pupula, quae in ea se introspicienti offert. [Falsam esse veterum, quos Blancardus sequitur, opinionem de iride, choroidis membranae continuatione, probatur inde, quod choroides membrana ob nervorum defectum sensu caret, qui in iride est acutissimus. Alia differentiae inter choroidem et iridem nota a diverso colore diversaque structura repeti potest.] Gr. *Κόρη* et *γλήνη*, [Ruf. Ephes. p. 25.] Ge. *Der Stern im Auge*, *Pupille.* Ga. *La prunelle de l'oeil.* A. *Pupilla of the eye.* B. *Oogappel.*

PUPILLARIS MEMBRANA est membrana tenuissima, oriens undique ex iridis acie, quae in homine adulto pupulam finit, multo, quam iris, tenuior, cinerea, absque flocculis, vasis picta, quae ab iride accipit decolora, ut tamen artificio anatomico facile repleantur et rubescant, in rete intricata, ad septimum usque mensem in hominis foetu constanter reperiunda, quae ab eo nunc in lucem edito abest, ut ne vestigia quidem supersint. *Hall.* Quae eius sit utilitas, vix hucusque satis innotuit. Ge. *Sehlochhaut.*

PUPPIS OS, i. q. *frontis os.*

PUPULA, vide *Pupilla.*

PURGAMENTA UTERI, vide *Lochia.*

PURGANTIA sunt medicamenta, quae externe, vel interne corpori vivo applicata, irritando fibras musculares oesophagi, ventriculi, intestinorum, eorumque vasa secernentia ita agunt, ut haec omnia in sua cavitate, vel glandulis vicinis haerentia determinent sua contractione versus inferiora, et excernant per intestinum rectum extra corpus.

Gr. *Καθαρτικά*. Ge. *Purgiermittel*. Ga. *Remèdes purgatifs*. A. *Purging medicines, purgatives*. B. *Buikzuiverende middelen, purgeer-middelen, [illegible]*.

PURGATIO ALVI, seu **CATHARSIS** et **COPROPHORIA** est ipsa excretio materiae contentae in ventriculo et intestinis per anum, producta vel ab ipsa se exonerante natura, vel medicamentis purgantibus. Ge. *Ein Stuhlgang, Purgieren*. Ga. *Purgation, selle*. A. *Purging*. B. *Buik zuivering, stoelgang, afgang, purgatie*.

PURPURA FEBRIS est febris continua, in qua corpus externe maculis subrotundis, rubris, vel purpureis coloratur, et inter periculosas recenseri debet. Ge. *Fleckfieber*. Ga. *Fièvre pourprée*. A. *A purple fever*. B. *De purperkoorts*. Vide *Petechiae, pustulae*. — Quibusdam idem est ac *febris miliaris*, quam tamen alii pustulis visu et tactu explorandis distinguunt.

PURPURA MINERALIS vocatur pulvis violaceus fundum petens, si solutio stanni et solutio auri in aqua regia facta successive miscentur. Usus encaustarum et vitriariorum est pro vitro purpureo. [A Cassio, non inventore illo quidem, sed quoniam eius praeparationem peculiari libro: *De extremo illo et perfectissimo naturae specifico ac principe terrenorum sidere, auro* etc. Hamb. 1686. primus publicavit, cognominata *purpura Cassii*. Pro varia hoc productum conficiendi ratione variae sunt rationes partium illud constituentium.] Ge. *Mineralischer Purpur*. Ga. *Pourpre mineral*.

PURPURA SCORBUTICA: hoc nomine exanthema chronicum pustulosum rubrum vocatur, quod insignem pruritum excitat, et in cacochymicis, sed plerumque sine febre, oritur. Hinc differt a vera purpura febrili, seu febre miliari. Ge. *Skorbutischer Friesel*.

PURPURINA, i. q. *mosaicum*, s. *musivum aurum*.

PURUM medicis saepe opponitur mixto. Sic vinum purum dicitur, quod aqua non dilutum est. Purae excretiones damnantur, verbi gratia, si sanguis purus per sputa, vel bilis sincera per alvum, exeat; hoc etiam sensu sinceras vomitiones mixtis deteriores pronunciat Hippocrates.

PUS, vide *Pyon*.

PUSBA, i. q. *posca*.

PUSTULAE sunt efflorescentiae, vel vesiculae purulentae, turgentes, in cute excitatae, quae vel propter diaphoresin impeditam, vel propter pustularum materiam nimis viscidam eo loco haerent, et inaequalitatem quandam excitant. Harum quaedam siccatae in squamulas convertuntur; aliae autem etiam exulcerantes crustulas relinquunt; hinc earum quam diversissimae species dantur. [Secundum Willanum pustula est elevatio cuticulae, figuram nunc globosam, nunc conicam offerens, et sive pus, sive serum continens. Ge.

Feuchtes Blütchen.] Ge. *Blatterch*[illegible]. Ga. [illegible]*mpoulles, pustules, vessies.* A. [illegible] *blisters,* [illegible]. B. [illegible] *ten.*

PUTREFACTIO est co[illegible] vel vegetabilis per motum particula[illegible] int[illegible]inum, in calore humido, substantiam ipsam corrumpente, eiusque penetralia reserante, dissolutio. Ge. *Das Faulen, Fäulniss.* Ga. A. *Putrefaction.* B. *Verrotting.*

PUTRIDA FEBRIS est febris continua, pulsu parvo, debili et inaequali, summaque virium prostratione stipata, oriens a materia maligna sanguinem dissolvente, hinc haemorrhagiae, petechiae etc. frequenter in ea occurrunt. Plerumque epidemica est. Ge. *Faulfieber.* Ga. *Fièvre putride.*

PYCNOSIS, vide *Pycnotica.*

PYCNOTICA, i. q. *incrassantia.*

PYELOS, vide *Choana.*

PYLORUS, sive **IANITOR** est dextrum ventriculi orificium, sinistro angustius, circulo crassiore membranaceo, et musculoso, ceu sphinctere, alimenta remorante, ne nimis cruda clabantur, praeditum, intestino duodeno annexum, per quod cibi ex ventriculo expellendi intestina transeunt. A πύλη, *ianua,* et ὡρέω, *custodio.* Ge. *Der Pförtner.* Ga. *Le pylore.* A. *The porter.* B. *De poortier des maags.*

PYNANGH NUX, i. q. *areca.*

[**PYOCHEZIA**, a Ploucqueto procusa vox, puris ex ano exitum seu pyorrhagiam ani denotare debet. A πύον, *pus,* et χέζω, *alvum depono.*]

PYON, sive **PUS** est materia alba, viscida, tenax, subpinguis, aqua gravior, aequalis coloris, in vulneribus et ulceribus bonis, post praeviam inflammationem et suppurationem haerens, facta, ut plurimi putant, ex affusa lympha ex vasculis ruptis, una cum partibus vasculorum emortuorum mista, cuius pars tenuior avolavit, vel absorptum est intra corpus; unde non nisi aliquo tempore post collectionem in vulnere dictis characteribus donatur. Ge. *Eiter.* Ga. *Pus, matière d'une playe.* A. *Matter.* B. *Etter, materie.*

[**PYORRHAGIA** est puris seu materiae purulentae excretio e quacunque corporis parte externa patente. Krausius notionem subitanei profluvii magnae puris copiae cum hac voce coniunctam esse vult. A πύον, *pus,* et ῥήγνυμι, *rumpo.*]

[**PYORRHOEA**, a Gr. πύον, *pus*, et ῥέω, *fluo*, a Graefio tertium ophthalmiae aegyptiacae stadium appellatur, quo fluidum puriforme, ex albo flavum a membrana palpebrarum bulbive coniunctiva secernitur. Priorem mali formam *blepharopyorrhoeam,* posteriorem *ophthalmopyorrhoeam* vocat.]

PYOSIS est puris in qualibet parte generatio, vel collectio. A πυόω, *pus formo, suppuro.* Ge. *Eiterung.* Ga. A. *Suppuration.*

PYRACANTHA dicitur Spina acuta, sive Oxyacantha.

Vide *Oxyacantha.* Ut et Pyraster, sive Pyrus sylvestris. Vide *Pyrus.* Priori arbori nomen minus respondet, sed magis posteriori. Ex *πῦρ, ignis*, hinc derivatur pyrus, quod eius fructus flammae in modum plerumque formati sint, et *ἄκανθα, spina. Pyracantha* propric est Mespilus aculeata amygdali folio *Tourn. Mespilus pyracantha Linn.* (Icosandr. Pentagyn.) Ge. *Der immergrünende Dorn, der gedornte Mispelbaum, Feuerdorn.* Ga. *Le buisson ardent.* A. *The pyracantha*, sive *evergreen thorn.* B. *Pyracantha.*

PYRAMIDALES MUSCULI ABDOMINIS sunt duo exigui et tenues musculi, quasi triangulares, ad partem inferiorem musculorum rectorum, inter hos et vaginam siti, orientes a parte anteriori et superiori ossium pubis, et oblique adscendentes parvis tendinibus lineae albae inserti. Interdum unus saltem adest in medio, latior tum et crassior. Interdum uterque abest, tumque musculi recti finis latior et crassior est. Hi musculi actionem reliquorum musculorum abdominis sublevant. — *Musculi pyramidales nasi* sunt duo strata fere triangularia fibrarum muscularium, quae utrinque a coniunctione ossium nasi et ossis frontis oriuntur, et iuxta os nasi descendentia cartilagini mobili alae nasi inseruntur, suaque actione hanc elevant, naresque dilatant. Ge. *Der pyramidenförmige Muskel des Bauchs, oder der Nase.* Ga. A. *Muscles pyramidaux.* B. *Naaldgelyke spieren.*

PYRAMIDALIA CORPORA sunt *vasa semen praeparantia* etiam dicta. Vide *Corpus pampiniforme.* — Item *corpora pyramidalia* dicuntur duae protuberantiae exiguae, oblongae, sibi contiguae, quas format *medulla oblongata,* sub *protuberantia annulari*, ad quarum latus externum utrinque sunt *corpora olivaria.* Ge. *Pyramidenförmige Körper im Gehirn.* Ga. *Corps pyramidaux de la moëlle allongée.*

PYRAMIS, vide *Conus.*

PYRENOIDES PROCESSUS est processus secundae vertebrae, *dentiformis* etiam dictus. [Ex *πυρὴν,* gen. *πυρῆνος, nucleus;* dein etiam specilli extremitas, in nuclei modum rotundata. Ruf. Eph. p. 37. *ἡ δὲ τοῦ δευτέρου σφονδύλου εἰς τὸ ἄνω καὶ ἔμπροσθεν ἀπόφυσις, πυρηνοειδὴς καλεῖται.*]

PYRETHRUM, Latinis *Salivaris,* est planta flore composito radiato, semine nudo, (Syngenes. Polygam. Superfl.) Variae in officinis plantae hoc nomen ferunt. 1) Buphthalmum creticum Cotulae facie, flore luteo et albo *Breyn. Anthemis pyrethrum* caulibus simplicibus unifloris decumbentibus, foliis pinnato-multifidis *Linn.* quae potissimum in regno Tunetano provenit, quae *Pyrethrum verum.* [Recentissimam huius radicis analysin chemicam suscepit Iohnius, qui in trecentis partibus radicis invenit 120 helenines, 60 gummosae materiae, 35 principii extractivi, 75 fibrae ligneae extracti-

que non solubilis, 5 denique resinae, olei aetherei, camphorae, saliumque nonnullorum. Resinae acris in recenti radice tanta copia inest, ut cutis, cui imponitur, inde rubefiat: ea autem, quo diutius exsiccata radix est, eo magis imminuitur.] 2) *Pyrethrum pes Alexandri* est radix plantae umbelliferae nondum satis cognitae, quae in fasciculis ex Hollandia ad nos adfertur. In officinis radix Pyrethri veri, seu primae speciei proprie prostat, pro qua tamen saepe radix *Chrysanthemi fruticosi, Leucanthemi canariensis,* vel etiam *Achilleae ptarmicae Linn.* venditatur, quae tamen priore tenuior. — Est vero propric radix digiti circiter longitudine et crassitie, extus coloris fusci, intus albicantis: resinam continet acrem et penetrantissimam; hinc viribus incidentibus, errhinis et sialagogis gaudet. Interne vix adhibetur, externe in odontalgia et paralysi linguae commendatur. Sunt, qui hac radice acetum acuant. Nomen habet a fervido, ac ignis simili, qui in eius radice est, sapore, unde plurimum salivae elicitur. [Krausius, hanc vocem communissime quidem, falso tamen *pyrethrum* pro *pyretro* scribi asserens, debebat causam addere huius opinionis. Diosc. III. c. 78. inter plura synonyma huius plantae non habet pyretrum. Nicand. *Ther.* vs. 938. σὺν ἀναλέοις τε πυρέϑροις, ad q. l. scholiastes: ἡ πύρεϑρος βοτάνη ἐστιν, ἣν πυρῖτιν (Diosc. ἀρνὸς πυρίτην habet) λέγουσιν. Plin. *h. n. XVIII. c.* 9. quoque pyrethrum exhibet; neque Galenus aliique medici graeci in hac scribendae vocis ratione ab unice vero usu recedunt.] A πῦρ, *ignis.* Ge. *Bertram, Zahnwurz, Speichelwurz, Geifferwurz.* Ga. *Racine salivaire,* ou *pyrethre.* A. *Bartram, pellitory.* B. *Bertramkruid, vuur-wortel, tand-wortel, quyl-wortel.*

PYRETICA, i. q. *antipyretica* et *febrifuga.* [Πυρετικὸς graecum non est. Πυρεκτικὸς in Galeno quidem occurrit, sed denotat ibi *febrilis,* a πῦρ, *ignis, calor febrilis, febris,* et ἔχω, *habeo.*]

PYRETOLOGIA est febrium descriptio, continens earum symptomata, effecta, causas et sanandi rationem, &c. Ex πυρετὸς, *febris,* et λέγω, *enarro.* Ge. *Beschreibung der Fieber.* B. *Koorts beschryving.*

PYREXIA, vide *Febris.*

PYRIFORMIS MUSCULUS, vide *Quadrigeminus.*

[**PYRINE**, a Gr. πυρινὸς, *igneus,* est materia, quae, ratione sua erga argentum nitricum, et aurum muriaticum insignis, ex Gu. Zimmermanni experimentis (Kastner *Archiv I. p.* 257. ss.), in aqua meteorica, v. c. pluviali, nivali etc. omni, si grandinem exceperis, reperitur, si eiusmodi aqua, per filtrum ab omnibus particulis peregrinis liberata, et ad siccitatem usque evaporata chemice disquiritur. Tunc pyrine, cum calce, magnesia, kali, ferro et mangano, aut carbonicis, aut muriaticis unita, reperitur. Fechnerus

(*Repertor. d. organ. Chem.* II. 1. p. 359.) haud improbabile esse putat, pyrinen a producto cryptogamico pendere. Cui quidem coniecturae adversari videtur, quod eius praesentia in grandine haud detecta est. Falsa scribendae vocis pyrrhine ratio est. Nam neutiquam a *πυῤῥὴν, nucleus,* descendit.]

PYRITES est substantia mineralis varii coloris et formae in massis variae magnitudinis in plerisque metallifodinis reperiunda, constans e mixtione terrae cum particulis vitriolicis, vel sulphureis, vel arsenicalibus, vel vere metallicis, scilicet ferreis, vel cupreis, leviter inter se unitis, et igne, vel aëre, separandis. Pyrites in magnis acervis collectus sponte incalescit et inflammatur; hinc et ignis subterranei et aquarum martialium causa habetur. In substantia eius vix ullus in medicina usus est, ex eo tamen maxima copia sulphuris vulgaris et vitrioli excoquitur. Ge. *Schwefelkiess.* Ga. *Pyrite.* A. *Mundick.*

[**PYROENUS** est alcohol vini. Ex *πῦρ, ignis,* quia ignis ope destillatur, et *οἶνος, vinum.* In editt. Blancardi antiquioribus haec vox barbara scribitur *pyraenus.* Quisquis huius vocis fuerit auctor, linguae graecae, cuius cognitionem habere simulabat, ignorantiam prodidit.]

PYROLA est plantae genus flore rosaceo, (Decandr. Monogyn.) cuius species officinalis est Pyrola rotundifolia maior *Bauh.* *Pyrola rotundifolia* staminibus adscendentibus, pistillo declinato *Linn.* Habet haec caulem angulosum, qui multa folia rotunda emittit; folia ex radice erumpentia sunt satis carnosa, polita, tota hyeme virentia, caulibus longis adhaerentia. Calyx est monophyllus, quinquefidus. Flos in spicam congestus, est pentapetalus, quasi galeatus, coloris albi; pistillum floris fit fructus angulosus, in quinque loculos dehiscens, qui loculi continent semina exigua. Radix flexilis, fibrosa, repens. Tota planta habet saporem amarum et adstringentem, viribusque vulnerariis et roborantibus gaudet. Hinc infusum eius contra haemorrhagias et leucorrhoeam, et in gargarismate contra anginam inflammatoriam summopere laudatur. Sic appellatur, quod eius folia Pyri arboris foliis similia sint. Ge. *Wintergrün, Holzmangold, Waldmangold.* Ga. *Verdure d'hiver, pyrole.* A. *Wintergreen.* B. *Winter-groen.*

[**PYROMANIA** est ea mentis alienatio, qua qui oppressi sunt, indomita cupidine flagrant, incendia efficiendi. Ge. *Feuerlust, Brandstiftungstrieb.*]

PYROPHORUS est pulvis nigricans, qui, accedente aëre externo, sponte flammam concipit, et corpora contigua accendit. Praeparatur ut plurimum ex aluminis usti partibus 3, et substantiae cuiusdam inflammabilis, plerumque pulveris carbonum, [farinae aut sacchari similiumque] parte 1. mixtis et

calcinatis. Nomen habet a πῦρ, *ignis*, et φέρω, *fero*. [Ab Hombergio cognominatus est.] Ge. *Feuerfangendes Pulver, Luftzünder*. Ga. *Pyrophore*.

PYROS, vide *Triticum*.

PYROSIS est ardens faciei rubor, qui illis praesertim contingit, qui fervidis diebus iter faciunt. A πυρόω, *accendo*. Ge. *Hitze im Angesicht*. Ga. *Chaleur du visage*. B. *Hitte in't aangezigt*. — Aliis [v. c. Boissiero de Sauvages et Culleno] idem est, quam *ardor ventriculi*, vel *soda*. [A. *Water-qualm*. Ga. *Fer chaud, aigreur d'estomac*.] Ge. *Brennen im Magen, Sodbrennen, Wasserkolik*.

PYROTECHNIA idem quod *chymia*. Ex πῦρ, *ignis*, et τέχνη, *ars*.

[**PYROTHONIDES** i. e. uti explicat Harles. in (*Heidelb. klin. Ann. IV. Suppl.* 2. *p.* 509.) resina oleosa, empyreumatica, acetosa, de cuius virtute medica in ophthalmia chronica, in diuturnis metrorrhagiis, in gonorrhoea virulenta, et pernionibus non exulceratis exposuit *H. F. Ranque* (Mém. clin. sur l'emploi en méd. du pyrothonide, huile pyrogénée, provenant de la combust. des tissus soit de chanvre, soit de lin ou de coton à Par. 1827. 8.), derivata voce a πῦρ, *ignis*, ὀθόνη, *linteum*, et terminatione *ide*. Cum igitur nihil aliud significet et significare possit, quam ignis linteum, absonam esse denominationem apparet.]

PYROTICA, sive **URENTIA** sunt medicamenta potentia calida, quae corpori humano applicata, valde calefaciunt, propterea quod particulas eiusmodi contineant, quae vaporibus, vel humoribus, in eos se insinuantibus solutae vehementer in solida agant, eaque irritent, atque ita calorem magis, vel minus vehementem, et diversimode corrumpentem, vel immutantem, pro ratione sui motus et particularum movendarum diversitate excitent. Haec sunt rubefacientia, vesicantia, cathaeretica, septica, escharotica et psilothra. A πυρόω, *incendo*. Ge. *Brennende Arzneien*. Ga. *Remèdes caustiques*. B. *Inbrandende medicamenten*.

PYRUM, PYRUS. Truncus huius arboris est magnus, lignum flavescens, habitus procerior et erectior, quam Mali, cultura tamen etiam in pumilum mutandus. Folia satis lata, obrotunda, aliquantulum oblonga, acuta, viridia, in fine albescentia: finis pedunculi abit in ovarium oblongum, cuius margo supremus fit corona expansa, instar calycis, in quinque segmenta, stellatim expansa, in centro cava. Flos ovario innatus habet petala quinque expansa instar rosae, nata ex interstitiis segmentorum coronae, et stamina viginti, vel ultra, etiam inde orta ex ora calycis, (Icosandr. Pentagyn.). Ovarii supremi centrum emittit tubas quinque terminatas in apicem scabrum, orbicularem, et ovarium ipsum fit fructus oblongus, turbinatus, carnosus, umbilicatus, divi-

sus in quinque loculamenta, foeta seminibus nigris. Haec arbor vel crescit in hortis, vel etiam sponte in sylvis nascitur. Pyrorum infinitae occurrunt differentiae et varietates, multo plures quam Malorum, a fructus scilicet magnitudine, figura, colore, odore, sapore, consistentia, cortice, pediculis, tempore, quo maturantur, regione, in qua proveniunt, duratione etc. desumtae. Fructus hi immaturi qualitate obstipante, maturi vero aquoso-dulci, refrigerante et nutriente pollent. Usus maxime cibarius est et culinaris. Flatulenta qualitas optime coctione emendatur. Gr. *Ἄπιος*. Sic dicitur, quod fructus ad pyramidis similitudinem e lato in acutum spectet, et in mucronem abeat. Ge. *Birnbaum*. Ga. *Poirier*. A. *Pear-tree*. B. *Peer-boom*.

PYULCON est instrumentum chirurgicum, quo pus, vel sanies, e profundis sinubus trahitur; cannula scilicet argentea, rotunda, oblonga, vulneri vel ulceri proportione respondens, cuius extremitas, quae vulneri immittitur, variis perforata est punctis; altera, quae extra vulnus eminet, lamellam orbicularem circumpositam habet, ne vulnus intret, et ut alligari hinc parti possit. [Galenus aliquoties huius pyulci meminit. Castellus, quale istud instrumentum fuerit, licet certo definiri non posse conqueratur, coniicit tamen, illud fortasse non dissimile fuisse syringae vel fistulae, quibus hodie adhuc chirurgi utantur. Hoc autem falsum esse, mihi Galen. (*Therapeut. ad Glauc. II. c.* 10. *p.* 125. to. XI.) probare videtur. Nam hic iubet Galenus pus e sinuosis profundisque ulceribus ope fistulae aut aeneae aut corneae, recto ductu perforatae, h. e. tubuli, educi, et, si huius facultas non sit, pyulcum adhiberi. Hoc autem instrumentum habere vult latissimum foramen, per quod medicamentum, a Galeno ad puris emendationem et eductionem commendatum in sinus immittatur, horum apertura postea linteo carpto obturata. Puto igitur pyulcum esse specillum inferiore sui parte transversim perforatum. In hoc foramine medicamenta recondebantur, quae in profunda loca inferenda erant. — *Pyulca* quoque medicamenta appellabantur, quorum virtute pus, profundiore corporis loco accumulatum, ad huius superficiem attrahitur. Galenus *de med. s. g. comp.* II. c. 5. p. 500. to. XIII.] Ex *πύον*, *pus*, et *ἕλκω*, *traho*. Ge. *Ein Eiterzug*, *Röhrchen*.

PYURIA est materiae purulentae, albae, flavae, vel viscido-mucosae, lutulentae, ex vesica, vel ureteribus, vel renibus defluenti, vel eo depositae cum urinis eiectio. Ge. *Eiterichtes Harnen:* nam urinam purulentam Graeci appellant *πυοῦρον*.] Ga. *Pissement purulent*.

PYXACANTHA et *Buxea spina*. Nomen accepit, quod planta sit spinosa foliis buxeis; *πύξος* enim est *buxus*, et *ἄκανθα*, *spina*. Ge. *Buchsdorn*. Ga. *Buys d'âne*, *buys*

épineux. A. *Box thorn.* B. *Buks-boom met doorn, buks-doorn.*

PYXIS capsula est pharmaceutica et chirurgica, figulina, stannea vel eburnea, in qua medicamenta asservantur, vel ad usum dantur. Hinc unguentum quoddam olim emolliens et inflammationes depellens, quia commodissime in theca, seu pyxide asservabatur, *pyxidis* nomen sortitum est. — Sinus item ossis coxae quoque et *pyxis* et *acetabulum* et *cotyle* appellatur. Ge. *Eine Büchse, Salbenbüchse.* Ga. *Une boete pour les onguens,* ou *un etui pour les instrumens.* A. *A box.* B. *Busse, doos.*

PYXIDIS OS, vide *Basilare os.*

Q.

Q. PL. in formulis medicorum scriptum significat *quantum placet.*

Q. V. est *quantum vis, quantum volueris.*

Q. S. hoc est, *quantum satis, quantum sufficit.*

QUADRANS apud medicos est pondus trium unciarum, id est librae Romanae quarta pars. Ge. *Ein Viertheil.* Ga. *La quatriéme partie de la livre, un quarteron.* A. *A quarter of a pound.* B. *Een vierendeel.*

QUADRATUS MUSCULUS vocatur *musculus abductor,* seu potius *rotator femoris,* qui oritur a parte posteriore et exteriore tuberositatis ossis ischii et inseritur ossi femoris in cavitate inter utrumque trochanterem. Hoc nomine quoque gaudet *musculus depressor labii inferioris,* qui oritur a labio exteriore baseos maxillae inferioris circa locum synchondroseos eius, et recte adscendens ab utroque latere iunctus, inseritur toti musculo orbiculari inferiori. — Item sic vocatur *flexor lumbi,* qui oritur principio lato et carnoso ab interna costa ossis ilii et ab osse sacro, et desinit in transversis processibus vertebrarum lumbalium et ultimae dorsi, et actione sua dorsum et lumbos flectit. Vide porro in *Quadrigeminus* et *Pronator.* Ge. *Der viereckige Schenkel-* und *Lendenmuskel.* Ga. *Muscle quarré.* B. *De vierkante spier.*

QUADRIGA, i. q. *cataphracta,* vel *thorax,* et fasciae species, quae in thoracis laesionibus applicatur. Ge. *Harnischbinde, Kürass.* Ga. *Le plastron, cataphracte.* — Nomen habet, quoniam spicae cruciatim in ea formantur, ita ut habenis equorum in quadriga similes sint.

QUADRIGEMINI MUSCULI sunt quatuor utrinque musculi in actione sua conspirantes, scilicet *pyriformis,* vel *pyramidalis,* vel *iliacus externus,* qui a parte laterali et interiori ossis sacri oriens, et per incisuram ischiadicam transiens est, inseritur: *gemini* porro duo, superior et inferior, quo-

rum longo tendine in cavitatem, quae pone *trochanterem maiorem* ille a spina ossis ischii, hic a margine posteriori tuberositatis ischii oriens, eidem cavitati pone *trochanterem maiorem* inseruntur, et inter se tendinem *obturatoris interni* transmittunt: et denique musculus *quadratus*. Hi musculi omnes, dum coniunctim agunt, femur extrorsum rotant. Ge. *Die vier Schenkelmuskeln*. Ga. *Muscles quadrijumeaux*. B. *De vierdubbelde spier*.

QUADRIGEMINAE PROMINENTIAE in cerebro, vide *Nates*, *Testes*.

QUALITAS est particularum minimarum dispositio, seu contextus, unde corpora quacunque ratione, qualia denominari et effectus quosdam exserere possunt. Haec est manifesta, occulta, venenata etc. Ge. *Eigenschaft*. Ga. *Qualité*. A. *Quality*. B. *Hoedanigheid*.

QUARTANA FEBRIS INTERMITTENS, Gr. τεταρταῖος, est genus febris intermittentis, cuius accessus similes quarta quavis die seu post septuaginta duas horas revertuntur: vel series accessuum febrilium quarta quavis die similium. In ea praeterordinaria sanguinis commotio cum suis symptomatibus quarto quovis die hominem invadit magno cum frigore, quod diutius in hac, quam reliquis intermittentibus, continuat. Illud sequitur calor, qui hic mitior est, atque vix ultra quatuor, vel quinque horas protrahitur, et tunc aeger plane liber manet, si simplex, vel legitima febris sit, per duos intermedios dies. Succedit quandoque aliis febribus et infarctui viscerum, vel per se oritur, inprimis circa initium autumni. Ge. *Das viertägige Fieber*. Ga. *Fièvre quarte*. A. *A quartan ague*. B. *De derdendaagsche koorts*.

QUARTARIUM, idem quod *quadrans*: item mensura est vini unciarum quinque, et olei unciarum quatuor cum semisse. Ge. *Ein Viertel eines Maasses*. B. *Een vierendeel*.

QUARTATIO est operatio chymica, qua aurum et argentum mixta addito plumbo liquantur, tandemque ope aquae fortis, vel regiae, ab invicem separantur. Ge. *Scheidung durch die Quart*. Ga. *Quartation*.

QUARTIO dicitur talus, sive astragalus, a quatuor nempe lateribus. Vide suo loco.

QUASSATIO, i. q. *conquassatio*.

QUASSIA est arbor flore rosaceo, (Decandr. Monogyn.) cuius perianthium est pentaphyllum, brevissimum, foliolis ovatis, persistentibus; corolla petalis quinque lanceolatis, elongatis, sessilibus, aequalibus constat; nectarium autem squamis quinque ovatis villosis, basi filamentorum interiori insertis; pericarpia quinque lateralia distantia, receptaculo carnoso inserta, ovata, obtusa, bivalvia. Semina solitaria, globosa: caulis est teres, arboreus, cinereus; ramis raris,

nec multum subdivisis, ramulis ultimis viridibus, punctis impalpabilibus, albis adspersis. Folia sunt pinnata, alterna, petiolata, patentia, petiolis communibus, spithamaeis, utrinque marginatis membrana latiuscula, ad ortum foliorum contracta, terminatis in mucronem mollem, subulatum, marcescentem, pubescentem: pinnae, seu foliola, sunt triiuga, seu quadriiuga, sessilia, rarius exacte opposita, lanceolato-ovalia, acuminata, integerrima, laevia, nonnihil venosa, patentia, pervigilia, ante explicationem conduplicata, digiti longitudine, duorum pollicum latitudine, membranacea, nec rigida, persistentia saepe per totum autumnum, non tamen perennia, laete viridia. Stipulae sunt nullae, nec arma: racemi terminales, simplices; bracteis alternis, linearibus reflexis, corollisque magnitudine et fere statura Dictamni albi. *Linn.* [Duae huius generis species in usum medicum cedunt, quarum una, *amara* dicta, in insula Sumatra inprimis crescens, prius, quam altera, *excelsa* cognominata, ob medicas virtutes cognita est. Quassia amara frutex, excelsa autem arbor est procera et admodum crassa, quae in Iamaica, aliisque Antillarum insulis provenit. Cortex et lignum ratione mixtionis partium constituentium in universum invicem conveniunt, si exceperis intensiorem, qua cortex pollet, amaritiem, maioremque partium extrahendarum, et volatilium adeo quantitatem. Chemica analysis, a Thomsono, Braconnoto, Pfaffioque instituta, lignum Quassiae continere docuit principium amarum, quod ex Pfaffii sententia cum acido acetico mixtum *quassinem* constituit, gummi, fibram ligneam, calcemque oxalicam, tartaricam, sulphuricam et muriaticam. Fuere quoque, qui et olei aetherei vestigium, atque sal ammoniacale ligno inesse contenderent.] Crescit haec arbor in America septentrionali, praecipue in Surinam. Quod haud ita pridem in officinas nostras introductum est *lignum quassiae* est caudex descendens, seu radix arboris, a plurimis tamen lignis nulla se distinguens nota singulari. Albicans est, variae crassitiei, saepe ad crassitiem brachii humani; aëri per aliquod tempus commissum, non nihil flavescens. Medulla cum alburno cohaeret, nec ab illo ullo modo separatur: cortex est tenuis, colore griseo, inaequalis et rudis, interdum fissuris quasi exulceratus. Qualitatis hoc lignum est inodorae, omnium tamen vegetabilium amarissimae, minime vero ingratae. Pollet hinc eximiis viribus antacidis, balsamicis, antiputredinosis, tonicis atque stomachicis; hinc in febribus intermittentibus, exacerbantibus, putridis, arthritide, leucorrhoea, anorexia, sudoribus colliquativis, magno hodie cum fructu adhibetur. Datur in pulvere, pilulis, electuario, tinctura, vel frequentissime in infuso aquoso, vel vinoso. Quassia eccoprotica non est, unde omnino patet, eam naturae nostrae, reliquis extreme amaris,

multo amiciorem esse. Nomen habet a servo quodam nigrita, *Quassi*, qui multos suos conservos hoc remedio a febre maligna liberavit, idque tandem Europaeis primus aperuit. [A. *The quassi-wood.* B. *Kwassiehout.* Ga. *Bois de quassie.* Ge. *Quassie, Quassienholz, Bitterholz.*]

QUATRIO, i. q. *quartio*, s. *talus*.

QUATUOR. Hoc sub numero plura in officinis prostant, ut *quatuor aquae pleuriticae*, scilicet Cardui benedicti, Cardui Mariae, Scabiosae et Taraxaci; *quatuor flores cordiales*, scilicet Borraginis, Buglossi, Rosarum, Violarum; *quatuor semina calida maiora*, Anisi, Foeniculi, Cumini, Carvi; *quatuor semina calida minora*, Ammeos, Amomi, Apii, Dauci; *quatuor semina frigida maiora*, Citrulli, Cucumeris, Cucurbitae, Melonum; *quatuor semina frigida minora*, Endiviae, Lactucae, Portulacae, Scariolae; *quatuor unguenta calida*, Agrippae, althaeae, martiatum, nervinum; *quatuor unguenta frigida*, album camphoratum, infrigidans Galeni, populeum, rosatum.

QUERCĔRA, i. q. *phricodes* et *epiala*. [Nominis *quercera febris* rationem reddit Festus: Querqueram febrem, gravem et magnam. Nam quidam a quercu (ita leg.) dictam volunt, quod id genus arboris cum grave sit ac durum, tum etiam in ingentem evadat altitudinem: Aurelius autem Opilius frigidam ait dici et cum horrore trementem. Santra eam ex Graeco deducit, qui eiusmodi tremorem κάρκαρον dicunt etc. Vid. Reines. in *epist. ad Rupert.* p. 508. qui καρκαίρειν exponit per *tremere et tremendo sonum edere.*]

[**QUERCINE**, peculiare principium, quod Scattergood in cortice quercus detexisse opinatus est, videtur nihil aliud esse, quam principium scytodepsicum oxydatum, cum magnesia salibusque calcareis mixtum. Vid. Schweigger-Seidel's *Neu. Jahrb. d. Chem. u. Phys.* II. 3. 1831.]

QUERCUS, Quercus cum longo pediculo *Bauh.* *Quercus robur*, foliis deciduis, oblongis, superne latioribus, sinubus acutioribus, angulis obtusis *Linn.* (Monoec. Polyandr.) est arbor recta, crassa, diu durans, ramos suos late dispergens. Truncus obductus est cortice crasso, aspero, rubicundo. Folia sunt magna, oblonga, lata, sinuosa, quasi laciniata. Flos mas amentaceus, constans apiculis masculinis, tenui capillamento longo per densa agmina affixis; loco a flore in eadem planta remoto tribus tubis instructus, natus in calyce foliolis angulosis constante, tandem squamoso, fit glans calyce inferius excepta, sub putamine coriaceo integro, tegens nucleum bifariam fissilem. Haec arbor crescit in sylvis, collibus et montosis locis; in usum trahuntur lignum, cortex, folia, glandes, earumque capsulae, gallae, viscus, fungus et nucamenta. Usus amplissimus est oeco-

nomicus, mechanicus, coriarius et tinctorius. Quercus in omnibus suis partibus qualitatis est subadstringentis et obstipantis. Sunt, qui corticem cortici Peruviano et lignum ligno Guaiaco substitui posse credant. Infusum, vel decoctum, cum vitriolo martis nigrescit, et ut remedium antisepticum commendatur. Plures alias arborum species quercus genus continet, quae omnes viribus conveniunt; Gallas tamen optimas *Quercus aegilops Linn.* et *Quercus gallifera Parkins.* largiuntur. Gr. *Δρῦς,* licet prisci Graeci omne genus arboris sub *δρυὸς* nomine intellexerint, [teste Etym. M. p. 288. l. 21. *πᾶν ξύλον δρῦς καλεῖται παρὰ τοῖς παλαιοῖς.*] a verbo *δρύω*, *erumpo.* [Tale autem verbum lingua graeca non agnoscit.] Latinum nomen ortum est a quaerendo, quod glandes olim sub arboribus solebant quaeri et colligi. Alii derivant a *κηκὶς*, *galla*, vel a *κέρχω*, *exaspero.* Ge. *Eichbaum*, *Eiche.* Ga. *Chêne.* A. *Oak-tree.* B. *Eike-boom.*

QUERCULA, vide *Chamaedrys.*

QUERCUS MARINA, i. q. *Fucus vesiculosus Linn.* vide *Aethiops vegetabilis.*

QUERQUERA, i. q. *quercera.*

QUID PRO QUO, *succedaneum* dicitur et *antiballomenon.* Est, quando medicamentum unius indolis et qualitatis pro altero substituitur a pharmacopoeis; hoc tamen non nisi medicorum consensu faciendum. Gr. *Ἀντιβαλλόμενον.* Ge. *Etwas an eines andern Stelle gebrauchen.* B. *'t een voor 't ander.*

QUIES est otium, et ab exercitatione et motu voluntario abstinentia, quae, quoniam tum sanitatem conservat, tum, si nimia fuerit, morbis etiam ansam praebet, inter res non naturales recensetur et medici attentionem flagitat.

QUINCUNX, Quincuncialis figura, eius figurae, quae decussim antiquis significabat, media est. Fiebat vero decussis ad x litterae formam, quae quidem apud Latinos decem significat, atque haec si per medium secetur, remanebit v figura, quae quinarium numerum, atque adeo quincuncem indicat.

QUINQUE: Hoc sub numero plura in officinis simplicia prostabant. *Quinque fragmenta lapidum pretiosorum,* Granati, Hyacinthi, Carneoli, Sapphiri, Smaragdi: *quinque genera myrobalanorum,* vide *Myrobalanus; quinque herbae capillares,* Adianthum aureum, Adianthum nigrum, Ceterach, Ruta muraria, Adianthum rubrum: *quinque herbae emollientes,* Althaeae, Malvae, Mercurialis, Parietariae, Violarum; *quinque radices aperientes maiores,* Apii, Asparagi, Foeniculi, Petroselini, Brusci; *quinque radices aperientes minores,* Capparidis, Eryngii, Graminis, Ononidis, Rubiae tinctorum.

QUINQUEFOLIUM, vide *Pentaphyllum* et *Potentilla.*

QUINQUENERVIA, vide *Pentapleuron*.

QUINQUINA, vide *Cina Cina*.

QUINTA ESSENTIA, vide *Essentia quinta*.

QUOTIDIANA FEBRIS INTERMITTENS est febris, quae omni die, plerumque tempore matutino, aegrum invadere solet cum frigore et quandoque etiam vomitu, quem excipit calor, magis lentus, quam mordax et paucus sudor, duratque ordinario per duodecim, aut pauciores horas, corpus hebes et grave relinquens, et post totidem horas iterum revertens, si exquisita fuerit; hocque stato paroxysmorum reditu distinguitur a tertiana duplici. Febris haec secundum varios omnium intermittentium est rarissima; in Germania tamen non adeo infrequens est. Gr. *Πυρετὸς ἀμφημερινὸς.* Ge. *Das tägliche*, oder *alltägliche Fieber.* Ga. *Fièvre quotidienne.* A. *A quotidian ague.* B. *De dagelyksche koorts.*

R.

R idem est, ac si diceres *Recipe.* Notatur ℞. vel ♃.

RABDOIDES, i. q. *sutura sagittalis.* Ex *ῥάβδος, virga,* et *εἶδος, forma.*

RABIES in genere quidem omne delirium furiosum denotat, in specie vero dicitur *rabies canina*, seu *hydrophobia.* Vide *Hydrophobia.*

RACEMUS pro uva accipitur, neque tantum ipsius vitis est, sed etiam hederae et aliarum herbarum, aut fruticum, uvas quasdam producentium. Dicitur etiam ramosum id, e quo acini dependent, vel in genere inflorescentia pedunculo ramis lateralibus instructo.

RACHIS botanicis dicitur receptaculum filiforme, flosculos longitudinaliter adnectens in spicam, i. q. *rhachis.*

RACHITAE et **RACHIAEI** sunt musculi ad dorsum pertinentes. A *ῥάχις, dorsi spina.* Vide *Rhachitae.*

RACHITIS, vide *Rhachitis.*

RACKASIRA BALSAMUM est succus resinoso-gummosus, stillans ex arbore nondum satis cognita, aut descripta Americae meridionalis. Colore et consistentia cum balsamo *copaivae* [aut *tolutano*, teste *Pharmac. Bat. II. p.* 48. a Niemanno Lips. 1824. edita] convenit, quod tamen qualitate aromatica, sapore, odore et viribus balsamicis longe superat.

RACOSIS, vide *Proptoma.*

[**RADESYGE** est denominatio morbi cutanei, in Scandinaviae regionibus endemii, qui similitudinem et cum lepra, et cum syphilide habet. Nomen e *Rade* et *Syge* compositum est: prior vox obsoleta Danicae linguae idem esse dicitur, quod *atrox, foedus, malignus:* posterior autem *morbum* denotat. In hoc morbo membrana mucosa, cutis et ossa prae

caeteris corporis partibus laborant. Et membrana quidem mucosa colli, nasi et oris ab initio inprimis afficitur: adest raucitas, rubedo, tumor, sensibilitas et obturatio nasi, epiphora, dolor supra glabellam pressorius, inflammatio erysipelatosa faucium cum deglutitione impedita, spiritus foetens, gingivarum color rubro-coeruleus; in uvula, tonsillis, palato comparent maculae fusco-rubrae, cupreae, subdurae; quae pedetentim in ulcera abeunt, subito late serpentia. — Praeter hanc membranae mucosae affectionem cutim quoque exanthema tuberculosum, saepeque impetiginosum obsidet, quod plerumque brachia, axillas, femora cruraque, interdum etiam alias partes, quin genitalia adeo occupat. Ab initio noduli, pisi magnitudine, mobiles, omnis doloris expertes sunt, cutisque colorem non mutat, qui, succedente nunc longiore, nunc breviore tempore, a laetiore rubore in profunde lividum transit. Noduli tunc ultra cutis superficiem attolluntur. — Denique et ossa a morbo male habent. Nam in illis, praecipue in iis, quae externae superficiei propius sita sunt, dolor magis minusve gravis, versus noctem plerumque ingravescens, percipitur, qui exostoses comites habet, ad enormem saepe magnitudinem auctas, tandemque in ulcera fungosa, nigrescentem, tenuem et foetentem saniem fundentia, abeuntes. Haec in universum est morbi huius imago, de quo consulendus est Lud. Hünefeld in libro optimae notae: *Die Radesyge*, oder *das Scandinavische Syphiloid.* Leipz. 1828. 8.]

RADIAEUS, RADIALIS est *musculus* carpi et quidem vel *externus,* vel *internus; externus*, qui etiam *bicornis* dicitur, e duobus musculis constat, quorum alter *longus,* alter *brevis* vocatur. Oritur uterque a condylo humeri externo, et ad superficiem externam radii descendens, sulcum ligamento proprio tectum in parte inferiori radii transiens, longus tendine suo basi primi ossis metacarpi, brevis vero tendine suo basi secundi ossis metacarpi inseritur: hic musculus actione sua manum extendit et elevat. *Radiaeus internus,* oriens a condylo interno humeri, fibrasque suas cum pronatore rotundo confundens, sub ligamento carpi transit, et tendine suo interne ad basin primi ossis metacarpi affigitur. Hic musculus actione sua manum flectit. Ge. *Der äussere und innere Spindelmuskel.* Ga. *Muscle radial.* A. *Muscle of the elbow.* B. *Ellepyp-spier.*

RADIATUS botanicis dicitur *flos* compositus, cuius discus ex corollulis tubulosis, vel flosculis, radius vero, vel ambitus, ex corollulis lingulatis, vel semiflosculis, communi receptaculo affixis et calyce communi comprehensis, constat. Ge. *Strahlenförmige Blume.* Ga. *Fleur radiée.*

RADICALE botanicis vocatur *folium*, vel *pedunculus* radici insidens.

RADICALES DIES, vide *Critici dies.*

RADICALIS CURA vocatur illa, per quam causa morbi proxima cum omnibus symptomatibus plenarie tollitur, sic ut sanitas perfecte restituatur, hocque sensu opponitur *palliativae curae.* Ge. *Gründliche Heilung.* Ga. *Guerison radicale.*

RADICALIS SOLUTIO dicitur corporum in ea, ex quibus constant, principia resolutio. Ge. *Auflösung in die Bestandtheile.* Ga. *Dissolution radicale.*

RADICULA, RADICULAE, RADICES, RAPHANUS, s. STRUTHIUM est *Raphanus hortensis,* qui in obsoniis pro deliciis habetur; nomen obtinuit, quod ceteras amplitudine corporis superet, vel quam paucissimis magnitudine cedat. Folia habet magna, ampla, aspera, viridia, profunde incisa, rapam referentia, sed magis sinuosa. Caules sunt rotundi, ramosi, flores quadrifidos, purpureos et cruciformes habentes. (Tetradyn. Siliquos.) Succedit siliqua corniformis, crassa, spongiosa, duobus seminum subrotundorum ordinibus foeta, mediastino tenui discretis. Radix est longa, crassa, carnosa, alba, rubicunda, aut nigra, saporis acris, aut penetrantis, sed grati. Haec planta in hortis colitur. Radix e terra effoditur vere, quando est tenera, succulenta, fragilis et esculenta. Qualitate flatulenta, viribusque antiscorbuticis pollet. Vide *Raphanus.* Ge. *Rettig.* Ga. *Raifort.* A. *Radish.* B. *Radys.*

[**RADIOLUS** idem quod specillum. Vid. Vidius *ars medic. to. III. p.* 13. qui vocem a radix derivat. Benedict. (*Lehre v. d. Verbänd. u. Werkzeug. d. Wundärzte* p. 77.) a *radius* rectius radiolum derivari posse putat. Ge. *Sonde, Sucheisen, Probe.*]

RADIUS est os cubiti minus, etiam *focile minus* dictum. Eiusdem fere longitudinis, sed obliquius est ulna, et quoniam utriusque ossis extrema crassiora sunt, quam eorum corpora, hinc in medio nonnihil a se invicem distant, ubi tenue interest ligamentum, quod *interosseum* dicitur. Supra vero ulna radium excipit; infra hic illam. Superior eius pars, quae tenuior, cavitatem habet glenoideam, et cum externo humeri processu articulatur per diarthrosin, unde motus pronus et supinus. Inferior crassior per appendicem connectitur cum carpi osse semilunari et naviculari ad maximum digitum. Gr. *Στήριγξ, κερκὶς, παραπήχιον.* Ge. *Die Spindel im Arm.* Ga. *Le rayon.* A. *The radius.* B. *De kleine ellepyp.*

RADIX, Gr. *Ῥίζα,* est infima pars plantae, terrae infixa, per quam nutrimentum capiens crescit, sive id, quo alimentum attrahitur. Neutiquam tamen est tota illa pars, quae, ut a circumposita sibi nutriatur materia, terrae committitur, quae proprie radicis truncus dicenda et potius ad caulem,

seu caudicem, quam ad radicem, referenda est, quum implicatis iisdem vasorum generibus constet; verum illa pars, quae exteriori sui superficie matrici contigua, infinitis osculis pertusa, acceptos humores promovet, ut per canales deinceps, vasis lacteis non absimiles, in ipsum plantae corpus ferantur, eiusque partes evolvant, proprie radix vocanda est. Quae quanquam stricta nimis videatur, generalissima tamen et omnibus plantis applicanda est definitio: competit enim aeque his, in quibus nulla, ut vulgo putatur, ac illis, in quibus manifesta sensibus occurrit radix. In prioribus minimis undique foraminibus pertusa deprehenditur superficies, per quae nutrimentum hauriunt. Variis enim plantis tota superficies radicis loco inservit. Plantae autem, quae conspicua et sensibus magis obvia radice sunt praeditae, hac in parte multum inter sese differunt, aliae enim sunt bulbosae, quae vel squamosae, vel tuberosae deprehenduntur, aliae grumosae, aliae fibrosae, aliae denique nodosae, quas ut primarias radicum differentias notasse sufficiat: inutile foret, minora, quibus inter sese differunt, hic allegare discrimina, quatenus aliis, multae, longae, altaeque sunt radices, ut fico, robori, platano; aliis paucae et summae terrae adhaerescentes, ut oleae, punicae malo: aliis nervosae, ut abieti: aliis carnosae potius, ut robori; aliis veluti nodosae et villosae, ut oleae, quae cuicunque frutici, suffrutici, herbae et similibus applicari possunt. [Praeter hanc propriam radicis significationem haec vox quoque ad alia corpora transfertur, quae in quodam loco sunt recondita, atque a conspectu remota. Sic v. c. infima dentis pars, quae alveolo continetur; sic unguis portio, quae sub cute latet; sic origo partium v. c. nervorum, aut tumorum, ab externa superficie ad interiora prolongatorum, radicis nomine insignitur.] Ge. *Wurzel.* Ga. *Racine.* A. *Root.* B. *Wortel.*

RADIX, vide *Raphanus.*

RADIX CAROLI SANCTI, RADIX INDICA est radix plantae in provincia Mechoacan Americae habitantis, scandentis vel repentis, et Lupulo sat similis, caeterum vix quoad florem et fructum cognitae. Cortex radicis, qui raro ad nos adfertur, et in quo vis eius proprie residet, albicans est, qualitatis-aromatico amaricantis. Prodest contra scorbutum, catarrhos et anorexiam, gingivas firmat et a corruptione liberat. Contra epilepsiam et luem veneream laudatur. Adhibetur vel in substantia, vel in infuso. Vomitum quandoque excitat. Ga. *Racine de St. Charles.*

RADIX CAVA est Aristolochiae, s. potius Fumariae bulbosae species, cuius radix cava est. Vide *Aristolochia.*

RADIX DULCIS, vide *Liquiritia.*

RADIX SANCTAE HELENAE est radix nodosa, pollicem crassa, extus nigricans, interius alba, speciei Cyperi

in Florida Americae habitantis. Qualitatis est subaromaticae, amaricantis, viribusque stomachicis et antinephriticis pollet. Recens contusa membris roborandis applicatur. Nodos radicis abscindunt incolae, et ex iis perforatis sphaerulas conficiunt traiecto filo de collo suspendendas, quae siccatae rugantur, osseamque acquirunt duritiem, et quibus insignes virtutes tribuunt. Nomen habet a Portu Sanctae Helenae, unde ad nos, licet raro, adfertur. Ga. *Racine de St. Hélène.*

RAIA, vide *Mus marinus.*

RAMENTUM dicitur de parvis particulis, quae radendo de quocunque corpore separantur. Sic *ramenta intestinorum* vocantur, quae saepe in dysenteria maligna excernuntur. Ge. *Abgeschabtes Ding.* B. *Afschraapsel.*

RAMEUM botanicis est *folium* ramo insidens.

RAMEX, vide *Hernia*, aut *Cirsos.*

RAMI non tantum dicuntur distributiones vasorum et nervorum maiorum, sed etiam partes plantae et eius caulis, quae sunt eiusdem structurae et substantiae, ac eius truncus, et tantummodo ut eius divisiones considerandae veniunt: quemadmodum enim ex minimis similibus collectis radiculis radicis truncus et caudex oritur, sic ex caudice rami prodeunt. Hic autem in nonnullis rectus assurgit, in aliis illico in folia et ramos explicatur. Priores (quales inprimis sunt arbores) erectum habent stipitem, qui prolongatus tantum est caudex, quod in posterioribus, seu herbis, quae in folia explicantur, non ita obtinet; ambae tamen in ramos expanduntur, qui in his foliacei, in illis stipitiformes deprehenduntur; in prioribus folia sunt ipsi rami, et haec alia magnitudine sua longe exsuperant; in posterioribus, uti in omnibus arboribus, stipites dividuntur in ramos iterum ramosos, et suae substantiae ubique similes, quorum latera hinc inde, et ultimi fines in petiolos et folia explicantur. Ramos autem iisdem fere partibus constare docet annotinus oblique in autumno abscissus ramus, in loco humido terrae commissus: depactae enim partes inferius in radices, superius in folia et novam foecundamque arborem explicantur. Haec igitur omnia tantummodo sunt productiones radicis, sic caudex nihil continet, quod non similiter in radice reperiatur, et contra nihil in radice observatur, quin itidem in caudice appareat, quumque radix in omni parte videatur habere illud rudimentum, unde tota deinceps perfecta planta producitur, idem in caudice et ramis obtinere inde coniicitur, quia scilicet, si ex quacunque fere arbore, v. gr. Salice, duo virgulta abscindantur, et absumtis partibus superioribus, unum rectum, seu parte, quae radici erat propior, alterum inversum terrae committitur, utrumque eodem crescit modo, nisi quod in posteriori rami magis horizontales, et folia

paulo maiora deprehendantur. Sic si arbores, praceipue tenerae et mollioris substantiae, una cum radicibus provide ex terra extrahantur, eorumque rami in terram demergantur, sursum respicientibus radicibus, hae tandem in ramos, rami vero in radices abeunt, superstite sic arboris vegetatione. Unde apparet, in ramis quoque adesse illud rudimentum, quod in veras radices abire, et novam futuram plantam continere queat. Ge. *Ein Ast*, *Zweig*. Ga. *Des rameaux*. A. *Bough*, *twig*. B. *Een tak*.

RAMIFICATIO dicitur de parvis vasorum et nervorum ramis, qui ex trunco maiori egrediuntur. Ge. *Vertheilung*. B. *Takmaaking*.

RAMOSA botanicis dicitur *radix* in fibras subdivisa; *ramosus truncus*, qui ramis pluribus lateralibus, *ramosissimus* vero, qui ramis multis absque ordine cumulatis instructus est.

RANA est animal ad amphibia reptilia pertinens, ore respirans, pedibus quatuor, corpore nudo ecaudato. Huius duae species maxime apud nos frequentes sunt: *Rana temporaria Linn.* dorso planiusculo subangulato; Rana aquatica innoxia *Gesn.* quae vere aquatica, aestate terrestris et culicibus victitat; devoratur ab anatibus et ardeis; corde licet exemto salit, ipsumque cor exemtum diutissime irritabile est: et *Rana esculenta Linn.* corpore angulato, dorso transverse gibbo, abdomine marginato. Viridis lineis tribus flavis, intermedia ab ore ad anum ducta; dorsum transverse gibboso diffractum; pedes postici palmati; mas auribus globoso inflatis; cantu vespertino frequentiori praedicit pluviam. Habitat utraque abunde in stagnis Europae. Foemina immensum ovulorum numerum multa materia viscosa involutum excludit, quae mas dorso foeminae insidens suo semine sub eorum exclusione foecundat, e quibus ovulis primo animalculum rotundum caudatum prodit, quod, depositis exuviis, ut vera rana apparet. Mucus hic una cum ovulis immaturis *sperniola*, vel *sperma ranarum*, Ge. *Froschlaich* vocatur, cui eximia vis refrigerans, repellens et cosmetica tribuitur. Prostat in officinis aqua destillata, et emplastrum de ranis, cum, vel sine mercurio. Illa in erysipelate, ambustis et haemorrhagiis, hoc in resolvendis tumoribus venereis summopere commendatur. Ge. *Frosch*. Ga. *Grenouille*. A. *A frog*. B. *Kikvorsch*, *kikker*.

RANCIDITAS, s. **RANCOR** est illa species corruptionis, quae oleosis corporibus, sive vetustis, sive per calorem accidit, et gustui detestabilem saporem cum sensu caloris exhibet. Ge. *Ranzicht*. Ga. *Fort*. B. *Garstigheid*.

RANINAE ARTERIAE sunt propagines duae ab arteria sublinguali, ramo arteriae carotidis externae orientes, et ad frenulum linguae utrinque se in linguam inserentes; *raninae*

venae sunt utrinque rami duo venae iugularis externae anterioris, qui, datis ad glandulas sublinguales ramulis, pariter iuxta frenulum in linguam immittuntur. Ge. *Die Froschadern.* Ga. *Veines ranines.* B. *Kikvorsch aderen.*

RANULA,* sive **RANA**, vide *Batrachium.*

RANUNCULUS est plantae genus, (Polyandr. Polygyn.) quod habet calycem pentaphyllum herbacei coloris, ante floris perfectionem plerumque fugacem. Flos est perfecte rosaceus, pentapetalus, seu polypetalus. Radix nonnunquam fibrosa, vel granulosa et digitata, nunc tuberosa, aliquando plane intorta. Huius generis quam plurimae dantur species et varietates, vel in nectario, vel in forma seminum, vel in numero staminum, vel in forma receptaculi, vel ratione foliorum, inter se differentes. Omnes tamen inter se in qualitate acri, caustica et corrodente plus, vel minus conveniunt. [Praeter R. bulbosum, acrem, sceleratum atque flammulam, quae ob suam insignem acredinem prae ceteris eminent, aliae non minus ob hanc noxiam qualitatem metuendae sunt, v. c. reptans, arvensis, auricomus et thora. Principium illud acre naturae volatilis esse videtur, quoniam siccatae plantae sine noxa a pecoribus comeduntur. Chemica analysis nondum in eius naturam inquisivit.] Hinc vix ad usum medicum internum absque magno periculo adhibentur; vulgus iis vesicatorii loco utitur, et ranunculo scelerati mendici ulcera artificialia sibi excitant. Ob florum elegantiam plures species in hortis nostris coluntur. At omnium odor ipse suspectus est et venenatus, diraque producit symptomata, [quae olei dulcis et aquae tepidae usu mitigantur penitusque tolluntur.] Exsiccatione qualitas noxia exspirat. Gr. *Βατράχιον,* [Diosc. II. c. 206.] a ranis nomen accepit: quod limitibus humidis opacisque marginibus ranarum more laetetur: aut quod aquis, ubi ranae degunt, potissimum gaudeat; aut quia inter eius frutices ranae frequenter inveniuntur. Ge. *Hahnenfuss, Schmalzblume, Butterblume.* Ga. *Renoncule, grenouillette.* A. *Crowfoot.* B. *Boter-bloem, hane-voet, ranunkel.*

RAPA, et **RAPUM** est planta, quae habet folia oblonga, magna, ampla, repentia, profunde incisa, aspera. Flores sunt quadrifidi, cruciformes, flavi. (Tetradynam. Siliquos.) Flori succedit siliqua, cornu fungosum referens, septo medio divisum, semine subrotundo et rubicundo praegnans. Radix est crassa, expansa, carnosa, oblonga, aut rotunda, coloris viridis, aut albi, aut rubicundi, aut externe nigricantis, in parte inferiori fibras habens, interne dura, alba, saporis aliquando dulcis, aliquando acris. Species, quae frequentissime apud nos colitur, est Rapa sativa rotunda *Bauh.* *Brassica Rapa* radice caulescente orbiculari depressa

carnosa *Linn.* Qualitatis est diluentis, aquosae et esculentae; hinc cedit inprimis in usum culinarum, decocta tamen pro gargarismate conducit ad aphthas, aliaque oris et faucium vitia. Tosta contra perniones, stranguriam et calculum commendatur. Putant, dici a ῥαπὶς et ῥαφίς. Rapa, vel rapum, quasi ruapum, vel ruapa vocatur, quod e rure eruatur; vel quod facile extra terram ruat; vel, quod magis placet, quod passim in cibis rapiatur: ergo nomen a rapiendo accepisse videtur: nam et a praetereuntibus etiam ex agris rapitur, et evellitur. Gr. *Γογγύλη, γογγυλὶς.* Ge. *Rüben.* Ga. *Rave, rabiou, la grosse rave.* A. *Turnip, rape.* B. *Raap, knoll.*

RAPHANIA, *scelotyrbe* quorundam, (ut *Sauvag.*) est morbus, qui passim interdum epidemice grassatur, et potissimum articulorum contractione spastica, agitatione convulsiva, dolore violentissimo, periodico, formicatione aut rigiditate, aliisque diris symptomatibus stipatus est. Epidemiae causam alii in constitutione aëris, alii in clavis secalinis, alii in seminibus loliaceis, alii in venenatis mucilaginibus et vaporibus, in pane impuro et male cocto, alii in larvis frumentum depascentibus quaesiverunt. Ill. *Linnaeus* Amoen. Acad. T. VI. p. 448. causam tribuit plantae inter segetes crescenti, quae est Raphanistrum, quod tamen alii negant. [Symptomata, quibus hic morbus se prodit, sunt secundum Swediaur. *l. c. II. p.* 363. haec: Plerumque praegressa vertigine, nausea, vomitu, gastralgia, anxietate et asthenia corporis generali, sensatio formicationis molestissima et tremor in extremitatibus, accedentibus spasmis aut motibus convulsivis summopere dolorificis in iisdem aliisque corporis partibus, periodice recurrentibus, saepe cum tetano, sphacelo digitorum, aut etiam necrosi ossium. Synon. *Necrosis ustilaginea* Sauv. *Convulsio Soloniensis* Salerne. *Eclampsia typhodes* Sauv. *Convulsio dolorifica* Darw. — Num morbus veteribus incognitus fuerit, nondum liquet. Facultas Marburgensis medica in responso, a Grunero Ien. 1793. 4. publicato, morbum cerealem novum esse contendit. Cons. Jo. Taube *die Gesch. der Kriebelkrankh., besonders derjen., welche in d. J.* 1770 *und* 1771 *in den Zellischen Gegenden gewüthet hat.* Göttingen, 1782. 8.] Vide *Raphanistrum.* Ge. *Die Kriebelkrankheit, Krampfsucht.* Ga. *Danse de St. Guy.* [Gr. *μυρμηκίασις*, a *μυρμηκιάω, verrucis infestor.* Cum autem potius a *μυρμηκίζω, sensum percipio quasi a formicis subter cutim repentibus*, desumenda esse videatur denominatio, morbus non apte *myrmeciasis* appellatus est.]

RAPHANISTRUM, *Moris. Tourn.* **RAPISTRUM**, *Rai. Bauh.* **RAPHANUS RAPHANISTRUM**, *Linn.* siliquis teretibus, articulatis, laevibus, unilocularibus, est planta

subhispida, caule herbaceo, sesquipedali, foliis superioribus oblongo-lanceolatis, racemis terminalibus et axillaribus solitariis, calyce tetrapetalo, erecto, corolla tetrapetala cruciformi; (Tetradynam. Siliquos.) siliqua terete articulata, articulis uniloculatibus monospermis, seminibus subrotundis. Crescit haec planta inter segetes. Folia qualitatis sunt aquoso-oleraceae; hinc eorum usus cibo aptus; semina vero, praecipue recentia, vix ullis ordinis naturalis acrimonia cedunt. Hinc frumento admixta, cum eo in farinam conversa, et ad panificium adhibita, morbum spasmodicum, qui *raphania* dicitur, efficere posse, nonnullis, praeeunte Ill. *Linn.*, creduntur, eo certius et latius grassaturum, quo magis aestas humida et pluviosa, aut largiorem huius plantae proventum, aut maiorem eius acrimoniam effecit. Hoc tamen plurimi alii negant. Ge. *Hederich*, *Ackerkohl*, *Ackersenf*. Ga. *Moutarde* seu *rave sauvage*, *faux raifort*. A. *Wild radish*, *charlock*. B. *Herick*, *wilde radys*, *keyk*.

RAPHANUS est plantae genus flore tetrapetalo, cruciformi, (Tetradyn. Siliquos.) cuius plures species et varietates apud nos coluntur. Maxime frequens est Raphanus maior orbicularis, vel rotundus *Bauh.* *Raphanus sativus* siliquis teretibus, torosis, bilocularibus *Linn.* Habet folia magna, longa, lata, acuta, pulchre viridentia, Rhapontici foliis satis similia. Caulis est rectus, firmus, striatus, cavus. Flores sunt parvi, tetrapetali, cruciformes: his succedunt fructus ovato-oblongi cum acumine, glabri, torulis ventricosi, velut articulati, spongiosi, biloculares non dehiscentes, foeti seminibus subrotundis, glabris. Radix est oblonga, pollicis crassitudine, ac etiam crassior, vel etiam subrotunda. Est illa qualitatis aquoso-acris, orgasticae, vique diluente, attenuante, antiscorbutica, diuretica, carminativa et ructatrice pollet. Praeter usum cibarium in asthmate convulsivo, raucedine et ischuria commendatur. Ῥαφανὶς, seu Ῥαφάνη, nomen habet [secundum Suidam] ἀπὸ τοῦ ῥᾷ, seu ῥαδίως φαίνεσθαι, quod nempe facile appareat: nam die tertio a satu prosilit. Hoc nomine potissimum gaudet *Raphanus rusticanus*. Vide *Radicula*. Ge. *Rettig*. Ga. *Raifort*, *le raifort cultivé*. A. *Radish*, *common garden-radish*. B. *Tamme radys*, *tuin-radys*.

RAPHANUS AQUATICUS est *Sisymbrium amphibium Linn.* cuius herba secundum nonnullos cum Raphano viribus convenit.

RAPHANUS RUSTICANUS, vide *Armoracia*.

RAPHE, vide *Sutura* et *Rhaphe*.

[**RAPHIANCISTRON**, instrumentum ab Emdeno ad pupillam artificialem perficiendam excogitatum, et diss. *de raphiankistro, novo instrumento ad coremorphoseos methodum*

perficiendam. Gott. 1818. descriptum. A Gr. *ῥαφὶς*, *acus*, et *ἄγκιστρον*, *uncus*.]

RAPISTRUM *monospermon* est *Myagrum perenne Linn.* (Tetradyn. Siliculos.) et habet caules tenues, rotundos, ramosos, aliquantulum villosos. Folia sunt repentia, crassa, Rapam referentia, ad principium laciniata, dein subrotunda, leviter sinuata et subhirsuta. Flos cruciformis luteus, quatuor scilicet petalis constans, ex cuius calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, seu testam, fere globosam, unicapsularem, semine foetam ut plurimum singulari. Radix longa, fibrosa et albescens. Qualitatis est, ut reliquae eiusdem ordinis plantae, acris, orgasticae. A nonnullis in scorbuto et stomacace commendatur. *Rapistrum* flore luteo est *Sinapis arvensis Linn.* s. etiam *Raphanus Raphanistrum Linn.* Ge. *Hederich*, *Ackerkohl*, *Ackersenf.* Ga. *Rave*, *moutarde sauvage.* A. *Charlock.* B. *Herik*, *wilde rapen.*

RAPUM TERRAE, vide *Cyclamen.*

RAPUNCULUS *spicatus*, s. *corniculatus*, est *Phyteuma spicata Linn.* (Pentandr. Monogyn.) spica oblonga, capsulis bilocularibus, foliis radicalibus cordatis. Habet folia ex radice erumpentia, Violam referentia, punctis nigris aliquando instructa, pedunculis longis adhaerentia. Caulis est angulosus, excavatus, succum lacteum praebens, folia oblonga, angusta habens. Calyx est monophyllus, quinquepartitus, erectus. Flores monopetali, stellati, quinquepartiti in summitate in spicam sunt congesti, coloris caerulei, purpurei vel albi. Post florem sequitur fructus, divisus in tria loculamenta, semina exigua, splendentia et rubicunda continentia. Radix alba, rapum referens. Haec planta provenit in alpibus, frigidisque pratis et vallibus, at et facile in hortis colitur. Radix viribus aperitivis, stomachicis et galactophoris gaudet. — *Rapunculus esculentus* est *Campanula rapunculus Linn.* foliis undulatis, radicalibus lanceolato-ovalibus, panicula coarctata, (Pentandr. Monogyn.). Radix est rapo similis, digiti crassitie, caules tenues, angulosi, sulcati, corolla campaniformis, quinquedentata, capsula trilocularis. Tota planta lactescit. Sponte in pratis provenit; at etiam in hortis olitoriis colitur. E taleolis radicis facile propagatur. Planta cum radice in acetariis esitatur. Rapunculus est diminutivum a rapa. Ge. *Rapunzeln*, *Rapinzelwurzel.* Ga. *Raiponce sauvage.* A. *Rampions*, *the roundheaded horn'd rampion.* B. *Rapuncen*, *raponsje.*

RAREFACIENTIA sunt remedia, quae moderato calore vapores humoresque difflando, poros partium maiores faciunt, hinc eandem materiae quantitatem in spatium maius diffundunt. Dicitur praecipue de fluidis corporis nostri in

maius volumen expansis. Gr. *Ἀραιωτικά.* Ge. *Dünnmachende Arzneien.* Ga. *Raréfiant.* B. *Dunmaakende middelen.*

RARUS opponitur *denso*, diciturque de corporibus, quae spongiosa et levia sunt. — Tarda arteriarum micatio vocatur *rarus pulsus*, dum intra determinatum temporis spatium pauci ictus contingunt.

RASETTA idem est, quod *carpus*, aut *brachiale.* [Occurrit haec vox barbara apud Matth. Silvaticum: *Pecten, pars manus, quae est inter rasetam* (ita scriptum est) *et digitos.*]

RASORIUM est cultelli species, quo utuntur chirurgi in abradendis capillis. A radendo vocatum. Ge. *Ein Scheermesser.* Ga. *Rasoir.* A. *Razor, rasor.* B. *Eeen scheer-mes.* — Aliquando idem quod *Raspatorium.*

RASPATORIUM, seu **SCALPRUM RASORIUM** est instrumentum chirurgicum, ossibus cariosis et squamosis abradendis confectum. Gr. *Ξυστὴρ* vocatur. Ge. *Das Schroteisen, Schabeisen, Schrotmeissel.* Ga. *Rugine, ratissoire.* A. *A grater, rape.* B. *Een rusper.* — Item *raspatorium*, seu *radula*, a radendo, est instrumentum ex lamina ferrea pertusa et asseri parvo affixa, cuius inaequalitate et scabritie radices, ligna, cornua, ungulae etc. raduntur. Gr. *Ξύστρα.* Ge. *Schabeisen, Reibeisen.* Ga. *Rape, racloir, ratissoire.* A. *Rasp.* B. *Een raspe.*

RASURA vocatur id, quod radendo, vel raspando, lignis, cornibus, ungulis aufertur; sic in officinis prostat rasura cornu cervi, ungulae Alcis, eboris, dentis Hippopotami, ligni sancti etc. Ge. *Geraspelt Hirschhorn, Elfenbein* etc. Ga. *Raclure.*

RATIO est facultas animae humanae e pluribus ideis coniunctis, vel separatis, firmas conclusiones eliciendi. Sic ratio et experientia fundamentum medicinae constituunt, et medicina utrique huic principio innixa, *rationalis* dicitur. Ge. *Vernunft.* Ga. *Raison.*

RATIONIS OS, i. q. *sincipitis.*

RATULA, vide *Raspatorium.*

RAUCEDO, s. **RAVIS** Gr. *Βράγχος* est vox rauca, gravis simul et dissonans, absque ulla soni glabritie, vel claritate, et exilis, sic ut saepe non audiatur, nisi a prope adstantibus, adest etiam in hac sibilus aliquis: orta a siccitate, vel asperitate instrumentorum formandae voci inservientium; hinc consequitur catarrhum, tussim, susceptum frigus, crapulam, nimios clamores, pulverem in fauces illapsum, consumtionem instrumentorum vocalium a quibuscunque ulceribus, abusum ciborum, aut medicamentorum acrium etc. [Jos. Frank (*pr. med. praec. II.* 2. 1. *p.* 21.) raucedinem paraphoniae fecit speciem ultimam, eamque definit per depravationem vocis e clara in obtusam, ex aequali in asperam.]

Ge. *Heiserkeit.* Ga. *Enrouement.* A. *Hoarseness.* B. *Heesheid.*

RAVED SENI, est *Rhabarbarum orientale.*

[**REBELLIONES** vocari ab antiquioribus medicis carunculas parvas mollesque rubri coloris, in corneae externa superficie sitas, auctor est Gu. Rowley *Abh. v. d. vorzügl. Augenkr.* Bresl. 1792. p. 206. Gr. ἐπαναστήματα.]

RECEPTACULUM dicitur de vesicula, in qua humor quidam colligitur.

RECEPTACULUM CHYLI, i. q. *sacculus chyliferus.*

RECEPTACULUM CHYMICUM est vas amplum, in quo guttae et vapores destillantes ex rostro vasis, in quo corpus destillandum habetur, excipiuntur. Vocatur et *Recipiens* et *Excipulum.* Ge. *Vorlage, ein Recipient.* Ga. *Un recipient, balon.* A. *A recipient, receiver.* B. *De ontfanger.*

RECEPTACULUM botanicis vocatur basis, qua partes fructificationis connectuntur. Ge. *Blumen- und Fruchtbehältniss.*

RECEPTUM, i. q. *formula.*

RECIDIVUS MORBUS est, quando materia a priore morbo relicta, vel corporis morbosa diathesi non satis mutata in sanitati convenientem, denuo recrudescit et eundem similemve morbum resuscitat. Ge. *Rückfall.* Ga. *Rechûte.*

RECIPE verbum est, quo formulae medicae semper incipiunt, et quod exprimitur simplici litera R. aut ℞.

RECIPIENS vocatur vas, materiam per destillationem prolectam capiens. Vide *Receptaculum.* Ge. *Die Vorlage.* Ga. *Recipient.* B. *De ontfanger.*

RECLINATA botanicis vocantur *folia* deorsum flexa, ut arcus sit basi inferior, apice descendente. *Reclinata* est *vernatio*, quae versus petiolum deorsum reflexa est.

[**RECLINATIO CATARACTAE** perficitur, dum lens obscura ita ab anterioribus versus posteriora premitur, atque circa axin vertitur suum, ut eius margo superior versus posteriora, inferior versus anteriora, superficies anterior superiora, posterior inferiora versus sit directa. Acus, cuius auxilio hic lentis situs efficitur, aut per scleroticam, aut per corneam in oculum infigitur.]

RECREMENTA vocantur illae materiae, quae in corpore animali eo fine secernuntur, ut tanquam superflua, vel noxia, e corpore eliminentur, e. g. sudor, urina etc.

RECRUDESCENTIA est, quando morbus iam desinens, aut mitis factus, denuo ad eundem vigorem redit.

RECTIFICATIO est destillatio repetita liquorum iam antea destillationi subiectorum, ad eos magis purificandos et exaltandos. Ge. *Verbesserung, das Rectificiren.* Ga. et A. *Rectification.* B. *Verbetering.*

RECTI MUSCULI habentur inter externos abdominis

musculos: sub quibus arteriae et venae epigastricae ab interna parte adscendunt, tum a mammariis interius prope mamillam descendunt. Circa medium abdominis inscriptionibus binis, ternis interdum et quaternis tendineis, in superficie externa, in plures veluti musculos dirimuntur. Ad mucronatam pectoris cartilaginem, costarumque trium, vel quatuor cartilagines, exortu carnosi sunt, in osse vero pubis valido tendinosoque corpore defixi. Hi musculi in vagina includuntur, quae formatur ab aponeurosi musculorum oblique adscendentium et transversalium. Actione sua maxime cavum abdominis angustant, et excretiones varias promovent. — *Rectus capitis anticus maior et longus*, a processibus transversis vertebrarum colli quinque inferiorum oritur, et in occipitis osse ante foramen magnum desinit. — *Rectus capitis anticus minor*, s. *parvus*, a vertebra prima colli oritur, et ad latus *maioris* inseritur. Uterque musculus caput antrorsum flectit. — *Rectus capitis lateralis*, s. *transversalis* anterior, a processu transverso vertebrae primae colli ortus inter condylum ossis occipitis et processum mastoideum inseritur. — — — *Rectus capitis posticus* a parte posteriore vertebrae secundae, uti *rectus capitis posticus minor* a vertebra prima oritur. Uterque musculus vero retro foramen magnum ossi occipitis inseritur. — *Rectus cruris*, s. *gracilis anterior*, duplici tendine a spina anteriore ossis ilium et acetabuli margine procedit, in parte anteriore ossis femoris descendit, et cum reliquis extensoribus tibiae patellae communi tendine inseritur. — *Rectus cruris internus*, s. *gracilis internus*, ab osse pubis ad tibiae capitis interiorem partem descendit. — *Recti quatuor* oculi a margine foraminis optici procedunt, et bulbo oculi inseruntur. Ge. *Die geraden Muskeln.* Ga. *Muscles droits.* A. *The right muscles.* B. *De regte spieren.*

RECTA botanicis dicitur *arista* perpendiculariter exiens, et *calyptra recta*, quae undique aequalis est.

RECTUM INTESTINUM est omnium, et praecipue crassorum, intestinorum ultimum. Incipit a coli fine, unde aliquali tamen inflexura deorsum pergens desinit in anum; gaudet musculis sphinctere, et duobus dilatatoribus. Ex iisdem, quam colon, tunicis constat, ita tamen, ut crassior sit tunica muscularis, ipsumque intestinum absque cellulis, plurimis vero plicis atque rugis dilatabilibus et tunica mucosa vestitis conspicuum sit. Faecibus excernendis transitum dat. Ge. *Der Mastdarm*, *Afterdarm*, *After.* Ga. *Le gros boyau*, *le rectum.* A. *The striaght gut.* B. *De aars darm*, *endeldarm.*

RECURRENTES NERVI sunt duo rami, qui utrinque a truncis paris vagi circa arteriam subclaviam oriuntur. Dexter hanc arteriam, sinister arteriam aortam circumdat,

rursumque adscendentes pluribus ramulis in musculos laryngis, pharyngis et glandulam thyroideam distribuuntur. His nervis adfectis, laesis, ligatis vel abscissis vox animalis, ut nonnulli referunt, vel minuitur, vel penitus exstinguitur. Ge. *Die zurücklaufenden Nerven.* Ga. *Nerfs récurrens.*

RECUTITUS, sive **APELLA** est, cui portio praeputii resecta fuit, ut in Iudaeis et Mahomedanis, aut potius, qui eam artificiosa prolongatione restituére conati sunt. [Notum est, Apellae nomen in notissimo Horatii versu (Satyr. I. 5. 195.): *Credat Iudaeus Appella Non ego*, occurrere, ad quem locum vett. Scholiastae monuerunt, *Apella* non esse nomen proprium Iudaei cuiusdam, tunc temporis Romae commorantis, sed denotare in universum Iudaeum quemcunque; quoniam tales careant pelle h. e. praeputio: vocem enim compositam esse ex a priv. et *pellis.* — *Recutitus* quoque terminus botanicus est, adhibeturque de fructibus quibusdam, v. c. Taxi baccati.] Ge. *Beschnitten an der Vorhaut.* Ga. *Circoncis.* A. *Circumcised.* B. *Besnedene.*

RECURVATA botanicis dicuntur *folia* deorsum inflexa, ut convexitas arcus superiora spectet. Sic *aculei* dicuntur *recurvi*, qui extrorsum reflexi sunt. [Ga. *Recourbé en haut.* Ge. *Aufwärts gebogen.*]

REDUCTIO est operatio chymica, qua corporibus metallicis, forma propria vel per corrosionem, vel per calcinationem exutis, haec forma denuo restituitur. Eius ratio consistit in ablatione illius substantiae, quae cum metallo mixta ipsi propriam formam exuit, et in restitutione, sive additione eius principii, praecipue phlogisti, ob cuius defectum formam nativam metallum amisit: ut dum calci antimonii, vel ochrae martiali pinguedo, vel pulvis carbonum, additur, et nova fusione antimonium, vel ferrum reducitur. [Recentiores chemici, explosa phlogisti theoria, reductionem vocant illam operationem, cuius ope solida et simplicia corpora e suis coniunctionibus, inprimis cum oxygenio, liberantur. Ga. *Desoxydation, reduction.* Ge. *Reduction.*] Ge. *Wiederherstellung.* A. *Reduction.* — *Reductio* etiam chirurgis dicitur operatio, qua partes quaedam corporis vitiose elapsae, vel prolapsae manibus vel instrumentis restituuntur. [Sic reducuntur seu reponuntur ossa, ex articulationibus suis dimota; sic reducuntur intestina, uterus al. quae e situ naturali extus comparuerunt. Ge. *Zurückbringung.*]

REDUVIA est levis quaedam cuticulae ad unguium radices fissura. Nonnulli sic quoque paronychiam vocant. Ge. *Neidnagel, Nagelzwang.* Ga. *Envie aux doigts.* A. *The looseness*, sive *cleft of the skin about the root of the nails.* A. *Nyn*, seu *nydnagel.*

REFECTIVA, i. q. *analeptica.*

REFICIENTIA, i. q. *analeptica.*

REFRIGERANTIA sunt remedia, vel actu frigida, vel e talibus particulis constantia, quae calorem in corpore ortum temperant, ut nitrum, acida vegetabilia, fructus horaei, etc. Ge. *Kühlende Mittel.* Ga. *Rafraichissans, réfrigérans.*

REFRIGERATORIUM est vas ligneum, aqua plenum, per quod fistula recta, vel spiralis, ex stanno vel plumbo transit, qua aqua per destillationem prodiens, refrigerandi gratia perfluit. Ge. *Ein Kühlfass.* Ga. *Refrigérant, refrigératoire.* A. *A cooling vessel.* B. *Een koelvat.*

REGENERATIO, sive **PALINGENESIA** chemicis vocatur, quando res quaedam operationibus in aliam formam redactae, ope aliarum operationum, vel peregrinorum additorum, in eandem naturam, qua prius gaudebant, reducuntur. [Alchymici hac quoque voce utuntur, ut artem simulatam significent, e combustarum plantarum cineribus plantas denuo in vitam revocandi. Conf. G. F. de Franckenau *von d. künstl. Auferweck. d. Menschen, Thiere u. Pflanzen aus ihrer Asche.*]

REGIMEN vox recepta est in arte medica, denotans certam et a medico imperatam diaetae et victus rationem, cuique temperamento, vel etiam cuique morbo convenientem. Sic etiam chymicis est *regimen* ignis, seu determinatus caloris gradus ad unamquamque operationem necessarius. Vide *Gradus.* Ge. *Verhalten.* Ga. *Régime.* A. *Diet.* B. *Bestuur, regeering.*

REGINA PRATI est Spiraea ulmaria L. Sic dicitur, quod tam laete caput in pratis prae caeteris plantis erigit. Vide *Ulmaria.*

REGIO vocatur anatomicis spatium quoddam determinatum in superficie corporis, sub quo variae aliae partes comprehenduntur. Sic dicitur regio epigastrica, umbilicalis, hypogastrica etc. quae suis sub nominibus quaerendae. Ge. *Gegend des Leibes.* Ga. *Région.*

REGISTERES, REGISTRA, seu **VENTILA** spiracula furni chymici sunt, quae aër ingreditur sub venti specie, vel quibus superne exit, et quibus hinc pro operatoris intento dirigitur ignis in variis operationibus; iis enim clausis ignis debilior fit, verum apertis intensior. Gr. *Ἐπιστόμια.* Ge. *Register, Luftloch.* Ga. *Soupirail, registres.* A. *A hole to let in the air.* B. *Logtgaten, regeerpypen.*

REGIUS MORBUS, vide *Icterus.*

REGNUM est certa quaedam reductio corporum in tellure nostra reperiundorum ad aliquam classem generalem, quae omnia in quibusdam proprietatibus conveniunt. Tale uti in historia naturali in universum, ita in specie in medicina constitutum fuit triplex, e quo tota materia medica

constat. 1) *Vegetabilium*, continens sub se omnium plantarum genera, quae maximam materiae medicae partem constituunt, et quae crescunt et vivunt, scilicet per motum fluidorum in canalibus structis aluntur. 2) *Mineralium*, continens sub se omnia, quae ex terra effodiuntur, neque tam manifestam ex suo semine, ac vegetabilia, originem habent, sed absque structura determinata per aggregationem crescunt. 3) *Animalium*, complectens omnia animantium genera in quovis medio vitam suam degentia, scilicet quae crescunt, vivunt, et praeterea adhuc facultate sentiendi praedita sunt. Ge. *Naturreich.* Ga. *Regne.* A. *Kingdom.* B. *Ryk, geslagt.*

REGULARIS dicitur florum *corolla*, quae aequalis est figura, magnitudine et proportione partium, seu quae linea circulari exacte circumscribi potest.

REGULUS vocatur pars illa, quae post fusionem minerarum metallicarum, earumque effusionem in cono fusorio fundum petit, facile tum a scoriis separanda. Dicitur praecipue de semimetallica parte antimonii, cuius pro varia additione salium, vel metallorum, varii reguli prostant. — — Item de arsenico, cobalto etc. *Regem*, vel *regulum* appellarunt forte, quia erat totius nobilissima essentia. Ge. *Der König.* Ga. *Régule.* A. *Regulus.* B. *Koningsken.*

RELAXANTIA, vide *Chalastica.*

RELAXATIO est fibrarum corporis nostri, sicque musculorum, vasorum et membranarum dilatatio ultra elasticitatis suae, hoc est, virtutis contractoriae, tonum, qua partes in functionibus suis sanis impediuntur; uti in strabismo, varice, aneurysmate, hernia etc. Gr. *Χαλασμὸς, ἄνεσις, χαύνωσις.* Ge. *Die Erschlaffung.* Ga. *Rélachement.* A. *Relaxation.* B. *Verwydering.*

REMEDIUM, i. q. *medicamentum*, seu *auxilium.*

REMINISCENTIA, Gr. *Ἀνάμνησις*, est perceptio, qua rerum antea perceptarum ideae, menti sensatione, vel alia perceptione impressae, per earum vestigia, vel imagines cerebro impressas, vel voces, aut alia earum signa oblata, animae, mediantibus spiritibus animalibus, in sensorio communi, rursus offeruntur; vel reminiscentia est arbitraria rerum cerebro antea impressarum ad suos usus revocatio. Ge. *Gedächtniss.* Ga. *Reminiscence, souvenance, souvenir.* A. *Remembrance.* B. *Geheugenis, herinnering.*

REMISSIO FEBRIUM est incalescentiae supra modum sanguinis imminutio, quae in febribus intermittentibus absolvi integre solet, in continuis vero ex parte tantum contingit.

REMITTENS FEBRIS vocatur, quae tali modo per exacerbationes totam absolvit periodum, ut sequens exacerbatio incipiat, priusquam antecedens plane desinat, sicque

aeger nunquam plenaria apyrexia gaudeat, sed semper febre magis, vel minus valida laboret. Hinc ordinem febrium constituit, plura genera et species comprehendentem. Ge. *Ein nachlassendes, remittirendes Fieber.* Ga. *Fiévre rémittente.* A. *Remitting fever.*

REMORA ARATRI, [seu *resta bovis*] est *Ononis arvensis;* dicitur, quod in opere arantes boves subinde sistat. Vide *Ononis.*

REMORA est instrumentum chirurgicum apud *Hildanum*, quo os femoris restituitur. [Hoc instrumentum, cognominatum ab Echeneide remora pisce, ad thoracicos referendo, qui capite suo firmissime ad naves, saxaque adhaeret, unde fabula orta, navium cursum ab hisce piscibus impediri posse, depictum est a Sculteto *armament.* tab. XXII. fig. 5. descriptumque a Benedicto (*Lehre v. d. Verbänd.* p. 548.) qui illud non nisi adversus luxationem humeri simplicem versus inferiora adhiberi posse asserit.]

REMOTA botanicis dicuntur *folia* spatio a se invicem distantia. Ga. *Eloignés.* Ge. *Von einander abstehend.*

REMULUS, vide *Costae.*

RENES, Gr. νεφροὶ, bini sunt in abdomine, extra peritonaeum, in eius substantia cellulosa positi, figura fabae, prope diaphragma, multa pinguedine involuti, ad eandem fere altitudinem, quam hepar et lien, quae illos quoque tegunt; dexter in homine inferior est, quam sinister; accipiunt arteriam ab aorta perpendiculariter emissam, quae *renalis*, vel *emulgens* dicitur, et dividitur in plurimos ramos vermiculari reptatu currentes et in se hiantes, ex quibus fistulae laterales minimae, vel urinariae, oriuntur, quae in corpora papillaria octo, decem vel duodecim terminantur, seu principium ureteris, unde demum ad vesicam urinariam defluit. Uterque ren emittit unam venam, *emulgentem* dictam, in cavam statim terminatam; nervisque quam plurimis a plexu renali oriundis, et lymphaticis vasis gaudet. [Latinam vocem sunt, qui a graeca φρένες deductam esse velint. Vide supra sub Nephritica]. Ge. *Die Nieren.* Ga. *Les roignons, reins.* A. *The kidnies.* B. *De nieren.*

RENES SUCCENTURIATI, vide *Capsulae atrabilariae.*

RENUNCIATIO dicitur sententia medici, vel chirurgi, ad magistratum delata, de letalitate vulnerum, aliisque quaestionibus, quae in foro iuridico non nisi ex scientia medica diiudicari possunt. Ge. *Fundschein, Obductionsbericht.*

REPELLENTIA sunt, quae sua frigiditate, vel adstringendi vi, fervorem et affluxum humorum reprimendo, ac poros et meatus partium claudendo, et vasa constringendo, intumescentiam partis imminuunt, et allabentes humores alio pellunt. Haec ergo pro diversitate causarum, vel hu-

morum accumulatorum indole, summe proficua, at etiam summe noxia esse possunt, praecipue si materia repulsa viscera vitalia petat. Gr. *Ἀποκρουστικά*. Ge. *Zurücktreibende Arzneien*. Ga. *Repercussifs*. B. *Terug dryvende middelen*.

REPENS dicitur *radix* longe excurrens, hinc inde germinans; *repens folium*, terrae incumbens, radiculasque agens. [Hoc epitheton praeter radicem et folia convenit quoque caulibus flagellisque. Caulem repentem habet hedera, flagellum autem Fragaria vesca. A. *Creeping*. Ga *Rampant*. Ge. *Kriechend*.]

REPENS FASCIA, i. q. *spica*.

REPERCUTIENTIA, i. q. *repellentia*.

REPOSITIO est operatio chirurgica, qua membrum aliquod luxatum, seu quod ex articulatione sua excidit, cum violentia et artificiosa extensione et pressione in pristinum locum reponitur. Ge. *Einrichtung der Glieder*. Ga. *Replacement*. A. *Reposition*. B. *Herstelling der leden in hunne plats*.

RESEDA est planta, flore polypetalo anomalo, (Dodecandr. Trigyn.) quae habet caulem excavatum, striatum, villosum, ramosum, curvum. Folia sunt alternatim disposita, profunde incisa, crispata. Flores sunt anomali, qui constant ex petalis nonnullis inaequalibus, semper aliquibus semitrifidis, supremo ad basin gibbo, mellifero, longitudine calycis, perianthio monophyllo, partito comprehensis, in summitate caulium crescentes, coloris flavi. Flori succedit capsula membranacea, triangularis, unilocularis, oblonga, continens semina exigua, obrotunda, nigra. Radix est longa, tenuis, lignosa, alba, acris. Haec planta crescit in pratis. Eius species dantur odoratae, v. c. *Reseda odorata Linn.* vel *Reseda phyteuma Linn.* Planta vero officinalis, de qua hic potissimum sermo est, est *Reseda lutea* foliis omnibus trifidis, inferioribus pinnatis *Linn.* Viribus gaudet demulcentibus et resolventibus, hinc externe inflammationibus applicatur, et nomen forte habet a resedandis doloribus, collectionibus, inflammationibusque. [Hodie in officinis pharmaceuticis non prostat. Vires etiam diureticae illi tributae sunt, unde plantae nomen germanicum: *Harnkraut*, haesit. *Reseda luteola* colitur ob pigmentum flavum, quod e foliis, caulibusque extrahi potest. A. *The dyers-weed, yellow-weed, wild-woat*. B. *Wouw*. Ga. *La gaude, l'herbe à jaunir*. Ge. *Wau, Färberwau, Hexenkraut, Ackerpfrieme, Harnkraut*. Nomina a Blancardo allata competunt *Resedae luteae*.] Ge. *Streichkraut*. Ga. *Réseda, herbe maure*. A. *Base rockett*. B. *Vreemde raket*.

RESIDENTIA est crassamentum, seu faeces, quae in liquoribus turbidis ad fundum subsident. Ge. *Bodensatz*. Ga. *Sédiment*.

RES NATURALES, sive **RES DEBITAE**, aut **ORDINATAE** vulgo a veteribus recensentur tres: sanitas, sanitatis causae et sanitatis effecta. Alii veterum septem enumerant, ut elementa, temperamenta, partes, humores, spiritus, facultates, actiones: sed elementa et temperamenta pertinent ad physicam: humores, spiritus et partes sanitatis causis annumerantur, quae constant ex bona temperie et apta conformatione; facultates et actiones sub sanitatis effectis constituuntur. Ge. *Natürliche Dinge.* Ga. *Choses naturelles.* A. *Natural things.* B. *Natuurlyke dingen*, vel potius *de behoorlyke*, vel *ordentelyke dingen.*

RES NON NATURALES sunt sex: aër, cibus et potus, motus et quies, somnus et vigiliae, animi pathemata, excreta et retenta. Sic appellantur in scholis medicorum veterum, quia neque absolute ad hominis naturam pertinent, neque tamen praeternaturales, vel noxiae sunt, sed si modum excedant, saepe morbis ansam praebent et causas morborum remotiores, vel procatarcticas constituunt, in earum vero debito usu bona *diaeta* consistit. Hisce ab aliis adiunguntur *applicata* corpori externa, uti sunt balnea, fomenta, emplastra etc. omnia enim haec bono usu adhibita, corpori prosunt et ipsi naturalia fiunt; verum abusu nocent. Ge. *Nichtnatürliche Dinge.* Ga. *Choses non naturelles.* A. *Not natural things.* B. *Niet natuurlyke dingen*, *noodzakelyke dingen.*

RES PRAETER NATURAM sunt morbus, morbi causae et symptomata, sive morbi effecta, quorum praesentia illa, quae in corpore sano fieri debebant, nunc impediuntur, adeoque in corpore adesse non deberent. Ge. *Widernatürliche Dinge.* Ga. *Choses contre nature.* A. *Things against nature.* B. *Tegennatuurlyke zaken, zondigende dingen.*

RESINA est corpus ex unione acidi cum oleo aethereo natum, in certo frigoris gradu durum, fragile, pellucidum, ad calorem liquescens et diffluens, in aqua non solvendum et in alcohole solubile, in igne ardens instar olei. [Possunt quidem per acida cum sulphuricum, tum nitricum oleis aethereis et pinguedinibus affusa, resinosae substantiae formari, sed Gmelin multum dubitat, quin illa ad veras resinas propterea sint referendae, quoniam acida in usum vocata formatas substantias intrare adeoque earum partem constitutivam efficere videantur. Cum resinarum multae extent formae, admodum difficile est, tales earum characteres detegere, quae omnibus aeque competant. Resina vocatur corpus album, aut flavo, aut fusco, aut alio colore tinctum, nunc durum et fragile, nunc molle, nunc elasticum, aqua plane non, in alcohole concentratissimo autem oleisque aethereis solubile, per frictionem negativa electricitate conspicuum, ponderis specifici intra 0,93 et 1, 2, per calorem

mollescit, eoque aucto liquefit, odore caret, nisi adhuc ipsi oleum aethereum adhaereat, saporem aut nullum, aut amarum acremve habet.] Gr. Ῥητίνη, sunt arborum, aut herbarum concretae lacrymae, ut *mastix, thus, ammoniacum, therebinthina* etc. quae tempore et solari calore indurantur, substantiae pinguis, inflammabiles et in spiritu inflammabili, quoad partes resinosas, solubiles sunt. Hinc ex huiusmodi concretis in praeparatione remediorum per menstrua spirituosa partes resinosae a gummosis separantur, et rursum ex iis praecipitantur, ut resina *Ialappae, Scammonii* etc. Ge. *Harz.* Ga. *Résine.* A. *Rosin.* B. *Hars.*

RESINA ELASTICA est singularis quaedam substantia, quae haud ita pridem ex provincia Quito et Cayenna Americae meridionalis ad nos adlata nobis innotuit. Incolis *Caoutchouc* dicitur, et est succus exstillans ex vulnerata arbore quadam incolis *Hheve* dicta, cuius fructus fructui Palmae Christi aliquantum similis est. Haec arbor vix forte adhuc in ullo horto botanico Europae visa, nonnullis creditur esse *Cecropia peltata Linn.* Coilotapalus ramis excavatis, foliis amplis, peltatis, lobatis *Brown.* Ficus Surinamensis, multifido folio, superna parte admodum scabro, aversa densa lanugine molli. *Pluk.* Succus ex hac arbore exstillans brevi abit in substantiam fuscam, inflammabilem, in aqua emolliendam, in oleo nucum accedente calore, optime vero in aethere vitriolico solvendam, in spiritu vini vero indissolubilem, ad haec summe ductilem et elasticam, ita ut annuli ex ea facti, modo digitis, modo carpo, modo brachio, absque ruptura applicari possint, sponte demum se rursus contrahentes. Indi artificio sic succum exstillantem in varias formas dirigunt, ut exsiccatus variam supellectilem praebeat, ut ocreas et lagenas, quae pressae humorem contentum effundunt. [Arbor, ab indigenis *Seringeira* vocata, systematicum nomen Syphoniae elasticae gerit. Synon. Hevea guianensis, Iatropha elastica, Syphonia Catuchu Rich. — Conf. de hac resina, eam parandi ratione, aliisque huc pertinentibus relationem de Martius in *Pharmaceut. Centralbl.* No. 17. 1830. Recentissimis temporibus in fila tenuissima ducta, et ad varias inde telas conficiendas adhibita est.] Ge. *Federharz, elastisch Harz.* Ga. *Résine élastique.* [A. *Caoutchouc.*]

RESINA FLAVA, RESINA NIGRA, vide *Therebinthina.*

RESOLVENTIA sunt medicamenta, quae liquidorum animalium moleculas, quae praeternaturaliter coiverant in se, in naturales iterum discerpunt, adeoque eas vel circulantes attenuant, vel haerentes in loco dividunt et circulationi restituunt. Ge. *Auflösende Arzneien.* Ga. *Remèdes resolvans, aperitifs.* A. *Resolvents.* B. *Openende*, seu *ontstopende middelen.*

RESOLUTIO NERVORUM, i. q. *paralysis.* — Dicitur etiam *resolutio* de cruda et morbifica materia, quae ope naturae ita mutatur, ut excerni possit; vel saltem non amplius nociva evadat. Gc. *Auflösung.* B. *Ontbinding.*

RESONITUS, i. q. *contrafissura.*

RESORBENTIA VASA, vide *Absorbentia.*

RESPIRATIO est actio composita, vel duplex, consistens in inspiratione et exspiratione. Est scilicet thoracis alterna dilatatio et collapsus; qua priori aër per os, nares, laryngem et asperam arteriam in vesicularem pulmonum substantiam intrat, eam sua gravitate et elasticitate expandit, sanguinis fluxum per arterias venasque adiuvat, et in sanguinem agit ob thoracem ampliatum et elevatum sternum per contractionem musculorum intercostalium, ac diaphragma planius redditum: et quo posteriori aër ex pulmonis compressi vesiculis, aspera arteria, larynge, ore et naribus expellitur, ob thoracem collapsum vi cartilaginum costarum agentium, cessante scilicet causa actionis musculorum intercostalium, sed pressione musculorum abdominalium agente in viscera, adeoque diaphragma intus in thoracem intrudente, et simul iuvantibus contractionem thoracis musculo triangulari aliisque etc. Binae hac actiones, dum semel inceperunt, sunt maxime necessariae ad vitam in animali perfecto: iis enim impeditis, vita cessat, quia humorum circulatio per vasa sua cessat. Vide *Pulmones.* Gc. *Das Athemholen.* Ga. *Respiration.* A. *Breathing.* B. *De Ademhaaling.*

RESTA BOVIS est *Ononis,* dicitur, quod arantes boves nonnunquam sistat. Vide *Anonis.*

RESTITUTIO dicitur vel de reditu aegri ad pristinam sanitatem, vel de repositione ossis, quod per luxationem ex articulo suo dimotum erat, vel de regeneratione carnis etc. Ge *Wiederherstellung.* Ga. *Rétablissement.*

RESUMTIVA, a *resumere,* seu *restaurantia*, a *restaurare,* dicuntur analeptica et nutrientia, ad aegros extenuatos restaurandos.

RESUPINATUM botanicis dicitur *folium,* pagina superiore inferiori, et contra inferiore superiore facta. Ga. *Renversé.* Ge. *Umgekehrt, umgedreht.*

RETE MIRABILE: sic dicitur ob mirabilem structuram. Constat ex plurimis arteriolis, carotidum propaginibus, in semet ipsas inflexis, vel ad se invicem inclinatis, simulque coëuntibus: subiicitur cerebri basi, et glandulam pituitariam in ambitu suo complectitur, a lateribus ossis sphenoidis. Usus est in animalibus, qui prono capite incedunt, sanguinem aliquantum remorari, ne impetuose nimis in cerebrum ruat; in homine et equo non ita invenitur. Ge. *Das Wundernetz.* Ga. *Ret merveilleux.* A. *The wonderful-net.* B. *Het wondernet, kerssen ader net.*

RETE MIRACULOSUM, CUTANEUM, vide *Corpus reticulare*, s. *Reticulum Malpighianum.*

RETICULARIS PLEXUS, i. q. *choroides.*

[**RETICULATUS** est, qui formam reticularem prae se fert. Tribuitur hoc epitheton arillo, qualem v. c. Orchis habet, alis insectorum etc. Ga. *Maillé.* Ge. *Netzförmig.*]

RETICULUM, vide *Abomasus.* Ge. *Haube, Zellicht.* Ga. *Reseau, bonnet.*

RETICULUM, vide *Omentum*, vel *Epiploon.*

[**RETICULUM** vocatur secundus ventriculus animalium ruminantium, qui tamen potius appendicis primi ventriculi seu ruminis, quam singularis ventriculi nomen mereri videtur. Sub insertione oesophagi in ventriculum situm est, et Illustri Caro (*Lehrb. d. Zootom. p.* 411.) potulentis recipiendis, quae humectatione ciborum, in os per ruminationem regurgitantium, inservire dicitur, destinata esse videtur.]

RETICULUM MALPIGHIANUM, s. *Corpus reticulare*, ita vocatur membrana, vel lamella interior epidermidis, cuti contigua, quae e substantia reticulari mucosa et papillis, vel expansionibus nerveis constat. Acutissimi sensus sedes est, atque ut observarunt recentiores, coloris, qui in externa corporis nostri superficie apparet, causa est et sedes et hinc in variis hominibus variat, unde in Aethiopibus, quibus aeque alba est cutis, ac Europaeis, membrana haec nigra deprehenditur. Nomen suum accipit a *Malpighio*, qui illam primus detexit in lingua bovina, in qua retis adinstar perforata est, quod tamen in hominibus non obtinet: in iis enim tantummodo observantur foveolae a papillis cutaneis impressae, quae tamen non penetrant. Ge. *Das Netz, Netzhaut des Malpighi.*

RETIFORMIS PLEXUS, vide *Plexus retiformis*, s. *Rete mirabile.*

RETIFORMIS TUNICA, RETINA est quaedam interioris, vel medullaris, substantiae nervi optici in oculo expansio, postice et lateraliter humorem vitreum ambiens, quae se habet ut paries albatus in camera obscura, qui species visibiles per foramen camerae atratae admissas excipit, et per nervum opticum ad sensorium commune propagat. Vide *Amphiblestroides.* [E regione mediae partis corneae pupulaeque macula conspicitur lutea, a Sommerringio sive detecta, sive primum descripta, de cuius origine et usu vid. commentatio erudita *Fr. Aug. ab Ammon.* Vimar. 1830. 4. c. tab. aen. color. In centro huius maculae foraminulum adesse dicitur, cuius tamen praesentiam non nisi a vitiosa partem dissecandi ratione derivandam esse Rudolphius contendit. De tunicis oculi, sclerotica, chorioide et retina, Fraenzelius, prosector in theatro anatomico Dresdensi, diligenter egit in Ammonii *Zeitschr. f. d. Augenheilk.* Th. I. H. 1.]

Ge. *Die Netzhaut im Auge.* Ga. *La rétine.* A. *The netlike coat in the eye.* B. *Het netvlies.*

RETINA TUNICA, vide *Retiformis* et *Amphiblestroides.*

RETINACULUM est instrumentum chirurgicum, quod in herniis adhibetur ad impediendum intestinorum in scrotum delapsum.

RETORTA, CORNUTA, sive **MATRACIUM** est vas chymicum, ex vitro, lapide, ferrove conflatum, figura rotunda, ad cuius latus rostrum est flexum, retortum et cavum, per quod destillanda ingeruntur et egeruntur. Ge. *Eine Retorte.* Ga. *Cornüe, rétorte, matras.* A. *A retort.* B. *Een retort, kromhals* sive *kolf.*

[**RETRACTOR** vocatur instrumentum, cuius ope musculi in articulorum amputationibus ita retrahuntur firmanturque, ut a cultro laedi nequeant. Bellii retractores delineati sunt in eius *Lehrbegriff d. Wundarzn.* Th. IV. tab. VII. f. 1. 2. Illos Klein (*Ansicht. d. Oper.* I. *f.* 15.) praeclare emendavit. Simmons denique rete sericeum in hunc finem commendavit, cuius utilitatem in dubitationem vocat Benedictus (*Lehre v. d. Verbänd.* p. 149.)].

RETRAHENS AURICULAM MUSCULUS constat ex tribus parvis musculis, qui oriuntur ab exteriore et posteriore parte radicis processus mammillaris, et inseruntur in medium dorsum conchae auriculae, auriculamque sic retrahunt.

RETROFRACTUS botanicis dicitur *pedunculus*, vi quasi ad dependendum redactus.

RETUSUM botanicis est *folium* terminatum sinu obtuso.

REVERBERATIO CHYMICA est ignitio, qua corpora igne vivo, in furno reverberii, calcinantur. Vide *Ignis actualis.*

REVERBERIUM est operatio chymica, qua corpora ignienda, vel destillanda, per ignem undique a parietibus et fornice furni reflexum in ipsa corpora, vel vasa continentia, calcinantur, vel resolvuntur. Ge. *Durchflammung.* Ga. *Réverbère.* — Vel etiam *reverberium* vocatur ipse furnus ad hanc operationem constructus. Ge. *Ein Reverberirofen.* Ga. *Réverbère.* A. *Reverberatory.* B. *Een weerstuit oven, waarin de vlaam rondom het lichaam gaat.*

REVIVIFICATIO est, quando corpus quoddam metallicum, quod addito sale, vel sulphure, mutatum erat, rursus ad pristinam formam reducitur; ex. gr. quando mercurius ex cinnabari, addito sale aliquo alcalino, vel calce viva, destillatione de novo suscitatur, [aut quando e mercurii peroxydo oxygenium ignis auxilio elicitur.] Ge. *Wiederherstellung.* Ga. *Révivification.* A. *Reviving.* B. *Herlevendigmaaking.*

REVOLUTA botanicis dicuntur *folia*, quae in spiram re-

curvata sunt. [Ga. *Roulés en dehors.* Ge. *Zurückgerollt, zurückgewickelt, zurückgebogen.*]

REVULSIO, vide *Antispasis.* Ge. *Das Ableiten.* Ga. A. *Révulsion.* B. *Afleiding der vogten.*

REVULSORIA VENAESECTIO est operatio, qua sanguis, in partem aliquam irruendo nimis agens, in contrariam, per venam, in parte satis remota opposita incisam, avertitur atque emittitur, ut ex parte affecta id, quod haeret, expellatur, vel si vasa parva rupta sint, minori vi nunc pressa, tempus se constringendi adipiscantur, ut si in cephalalgia, vel haemorrhagia narium, in pede vena secetur. [Ge. *Ein ableitender Aderlass.*]

RHA, idem quod *rheum:* et ita per excellentiam vocatur *rhaponticum*, ab amne *Rha*, qui suas aquas per Tanaim fluvium tandem in Pontum Euxinum effundit. – Alii putant, *rha* significare radicem, et hinc rhaponticum idem esse quam radicem ponticam. Est radix purgans, flava, longior rhabarbaro. Vide *Rhaponticum.*

[**RHABARBARINA** s. **RHABARBARINE** est principium peculiare, a Trommsdorffio in Rhei palmati aliarumque specierum radicibus detectum, cuius qualitates hae sunt: obscure fuscam, splendentem, et opacam massam format; singularem et nonnihil ingratum spirat odorem; nauseoso-amarum et austerum exserit saporem; laccam denique musicam minime rubro inficit colore.]

RHABARBARUM, RHEUM, (Enneandr. Trigyn.) est *Rheum palmatum* foliis palmatis, acuminatis *Linn.* ut hodie rectius scitur, cum antea crederetur esse *Rheum undulatum Linn.* foliis scilicet subvillosis, undulatis, petiolis aequalibus. Habet folia profunde incisa, manui fere similia, magna, ampla, lata, scabriuscula, crassa, caulibus longis, crassis et nigricantibus adhaerentia: coloris sunt saturate viridescentis, gustus acidi satis grati: in medio horum foliorum, secundo, aut tertio anno, protruditur caulis crassus et robustus, quem amplectuntur folia minora, sed pariter palmata et acuminata: in summitate caulis spicatim proveniunt flores herbacei, albidi, monopetali, sexfidi, laciniis obtusis, alternis minoribus, absque calyce; in quibus sex tantum stamina reperiri lego; gemma vernans non rubescens, sed flavescens est. Floribus deciduis succedunt semina singula triangularia, splendentia, subflava, vel rufa, marginibus membranaceis, seu tribus foliolis vice capsulae inclusa. Temporis lapsu radix grandescit, multis propaginibus hinc inde propendentibus, oblonga, tuberosa, circularibus zonis rugosa, tuberibusque inaequalis, communiter ponderosa, foris est coloris rubentis, vel fusci, intus crocei. Ablato cortice exteriori, radix apparet sublutea multis venis rubi-

cundis ipsam percurrentibus; saporis est amaricantis, et lenta viscedine subadstringentis, nauseosi odoris, sed melior radix est flavi coloris et minorem stypticitatem habet; et quae in mandendo glutinosa est cum levi tamen adstrictione, et croceae tincturae salivam tingentis, cum varietate coloris dilute ex carneo colore rubens, et intus variegata instar nucis moschatae diffractae. Commendantur etiam ea frustula, quae sunt gravia cum raritate, et in quibus etiam confractis frustis invenitur digregatio ex rufo et glauco. Frustis maioribus, cum difficilius siccentur et saepius intus putrescant, aut vermibus exesa sint, non fidendum: quandoque enim superficies exterior elegans, interior vero putrida existit atque cariosa, adeoque saepius frusta mediocria sunt meliora. *Rhabarbarum verum* proprie in China atque Tartaria provenit et colitur, et inde plerumque, in taleolis perforatis, tum per Moscoviam via terrestri, quae optima, tum per naves ex India orientali ad nos adfertur. [Saepe aliae radices rhabarbaro vero a fraudulentis seplasiariis admiscentur. Quare Hornemannus (*Berl. Jahrb. d. Pharm.* XXIII. p. 252.) maximopere de medicis meruit, quod characteres invenire studeret, quibus rhei genuina radix a spurii radice distingui possent. Characteres externos radicis offert 1. *forma* frustorum, quae in genuina varia, nunc rotunda et plana, nunc longiuscula, in spuria autem tenuia, ad latus paululum inflexa, duos tresve pollicis longa, unum aut duos pollices lata, et tres pollices quadrantes usque ad unum crassa, amploque foramine pertusa conspiciuntur. 2. *color* externae superficiei, qui in vero aut rubicundus, aut albidus, aut obscure flavus, in spurio vero languide flavus est. 3. *fractura;* quae in vero superficiem ostendit venis flavis, rubicundis, interdum et fuscis, marmoris instar, distinctam, in spurio autem magis rubicundis striis variatam, quam marmoris in modum pictam. Frusta crassiora in superficie externa tantum strias rubicundas monstrant, interior magis spongiosa et languide flava, et huic saepe alba substantia subiacet. 4. *saporem* exserit vera rhabarbari radix peculiarem, ingrate amaricantem, parum adstringentem; masticata intra dentes stridet salivamque subito colore croceo tingit; spuria similem cum vera saporem ciet, minus tamen adstringentem, sub masticatione levior dentium stridor percipitur, salivaque parum tantummodo flavescit. 5. *color* denique *pulveratae* radicis verae e fusco aureus, spuriae autem aurantiacus est. Radix Rhei palmati L. recentiori aetate chemicos valde exercuit. Hos labores A. Richard et Dulkius diligenter collegerunt. Chemicam analysin ab Hornemanno institutam proptera apponam, quoniam non solum partes radicis constituentes, sed etiam rationem, qua invicem in rhabarbaro vero cum Rossico, tum Angli-

co et spurio s. rhapontico iunctae sunt, ante oculos ponit. Uncia autem

	Ross.	Angl.	spurii
Rhabarbarines (sec. Henry) . . .	46	44	10,50
Principii rhabarbarini (sec. Pfaff.) .	77	69	48,75
Extracti amari, adstringentis . .	70,5	79	50
Principii scytodepsici oxydati . .	7	6	4
Muci	48	40	17
Materiae, per lixivium kalin. e fibrosa parte extractae	136	146	197
Acidi oxalici, in lix. kal. contenti .	5	4	—
Residui non soluti	70	74	41
Iacturae, quam radix siccando patiebatur, ...	16	15	29
Iacturae	4,5	3	7,75
Rhaponticines	—	—	5
Amyli	—	—	70
	480	480	480

Praeter has, quae radici insunt partes in caulibus peculiaris quaedam pars, acidum nempe liberum sui generis, *rhabarbarinum* (rheumic acid.) dictum, ab Hendersono detectum est. Albas, splendentes, acido benzoico similes, acuformes crystallos formare dicitur. Sed accuratiora experimenta docuerunt, illud acidum nihil aliud, quam oxalicum acidum esse. Vid. Gmelin *Theor. Chem.* II. *p.* 1083.] Virtus eius maxime in partibus gummosis residet, quam hinc facilius menstruis aquosis, quam spirituosis, communicat; hinc variae prostant in officinis animae, vel tincturae aquosae et vinosae rhabarbari. Viribus pollet lenissime et tutissime purgantibus, at simul antacidis, tonicis, subadstringentibus et anthelminthicis. Datur vel in substantia a scrupulo ad drachmam, vel in bolo et electuario. Frequentissimus eius in medicina usus est in dysenteria, diarrhoea, leucorrhoea, gonorrhoea, ictero, aliisque morbis viscerum, praecipue intestinorum. Urinam croceo colore tingit. Ob qualitatem siccam minus in febribus continuis, inflammatoriis, aut subiectis siccis et dysuriae obnoxiis, minus quoque in hypochondriasi, hysteria et haemorrhoidibus conducit. Alexandrum Trallianum primum hanc radicem in usum medicum adhibuisse lego. Iam etiam passim id Rheum palmatum in Europa coli coepit, pariterque in radice vis leniter purgans deprehensa est. Volunt nomen componi ex *Rha* radice, et *barbarum*, vel quasi esset Barbarorum radix. Dicitur Arabibus *Raved.* Ge. *Rhabarber.* Ga. *Rubarbe.* A. *Rubarb.* B. *Rhabarber.* Vide *Rhaponticum.*

RHABARBARUM MONACHORUM est Lapathum hortense rotundifolium *Bauh.* *Rumex alpinus Linn.* (Hexandr.

Trigyn.) floribus hermaphroditis sterilibus, foemineisque, valvulis integerrimis, nudis; foliis cordatis obtusis, rugosis. Provenit in India occidentali et Europae humentibus. Radix est crassa, ponderosa, extus nigricans, intus flavescens, non tamen varicgata. Qualitate est sublaxante pariter et adstringente, vero tamen Rhabarbaro virtute longe inferior. Ge. *Mönchsrhabarber, Alpenampfer.* Ga. *Rhubarbe des moines,* [*patience à feuilles rondes, rhubarbe des Alpes.* A. *Monks rubarb,* [*alpine dock.*] B. *Munik rhabarber,* [*alpische patich.*]

RHABDOIDES SUTURA, i. q. *sagittalis.*

[**RHABDOMANTIA**, a Gr. *ῥάβδος, virga*, et *μαντεία, vaticinatio*, denotat vaticinationem per virgas. Schneider in Lex. gr. dubiae auctoritatis vocem esse contendit. Celeb. Rudolphi (Physiol. Th. II. vol. 1. p. 56. in notione voci tribuenda errare videtur.]

RHACHIALGIA est morbus, cuius character consistit in atrocibus doloribus abdominis ad lumbós et dorsum serpentibus, pressione non crescentibus, cum umbilici non raro retractione, alvi constipatione, summa pertinacia, manuum torpore, paralysique, alias artuum contracturis chronicis terminantibus. *Sauv.* Vide *Colica pictonum.*

[**RHACHIALGITIS.** Sic vocatur a Brera (*Cenni patologico-clinici sulla rachialgite* in *Atti dell' Acad. ital. delle scienze, lett. ed arti di Padova.* Vol. I.) *inflammatio medullae spinalis.* A Gr. *ῥάχις, spina dorsi*, et *ἀλγέω, doleo;* hinc *ῥαχιαλγία, dolor spinae dorsalis,* et *ῥαχιαλγῖτις* vi vocis nihil aliud denotare potest, quam *inflammationem doloris spinae dorsalis.* Id quod absurdum. Si terminatio *itis*, qua inflammationem indicare solent recentiores pathologi, iungi debet parti inflammatae, spinae dorsi, morbi nomen *rhacheïtis* formandum est. Ge. *Entzündung des Rückgraths.*]

RHACHIS, i. q. *spina dorsi.* — Botanicis est receptaculum filiforme flosculos longitudinaliter adnectens in spicam.

RHACHISAGRA est *arthritis spinalis*, in dorso. [Rectius Kraus. *rhachiagra*, a Gr. *ῥάχις, spina,* et *ἄγρα, captura.*]

RHACHITAE vocantur musculi dorsales, qui universis costarum commissuris, in toto thorace, superiniecti sunt, a posteriore parte, nihil relinquentes, quod non contegant, sed omnes costarum extremitates posteriores et vertebrarum processus, qui a lateribus sunt, connectunt et complectuntur, et coniuncta actione sua dorsum extendunt. [Galenus (*de admin. anat. IV. c.* 6. *p.* 451. *to.* II. ed. Lips.) *δόξεις ὄπισθεν ὅλῳ τῷ τραχήλῳ τοὺς ῥαχίτας ὀνομαζομένους ὁρᾶν μῦς.* Simili modo *Comm.* 3. *in Hipp. de artic.* 35. to. XVIII. P. I. p. 533. *τὸ δὲ εἰς τὴν ὀπίσω διανεμόμενον εἰς τοὺς ἐπικειμένους ἐνταῦθα μύας, οὓς ῥαχίτας ὀνομάζουσιν.*] Ge.

Die Muskeln des Rückgrats. Ga. *Muscles de l'epine du dos.* A. *The muscles of the spina dorsi.* B. *De ruggraats spieren.*

RHACHITIS est morbus veteribus incognitus, et circa medium saeculi decimi septimi primum in Anglia oriundus, ad Batavos, Germanos etc. dispersus, infantes iuniores anno aetatis plerumque secundo invadens, illos inprimis, qui parentes habent debiles, vitam otiosam lautamque agentes, morbis chronicis, venere, vel aetate exhaustos; vel qui cibis aquosis farinosisve pascuntur, et perpetuae quieti in sellis perforatis addicuntur. Describitur vulgo inaequalis nutritio cum partium laxitate, mollitie, debilitate, languore, ignavia, torpore, capite iusto maiore et pendulo, macie reliquarum partium, instabilitate et infirmo incessu, praematuro ingenii acumine, protuberantiis circa articulos, incurvatione ossium, angustia pectoris, tumida abdominis impletione, hypochondriorum tensione, appetitu et digestione fere illaesis, tussi, febricula lenta etc. Nomen ab Anglis indituni est *the rickets,* sed quia dorsi spina in progressu morbi quandoque afficitur, saepe versus dextrum latus, aut alio modo, se incurvando, haud incongrue a *Glissonio Rhachitidis* nomine indigitatur. Ge. *Die englische Krankheit.* Ga. *Rhachitis, ou chartre, enfant noué.* A. *Rickets.* B. *Lendevang, engelsche ziekte.*

[**RHACHITOMUS**, a ῥάχις, gen. ῥάχιος, *spina dorsi*, et τέμνω, *seco,* instrumentum ad facilem et promptam canalis vertebralis aperturam excogitatum. Vid. J. L. Casper *Vergleich d. franz. u. engl. Medic.,* ubi quoque icon occurrit: Krausius compositionem vocis taxat, et *rhachiotomus* praefert.]

RHACHOS, a ῥήγνυμι, *rumpo,* est linteamentum lacerum et detritum; et exinde ulcera quaedam hoc modo nominantur, quae lacera sunt et detrita. [Haec falsa sunt. Nam Graeci linteamentum detritum adeoque lacerum ῥάκος, nunquam ῥάχος vocant. Krausius quoque in simili versatur errore, et optaverim, ut vel uno loco e medicis graecis allato probaret, vel ulcera, quorum margines disrupti, lacerati que sunt, vel lintea carpta, τὰ ῥάχη vocata esse. Sed ῥάκος adhibebatur olim ad liganda vulnera et ulcera, coniungiturque interdum cum ὀθονίοις, v. c. apud Antyllum *de medic. extern.* ab Oribasio servatum p. 300. ed. Matthaei: ἐγχρίεσθω εἰς ὀθόνιον ἢ ῥάκος. Hipp. *de morb. lib. II. p.* 245. to. II. ed. Lips. ἰῆσθαι τὸ ἕλκος τῷ χρίσματι ἐναλείφων, ῥάκος ἐντιθέναι. De ῥάχος vid. Schneider *griech. Lex.* Zonar. p. 1604. ῥάχος· ὁ σκόλωψ ὁ ἀκανθώδης. καὶ ἐπὶ τῶν ἀμπέλων. ἐπεὶ ἀποξύνεται ἐν τῷ ἀποτέμνεσθαι καὶ ῥαγῶσαι, quam glossam Etym. M. quoque et Phavor. habet.] Dicitur et Rhacosis. Ge. *Zerrissenes Geschwür.* B. *Een gescheurde zweer.*

RHACOSIS [quid significet, docet Paul. Aeg. VI. c. 67.

χαλωμένου τοῦ κατὰ τὸν ὄσχεον δέρματος, χωρὶς τῶν ἔνδον αὐτοῦ σωμάτων, ἡ ῥάκωσις γίνεται, unde patet, vocem de linteamento lacero non dici. Caelius Aur. *ac. morb. I. c.* 11. *p.* 34. vocis notionem ampliorem reddit, et non scroti solum, sed totius corporis superficiei rugosam cutem ῥάκωσιν appellari vult. Vid. *Opusc.* mea *acad.* to. II. p. 53.]

RHAGADES, Latinis *scissurae*, *fissurae*, *rimae*, ut in aliis corporis partibus accidunt, ut manibus, pedibus, labiis, uteri ostio, ita etiam in ano, ac recti intestini extremitate, ac in sphinctere, seu musculo anum claudente, accidere possunt. Suntque rhagades, seu scissurae ani, oblonga quaedam ulcuscula sine tumore, iis similia, quae interdum in manibus a magno frigore excitantur: alia superficialia saltem, alia profundiora; alia sine duritie et callo, alia callosa latera habentia: alia humida et saniem fundentia, alia sicca, vel etiam cancrosa. A ῥήγνυμι, *rumpo.* Ge. *Die Schrunden*, oder *Spalten an Händen, Füssen* und *am Hintern.* Ga. *Fentes*, ou *crevasses, qui viennent à plusieurs parties du corps.* A. *Chinks, clefts.* B. *Bersten, klooven aan handen en voeten,* seu *aan het fondament.*

RHAGOIDES est *uvea tunica* oculi, quae et *perforata* a structura vocatur, alias et *choroides*, sive potius eius propago tenuis, in humore aqueo fluctuans, parietem inter duas cameras oculi constituens, et in medio foramen orbiculare relinquens, quod *pupilla* dicitur. Ge. *Die Traubenhaut, das schwarze Häutchen um den Augenstern.* Ga. *L'uvée.* A. *The grapelike coat of the eye.* B. *Het druiven vlies.* [Ῥαγοειδὴς a Gr. ῥάξ, gen. ῥαγὸς, *acinus*, et εἶδος, *forma*, *species*, non est, ut Blancardus, quem et Kraus. sequitur, voluit, uvea oculi tunica, sed, uti Poll. *onom.* II. 71. recte statuit, subiecta scleroticae, adeoque *choroides* nobis dicta. Alia huius tunicae nomina, v. c. ῥοδοειδὴς, ὅς ἐστι δασὺς, αἱματώδης χαροειδὴς, ἢ χοροειδὴς, ἐκτετριμμένος, adfert Poll. *l. c.* Rufus *de part. c. h. p.* 36. cum Polluce secundam oculi tunicam, quam et χοροειδῆ appellatam esse contendit, subiectam scleroticae esse ῥαγοειδῆ, ὅτι ἔοικε ῥαγὶ τῇ ἔξωθεν λειότητι καὶ τῇ ἔσωθεν δασύτητι. Multitudo venarum, quam huic tunicae Rufus tribuit, luculentissime choroiden intelligendam esse probat. Celsus VII. 7. 13. cum scleroticam et choroiden *interiora oculi cingere,* quod de uvea dici nequit, asserit meam firmat sententiam. Ge. *Gefässhaut des Auges.*]

RHAMNUS est plantae genus flore monopetalo, imperforato, externe rudi, interne colorato, infundibuliformi quod quam plurimas species sub se comprehendit. Ea, qua frequentissime in usum medicum adhibetur, est Cervi spin *Cord.* Stigmate quadrifido, bacca tetrasperma, *Rhamnus catharticus Linn.* spicis terminalibus, floribus quadrifidis dio cis. Est scilicet haec arbuscula spinosa, in sepibus Eur

pae habitans, crescens aliquando ad altitudinem arboris; eius truncus est mediocriter magnus, corticem similem Ceraso habens: lignum vero subflavum. Rami spinas quasdam Pyrum sylvestrem referentes habent. Folia sunt ampla, viridia, mali foliis minora, in margine leviter denticulata. Flos parvus, monopetalus, infundibuliformis, quadripartitus, in cuius fundo stamina surgunt quatuor cum pistillo, quod deinde abit in baccam mollem, succo virente plenam, Frangulae parem, magnitudine pisi, per maturitatem nigram; in qua grana ut plurimum quaterna, pyrorum granis paene similia, figura fere triangulari, cortice nigricante, callosa, hinc gibba, inde vero plana; sapor baccarum amarus et subadstringens et qui facile gustanti nauseam movet; habet et succus peculiarem sibi odorem. Volunt dici quasi ῥᾶον μένος, corrumpens robur. Vocatur *Rhamnus catharticus,* a vi valida purgante quae baccis inest; et *spina cervina,* a spinis, cornu cervi in modum erectis. E succo baccarum expresso, cum saccharo, vel etiam aromatibus cocto, praeparatur *Syrupus de spina cervina,* vel *domesticus* dictus, qui sat valide purgat, rarioris tamen hodie usus est. Succus e baccis minoris speciei expressus, quae *Graine d'Avignon* dicuntur et inspissatus massam viridem praebet, *Verd de vessie* dictam, quae in usum tinctorium et pictorium cedit. Ge. *Kreuzbeer, Weichdorn, Saftgrün, Wegedorn,* [*Purgierdorn* etc.] Ga. *Bourg epine, nerprun,* [*purgatif ordinaire,*] *noirprun.* A. *Buckthorn, purgingthorn.* B. *Rhynbezie-boom, duinbezieboom,* [*purgeerende wegedoorn.*]

RHANTERES dicuntur oculorum anguli interiores, naso proximi: qui et πηγαὶ vocantur, seu *fontes lacrymarum.* Vide *Canthus.* [Gr. ῥαντὴρ, *irrorator;* a ῥαίνω, *perfundo, irroro.* Poll. *onom. II.* 71. καὶ οἱ μὲν πρὸς τῇ ῥινὶ ῥαντῆρες καὶ πηγαὶ, ὅτι καὶ ἀπ' ἀυτῶν τὸ δάκρυον ἔρχεται.]

RHAPHANUS, i. q. *Raphanus.*

RHAPHE, SUTURA, quando vulnera consuuntur filo, aut mediante emplastro conglutinante. Item suturae cranii ita vocantur, de quibus suo loco; nec non sutura scroti ad perinaeum tendens. Vide *Sutura.* [A Gr. ῥάπτω, *suo.*]

RHAPONTICUM. Sunt, qui putent, *Rhabarbarum* et *Rhaponticum* eandem esse radicem, prout hodie in officinis prostat; quod nempe suprema et crassa radicis pars esset *rhabarbarum,* inferior et crassa *rhaponticum.* Alii autem, ut *Tournefortius,* putant, peculiarem esse plantam, quae etiam nunc in hortis colitur, et a Prospero Alpino descripta reperitur. Est *Rheum rhaponticum* foliis glabris, petiolis subsulcatis, *Linn.* (Enneandr. Trigyn.). Habet florem monopetalum, campaniformem et multifidum; ex cuius fundo pistillum surgit quod deinde crassescit, semine foetum triangulari, capsulae triangulari pariter per maturitatem ita affixo, ut ab ipso divelli

nequeat; differt quoque a Rhabarbaro, quod radix sit levior, minus compacta, minus odora, minus amara: si masticatur, Rheo est viscosior. Caeterum radix flavescens est, et transversim secta radios exhibet. Qualitatis est minus, quam Rhabarbarum, purgantis, stiptico-amarae et nauseosae, viribusque adstringentibus et stomachicis gaudet, hinc in diarrhoea et leucorrhoea commendatur. Theriacam Andromachi ingreditur. Defertur ad nos ex Thracia et Scythia. Sic forte vocatur ex *Rha*, radice, et *Ponticum*, quia in Ponto nascitur. Ge. *Rhapontick.* Ga. *Rhubarbe des moines.* A. *Rhapontic.* B. *Raponticum.* — [In Rhei rhapontici radice chemica analysis, ab Hornemanno instituta, invenit principium quoddam peculiare, cui *rhaponticines* nomen datum est. His dotibus conspicuum est: colore flavo, splendore, qualis micae peculiaris est, forma squamosa, quae, si evaporatio lente procedit, in crystallos quadrilateris pyramidis abire videtur. Odore, saporeque caret; aethere, oleis cum pinguibus, tum aethereis et liquoribus kalinis causticis plane non solvitur, in aquae autem ferventis partibus ducentis et quadraginta hoc evenit. Parandi rhaponticinen ratio haec est: decoctum radicis, ad syrupi consistentiam inspissatum, post plurium dierum in loco frigido moram dimittit rhaponticinen, quae ubi a supranatante liquore separata est, primum aqua, dein spiritu vini frigidis elixivatur; sedimentum alcohole fervente solvitur, e qua solutione per affusam aquam praecipitatur pura rhaponticine.] Prostat et alia planta sub nomine Rhapontici, quae est *Rhaponticum vulgare*, seu *Centaurium maius*, sive *Pseudo-Rhaponticum.* Rhaponticum folio Helenii incano *Bauh.* *Centaurea rhapontica* calycibus scariosis, foliis ovato-oblongis, denticulatis, integris, petiolatis, subtus tomentosis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) Haec planta caules dimittit, quatuor vel quinque pedes altos, rotundos, rectos, ramosos. Folia sunt magna, oblonga, valde divisa. Flos est flosculosus, constans flosculis multifidis, embryoni insidentibus et calyce squamoso, non aculeato, comprehensis; embryo autem abit deinde in semen pappis instructum, oblongum, splendens. Radix longa, crassa, recta, carnosa, extus nigricans, intus rubescens, saporis dulcis, postea adstringentis et acris. Vires ei roborantes et antihystericae tribuuntur. Crescit haec planta in montibus. Ge. *Gemeine Rhapontick.* Ga. *Grande centaurée.*

RHEGMA est partis alicuius ruptio, facta per extensionem, vel flexuram validiorem, quam nexus solidorum ferre potest: ut ossis, peritonaei, oculi etc. A ῥήγνυμι, *rumpo.* [Galen. in *gloss. Hipp. p.* 554. ῥηγῆσι· σχίσμασι, ῥήγμασι.]

[**RHEMBASMUS.** Hoc nomine somnambulismus insigniri voluit Swediaur (*Nov. med. syst. rat.* vol. I. 473.), id, quod minus convenienter factum est. Nam ῥεμβασμὸς est, Zo-

nara teste p. 1608. ἀχαλίνωτος ἔννοια καὶ ζωῆς ἀφανισμός, quod somnambulismo non competit.]

RHEUM, i. q. *rha, s. rhabarbarum.*

RHEUMA dicitur vulgo humoris e naribus in subiectas partes fluxio; verum est obstructio vasorum minimorum, humores mucosos, vel lympham, vehentium, eiusque maior accumulatio, unde tumor cum dolore partis, sed non veluti in inflammatione sanguinea: non enim suppuratur, et contingit in partibus plerumque tenerioribus et membranosis, in quibus iam in sanitate mucus secernitur, ut in membrana narium, faucium, oesophagi. Sic iuxta scholam Salernitanam:

Si fluit ad pectus dicatur rheuma catarrhus,
Ad fauces branchus, ad nares esto coryza.

Sic quoque dysenteria, leucorrhoea, rheuma intestinorum, uteri dicitur. A ῥέω, *fluo.* Ge. *Ein Fluss.* Ga. *Rhume, catarrhe, fluxion.* A. *Rhume, catarrh.* B. *Een vloeying, snof, zinking.*

RHEUMATISMUS est dolor atrocissimus, dilacerans et minimo motu summopere excitatus, vagus, obsidens musculos et articulos nunc hos, nunc illos, saepe fixissimus in parte, cum laevi interdum tumore et rubedine loci, quem occupat, sed sine subsequente suppuratione, motu membri admodum increscens, et saepe cum febre continua incipiens, quae postea lenitur, et ex intervallis longis quandoque redit; cuius causa est inflammatio serosa, in arteriis lymphaticis membranarum musculos perreptantium et iuncturas ambientium, ob materiae inflammantis naturam non suppuranda, estque hic morbus inprimis frequens autumno post sudores a superveniente frigore suppressos, atque arthritidi et podagrae affinis. A ῥέω, *fluo,* unde rheumatici dicti, [qui rheumatismo laborant.] Ge. *Ein Gliederfluss.* Ga. *Fluxion, rhumatisme.* A. *Rhumatism.* B. *Vloeying.* Lusit. *Curimentos.*

[**RHEUMATOPYRA**, a Gr. ῥεῦμα, *fluxus*, et πῦρ, *febris*, vocatur Swediauero (*l. c. to. I. p.* 39.) febris initio plerumque continua, sed secundo die aut tertio morbi, aut serius manifesto remittens, cum exacerbatione quotidiana vespertina. Viris peritis diiudicandum relinquit Swediaur, an rheumatopyra, hoc modo descripta, inter febres referenda sit, nec ne. Caeterum febrem rheumaticam, ab auctoribus descriptam, a febre catarrhali ac erysipelatosa, nonnisi sede inflammationis differe, e numerosis observationibus habet persuasum.]

RHEXIS, i. q. *rhegma.* [Est forma haemorrhagiae, quae a rupto vase sanguineo, v. c. varice, aneurysmate, oritur. Adhibetur quoque saepius de ruptura oculi, quae aut a causa

externa v. c. ictu vehementissimo, aut interna v. c. humoris aquei, quae inflammationem sequitur, nimia accumulatione oritur. Conf. Helling *Augenkr.* II. 279.]

[**RHINCHOPS** ad anserum ordinem pertinens genus est, quod rostrum rectum, mandibulam superiorem multo breviorem, inferiorem apice truncatam habet.]

[**RHINENCEPHALUS** a Geoffroy St. Hilaire (vide *Coccycephalus*) male vocata est ea capitis monstrositas, qua unus oculus, duos lentes crystallinas includens, non nisi uno nervo optico instructus, nasi autem ossa supra oculum posita in fronte prominent, integumentis cutaneis in rostrum elongatis. A *ῥὴν, nasus,* et *ἐγκεφαλὸς, cerebrum.*]

RHINENCHYTES est siphunculus, quo medicamenta naribus immittuntur. [Cael. Aur. *morb. chron. II. c.* 4. *p.* 375. habet *rinenchyton.*] Ex *ῥὶν, nasus,* et *ἐγχύω, infundo.* Ge. *Nasenspritze.* Ga. *Siringue pour le nez.* A. *The nostrils syringe.* B. *Een neus-spuit.*

RHINOCEROS est animal quadrupes, elephantis fere statura, in Africa et India orientali habitans, cui dentes primores bini supra et infra, a molaribus remoti, laniarii nulli, cornu in rostro solidum, foris nigrum, intus album, recurvum, perpetuum conicum, labium superius acuminatum, aduncum, oculi et aures parvae, cutis nuda, rugis transversalibus notata, ungulae tres, cauda attenuata, pedibus brevior. Animal mite, ni lacessatur, tum arbores fragore prosternit, cornu eiicit omnia. Coeno se volutat, victitat vepretis. Unicornu veterum. Rectius tamen hodie creditur, semper duo cornua huic animali esse, quorum alterum minus supra frontem collocatum est, quod si desit, casu quodam mutilatum esse. Cornu rhinocerotis est qualitatis terreo-gelatinosae, singulares tamen ei passim virtutes contra venena, morbos contagiosos et epilepsiam tribuit credulitas. Ge. *Nashorn.* Ga. *Rhinocéros.*

[**RHINOPHONIA** a Jos. Frankio (*Prax. med. praec. Pa. II. vol.* 2. *sect.* 1. *p.* 15.) dicitur ea vocis formatio, ad quam minime facit nasus, quaeque ex gutture et ore editur. Synon. *Paraphonia resonans, Mycterophonia, Nasitas.*]

[**RHINOPLASTICA** sc. ars s. **RHINOPLASTICE** sc. *τέχνη,* est illa chirurgiae pars, quae nasum, vel morbo, vel casu amissum restituit. Hanc operationem inde a Tagliacotii temporibus (*de curtorum chirurgia per insitionem.* Venet. 1597. 4.) vario modo a variis tentatam, hoc ipso seculo duumviri celeberrimi plurimum perfecerunt Graefe (*Rhinoplastik od. die Kunst, den Verlust der Nase organisch zu ersetzen.* Berl. 1818. 4.) et Rustius (*Neue Methode, verstümmelte u. durchbrochene Nasen auszubessern* in eius *Magaz. f. die Heilk. B.* 2. *St.* 3. Berl. 1817. 8.) Historiam huius operationis enarravit diligenter Gu. Sprengel., praematuro,

eheu! fato humanis rebus ereptus, in *Gesch. d. chirurg. Oper. Th.* 2. *p.* 185. ss.]

[**RHINOPTES** a Gr. ῥὴν, gen. ῥινὸς, *nasus,* et ὄπτομαι, *video*, vocatur, qui *rhinoptia* laborat.]

[**RHINOPTIA** est secundum Wenzelium (*Manuel de l'oculiste.* to. II. p. 81.) illud oculi vitium, quo qui laborat, res obiectas per foramen, in interiore oculi cantho apertum, aut per nares quoque conspicit. Quod quomodo fieri possit, equidem nescio: hoc autem scio, vocis graecae formationem ferri non posse. Nam etiamsi ῥινόπτης, ut λινόπτης, οἰνόπτης et similia, bene habeat, tamen deductum inde substantivum ῥινοπτία quin simili exemplo probari possit, valde dubito. Debebat *rhinopia* esse, a ῥὴν et ὤψ, ut μυωπία, πρεσβυωπία, ὀξυωπία.]

RHIZOTOMUS veteribus dicebatur, qui radices in usum medicum effodiebat et secabat. Ge. *Ein Wurzelmann, Kräutermann.* Hinc propter similitudinem *rhizotomum medicamentum* dicitur, quod morbum funditus et radicitus evellit. Ex ῥίζα, *radix,* et τέμνω, *seco.* Ge. *Arznei, die die Krankheit von Grund aus heilet.* B. *Middel, dat tot de wortel uitdryft.*

RHODELAEON est oleum rosarum. Ex ῥόδον, *rosa,* et ἔλαιον, *oleum.* Ge. *Rosenöl.* Ga. *Huile de roses, huile roset.* A. *Oil of roses.* B. *Roozen-olie.*

RHODIA RADIX est radix tuberosa, crassa, fragilis, foris fusca, intus albescens, cuius planta est *Rhodiola rosea Linn.* calyce quadripartito, corolla tetrapetala; in floribus foemininis capsulae quatuor corniculatae, introrsum compressae, univalves, introrsum dehiscentes, polyspermae, (Dioec. Octandr.) iuxta alios est Anacampseros radice rosam spirante. Crescit in Alpibus. Epithema e radice cum aceto contusa cephalalgiam tollit. Rhodia dicitur, quod eius radix contrita rosas oleat: ῥόδον enim est rosa. Ge. *Rosenwurzel,* [*Rosinwurz, Raliserwurz.*] Ga. *Orpin rose.* A. *Rose-wort.* B. *Rooze-wortel.*

RHODINUM est acetum rosaceum, aut aliud quid ex *rosis* paratum. A ῥόδον, *rosa.*

RHODIUM LIGNUM. Aspalatorum quatuor modernis innotuerunt species. Prima cortice cinereo, ligno purpureo seu Dioscoridis [lib. I. c. 19. Curt. Sprengel. in *Hist. rei herb. I. p.* 183. ex Anguillara p. 36. narrat, hanc Dioscoridis plantam esse, teste Constantino Rhodio, rhizotomo Cretensi, Genistam aspalathoidem: alios autem lignum rhodium tribuere Convolvulo scopario L. In animadversionibus ad Dioscor. *l. c.* maximopere dubium esse pronunciat, quinam fuerit is frutex spinosus, ligno rufescente, quo ad spissanda unguenta utebantur unguentarii.] Secunda, colore buxi. Tertia, albicans torulo citreo. Quarta rubens. Verum of-

ficinae nostrates non nisi secundam et tertiam suppeditant. Prior est Aspalati species Lobelii. Posterior dicitur *rhodium lignum*, quibusdam *Agallochum, Oleaque Aethiopica.* Quod in officinis sub nomine *ligni rhodii* prostat, potius est radix lignosa, dura, contorta, resinosa, extus albicans, intus flavescens, saporis amari, odoris rosei. Planta abunde in Antillis et Canariis insulis provenit, neque tamen, quae propric sit, certo constat. Creditur esse Cytisus canariensis sempervirens et incanus *Comm.* *Genista canariensis Linn.* (Diadelph. Decandr.) foliis ternatis tomentosis, ramis angulatis. [Auctores pharmacopoeae Gallicae asserunt, lingnum Rhodium certissime a Convolvulo scopario, et, teste Decandollio, a C. florido descendere.] Usus frequentior est ad odoramenta, quam internus. In decoctis tamen lignorum nonnunquam ad sanguinem purificandum praescribitur; urinam et sudorem ciet. Oleum per destillationem inde elicitur, quod vulgus perperam *oleum rosarum* vocat, et balsamos odoratos frequenter ingreditur. Ge. *Rodischholz, Rosenholz, Rhodieserdorn.* Ga. *Bois de roses.* A. *Rose-wood.* B. *Rhodeshout*, sive *roozen-hout.*

RHODODAPHNE est *Nerion*, seu *Oleander*, quasi Laurus rosea. Sic nuncupatur colore, rosae simili, et foliis laurinis: *ῥόδον* est *rosa*, et *δάφνη laurus.* Vide *Nerion.*

RHODODENDRUM, idem quod *rhododaphne.* Ex *ῥόδον, rosa*, et *δένδρον, arbor.*

RHODOMELI est mel rosarum. Ex *ῥόδον, rosa*, et *μέλι, mel.* Ge. *Rosenhonig.* Ga. *Miel rosat.* A. *Hony of roses.* B. *Roozen honing.*

RHODON, sive **ROSA**: Vetustas ex sanguine Veneris, et Turcae ex sanguine Mahometis ortam sibi persuadent, cuius nomine folia rosarum humi iacere non patiuntur. Haec Gr. *Ῥόδον* dicitur, quasi *ὄδον*, pro *ὄζον*, ut *Plutarcho*, qui *ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς*, (vel *ὀδμῆς*) *ἀφίησι*, quod largum odoris effluvium emittat. A *ῥέω, fluo.* Vide *Rosa.* Ge. *Eine Rose.* Ga. A. *Rose.* B. *Een roos.*

RHODONIA, i. q. *rhodon.*

RHODOSACCHARUM est saccharum rosaceum. Ex *ῥόδον, rosa*, et *σάκχαρον, saccharum.* Ge. *Rosenzucker.* Ga. *Sucre rosat.* A. *Sugar of roses.* B. *Rooze suiker.*

RHODOSTAGMA est aqua rosarum. Ex *ῥόδον, rosa*, et *στάζω, stillo.*

RHOE, vide *Rhus.*

RHOEAS forte a *ῥέω, fluo*, quia flosculi statim decidunt: Sic vocatur *Papaver rhoeas*, sive *Papaver erraticum* maius rubrum *Bauh.* quod et inter segetes saepe reperitur. Est *Papaver rhoeas Linn.* (Polyandr. Monogyn.) capsulis glabris globosis, caule piloso, multifloro; foliis pinnatifidis incisis. Viribus gaudet leniter paregoricis et demulcentibus; hinc

flores in infuso commode usurpari possunt instar herbae theae, et in morbis pectoris pro scopo demulcendi adhiberi, inprimis contra tussim et affectus pleuriticos, in quibus etiam syrupus inde paratus valde praedicatur. Prostat quoque conserva et tinctura. Ge. *Klapperrosen*, oder *rothe Kornblumen*, [*Feldmohn*, *Feuerblume* etc.] Ga. *Coquelicot*, *pavot sauvage*, [*pavot rouge des champs* etc.] A. *Red poppy*, [*corn poppy*, *corn rose*, *head-work*.] B. *Rooden-heul*, *willen-heul*, *kolle-bloem*, *kanker-bloem*, *klapper-roos*, *koorn-roos*.

RHOEAS, vide *Rhyas*.

RHOMBEUM botanicis dicitur *folium* figura rhombi.

RHOMBOIDES est par musculorum latorum, initium habens a tribus inferioribus vertebrarum colli, totidemque superioribus vertebrarum dorsi spinosis processibus; mox oblique descendens, principio fineque carnosum, ad scapulae basin fertur; quam retrorsum, sed et oblique sursum agit, sicque utramque scapulam sibi admovet. Distinguitur ab *Albino* in *maiorem* et *minorem*. Ex ῥόμβος, *figura oblique quadrata*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Der rautenförmige Muskel.* Ga. *Muscle rhomboide.* A. *The rhomboide muscles.* B. *Tarbots gelyke spieren.*

RHOMBUS, RHOMBUS HIPPOCRATIS est species deligationis chirurgicae, gyris suis rhombum referens, hoc est quadrangulum aequilaterum, sed non rectangulum. Huius deligationis variae describuntur species. Adhibetur praecipue ad unienda ossa calvariae et vulnerum labia. [Vide Foësii *oec. Hipp. p.* 555. ubi loca Galeni, hanc deligationis formam describentis, allata sunt.] Ge. *Die Scheibenbinde.* Ga. *Le rhombus.* B. *De tarbots-band*, *scheeve* sive *ruits wyze zwagtel.* — Dicitur et alia fascia *semirhombus*, quae vulneribus circa auris loca advenientibus inservit. Ge. *Die Scheibenbinde zum Ohr.* Ga. *Demi-rhombus.* B. *Scheeve-* sive *ruits-wyze zwagtel*, *oor-zwagtel.*

RHONCHUS, RENCHOS, RENXIS est anhelatio sonora, seu sono involuntario, saepe rauco, quandoque sibiloso stipata, qualis apud bene multos sanos dormientes, sed etiam apoplecticos, agonem ducentes et quosdam asthmaticos observatur, oriens a relaxatione et motu tremulo veli palatini, vel dum viscosa phlegmata gutturis aërem exspiratum partim intercipiunt et similem sonum edunt, ut gargarisando quisque imitari valet. [A Gr. ῥέγχω, *sterto.* Cael. Aur. *acut. II. c.* 10. et 27. vertit *gutturis stridorem* et *pectoris resonantem stridorem.*] Ge. *Das Röcheln*, *Schnarchen.* Ga. *Ronflement*, *râlement.* A. *Rattling.* B. *Reutel.*

[**RHOPALISMUS** proprie pulsatio pali ope, dein pro tentigine seu spastica erectione membri virilis sumitur ab Aristoph. A ῥόπαλον, *palus*, *membrum virile.*]

[**RHOPALOSIS** appellatur pilorum in extremitate condi-

tio indivisa, simulque impedita incrementi continuatio. Sic definit Galenus in *defin. med. to. XIX. p.* 430. hunc pilorum affectum. Ab inusitato ῥοπαλόω, *clavae instar sum.*]

RHUS, sive **RHOE**, **RHUS CULINARIUM**, **SUMACH**, est arbuscula, quae aliquando crescit ad altitudinem arboris. Folia sunt pinnata, lata, oblonga, in margine incisa, rubicunda, subtus villosa, Fraxini foliis fere similia. Flores in racemos sunt congesti, albi, (Pentandr. Trigyn.) pentapetali; his in terram delapsis succedit capsula quaedam, compressa, fere ovalis, membranosa, rubicunda, semen eiusdem figurae habens inclusum, coloris rubri; sapor foliorum, florum et fructuum est adstringentissimus; crescit in locis lapidosis; eius fructus olim solebat cibis adspergi, et in culinis adhibebatur loco salis ad carnem condiendam, hinc *rhus culinaria,* sive *obsoniorum,* appellatur: [Occurrit in Zopyri fragmento, ab Oribasio servato, ῥοῦς, ὃν ἐσθίομεν, in *XXI. vet. med. gr. opusc.* a Matthaei edit. Mosqu. 1801. 4. p. 350. Vide et Geopon. p. 1119]. et quia folia et fruticis ramusculi usurpari coeperant a coriariis ad coria sua desiccanda, *rhoe coriaria* dicebatur. Tinctores etiam illam plantam, eius scilicet folia et caules contusos, adhibent et *Sumach, Schmak* vocant: semen, quod officinis in usu est propter vim adstringentem contra fluxus alvinos et sanguineos, contra stomacacen, rhagades, et cum lacte coctum contra variolarum cicatrices commendatur. Provenit in Hispania, Italia, Ponto et quod *Sumach Virginianum* vocatur, crescit in Virginia. Apud nos in hortis colitur. Nomen accepit a colore coccineo acinorum: a voce ῥόος Latinorum ruffum manasse contendunt. Forte a ῥέω, *fluo:* alii ab ἐρυθρὸν, *rubrum,* derivant. Ge. *Gerberbaum, Gerberrinde.* Ga. *Sumach, rhus.* A. *Sumach.* B. *Smak.*

RHYAS, [seu **RHOEAS**] est exulceratio carunculae lacrymalis, cum perpetuo lacrymarum stillicidio. [Cons. Benedict. *Augenkr.* I. p. 268. et Hebenstreitius, amicus, dum viveret, sincerissimus ad Bjm. Bellii *Lehrbegr. d. Wundarzn.* Th. V. 2. p. 36. Cel. Krausius humani quid passus est, dum hoc vitium a destructione glandulae lacrymalis derivaret. Celsus *de med.* VII. c. 7. *S.* 4. meminit quoque huius vitii: *Duplex enim,* inquit, *periculum est, ne vel ex ungue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix ullam recipiat medelam, vel ex angulo caruncula quoque abscindatur. Abscissa, patefit foramen, per quod postea semper humor descendit:* ῥυάδα *Graeci vocant.* A gr. ῥέω s. ῥύω, *fluo.*]

[**RHYNENCHYTA** pro medicamentis sumi, quae naribus infunduntur (ῥινέγχυτα), non absolute damnari posse male autumat Krausius.]

[**RHYPIA.** Vid. infra *Rupia.*]

RHYPTICA sunt medicamenta detergentia et sordes ab-

luentia. Quidam sumunt pro *ruptoriis.* A *ῥύπτω, sordes abluo.*

RHYTHMUS est certa pulsuum, temporum, vitae, aetatum etc. proportio. Inde *ῥυθμίζω, ad numeros aptos refero.*

RHYTIDOSIS est corrugatio alicuius partis, praecipue vero de marcore bulbi oculi dicitur. A *ῥυτιδόω, in rugas contraho.* [Occurrit in Galen. to. III. p. 807. ed. Lips. et Ruf. Ephes. *d. part. c. h. p.* 51. *γραία καθ' ὃ ῥυτιδούμενον τοῦτο γῆρας σημαίνει.*] Ge. *Schwinden des Augapfels.*

RIBES, sive **RIBESIUM**, Grossularia multiplici acino, sive non spinosa hortensis, rubra, sive Ribes officinarum *Bauh. Ribes rubrum* inerme, racemis glabris pendulis, floribus planiusculis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) est frutex, qui abunde inter sepes hortorum nostrorum colitur, et habet ramos duros, tortuosos. Folia subrotunda, viridia, dentata. Flores sunt in racemos congesti, rosacei, pentapetali. Post flores succedunt baccae rotundae, albae, vel rubrae, politae, molles, succum rubicundum, vel album, continentes, saporis acidiusculi et grati, quae baccae multa parva semina includunt. Qualitatis sunt acidae et refrigerantis; hinc rob inde conficitur, quod ad sitim sedandam in morbis acutis magni usus est. Est et alia species, quae est Grossularia non spinosa fructu nigro *Bauh. Ribes nigrum* inerme, racemis pilosis, floribus oblongis, folio olente *Linn.* cuius baccae pariter sunt qualitatis acidiusculae et refrigerantis, quibus vero praeterea singularis virtus anodyna, repellens, diuretica et purificans tribuitur; hinc syrupus in angina, (unde et Anglis *Squinancy-berries* fructus vocatur) febribus exanthematicis, rabie, hydrophobia, dysenteria et ictu serpentum commendatur. Foliorum qualitas tetra est. Ge. *Rothe* und *schwarze Johannisbeerstaude, Riebesel.* Ga. *Groselier rouge de jardin,* ou *blanc,* ou *noir, cassis.* A. *Currants.* B. *Aalbezien, St. Jans-bezien, St. Jans-druifjes, bezien over zee.*

RICINUS: Hoc sub nomine varia vegetabilia in officinis prostant. 1) Ricinus vulgaris *Bauh. Ricinus communis* foliis peltatis, subpalmatis, serratis, petiolis glandiferis *Linn.* (Monoec. Adelph.). Est planta, ad arboris altitudinem saepe excrescens, eiusque formam habens, emittit caules crassos, excavatos; lignosos, in superiori parte ramosos, coloris purpurei, pulverem album farinam referentem habentes. Folia in initio rotunda, sed postea angulosa, profundissime incisa, mollia, ampla. Flores apetali, steriles, exigui. Fructus a flore remotus in eadem planta trigonus, plerumque membranula involutus, tres loculos conficiens, in quibus singulis semen instar testudinis oblongum, sat crassum, coloris lividi, saporis subdulcis, acris, nauseosi, medullam albam et teneram continens, haeret. Hic fructus bene maturus, semina cum magno impetu eiicit. Radix est crassa, longa,

dura, alba, fibrosa. Vulgo *Cataputia maior*, vel *Palma Christi*, vel *manus Christi*, item *Mirabilis arbor* ob proceritatem, foliorum amplitudinem, florum suavitatem, seminum picturam et exsilitionem, dicitur. Gr. *Κίκι* et *κρότων*. Ex huius fructibus oleum expressum, *oleum Palmae Christi*, vel etiam *oleum infernale*, Anglis *Castor-oil*, vocatur, quod leniter alvum movet, et in eolica saturnina commendatur. [Recens expressum est albi coloris, turbidum, lente fluidum, fere inodorum, et saporis subdulcis post aliquod tempus acredinem prodentis. Cuius quidem acredinis causa quanam in re quaerenda sit, disceptatum est. Alii enim eam in seminum aut cortice externo, aut corculo, alii in rancedine seminum, alii in calore ad exprimendum et purificandum oleum necessario quaesiverunt. Dierbach in Geigeri *Magaz.* 1825. *Mart.* in ea versatur sententia, ut interior seminis recentis membranula alba acredinis causam contineat. Nam manducata sensum ardoris excitat, per horae quadrantem durantem. In seminibus siccatis illud principium acre minuitur. Quare oleum e recentibus ricini seminibus expressum fortius alvum movet.] Ricinus et Croton a similitudine animalis, quod semen eius referre videtur, nominata est. Sunt enim Gr. *κρότωνες*, et Latinis *Ricini*, insecta animantia ad Acaros pertinentia, aptera, pedibus octo, oculis duobus ad latera capitis, tentaculis duobus, articulatis, pediformibus, globoso-ovata macula baseos rotunda, antennis clavatis, quae bobus et canibus praesertim adhaerent, quibus cibi nullus exitus est, colore livido, nullis discreta membris, in globum continuo crescentia, donec plenius saginata, post aliquot dies sponte sua decidant. 2) *Ricinoides*, seu *Pineus purgans Pharm.* Ricinus americanus maior semine nigro *Bauh.* *Ficus infernalis*, vel *Iatropha curcas* foliis cordatis angulatis *Linn.* (Monoec. Adelph.) in Surinama, Brasilia et Iamaica proveniens. 3) *Avellana purgatrix Bauh.* *Iatropha* foliis multipartitis, stipulis setaceis, multifidis *Linn.* 4) *Tiglium*, *Grana tiglia Pharm.* *Croton tiglium* foliis ovatis glabris, acuminatis, serratis, caule arboreo *Linn.* (Monoec. Monadelph.). Pinus indica nucleo purgante *Bauh.* Cadelavenaeu *Rheed.* in India crescens. Omnes hae plantae in tota substantia qualitate acri, exurente, inflammatoria, drastica et valide purgante plus, vel minus conveniunt, quae vis praecipue semini inest. Hinc vix, nisi ab incautis, in usum internum adhibetur; refractarias tamen febres intermittentes datis granis tiglii sublatas esse lego. E seminibus oleum expressione elicitur, quod, uti iam dictum est, *oleum Ricini*, vel *infernale* [A. *Castor-oil*.] vocatur. In oleo e granis tiglii expresso Indi malum aurantium macerant, quod tum *pomum regium purgans* vocatur, et quod manibus frictum et naribus exceptum sat potenter alvum movet. Ge. *Wunderbaum*.

Kreuzbaum, Purgierkörner, [*Oelnuss.*] Ga. *Ricin* [*ordinaire, figuier infernal,*] *Palme de Christ, pignon d'Inde.* A. *Common palme of Christ, wondertree.* B. *Wonderboom, mollekruid, kruis-boom.*

RIGIDITAS dicitur adesse, quum partes molles, vel cartilagines, quae naturaliter flecti, vel elongari debent, hanc mutationem non, vel difficulter admittunt: seu *rigiditas fibrae* est illa adunatio partium minimarum, quae tam valide facit eas cohaerere, ut non cedant illi actioni fluidorum, quae superare debet hanc resistentiam, ut maneat sanitas. *Boerh.* Ge. *Die Steifigkeit, Starrheit.* Ga. *La roideur.* A. *Rigidity.* B. *Verstyfdheid.*

RIGIDUS botanicis dicitur *truncus*, vel *folium* flexionis impatiens.

RIGOR, Gr. *Ῥίγος*, a *ῥιγέω*, *rigeo,* est succussio subitanea, tremula coacta cutis cum sensu frigoris et differt a tremore, qui quandoque frigus febrile, aut catarrhale comitatur; nam in tremore artus etiam succutiuntur, in rigore vero cutis corrugatur et exagitari videtur. *Sauv.* Oritur vel a frigore externo, vel a catarrho, a terrore, aut alio pathemate, vel in initio febrium intermittentium et continuarum, in inflammationibus, quae in suppurationem vertuntur, et in omnibus ferme, qui moriuntur. Ge. *Ein Schauer, Schüttelfrost.* Ga. *Frisson.* A. *Rigor, shivering.* B. *Styvigheid.*

RIMA est ossis fissura, quando os, aut cranium, longitudinali vulnere hiat, absque iactura substantiae. Ge. *Eine Spalte, Ritze.* Ga. *Fente.* A. *Split, cleft.* B. *Een spleet.*

RIMA PUDENDI, sive **FISSURA MAGNA** est pudendi muliebris oculo apparens rima, quae sic dicitur, quia ab ossium pubis inferiore parte ad anum usque fere pertingit; ita ut inter illam et anum spatium, quod *perinaeum,* sive *interfoemineum* appellatur, vix pollicis tranversi latitudinem excedat. Haec repetito coitu dilatatur, praecipue in parte inferiori, quae *navicula* vocatur, et in primo partu fere aboletur. Usus est eius canalis modo penem tanquam in fossam dirigere, urinae et menstruis exitum praebere, et foetus exclusioni inservire. Ge. *Spalte,* oder *die Ritze der weiblichen Schaam.* Ga. *La grande fente, fente de la partie honteuse.* A. *Split of the privities.* B. *De schamelheids spleet.*

RIMULA LARYNGIS, RIMA GLOTTIDIS est ea, quae a cartilaginibus duabus arytaenoideis efformatur, et quae ab epiglottidis cartilagine in deglutitione clauditur, ne quid cibi, aut potus, in laryngem incidat; nam si quid casu illabatur, illico tussis oritur et non raro suffocatio. Inservit respirationi, aëri scilicet immittendo et emittendo, et pro varia eius dilatatione soni vel gravitas, vel acuties determinatur. Ge. *Eine Spalte der Gurgel, Stimmritze.* Ga. *Ou-*

verture, ou *fente du larynx, sifflet de la glotte.* **A.** *Split of the gullet-pipe.* **B.** *Het spleetje des strottenhoofds.*

RINGENS botanicis dicitur *corolla* florum irregularis in duo labia hians, quorum superius *galea*, inferius *barba* vocatur.

RISIGALLUM, vide *Arsenicum.*

RISORII MUSCULI vocantur labiorum abductores, zygomaticus scilicet maior et minor et buccinator, aliique musculi, quibus facies in ridendo distrahitur.

RISUS est vel naturalis, qui est valida, sed interrupta, post unam inspirationem exspiratio, plus, vel minus sonora, cum faciei distractione, oriens a plurium idearum coniunctarum incongruitate, cuius sibi anima conscia est: vel morbosus, qui in febribus cum delirio occurrit; estque valde notabilis ille, qui *sardonius* dicitur, qui est spasmus musculorum facici risum simulans, in quo risu nec voluntas, nec intellectus, ut causae ullo modo concurrunt, sed illud sensitivum omni animali commune; hinc oritur a quacunque causa, partes faciei contrahente, quae in risu vero agunt. Nomen *sardonii* traxisse videtur ab herba Sardoa, vel Sardonia, ita dicta a solo nativo Sardinia, ubi primo inventa fuit, quae vocatur et *risus apium.*

RISUS APIUM est Ranunculi species, et quidem Ranunculus sylvestris *Dod.* Ranunculus palustris, apii folio, laevis *Bauh.* *Ranunculus sceleratus* foliis inferioribus palmatis, summis digitatis, fructibus oblongis *Linn.* Habitat ad fossas et paludes Europae. Nomen accepit, quod in cibo sumtus mentis alienationem cum labiorum contractione, talesque convulsiones faciat, quae risus speciem videntibus praebent. Vocatur illa convulsio *spasmus cynicus* et *risus sardonius.* Appellatur etiam *apiastrum,* sive *citrago,* quia ea planta apes delectantur. [**A.** *The celery-leaved croowfoot, the marsh-croowfoot.* **B.** *Water-haanevoet, jichtkruid.* **Ga.** *Renoncule des marais, grenouilette d'eau, herbe Sardonique, pied-pou.* **Ge.** *Giftiger Hahnenfuss, Wasserhahnenfuss, Wasser-* oder *Froscheppich, Froschpfeffer.*]

ROB, ROBUB, ROHOB, i. q. *apochylisma.* [Persicam et arabicam huius vocis originem exposuit Krausius *l. c. p.* 717.]

ROBERTIANA, seu **ROBERTI HERBA** est Geranii species, et quidem *Geranium robertianum* pedunculis bifloris, petalis integris, foliis quinque-trive-partitis, lobis pinnatifidis, calycibus hirsutis *Linn.* habitans passim in Europae rupibus. [**A.** *The herb Robert.* **B.** *Robbertskruid.* **Ge.** *Ruprechtsgeranium, kleines Schwalbenkraut, Giftkraut, Gottesgnade, Blutwurz, Rothlaufkraut,*] *Robertskraut.* **Ga.** *Herbe à Robert,* [*herbe à esquinancie.*]

ROBIGO, i. q. *rubigo.*

ROBORANTIA, i. q. *cordialia.*

ROBUR proprie significat tam firmam partium solidarum cohaesionem, qua ad magnos labores peragendos apta sunt. B. *Sterkte.* Hoc nomen etiam datum fuit arbori glandiferae, seu *quercui*, sic a vastitate et firmitate dictae. Ge. *Eiche.* B. *Haageikenboom.*

ROCCELLA est substantia, vel pasta, e rubro et violaceo variegata, quae praeparatur e planta quadam contusa, et in urina, lixivio macerata. Planta haec est fucus marinus et capillaceus. *Roccella tinctorum Bauh. Lichen roccella Linn.* fruticulosus, solidus, aphyllus, subramosus, tuberculis alternis, (Cryptogam. Alg.) Habitat in insulis Archipelagi et Canariis, ad rupes marinas. Usus huius pastae est purpureo-tinctorius. [A. *The Canary weed, archil* s. *argel, chilla weed.* B. *Orcel, orchillie.*] Ga. *Orseille, orseil, orcheil, orchel, l'orseille d'herbe* s. *des Canaries.* Ge. *Die Orseille, die canarische* s. *Kräuterorseille, die strauchartige Färberflechte.*]

ROCHUM ALUMEN, sive **RUPEUM** orta a Gallica voce *roc*, quod *rupem* denotat, vulgo *alumen rochae* vocatur. Vide *Alumen.* Ge. *Steinalaun.* Ga. *Alun de roche*, ou *de glace.* A. *Rock-alum.* B. *Klip-aluin.*

ROHOB, vide *Apochylisma.*

RORELLA, vide *Ros solis.*

RORIFERUS DUCTUS, i. q. *ductus chyliferus.*

ROS in genere quidem vapores e terra atque plantis exhalantes et matutino ac nocturno frigore condensatos denotat; medicis vero antiquis dicebatur, cum prima humiditas ab extremitatibus vasorum excidit, et in membrorum substantiam dispersa est. Ros, inquit *Galen.* 7. *meth.* 6. est tertia humiditatis species, unde partes corporis nostri nutriuntur, quae continetur in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per earum substantiam sparsus. Haec est antiquorum opinio, optime vero sic vocari potest ille humor vaporosus, qui in cavitatibus animalium semper adest, et sub specie vaporis exit, digitosque humectat, dum animal exenteratur; similis ros est in thorace et pericardio aliisque partibus perpetuo praesens, exhalans e vasculis minimis, ad obliniendas partes ac humectandas destinatus, per alia vascula continuo quoque absorptus, quive vitiose accumulatus hydropes varios causatur. Ge. *Thau.* Ga. *Rosée.* A. *Dew.* B. *Dauw.*

ROSA est plantae genus flore polypetalo regulari, (Icosandr. Polygyn.) quod habet ramos duros, lignosos, spinosos, corticem plerumque spinosum. Folia oblonga, dentata, aspera, pinnata, in impar extremum exeuntia, finis pedunculi format ovarium sphaericum, coronatum in fastigio suo corona profunde quinquefida, radiata, cuius segmenta

longa atque laciniata calycem referunt. Flos est pentapetalus, cuius petala oriuntur ex margine interno calycis, unde et stamina numerosissima. Ovarium emittit ex centro apicis capitulum tubis multis, fimbriatis ornatum, quod fit fructus unicapsularis, carnosus, turbinatus, coloratus, mollis, foetus seminibus plurimis, angulosis, villosis, instructus apice foliaceo. Plures huius generis species in usum medicum adhibentur. 1) Rosa rubra multiplex *Bauh.* *Rosa centifolia* germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule hispido aculeato, petiolis inermibus *Linn.* Ge. *Zuckerrose*, *Sammtrose.* Ga. *Rose canelle.* 2) Rosa purpurea *Bauh.* *Rosa damascena* germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule aculeato, calycibus pinnatifidis hirsutis *Linn.* Ge. *Damascener-* oder *fleischfarbige Rose.* Ga. *Rose de Damas.* [Flores a Cartiero chemice disquisiti praebuere materiam pinguem, principium colorans, princ. scytodepsicum, albumen, acidum gallarum, terram siliceam, salia kalina et calcaria, oxydumque ferri. Cons. Fechneri *Pflanzenanalysen.* *p.* 56.] 3) Rosa alba vulgaris maior *Bauh.* *Rosa alba* germinibus ovatis glabris, pedunculis hispidis, caule petiolisque aculeatis *Linn.* Ge. *Weisse Rose.* Ga. *Rose blanche.* Pollent omnes qualitate fragrante et spirituosa, viribusque analepticis, roborantibus et subadstringentibus gaudent. Prostant in officinis flores, conserva, syrupus, aqua, oleum, acetum, spiritus et tinctura acido vitriolico mixta. Flores et aqua inter quatuor cordiales referuntur. Antherae exsiccant, et in stomacace commendantur. *Rosa canina*, vide *Cynorrhodon.* Gr. *Ῥόδον.* Ge. *Eine Rose.* Ga. *Rose.* B. *Roozen.*

ROSA, i. q. *erysipelas.*

ROSMARINUM, **ROSMARINUS** hortensis angustiore et spontaneus latiore folio *Bauh.* *Rosmarinus officinalis Linn.* (Diandr. Monogyn.) est arbuscula, quae habet caulem longum, tenuem, cineritium, ferentem folia angusta, dura, non flexilia, in parte superiori viridia, in inferiori alba, odoris penetrantis, aromatici, saporis acris. Flos est monopetalus, labiatus, cuius labium superius bifidum, et sursum versus posteriora revolutum est cum staminibus duobus aduncis, inferius vero in tres partes divisum, media cochlearis instar excavata. Ex calyce autem bidentato, vel tridentato, surgit pistillum, posticae floris parti adinstar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina subrotunda, in capsula, quae floris calyx fuit, inclusa et ad se invicem iuncta. Radix est fibrosa, minima. Crescit haec arbuscula in regionibus calidis, inprimis in Gallia, et in hortis nostratibus etiam frequenter colitur. Qualitatis est spirantis, viribusque eximiis excitantibus, nervinis, tonicis, stomachicis et emmenagogis gaudet. In usum medicum saltem folia et *flores*, qui in officinis per excel-

lentiam *anthos* vocantur, adhibentur, ex iisque aqua, conserva, oleum, spiritus, qui à Regina Hungariae, Elisabetha, *aqua Reginae Hungariae* dicitur, et mel anthosatum prostant. Nomen ei impositum videtur, quod folia, qua parte minus viridia sunt, quandoque albedine quadam adspersa sint, quae rorem videtur mentiri, quae ipsa albedo quandoque etiam in parte viridiore observatur; vel nomen illud accepit, quod collibus roribusque gaudeat marinis. [Oleum continet camphorae decimam partem, quae post lentam olei evaporationem in conspectum prodit. Saussure illud chemicae disquisitioni subiectum constare reperit e carbonii 82,21, hydrogenii 9,42, oxygenii 7,73 et nitrogenii 0,64.] Gr. *Λιβανωτὶς,* quod odorem thuris, seu olibani, reddat. Ge. *Rosmarin.* Ga. *Rosmarin.* A. *Rosemary.* B. *Rosmaryn.*

ROSMARINUS SYLVESTRIS est *Ledum palustre Linn.* scilicet planta calyce monophyllo, quinquedentato, corolla pentapetala, (Decandr. Monogyn.) capsula subrotunda, quinqueloculari, quinquefariam basi dehiscente, polysperma, foliis linearibus subtus hirsutis, floribus corymbosis. Habitat in Europae septentrionalis paludibus uliginosis. Qualitatis est subaromaticae, amaricantis, viribusque diaphoreticis et emmenagogis pollet. Externe in balneis roborantibus commendatur. Ge. *Wilder Rosmarin.* Ga. *Rosmarin sauvage.*

ROSSALIA et **ROSSANIA** sunt nomina Neapolitana, ab aliis *purpurae* vocantur et *rubores*, ae Gr. *Ἐρυθρήματα.* Sunt maculae rubrae et quasi ignitae, cum levissimo tumore, per universum corpus, quasi quaedam erysipelata parva, in principio morbi, seu die quarto, vel quinto morbi, erumpentia. Progressu morbi totum corpus occupant, ut id quasi ignitum appareat, ac si erysipelate laboret; qui color in declinatione iterum, ut in principio, in maculas mutatur, quae tandem septimo, vel nono die evanescunt, epidermide squamarum instar decidente. [Castelli in *Lex. med.* monet, a Martiano in *animadv. in Hipp. p.* 308. pro synonymo morbillorum rossaliam habitam esse. Swediaur (*syst. nosol. I. p.* 164.) autem a Fr. Hofmanno illa voce scarlatinam insignitam fuisse refert.] Ge. *Feuerflecken.*

ROS SOLIS, RORELLA, DROSUM et **SALSIRORA, SPONSA SOLIS,** ros solis folio rotundo, vel oblongo *Bauh. Drosera rotundifolia* scapis radicatis, foliis orbiculatis *Linn.* (Pentandr. Pentagyn.) nomen habet, quod eius folia semper quasi rorida sint. Est planta, quae habet cauliculos exiguos, longos, inferius lanuginosos, folia obrotunda, concava, pallide viridia, tenuium rubescentiumque staminum veluti cilio circumquaque fimbriata, aspergine rorida guttularum, etiam per ferventissimos aestus pilis adhaerescentibus, madida. Calyx est monophyllus, quinquefidus. Flos est

rosaceus, quinque scilicet petalis in orbem positis constans, ex cuius calyce tubulato surgit pistillum, quod deinde abit in fructum ovatum, vel acuminatum, apice quinquevalvi dehiscentem, seminibusque foetum subrotundis, vel oblongis. Radix fibrosa et tenuis instar capillorum. Crescit passim in Europae pratis paludosis. Sunt, qui qualitatis acris et suspectae esse credant, [guttulae roriformes, quae in foliorum eius superficie semper conspiciuntur, a Norwegiae incolis verrucis et clavis pedum illinuntur cum prospero effectu, teste Bartholino *de medic. Danor. domest.*] alii vero eius infuso vires roborantes et abstergentes tribuunt; hinc id in tussi, asthmate et pulmonum ulcere summopere commendant. [Siegesbeckius laudat tincturam huius plantae in catarrho.] Planta ovibus maxime infesta est, quippe quibus laesiones hepatis et pulmonum infert. Manu detenta febres intermittentes abigere dicitur. [Nomen plantae a Gr. δροσερὸς, *roscidus*, descendit; hinc penultimam brevem esse patet.] Ge. *Sonnenthau* [*mit runden Blättern, edler Widerton* etc.] Ga. *Rosée du soleil, herbe aux goutteux, rorelle.* A. *Ros solis, round leav'd sun-dew.* B. *Zonne-dauw, loopig-kruid.*

ROSTELLUM botanicis dicitur in semine, vel primordio novae plantae, pars corculi simplex descendens.

ROSTRIFORMIS PROCESSUS, vide *Coracoides.*

ROSTRUM est pars illa substantiae quasi corneae anterior capitis in avibus, constans e mandibulis duabus nudis, edentulis, exporrectis, longa, brevis, teres, crassa, acuta, rotunda, recta vel adunca; per quam non solum alimenta volucrium cognoscuntur, verum etiam characteres in constituendis avium ordinibus determinantur. Ge. *Schnabel.* Ga. *Bec.* B. *Bek.*

ROSTRUM dicitur fistula illa, quae galeis, seu capitellis destillatoriis continua est, per quam ex galea liquor destillatus in receptaculum suppositum destillatur. Ge. *Ein Schnabel.* Ga. *Bec, tuyau.* A. *Snoute.* B. *De bek, de snuit.*

ROSTRUM est forceps excisoria et dicitur, pro varia figura, *psittacea* et *vulturina,* valet ad ossis aliquod frustulum, in curatione vulnerum capitis, partim rumpendo, partim incidendo, auferendum. [A Sculteto hisce nominibus insignitae forcipes depictae sunt in ej. *Armament. tab. II fig.* 2. et *tab. IV. f.* 4. 5. Cons. Benedict's *Lehre v. den Verbänd. p.* 177.] Ge. *Ein Papageischnabel, Wundzange.* B. *Een papegaays-bek, gieren-bek.*

ROSTRUM PORCINUM, vide *Dens leonis.*

ROTATA botanicis dicitur florum *corollae* monopetalae limbus planus, nulli tubo impositus. [Simili modo nectarium dicitur rotatum, quale in Narcisso poëtico conspicitur.]

ROTATOR MAIOR et **MINOR** sunt duae apophyses

vel ante pubertatem distinctae epiphyses, in superiore ossis femoris parte, trochanteres dictae, quarum maior externa, minor interna, seu potius posterior, dicitur; in quibus plurium musculorum femur extendentium, abducentium et rotantium tendines terminantur. Ge. *Der grosse und kleine Umwender des Schenkelbeins.* Ga. *Le trocantére.* A. *Turner of the thig.* B. *De dyebeens draajers.* — *Rotatores* etiam vocantur utrinque sex musculi, qui femur extrorsum movent, seu in gyrum dimidium rotant, scilicet *iliacus externus, gemini duo, obturator internus* et *externus* et *quadratus femoris.* Ge. *Die wendenden Muskeln des Schenkels.*

ROTTACISMUS, PSELLISMUS ROTTACISMUS est vitium loquelae, quo littera R. vel repetitur, vel cum stridore et asperitate profertur. Sic affecto linguae apex deorsum versus basin dentium maxillae inferioris affigitur in hac littera pronuncianda, qui deberet sursum tendere et leviter tremere, basi vero linguae sursum versa aër versus nares reprimitur. Hinc rauca et aspera pronunciatio. Vulgo etiam tribuitur linguae crassitudini et tarditati. *Sauv.* [Vogelius hoc vitium traulosin, a *τραυλόω, balbutio*, seu blaesitatem appellavit.] Ge. *Schnarren.* Ga. *Grasseyement, parler gras.*

ROTULA, i. q. *mola, genu.*

ROTULAE, vide *Tabellae.* Ge. *Zeltchen, kleine Küchelchen.*

ROTUNDUS MUSCULUS *maior* brachii brachium retro deorsum trahit, et deltoidi musculo et pectorali maiori contrariatur. Ab inferiori scapulae margine et extimo angulo, unde transversas quasdam complectitur fibras radiosas, oriens, brevi latoque tendine, ad caput ossis humeri infra cervicem desinit. Alter *rotundus minor*, seu *brevior*, totus carnosus est, qui initio acuto ex infimo scapulae angulo pullulat; postea magis magisque crassescit ad medium usque ventrem, inde sensim gracilescens, acuto fine finitur in ligamentum, quo humeri caput vestitum est: oblique situs est, aliisque *transversus musculus brevior* appellatur. Videtur non sine ratione pars esse praecedentis rotundi maioris. Tertius *rotundus* radii est, *pronator* dictus, vide *Pronator*. Ge. *Der runde Muskel.* Ga. *Le grand rond.* B. *De ronde spier.*

RUBEFACIENTIA sunt *medicamenta,* quae externe cuti applicata, titillationem ruboremque illi inducunt, adeoque inflammationem levem, suntque haec varii gradus. Sunt pleraque vegetabilia acria, ut Ranunculus, Allium, Sinapi, Euphorbium etc. Gr. *Φοινίζοντα,* et conveniunt, ubi humores in locum alliciendi sunt. Ge. *Rothmachende Mittel.* B. *Rothmaakende,* sive *blaartrekkende middelen.*

RUBEOLA, *Crūcianella Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) est planta, quae habet caules plurimos, tenues, quadratos, repentes. Folia caulem ambientia sunt angusta, splendentia.

Flores in summitate ramorum crescunt, monopetali, parvi, in quatuor partes divisi, coloris rubri, aliquando albi, odoris grati, iasminum redolentes. Succedunt floribus semina bina, sibi mutuo adhaerentia, aspera, oblonga, pulpam albam continentia. Radix est fibrosa, longa, lignosa, crassa, nigra. Rubeola dicitur, quasi rubia parva, quia haec planta parvam rubiam refert. Vocatur etiam *cynanchica* a cynanche angina, quia anginam curare dicitur. Ga. *Garance petite, herbe à l'esquinancie.*

RUBEOLA, ROSEOLA quibusdam idem denotat, ac morbilli: vide *Morbilli.* [Ab his tamen iure rubeolam distinxerunt Sellius, Heimius aliique, quos laudat Jos. Frank. *praec. prax. med.* Pa. 1. vol. 2. qui hanc rubeolae definitionem exhibet: Est exanthema primarium, adspectu morbillis sat simile, at vel sine prodromis, vel praevia febre cum symptomatibus rheumaticis fauciumque saepe dolore invadens, iam primo morbi nychthemero erumpens ac spatio paucorum dierum plerumque sine desquamatione aut aliis reliquiis evanescens.] Alii pro specie saltem morbillorum habent. Sunt enim exanthemata, seu tubercula rubra, cum calore ac tussi invadentia, morbillis minus periculosa. Invadunt autem quandoque sola, quandoque inter variolas insperguntur, quandoque iis sanatis superveniunt. Ge. *Rötheln, die Wiebeln, die Wiebelsucht.* Ga. *Rougeole.* B. *Roodvonk.*

RUBIA, Rubia tinctorum sativa *Bauh.* *Rubia tinctorum* foliis subsenis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) est planta, quae habet caules longos, sarmentosos, quadrangulares, nodosos, asperos. Folia sunt oblonga, angusta, caulem in formam stellae ambientia, numero incerta, aspera. Flos est monopetalus, campaniformis et quadrifidus, vel quinquefidus. Calyx abit in fructum, ex gemellis baccis constantem, semine utplurimum foetis umbilicato; baccae sunt nigrae, sibi invicem adhaerentes, succo plenae. Radix oblonga, tenuis, succulenta, extus et intus rubicunda, saporis ex dulci amaricantis et adstringentis; odoris nullius. [Iohnius chemicam radicis plantae analysin suscepit, quae docuit, centum eius partes continere materiae pinguis ceraceae rubro-fuscae 1,0, erythrodani resinosi 3,0, erythrodani extractivi 20,0, principii extractivi oxydati 5,0, gummi fusci 8,0, fibrae ligneae 43,5, tartarici acidiusculi kali et calcis 8,0, kali phosphorici, sulphurici et muriatici 2,0, phosphorici talci et calcis 7,5, terrae silicinae 1,5, oxydi ferri 0,5.] Gr. Ἐρυθρόδανον, officinae *rubiam tinctorum* appellant. A radicis rubro colore nomen accepit, quo lanae et lintea tinguntur. Sic graeca vox fluit ab ἐρυθρὸν, *rubrum.* [Recentiores chemici non totam plantam, quemadmodum Diosc. III. c. 50. fecit, Erythrodani nomine designant, sed extractivum tantum pigmentum rubrum, radice Rubiae tinctoriae et peregrinae con-

tentum. Paratur illud hoc modo: extractum aquosum radicis spiritu vini extrahitur, hoc per destillationem remoto quod remanet, fluidum filtratione a praecipitato resinoso pigmento rubro liberatum evaporatur. Monendum quoque, nonnullos falso illud nomen *Erythrodonum* scribere.] Abunde passim in Europae quibusdam ditionibus ob radicis usum tinctorium colitur. Haec qualitatis est substypticae, viribusque aperientibus, roborantibus, pellentibus et diureticis pollet. Hinc in vulneribus, lapsu, ictero, cachexia, rhachitide commendatur. Radix et urinam et ossa rubro colore tingit. Refertur inter radices quinque aperientes, et unguentum potabile rubrum ingreditur. Ge. *Röthe, Färberröthe, Grapp, Färberwurzel.* Ga. *Garance.* A. *Madder.* B. *Krappe, mee, mee krappe, rotte.*

RUBIGO, ROBIGO, USTILAGO, Gr. Ἐρυσίβη, est frumentum vitiosum, cuius spica quasi ob nigredinem adusta conspicitur, ipsaque grana, farinae loco, massam quandam pulverulentam foetidam, nigricantem, continent. Causa vitii vix satis hucusque cognita est. Sunt, qui farinae ustilagine infectae pessimos effectus, febresque putridas epidemias et morbos spasmodicos tribuant. Vide *Raphania.* Ge. *Brand im Korn.* Ga. *Charbon, brulure.* A. *Blight, brandkorne, blasting of korn.* B. *Brand, koren-brand.* — Ita quoque vocatur flos ferri, vel cupri, humido aëre, vel acri liquore exesi et versi in calceam, rubram materiam. [Secundum recentiores *oxydum ferri*, aut *cupri*, ab oxygenio, quod aquae, in aëre contentae, partem constituit, ad metallum transeunte, formatur.] Vide *Ferrum.* Ge. *Rost.* Ga. *Rouille.* B. *Roest.*

RUBINUS gemma pellucidissima, duritie secunda, colore rubro in igne permanente *Wall. Alumen rubinus* gemma pretiosa lapidosum pellucidissimum, solidissimum *Linn.* est gemma diaphana, rutilans rubensque ac limam respuens. Rubedo ipsius est instar sanguinis, laccae indicae coloris coccinei. Nobiliores rubini in insula Zeylan nascuntur, alii minores, in Corea, Calecut, Cambria et Bisnagri. Optimi in flumine Pegu. Generantur in lapidea matrice rosei coloris, primumque candicant, deinde paulatim rubescentes ruborem contrahunt. Hinc albi immaturi quasi sunt. Nascuntur plerumque in auri fodina, ubi sapphiri reperiuntur. Singulares ei olim vires cardiacae et alexipharmacae tribuebantur; usus hodie in medicina rarissimus est. Electuarium de gemmis pulveremque Pannonicum rubrum et bezoardicum Sennerti ingreditur. Arab. *Jacut.* Gr. Ἄνθραξ. Lat. *Carbunculus*, κατ᾽ ἐξοχήν. [Pro coloris intensitate variis nominibus insignitur. Si enim rubedo flavedinis nonnihil admixtum habet (*ponceaufarben*) *spinellus;* si roseus obtinet color, *balais;* si rubedo hyacinthina est, *rubicellus* appellatur. Aliam

divisionem exhibet Ca. Caes. a Leonhard (*Handb. d. Oryktognos. Zw. Aufl. p.* 541), qui *spinellum* genericam appellationem statuit, cuius tres formae sint, rubra, nigra et coerulea. Klaprothius, qui chemicam rubini disquisitionem suscepit, illum constare reperit ex aluminiae 74,50, siliciae 15,50, magnesiae 8,25, calcariae 0,75 et oxydi ferri 1,50.] Ge. *Ein Rubin.* Ga. *Rubis, carboncle.* A. *Ruby, rubin.* B. *Rubyn.*

RUBRICA, vide in *Impetigo.* — *Rubrica*, s. *Rubrica fabrilis*, s. *Synopis veterum*, vocatur etiam terra quaedam lapidosa, friabilis, rubra, quae aliquando in mineris in marmore et cote reperitur, virtutis adstringentis, fabris lignariis crebro inserviens in ducendis lineis. Est ochra rubra cretacea *Wall. Talcum rubrica*, subfissile, rubrum inquinans *Linn.* Cuius proprie sit originis, vix satis constat; putatur esse ochra ferri in terra argillacea praecipitata. Contusa et aqua subacta ignique valido exposita summam induit duritiem. Usus est mechanicus. Ge. *Rothe Kreide, Röthelstein.* Ga. *Rubrique, craye rouge.* A. *Red earth, ruddlestone, red-chalk.* B. *Roode aarde.*

RUBUS VULGARIS est arbuscula, quae habet ramos longos, flexiles, debiles, virides, medullosos, spinis acutis instructos. Folia sunt oblonga, acuta, dentata, dura, aspera, in parte superiori viridia, in inferiori coloris albi, trifoliata, alterna. Calyx est quinquefidus. Flores rosacei, pentapetali (Icosandr. Polygyn.) in summitate ramorum crescunt, suntque exigui, pedunculis brevibus adhaerentes, numerosis staminibus stipati in centro calycis, cui adnascitur fructus globosus, ex pluribus acinis coalitis, succulentis compositus, placentae affixis, in initio rubicundis, sed post maturitatem nigris, saporem dulcem habentibus, foetis seminibus oblongis, singulis instructis sua tuba. Radix parva, repens. Haec arbuscula crescit iuxta vias, inter dumeta et secus margines agrorum. Fructus maturus qualitatis est subacidae, dulcis et virtute refrigerante pollet. Syrupus praecipue in angina inflammatoria commendatur. Gr. *Βάτος*. A rubicundo succo nomen habere putem. Vocatur etiam *Sentes*. Aliquibus *Mora vaticana*, corrupta voce, eius fructus dicuntur, cum dicendum esset *Mora vaccinia*. Nam in hodiernum usque diem Graeci Mora illa a *βάτῳ*, *βάτινα* et *βατίνια* cognominant. [Diosc. IV. c. 37. ubi *μόρα* non *βατίνια*, sed potius *βατικάνα* occurrunt.] Virgilius in Bucolicis unius litterae immutatione *vaccinia* vocavit. Nunc *mora bacci* appellantur, cum dicendum esset *mora bati*. Ga. *Meure de Rénard.* Vocatur etiam *chamaebatos*, quasi humilis rubus. [*Rubus fruticosus L.*] Ge. *Brombeerstaude*, [sive *Brombeerstrauch*,] *Brombeer.* Ga. *Ronce.* A. *Ronces, bramble, black-berry.* B *Braam-bezie, brommel-bezie.*

RUBUS IDAEUS est frutex, sic a monte Idaeo, minus tamen recte, [et tamen a Dioscoride IV. 38. haec cognominis causa adfertur.] appellatus, cum ubique in collibus saxosis Europae proveniat, producens fructus moris fere similes, rubros vel albos. Est scilicet species rubi. Rubus idaeus spinosus *Bauh.* *Rubus idaeus* foliis quinato pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis *Linn.* Fructus qualitas fragrans, grata et acidula est, visque refrigerans; hinc in febrium aestu et siti summopere convenit. Prostant in officinis syrupus, aqua, acetum et spiritus. Sunt et aliae species rubi eiusdem qualitatis et virtutis; ut *Rubus arcticus*, s. *Baccae Norlandicae Pharm.* Ge. *Ackerbeere,* [*nordische Himbeere.* A. *The dwarf bramble.*] in Suecia vulgares, nec non *Rubus chamaemorus Linn.* Ge. *Pautken*- oder *Moltebeeren*, [*kriechende Himbeere.* A. *The mountain bramble, knout-berry.* B. *Aalbesbladige braambos.* Ga. *La ronce sans épines.*] apud nos tamen vix ad usum usque medicum cognitae. — Ge. *Hindbeeren, Himbeeren.* Ga. *Framboisier.* A. *Raspberry.* B. *Frambezien, hinne-bezien.*

RUCTATIO, sive **RUCTUS**, **BOMBUS**, aut **ERUCTATIO** est flatuum ex ventriculo per oesophagum adscensus, et ex ore egressus, cum sonitu maiore, vel minore, qui oriuntur ab aëre deglutito, vel ex alimentis evoluto, elastico iam et in ventriculo rarefacto et aliquamdiu retento, sed subito exploso sursum: frequentes sunt illis, quibus ventriculus debilis officio suo rite non fungitur. Gr. *ἐρευγμὸς, ἐρευγή, ἐρυγμός.* Ge. *Aufstossen des Magens.* Ga. *Rot, rottement.* A. *Belching, breaking of wind upward.* B. *Risping, rupzing, opripzing.*

RUCTUS, vide *Bombus* et *Ructatio.*

RUDICULA est instrumentum pharmaceuticum, seu pistillum ligneum, ad subigendam mixtionem emplastrorum, unguentorum et electuariorum inserviens. Ge. *Ein Rührstempel.* Ga. *Un pilon.*

[**RUDITOSIS**, v. Beer. I. p. 417. Rowley Augenkr. p. 203. s. Jos. Frank. to III. p. 732. falso pro rhyditosis dictum est, a Graeco enim *ῥυδίτωσις* venit. Ge. *Das Runzelichtseyn.*]

RUGITUS est aëris in intestinorum circumgyrationibus contenti a calore interno expansio, et ob eorum motum perpetuum de loco in locum migratio; sive ob leves spasmos intestinorum diutius, quam par est, haesitet et rarefactus fuerit, sive ob cibos aëris magna copia scatentes assumtos oriatur. Vide *Meteorismus.* Ge. *Kollern im Leibe.* Ga. *Grouillement.* A. *Murmur.* B. *Rommeling.*

RUMA est pars colli carnosa sub mento, ubi cavum iugulo proximum est, ita dictum, quoniam eo loci iumenta *ruminare* videmus. [Servio ad Virgil. ecl. 6, 54. teste vo-

eabatur sic eminens gutturis pars, per quam cibus demissus in ruminantibus animalibus revocatur.]

RUMEN, [Cons. *Ingluvies*, ubi et plura huius ventriculi synonyma allata sunt. Gr. *κοιλία μεγάλη*.] Vide *Abomasus*. Ge. *Wanst, Zwiefach*. Ga. *Panse, l'herbier, la double*.

RUMEX, vide *Acetosa, Lapathum*.

RUMINATIO est actio naturalis quorundam animalium quadrupedum, plerumque bisulcorum et cornigerorum, qua alimenta deglutita rursus in os retruduntur et facta iterata manducatione noviter deglutiuntur, haecque animalia *ruminantia* vocantur. Est scilicet iis ventriculus per strictos aliquos quasi isthmos in quatuor partes divisus, tota sua fabrica dissentientes, ita ut quatuor ventriculos habere dicantur, *omasum* scilicet, *abomasum, rumen* et *reticulum*, e quorum prioribus, qui praecipue e valvis et plicis constant, cibi in os regurgitant, rursusque deglutiti et eadem cava transeuntes in posteriora, quorum fabrica interna magis reticularis est, detruduntur, ibique penitus digeruntur. Sed et in hominibus morbose ruminationem factam esse, observatum est. Ge. *Das Wiederkäuen*. Ga. *Rumination*. B. *Herkaauwing*.

RUNCINA, i. q. *raspatorium*.

RUNCINATA botanicis vocantur *folia* transversim divisa in lacinias horizontales oblongas, ita ut lobi antice convexi, postice transversi sint, e. gr. Leontodon. [Ga. *Ronciné*. Ge. *Ein schroffes Blatt*.]

[**RUPIA** est nomen morbi cutanei, qui se latis, paululum planis in variis corporis locis conspicuis vesiculis prodit, basi leviter inflammato circulo circumdata, tandemque acrem humorem fundentibus, qui crustas tenues et superficiales format, facile deciduas, at brevi redeuntes. Haud dubie vox a *ῥύπος, sordes*, descendit, et eadem vitiosa *τοῦ y* cum *u* locum habet permutatio, quae in *ῥυτίδωσις* obtinet, quam Beerius (*von den Augenkrankh.*) rutidosin scribit. Vid. Batemann *v. d. Hautkrankh. p.* 357.]

RUPTIO, vide *Rhegma*.

RUPTORIUM est medicamentum causticum, quod cuti applicatum eam exedit, et quo abscessus nonnunquam aperiri solent; paratur vulgo ex lixiviis, vel ex crystallis lunae, aliisque causticis.

RUPTURA, veteribus i. q. *hernia*. Ge. *Ein Bruch*. Ga. *Descente*. A. *Rupture*. — Vel etiam subitaneam disruptionem partium internarum, ut intestinorum, vesicae, uteri etc. denotat. Ge. *Zerspringen, Zerreissen*. Ga. *Rupture*.

RUSCUM, RUSCUS est plantae genus flores masculinos et foemininos e costis foliorum nascentes ferens, (Dioec. Syngenes.) scilicet arbuscula, duos, vel tres pedes alta, quae

habet ramos multos, flexiles, fractu difficiles. Folia myrti, sed rigidiora, duriora, acuta, pungentia, nervosa, inodora, sine caule, saporis amari et adstringentis. Calyx monophyllus, multifidus; intra hunc flores monopetali, bifariam trifidi, campaniformes, globosi, exigui, lutei. Flori succedit bacca rotunda, mollis, rubens, asparagi baccis maior, trilocularis, continens sub tenui pellicula modo unum, modo bina semina durissima, flava, saporis subdulcis. Radix est crassa, oblonga, tortuosa, obliqua, implexa, inaequalis, dura, repens, alba, fibras crassas demittens. Crescit in locis incultis, ut in sylvis; ex Italia et Gallia huc adfertur. Colitur hic in hortis. Duae praecipue in officinis prostant species: *Ruscus aculeatus* foliis supra floriferis nudis *Linn.* cuius radix subdulcis, dein amara, viribus roborantibus, emmenagogis et diureticis gaudet, et inter quinque radices aperientes maiores numeratur; et Laurus alexandrina, fructu pediculo insidente *Bauh.* [A. *Butcher's-broom, kneeholly.* B. *Muisdoorn, steekende palm, kleine gedoornde myrte.* Ga. *Le fragon piquant, petit houx, houx frelon, myrte sauvage* sive *épineux.* Ge. *Mausdorn, Myrtendorn, stechende Palm, Fleischerbesen.*] *Ruscus hypoglossum* foliis subtus floriferis sub foliolo *Linn.* Huius folia sub nomine *herbae uvulariae* ob qualitatem stypticam et adstringentem praecipue in prolapsu uteri et relaxatione uvulae et veli palatini commendantur. Officinae litteram addunt, appellantque *Bruscum.* Gr. Ὀξυμυρσίνη et κεντρομυρσίνη. [Vide de utroque nomine Salmas. in *Solin. p.* 256. 6.] Forte nomen habet, quod *ruri* ex rusco fiant scopae, vel quod folia myrti acuta et spinosa sunt; μυάκανθα etiam dicitur, quia rustici olim supra suum corpus ponebant, ut illud a muribus defenderent. Vocatur etiam laurus, quia laurinis coronis nectendis inservire posse videtur, et Alexandrina, quia in Alexandria crescit. An non Myrsine Dioscoridis. [Myrsinen sylvestrem, a Diosc. IV. c. 144. descriptam, ruscum aculeatum esse, Anguillaram p. 291. docuisse, monuit Sprengel. ad Diosc. *l. c.* B. *Getongde muisdoorn.* Ga. *Le laurier à longuette, double-langue,* Ge. *Zaepfchenkraut, Zungenkraut, Zungenblatt, Waldglöckchen* etc.]

RUSMA est remedium depilatorium, quo praecipue Turci utuntur, et quod ex partibus duodecim calcis vivae et parte una auripigmenti componitur. [Cons. de eo Bellonii *observ. lib.* 3. *cap.* 35.]

RUTA, Ruta hortensis latifolia *Bauh.* *Ruta graveolens* foliis decompositis, floribus lateralibus quadrifidis *Linn.* (Decandr. Monogyn.), est planta, quae caules habet crassos, lignosos, ramosos, cortice albescente obductos. Folia sunt in segmenta divisa, exigua, oblonga, carnosa, satis crassa, polita, bina. Perianthium quinquepartitum. Flores tetra-

petali, rosacei, coloris flavi. Post florem sequitur fructus, in quatuor loculos per diaphragma divisus; continens semina parva, recurva, semilunata, coloris modo flavi, modo nigricantis, saporis ingrati, odoris gravis. Radix fibrosa, lignosa et flava est. Tota planta habet odorem ingratum, saporem amarum et acrem. Viribus gaudet eximiis resolventibus, alexiteriis, pellentibus, carminativis, emmenagogis, diaphoreticis et anthelminthicis, hinc in peste, epilepsia, hysteria, cephalalgia, ophthalmia etc. commendatur. Prostat in officinis aqua, conserva, sal, acetum, oleum aethereum, cuius maior copia in capsulis seminalibus, quam in foliis, continetur et balsamum. Adhibetur etiam frequenter in infuso; succus expressus scrophulas resolvere et morbos malignos avertere dicitur. Planta crescit in Africa, Graecia et Gallia australi. [Dioscor. III. c. 45. et 46. Rutam montanam et hortensem aeque ac sylvestrem describit, ad q. l. vid. Sprengel.] Apud nos frequenter in hortis colitur. Gr. *Πήγανον, ῥύτη*. Dictam volunt rutam, quod una ex omnibus plantis propter multiplicem eius usum maxime eruatur. Alii *ἀπὸ τοῦ ῥυτῆρος* derivant, quod libidinosos nimiumque veneri addictos frenet. *Peganum* etiam a quibusdam appellatur, quod siccitate et caliditate sua coagulet ac condenset semen. Hinc uterum gerentibus inimicam esse et abortum procurare aiunt. A *πήγνυμι, compingo, concresco.* [Herbam chemice cum disquireret Maehlius, invenit eam continere oleum volatile e flavo viride, resinam mollem viridem, materiam extractivam, gummi coloris e nigro viridis, amylum peculiare, fibram ligneam, albumen, animalem tincturae gallarum ope praecipitatam substantiam et acidum malicum.] Ge. *Raute, Weinraute.* Ga. A. *Rue.* B. *Ruit, wyn-ruit.*

RUTA CAPRARIA, idem quod *Galega.* Ge. *Geissraute.* Ga. *Galega.* A. *Goats-rue.*

RUTA MURARIA est *Asplenii* species. Ge. *Mauerraute.*

RUTABULUM est instrumentum ligneum, vel ferreum, quo materia igni imposita, vel coquenda saepe agitatur. Ge. *Rührhaken.* Ga. *Fourgon.* A. *Coal-rake, maukin.* B. *Een roer stok.*

RYAS est lacrymarum per genas defluxio, a punctis lacrymalibus clausis ortum habens, vel ex consumtione caruncula lacrymalis, hinc fistulis lacrymalibus utplurimum succedit, estque affectus encanthidi contrarius. [Vide supra *Rhyas.*]

RYTHMUS est similitudo plurium ictuum pulsus inter se ratione magnitudinis, fortitudinis, plenitudinis, celeritatis etc. Vide *Rhythmus.* Ge. *Gleicher Pulsschlag.* Ga. *Egalité du pouls.*

S.

S. N. idem quod *secundum naturam.* — Alias latinum S. est nota characteristica ponderis, vel mensurae, denotans dimidium praecedentis, vel *Semis.* — *S.* etiam formulis medicis additur et varia significat. — S. in fine post indicatam praeparationem idem significat, ac *signetur.* — S. A. interdum significat *sine acido,* vel *sine alcali,* ut elixir proprietatis S. A. essentia myrrhae S. A. — Saepe etiam S. A. est secundum artem. — S. S. sine stipitibus, ut folia sennae S. S. — Tria S. S. S. in praeparationibus chymicis denotant stratum super stratum.

SABADILLA est semen figura et colore muscerdam referente, quo e Mexico ad nos adfertur. Habetur pro specie Aconiti, vel Veratri. Qualitatis est summe acris, amarae et causticae, viribusque drasticis ac phthiriacis pollet, et pulvis vestibus inspersus praesentaneo effectu pediculos perimit. [Cum semina sabadillae enormem possideant acredinem, ita ut, si in tinea ad pediculos fugandos adhibita in ulcuscula inciderint, saepe vertiginem, convulsiones, mortemque adeo efficiant, in partes, unde tanta efficientia pendeat, accurate a chemicis inquisitum est. Pelletier et Caventou, et simul Meisnerus, Sabadillinem, quae et Delphinine, aut Veratrine, aut etiam Colchicine appellatur, causam acredinis continere, experimentis multis comprobarunt. In quingentis seminum partibus inventa sunt olei pinguis 121,0000, steatines 2,1250, Sabadillines 2,8801, Myricines 0,5000, resinae 42,1250, resinae acris 7,2768, materiae extractivae, cum acido vegetabili iunctae 29,8431, materiae extractivae gummosae 24,6250, substantiae extractivae dulcis 3,2500, materiae per lixivium kali caustici extractae 120,6900, phyteumacollae, cum tartarico acidiusculo et muriatico kali coniunctae, 5,5625, magnesiae oxalicae cum bassorine mixtae 5,3125, fibrae vegetabilis 102,8100, aquae 30,000. In cineribus calx carbonica et phosphorica, magnesia, oxydum ferri et cupri inventa sunt. Praeter sabadillinen acidum quoque peculiare a Pelletiero et Caventou in sabadillae seminibus detectum est. Ga. *Acide cévadique.* Crystallos format albas, matris perlarum instar splendentes, in calore +20 liquescentes, in maiore sub acuum forma sublimabiles, aqua, alcohole et aethere solubiles, odoremque acido butyrico quodammodo similem spirantes.] Ge. *Mexikanischer Läusesaamen.* Ga. *Semence de Sabadillum, cevadille, poudre des capucins.*

SABINA, seu SAVINA est frutex, qui perpetuo viret, folia habet foliis Tamarisci similia, sed duriora et magis spinosa, odoris fortis, gravis, valde singularis, saporis acris et

urentis. Flos est amentaceus, extremitati ramorum innascens, sed sterilis; embryones autem, seu baccae, baccis Iuniperi similes, nucleis turgent angulosis et asperis. Iuxta Ill. *Linnaeum* ad *Iuniperos* pertinet, estque *Iuniperus Sabina*, foliis oppositis erectis decurrentibus, oppositionibus pyxidatis. (Dioec. Monadelph.) Crescit in Sibiria, Tartaria; apud nos passim in hortis reperitur. Qualitatis est calidae, emmenagogae, anthelminthicae et diureticae. Magnam olei aetherei copiam continet. Prostat in officinis aqua, essentia et oleum. Commendatur praecipue in dysmenorrhoea a causa frigida, [omninoque omnibus uteri morbis, qui ab atonia eius pendent, secundum experimenta a Koppio (*Beob. im Geb. d. prakt. Heilk.*) instituta,] in odontalgia, tinea et gangraena. Abortum eius decocto scelestas mulierculas excitare posse, plurimae observationes testantur. Gr. *Βϱάϑυς* et *βάϱυϑϱον*. Dicitur Romanis a regione, in qua multum nasceretur. An a *σέβεσϑαι*, Deos honorare, quia dicuntur Sabini prae caeteris gentibus Deos veneratos esse. Ge. *Sadel-, Saden-* oder *Sevenbaum*. Ga. *Savinier, sabine*. A. *Savin*. B. *Zevenboom, zavel- boom*.

SABULUM, sive *arena*, sunt granula solida, parva, arenae terrestri similia, sed naturae eiusdem, ac calculus humanus, quae in urina reperiuntur, emingantur, in renibus vel vesica a praecipitatione partium terrearum nata. Gr. *Ἄμμος* et *Ψάμμος*. Ge. *Sand, Griess*. Ga. *Du sable, du gravier*. A. *Gravel*. B. *Zand, graveel*.

SACCATI TUMORES, vide *Atheroma, Steatoma, Meliceris*, i. q. *tunicati tumores*.

SACCHARUM, seu **SACCHAR**, **ZUCCHARUM**, **ZACHAR**, **ZACCHARUM**, **SUCCHARUM**, **MEL ARUNDINACEUM**, **MEL CANNAE** dicitur a canna, vel arundine saccharifera dicta, quae est *Saccharum officinarum Linn.* (Triandr. Digyn.) calyce nullo, corolla bivalvi, semen unicum involvente, floribus paniculatis. Abunde in locis Indiae utriusque inundatis colitur, estque plerumque septem, vel octo pedes longa, duos pollices crassa et geniculata; exhibet autem saccharum incisione cannae, unde saccharum instar lacrymae exstillat, quod candidum est et rarum. Plurimum vero arundines abscissae in molis conquassantur, et succus expressus ulteriore coctione et clarificatione in variam consistentiam, tandemque in debitam formam redigitur, vel etiam, ut aiunt, refinatur. Pro varia praeparatione varia sortitur nomina, ut *nigrum, rubrum, album, albissimum, cantum*, id est *angulosum*, seu *crystallinum*, *penidium, farinaceum, perlatum, stellatum* etc. Sic etiam pro regionum varietate Saccharum Canariense, Maderiense, Melitense, Thomaeum etc. dicitur. [Parandi et purificandi sacchari rationem descripsit Dulkius *l. c. Pa.* 1. *p.* 739. ss.] Ex succis

tamen variarum aliarum plantarum, etiam nostratium, ut Dauci sativi, Betulae etc. sacchari species parari potest. Inprimis vero in America septentrionali ex Aceris Canadensis succo saccharum praeparatur. Qualitatis est saccharum dulcissimae, inodorae, mitissimae, viribusque edulcorantibus, relaxantibus, calefacientibus, expectorantibus et vulnerariis gaudet. Usus eius, et culinaris et pharmaceuticus, frequentissimus est. Eius ope olea destillata aquae iungi, et lactis coagulatio impediri potest. Hinc obesitatem promovere, aut iuxta alios impedire creditur; vix tamen notabili effectu. Putredini vehementer resistit. [Praeter allatos sacchari usus recentioribus temporibus alia eiusdem virtus detecta est, eaque notatu dignissima. Scilicet sacchari auxilio corpora oxygenii ditissima, indeque insigni acredine praedita hoc ipso oxygenio privari, seu desoxydari possunt. Buchnerus atque Vogelius experimentis hanc vim comprobarunt. Quare contra arsenici venenatos effectus laudatum est saccharum tanquam satis efficax remedium. Thenardus et Gay-Lussac, qui analysin chemicam sacchari instituerunt, illud compositum esse invenerunt ex hydrogenii 6,90, carbonii 42, 47, oxygenii 50, 68. Berzelii ratio harum partium constitutivarum haec est: hydrogenii 6,802, carbonii 44,115, et oxygenii 49,083.] Etiam ex sero lactis clarificato et solito more ad crystallisationem reposito praeparatur *saccharum lactis,* quod contra acrimoniam sanguinis, phthisin et febrem hecticam a quibusdam summopere commendatur. Ge. *Milchzucker.* — Saccharum vocatur Ge. *Zucker.* Ga. *Sucre.* A. *Sugar.* B. *Suiker.* Arab. *Zazar, sudur, sutter.* — Ex plumbo etiam paratur cum aceto destillato sal, quod ob dulcedinem *saccharum Saturni* appellatur. Ge. *Bleizucker.* Ga. *Sucre de saturne.*

SACCULI, DUCTUS ADIPOSI, seu **VESICULAE ADIPOSAE,** aut **LOBULI** sunt vesiculae adipe repletae. Vide *Adiposi ductus.*

SACCULI MEDICINALES componuntur ex variis simplicibus, scopo medici convenientibus; eaque, si opus fuerit, conteruntur et sacculo, cuius figura parti affectae quadrat, excipiuntur, qui saepe, ne materia in unum locum coacervetur, acu in quibusdam locis intersuitur, sicque pro epithemate applicatur. Sic quoque varia simplicia ad praeparationem infusi, vel decocti sacculis includuntur. Ge. *Säckchen, Beutel.* Ga. *Un sachet.* A. *A little sack, bag.* B. *Popjes.*

[**SACCULI MUCOSI,** idem quod *bursae mucosae.* Ge. *Schleimbälge.*]

SACCULUS CHYLIFERUS, sive **RORIFERUS, CISTERNA LUMBARIS, RECEPTACULUM CHYLI** est inferior pars ductus chyliferi, scilicet vasculum quoddam ovali

ampullae simile; interdum praegrandis ductus lymphaticus, utrinque conicus, in medio latior, interdum etiam annulis aliquibus adstrictus, variae ergo structurae, oriens potissimum ex trunco vasorum lymphaticorum lumbalium, ad arteriae spermaticae initium intumescens, tenens angulum inter vertebram primam lumborum et appendicem diaphragmatis intimam ad dextra arteriae aortae et pone omnia vasa renalia, a secunda vertebra lumborum ad primam dorsi, quam non superat; ibi enim ex eo contractiori adscendit *ductus chylifer*, vel *thoracicus*. Sicque se in homine et plerisque brutis habere solet. Ge. *Das Behältniss des Speisesafts, Milchbehälter*. Ga. *Sac chylifére*. A. *The chyle sack*. B. *De gyl-zak*.

SACCULUS CORDIS, vide *Pericardium*.

SACCUS, a σάττω, *onero*, [*farcio et impleo pressim*. Cel. Kraus. sibi in adferendis ex aethiopica, hebraica, arabica et persica lingua vocibus, similem et sonum, et significationem habentibus, placet.] Ita vocatur nonnullis *intestinum coecum*, quod sacci instar propendet.

SACCUS LACRYMALIS est receptaculum, vel sacculus, ovalis fere figurae, constans e tunica exteriori, scilicet membrana densa, cellulosa, quasi aponeurotica et interna ex membrana propria pituitaria rubra et pulposa, quae a naribus eo adscendit; situs sub cantho oculi maiore, et potissimum in osse unguis et in processu nasali ossis maxillae superioris; atque in ductum nasalem desinens, qui pone os spongiosum superius apertus est. Iam in huius sacci partem superiorem et lateralem aperiuntur bini ductus lacrymales, in margine utriusque palpebrae a punctis lacrymalibus incipientes, sicque efficitur, ut lacrymae per puncta lacrymalia resorptae libere in saccum lacrymalem, et inde in cavum narium fluere possint. Ge. *Thränensack*. Ga. *Le sac lacrymal*. B. *De traan-zak*.

SACERDOS PENIS, vide *Arum*.

SACER IGNIS, vide *Herpes exedens*.

SACER MORBUS, vide *Epilepsia*.

SACRA FISTULA, idem quod *medulla spinalis*. Alii vero hoc sub nomine thecam osseam e coniunctione vertebrarum natam intelligunt, qua medulla spinalis reconditur.

SACROLUMBALIS est musculus longus atque inferne latus, e plurimis musculis minoribus compositus. Oritur valida aponeurosi a parte superiori et exteriori ossis ilei et ossis sacri, et quibusdam portionibus carneis a processibus transversis vertebrarum lumbarium, tum iuxta costas adscendens, singularum costarum angulo tendine peculiari inseritur; nonnulli tendines ad apophyses transversas vertebrarum colli adscendunt. Hic musculus actione sua dorsum et lumbos extendit, sed etiam in valida inspiratione costas deprimere et

thoracem dilataro potest. Ge. *Der breite Kreuzmuskel des Rückens.* Ga. *Le muscle sacro-lombaire.*

SACRUM OS, Gr. *Πλατὺ, ἢ ἱερὸν ὀστοῦν, ὑποσπόνδυλος, τρητὸς κόκκυξ*, [Secunda et quarta denominatio graeca sacri ossis in Polluc. II. 182. sq.: tertia in Rufo *l. c. p.* 52. occurrit,] est os triangularis figurae, superius latius et crassius, quam in parte inferiori, vertebris lumborum suppositum, a lateralibus ossibus innominatis coniunctum, cum quibus pelvim constituit. Constat ex vertebris inferioribus sex, sed quae in adultis ita coaluerunt, ut unicum tantum os constituant, cui os coccygis annectitur. Spinae dorsi pro basi inservit, partem inferiorem spinalis medullae continet, et funiculos nerveos e cauda equina prodeuntes per foramina propria transmittit. Sacrum forte ob magnitudinem dicitur et ob usum, dum scilicet totum truncum corporis fulcit. Ge. *Das heilige Bein.* Ga. *L'os sacrum.* A. *The holy bone.* B. *Het heilig been.*

SAGAPENUM lacryma, seu gummi est Ferulae nondum satis cognitae [an Ferulae persicae L.?] in Media nascentis, eiusdem cum succo nominis, ex qua sauciata educitur. Nascitur in Media regione, unde Alexandriam, ac hinc Venetias atque in alia Europae loca transportatur. Optimum debet esse sincerum, translucidum, foris colore flavo, intus albido, inter digitos mollescens, gustu acri, odore gravi et viroso, et Allium aemulans, unde ad Asam foetidam et Galbanum fere accedit. Viribus gaudet eccoproticis, pellentibus, emmenagogis et resolventibus, hinc praecipue in affectibus nervorum, et morbis pulmonum a pituita viscida oriundis commendatur. Additur pilulis ad grana aliquot. Gravidis abortum procurare dicitur. Ad usum quoque externum unguentis et emplastris additur. Appellatur et *Sacoponium, Serapinum, Sacopenium* etc. [Brandes, qui sagapenum chemice disquisivit, inde oleum aethereum coloris e flavescente albi, perfecte pellucidum, admodum fluidum, odoris valde ingrati, alliacei, asae foetidae simillimi obtinuit. In quingentis sagapeni partibus inventae sunt huius olei 18,667, resinae peculiaris mollioris 239,500, resinae in aethere non solubilis 11,875, gummi cum calce malica, sulphurica, phosphorica et resinae vestigio iuncti, 163,800, bassorines s. adragantines 22,400, calcis malicae acidulae cum calce sulphurica et bassorines vestigio 2,000, calcis phosphoricae cum minima, haud definienda bassorines copia 1,375, calcis malicae et sulphuricae, cui aliquantulum gummi admixtum erat 2,250, aquae 23,000, partes peregrinae admixtae 21,500. — Hodie raro in usum vocatur. Fere solummodo emplastrum sulphuratum nigrum Pharm. Bor. ingreditur.] Ge. *Sagapen, Serapinsaft.* Ga. *Sagapene.* A. *Sagapen, serapin.* B. *Gom zagapeen.*

SAGITTA, Ranunculus palustris folio sagittato. *Tourn.*

Sagittaria Linn. (Monoec. Polyandr.) est planta palustris, quae habet folia aquis innatantia alatae sagittae mucronem aemulantia, fuscis hinc inde in superna parte maculis notata, quaedam ex primis in acumen non desinunt, sed rotundantur, saporem obtinent nonnihil subdulcem et viscidum, cum vestigiis obscurae acrimoniae. Ex radice erumpunt plures caules, obrotundi, excavati, fungosi, in summitate habentes flores, visui gratos, tripetalos, rosaceos, albos, plura stamina habentes in medio rubra. Calyx est triphyllus; florum alii sunt steriles, aliis succedunt fructus parvi, rotundi, fragorum magnitudinis, asperi, coloris viride rubri; qui singuli continent plura semina, tenuia, acuta, in capitulum unum congesta, et figuram unguis avis habentia, cincta longitudinaliter margine membranaceo, lato, hinc gibbo, utrinque acuminato. Radix fibrosa, longa, crassa, spongiosa, pallida. Qualitate acri et rodente cum Ranunculis convenit. Sic dicitur a foliorum forma tricuspidali, superne in unam, inferne in duas desinentium. Ge. *Pfeilkraut.* Ga. *Fleche d'eau,* [*flechière, queuve d'arondelle.*] A. *Adders tongue, arrow head.* B. *Serpents tong, slange tong, pylkruid.*

SAGITTALIS SUTURA, vel **VERUCULATA**, Gr. *ῥαβδοειδὴς, ὀβελιαία* est illa, quae a coronali incipit, et in lambdoidem desinit, inter duo ossa bregmatis decurrens, in pueris vero ad radices usque narium protenditur. Ge. *Die Pfeilnaht.* Ga. *Suture sagittale.* A. *Shaft suture.* B. *De pylnaad.*

[**SAGITTARIA** *sagittifolia,* fol. lanceolatis acuminatis sagittatis, lobis lanceolatis rectis, scapo simplici. Willd. Sp. IV. 408. (Monoec. Polyandr. Martius Erlangensis contendit, amylum illud, quod ob vires suas admodum nutrientes nuper multis laudibus celebratum, et sub anglico nomine *Arrow-root* omnibus notum est, non e Marantae sive arundinaceae, sive indicae, sed e Sagittariae, et quidem haud dubie *sagittifoliae* radicibus parari. Vide supra *Maranta.*]

SAGITTATA botanicis dicuntur *folia* triangularia, angulis posticis acutis sinu divisis. Ga. *En fer de fleche.* Ge. *Pfeilförmig.* [Aliae quoque plantarum partes hoc epitheto insigniuntur, v. c. antherae stipulaeque: porro illud de lingua et dentibus variorum piscium adhibetur.]

SAGMINALIS, vide *Peristeron.* [Sagmina dicebantur, Festo teste, verbenae i. e. herbae purae, quia e loco sancto arcebantur i. e. petebantur a consule, propraetore, legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum. *Peristeron* Blancardi est in *peristereon* mutandum. Sic enim, aut *peristerion* vocatur a Diosc. IV. c. 60. ubi plura huius plantae nomina cum graeca, tum latina allata sunt, inter quae posteriora etiam *σαγγουινάλις* (*sanguinalis*) legitur. Haud dubie errori sive Dioscoridis ipsius, cui sagminum

usus apud Romanos non cognitus erat, sive scribarum *sagminalis* et *sanguinalis* confundentium, hoc epitheton suam originem debet. Sprengelii diligentiam hic error fugit.]

SAGO, SAGU est fecula granulata ex albo flavescens, quae ex medulla Palmae cuiusdam indicae expressa, aqua subacta, per cribrum traiecta et exsiccata praeparatur. Arbor est Todda-panna *Rheed.* [Sagus farinaria *Rumph.*] Species Palmae saguerifera dicta; Palma indica caudice in annulos protuberantes distincto, fructu pruniformi *Rai. Cycas circinalis* frondibus pinnatis, foliolis linearibus planis *Linn.* Sed etiam ex aliis speciebus Palmae haec substantia obtineri dicitur. [Quaerit Nemnich. *l. c. to. 1. p.* 1335. an *Cycas inermis* hanc feculam largiatur. A. *The sagotree.* B. *Sageeboom, broodboom.* Ga. *Le cycas des Indes, sagoutier, l'arbre* sive *palmier à sagou, le landan des Moluques.* Ge. *Sagobaum, Sagopalme, indianischer Brodbaum.*] Adfertur ad nos ex India orientali. Qualitatis est farinaceo-glutinosae. Usus est culinaris, et ob eximias vires demulcentes in lacte, vel iure coctum, phthisicis, exhaustis et infantibus summopere commendatur. Ge. *Sago.* Ga. *Sagou.*

SAL: ita corpora ex toto sapida et aqua solubilia veniunt. Eorum triplex genus solet constitui; sunt scilicet: 1) *Acida*, quae saporem austerum linguae imprimunt, syrupum violarum coeruleum mutant in rubrum, cum terris et alcalinis effervescunt, et cum alcalinis salem medium constituunt. 2) *Alcalina*, quae sapore acri lixivioso, vel urinoso, linguam feriunt, intensiori igne liquescunt, syrupum violarum viridem reddunt, cum acidis effervescunt, et sal medium efformant. 3) *Media*, sive *neutra*, quae sapore sunt vario, sed salso interdum cum amaritie coniuncto, praedita, syrupi violarum colorem plane non mutant, et ex acido et alcalino sale composita sunt. Sunt tamen etiam plura corpora salibus quam maxime adfinia, in quibus acidum cum terra (ut in alumine), vel cum metallo (ut in vitriolo), coniunctum est et salis speciem hac ratione producit. Singula haec salia sine mixtionis suae depravatione, vel ab igne in altum tolli se sinunt, vel non sinunt. Illa nominantur *volatilia*, haec *fixa*. Maxima salium pars sub forma sicca se ostendit et crystallos format, sunt tamen salina fluida, quae raro, vel nunquam, sub forma solida se nobis exhibent, ut acidum vitrioli, vel spiritus Mindereri. Multa salia, ut sal gemmae, vitriolum, *nativa*, seu *fossilia* sunt, multa tamen quoque arte producuntur, aut, uti recentiorum experimenta ostendunt, ex parte tantum educuntur. Ceterum non in minerali solum, sed et in animali ac vegetabili regno salia reperiuntur. — Licet insignis sit salium corporumque salinorum numerus, quae omnia difficulter hic enumerari possint, tamen tironum causa brevem praecipuorum salium catalogum subiungimus.

I. *Acida* vero sunt 1) *mineralia,* scilicet *acidum vitrioli,* quod pro varia admixtae aquae portione, vel *spiritus,* vel *oleum vitrioli,* et, si sub forma sicca appareat, *oleum vitrioli glaciale* dicimus. *Acidum sulphuris* ab eo paucis, et praecipue tantum volatilitate sua differt: *acidum nitri,* s. *spiritus nitri,* vel *aqua fortis,* item *spiritus nitri fumans: acidum salis marini,* s. *spiritus salis.* Ex acido nitri et salis coniuncto *aqua* sic dicta *regis* oritur. 2) *Vegetabilia,* quorsum succi plantarum acidi, v. c. succus citri, salia plantarum essentialia, ut sal Acetosellae, item *cremor,* s. *crystalli tartari,* pertinent, quod ultimum sal tamen ex recentiorum experimentis etiam alcalinam partem comprehendit. 3) *Animalia,* ad quae *spiritus formicarum,* et plures alii, et forte etiam *acidum phosphori* referri debet. Minus pura sunt *spiritus tartari,* et alii empyreumatici liquores. Aridis quoque adnumeranda sunt: *sal succini,* quod partim cum mineralibus, partim cum vegetabilibus convenit et *sal sedativus Hombergii,* qui cum alcali fixo boracem constituit. II. *Alcalia* vero sunt: 1) *fixa,* et quidem vel *mineralia,* ut *sal sodae* etc. vel *vegetabilia,* seu *enixa,* vel *lixiviosa,* ut *sal tartari,* quod purissimum; minus pura sunt *salia plantarum fixa,* seu *tacheniana,* ut sal absinthii. 2) *Volatilia,* ut *sal volatile ammoniacum, spiritus salis ammoniaci simplex, sal cornu cervi* et similia, ex quibus nonnulla minus pura sunt, ut spiritus nonnulli destillati. *Sal Anglicum volatile,* seu *oleosum Sylvii,* est sal alcali volatile cum variis oleis destillatis coniunctum. Iam quod III. *Salia neutra,* s. *media,* et *corpora salibus analoga* attinet, sequentia ex his praecipue notanda sunt, quae secundum acidorum ordinem, ex quibus, accedente alcalino sale, terra, aut metallo, composita sunt, enumeremus. Sic 1) *acidum vitrioli* constituit cum alcali vegetabili fixo *tartarum vitriolatum, arcanum duplicatum,* s. *sal de duobus:* cum alcali minerali *sal mirabile Glauberi,* cum quo convenit *sal aperitivum Fridericianum,* varia thermarum salia, ut *Ebshamense:* cum *alcali volatili sal ammoniacum secretum Glauberi,* cum terra calcarea, *selenitem* et *gypsum,* cum terra aluminis *alumen,* cum zinco et plumbo *vitriolum album,* cum cupro *vitriolum caeruleum,* cum ferro *vitriolum viride. Volatile acidum vitrioli,* seu *sulphur* cum basi nitri alcalina *sal polychrestum Glaseri,* cum alcali volatili *tartarum vitriolatum volatilem* format. 2) *Acidum nitri* cum alcali fixo vegetabili *nitrum:* cum alcali minerali *nitrum cubicum,* cum alcali volatili *nitrum flammans* constituit. 3) *Acidum salis* cum alcali fixo vegetabili *sal digestivum,* seu *febrifugum Sylvii,* cum alcali minerali *sal commune,* cum alcali volatili *sal ammoniacum* efficit. 4) Ex *sale sedativo* et alcali fixo *borax,* uti ex *acido phosphori* et alcali urinoso *sal urinae nativum,* s. *microcosmicum* oritur. 5) *Acidum tartari* cum alcali fixo *tartarum tartarisatum,* quem

in Anglia *solubilem,* alii *salem vegetabilem* dicunt, nec non *liquorem salinum officinarum: acidum citri* cum alcali fixo *tartarum citratum: acidum aceti* cum alcali fixo *terram foliatam tartari: acidum tartari* cum alcali minerali *sal de Seignette,* et cum alcali urinoso *tartarum solubilem* nostrarum officinarum: *acidum* vero *aceti* cum alcali urinoso *spiritum Mindereri,* seu *sal ammoniacum liquidum* formant. Alias salium species omittimus. Sal a Graeco *ἅλς.* Ge. *Salz.* Ga. *Sel.* A. *Salt.* B. *Zout.*

SAL ALEMBROTH, *sal artis, sal sapientiae,* chymicis est menstruum mercuriale, e mercurio sublimato et sale ammoniaco varia proportione et modo mixtis constans. Vocabulum Chaldaicae originis idem significat, ac clavis artis. [Partibus aequalibus oxydi mercurii muriatici et ammonii muriatici, octupla aquae destillatae copia solutis, solutio natri carbonici tam diu guttatim affunditur, quam praecipitatio locum habet. Pulvis probe elixivatus, locoque obscuro servatus constat ex oxydo mercurii, et aliqua portione acidi muriatici et ammonii.]

SAL COMMUNE, s. **MARINUM**, vide *Sal.* In universum tres eius species sunt, quae quoad originem et puritatem tantum differunt. Scilicet 1) *sal gemmae,* s. *fossile.* 2) *sal fontanum,* quod ex aqua fontium salsorum excoquitur, et 3) *sal marinum,* quod ex aqua marina paratur. Ge. *Salz, Küchensalz, Steinsalz, Meersalz.* A. *Salt, muriate of soda.*

SALACITAS, vide *Satyriasis.*

SALAP, SALEP sunt radices Orchidis persicae unifoliae bulbosae, substantiae quasi corneae, saporis glutinosi, quas aqua coctas, filo traiecto suspensas et exsiccatas maximi faciunt Sinenses et Persae, iisque singulares virtutes aphrodisiacas et cordiales tribuunt. Viribus gaudet eximiis inviscantibus, lubricantibus et nutrientibus; hinc eius pulvis, vel decoctum mucilaginosum, praecipue in dysenteria, et ut optimum nutriens commendatur. Commode tamen huic radici persicae substitui potest, si eodem modo praeparetur, Orchis morio mas, foliis non maculatis *Vaill. Orchis morio* bulbis indivisis, nectarii labio quadrifido crenulato, cornu obtuso adscendente, petalis obtusis conniventibus *Linn.,* (Gynandr. Diandr.) nec non *Orchis palmata Linn.,* quae satis copiose in pratis Europae inveniuntur.

SALICARIA, vide *Lysimachia.*

[**SALICINE**, quae maxime efficacem variarum non solum salicis, sed etiam populi specierum partem continet, et cuius parandi rationem Magendius (*Vorschr. z. Bereit. u. Anwend. ein. neuen Arzneim. übers. v. Dr. Kunze. Sechste Aufl.* Leipz. 1831. 8. p. 184.) docuit, crystallos subtiles, sericeas, albas, acervatim accumulatas format, in aqua et alcohole facile solubiles, ab aethere non solvendas, saporis intense amari,

odorisque aromatici. Buchnerus atque Herbergerus in ea versantur sententia, ut salicinen e duabus partibus constitutivis compositam esse contendant. Sed Liebigius experimentis accuratissimis ostendit, sic dictum subacidum, quod alteram salicines partem constituere, duumviri modo nominati opinati sunt, e resolutione partis cuiusdam salicines ope acidi phosphorici ortum esse. — Dc viribus medicis salicines experimenta Dr. Miquelius instituit. Vid. Buchneri *Repert.* B. 34. p. 99. et Magendie *Vorschr. z. Zubereit.* etc. übers. von *G. Kunze.* 1831. p. 184. sq.]

SALICORNIA est plantarum marinarum genus, (Monandr. Monogyn.) quae saporem salsum habent, et ex quibus etiam, ut ex aliis similibus, soda obtineri potest. Maxime vulgaris species est *Salicornia herbacea Linn.* Ge. *Salzkraut.* Ga. *Salicor.* A. *Iointed glass-wort, salt-wort.*

SALIVA et **SALIVUM**, quibusdam *sputum.* [Non recte tamen. Nam per *sputa* intelliguntur, quae e pulmonibus tussiendo eliminantur, mucus aut sincerus, cui in oris cavitate partim saliva, partim serum ibi exhalatum admixtum est, aut cum pure, aut cum sanguine mixtus.] Gr. *πτύελον* et *σίαλος* est liquor insipidus, paucissimum salis, olei et terrae, e qua ultima et calculi salivales interdum nascuntur, continens, pellucidus, igne non concrescens, sed avolans, albus, spumans, inprimis si conquassatur, maximam partem aquosus, cum ex sexaginta unciis fere quinquaginta novem leni igne extrahi possint, quae omni dote aquam referunt. [Recentiores chemici, Berzelius, Bostoc, Johnius salivam humanam e principii peculiaris, *salivalis* s. *sialines* dicti, 0,29, muci 0,14, zomodmi cum natro lactico 0,09, natri 0,02, kali muriatici et natri muriatici 0,17, aquae 99,29, constare repererunt. Johnius quoque calcem phosphoricam in ea detexit. Cons. O. B. Kühn's *Zoochem.* p. 97. sq.] In ore reperitur, cui infunditur ex glandulis *parotidibus, sublingualibus, submaxillaribus, buccalibus* et *labialibus*, per ductus patentes a glandulis emissos. [*Saliva abdominalis* vocatur succus pancreaticus.] Usus est, ut os et oesophagum madefaciat, particulas sapidas ex alimentis assumtis a reliquis evolvat, masticationi, solutioni, dilutioni et miscelae probae ciborum inserviat, eosque in ventriculo aliquomodo digerat et fermentet. Ge. *Speichel.* Ga. *Salive.* A. *Spittle.* B. *Speekzel.*

[**SALIVALE PRINCIPIUM**, vide *Saliva.*]

SALIVALES DUCTUS sunt tubuli quidam particulares, ex glandulis *parotidibus, maxillaribus, sublingualibus, buccalibus* et *labialibus* exorti, circa, vel prope gingivas se in cavitatem oris exonerantes, et salivam in his glandulis secretam emittentes. Ge. *Speichelgänge.* Ga. *Conduits de la salive.*

SALIVANTIA sunt medicamenta, quae salivam copiose eliciunt, inter quae mercurialia principem sedem obtinent. Gr. *σιαλαγωγά*. Ge. *Den Speichelfluss erweckende Arzneien.* Ga. *Remèdes, qui excitent,* ou *produisent la salivation.* A. *Remedies causing spitting.* B. *Quyl-middelen.*

SALIVARIS, vide *Pyrethrum.*

SALIVATIO est evacuatio copiosa humorum resolutorum et ad glandulas salivales affluentium per sputationem, quae potissimum efficitur mercurio, vel unctione, vel rarissime suffimigio, vel remediis mercurialibus vario modo praeparatis, interne assumtis, et in massam humorum delatis, observatis debitis in administratione huius curae cautelis. Adhibetur praecipue in lue venerea, aliisque morbis ei adfinibus, vel iis, qui a vitio lymphae et vasculis minimis obstructis pendent. Quandoque tamen in morbido statu sponte tanta huius liquoris evacuatur copia, ac si per artem excitata esset, similisque ptyalismus interdum etiam in febrium declinatione criseos loco, vel etiam in variolis confluentibus, sponte succedit. Ge. *Salivation, Speichelfluss.* Ga. *Salivation, les remèdes.* A. *Spitting, salivation.* B. *Kwyling, zalivatie, speeksel-vloed.*

SALIUNCA est Nardus celtica *Dioscoridis; Valeriana celtica* floribus triandris, foliis ovato-oblongis obtusis integerrimis *L.* (Triandr. Monogyn.). Crescit haec planta in alpibus, eiusque radices, quae ad nos adferuntur, sunt fibrosae, adnexis caulibus squamatis, vel foliis exsiccatis tectis. Saporis sunt acris, subaromatici et amari, fragrantiae singularis, quam per saeculum remanere lego. Viribus gaudent stomachicis, carminativis atque nervinis. Ingrediuntur theriacam et mithridatium. Dioscorides [lib. I. c. 7. ad q. l. cons. c. Sprengel] a patrio nomine *saliuncam* vocari scribit. *Celtica* dici videtur a loco natali, hinc nonnunquam *gallica,* vel etiam *spica Romana,* appellatur. [Commercium, quod olim florentissimum cum huius plantae in Africam totumque orientem transportatae radice fuisse, Sprengel narrat, nunc ob radicis raritatem valde imminutum esse, contendit Exc. Kunze ad Richard. *med. Bot. II. p.* 661.] Ge. *Celtischer Nardus, Magdalenenkraut.* Ga. *Nard celtique.* A. *Celtic spikenard.* B. *Spyknard.*

[**SALIVATUM**, quod et *salviatum* scribitur, est medicamentum, quo animalia salivantur, seu a nimia saliva, seu pituita liberantur. Plin. *h. n. XXVII. c.* 11. *Salivati tres modios* habet, ad q. l. Harduinus monet, salivatum esse potionis genus, quo veterinarii medici in aegrotantium animalium curatione utantur.]

SALIX arbor est satis magna, mediocriter crassa, cortice polito, tactui molli et flexili obducta, ramorum cortex est purpureus, vel albus. Lignum est album, flexile, fractu

difficile. Folia sunt oblonga, angusta, oleae similia, superne virentia, inferne candicantia, utrinque hirsuta, potissimum vero parte inferiore ac in extremitatibus virgarum supremarum, quandoque tamen glabra, interdum serrata, saporis amaricantis. Flos est amentaceus, plurimis nempe staminibus in spicam congestis constans, sed sterilis; embryones autem iis salicis speciebus innasci solent, quae floribus carent, spicati pariter, abeuntque deinde in fructum, seu capsulam corniformem, bifariam dehiscentem, seminibusque foetam pappo instructis. Species apud nos maxime frequens ac in locis irriguis nascens est Salix vulgaris alba arborescens *Bauh.* *Salix alba* foliis lanceolatis acuminatis serratis, utrinque pubescentibus, serraturis infimis glandulosis *Linn.* (Dioec. Diandr.) Viribus vero et fragrantia maxime praestans est Salix vulgaris rubens. *Bauh.* *Salix pentandra* foliis serratis glabris, flosculis pentandris *Linn.* Aquosis suis exhalationibus aëris aestum refrigerat, unde in cubiculis aegrorum febricitantium aquae imponi solet. Folia et iuli viribus subadstringentibus et refrigerantibus pollent; hinc externe in cephalalgia, agrypnia et haemorrhagiis commendantur. Succus foliorum expressus in otalgia prodest. Cortex qualitatis est amaricantis, et easdem, quam cortex Peruvianus, contra febres intermittentes virtutes habere dicitur. Pappus seminum passim in usum textorium et chartarium adhiberi coeptus est. Salix dicitur a saliendo, quod ea celeriter crescat, ut salire videatur. Gr. *Ἰτέα*, ab *ἰέναι*, quia it crescendo celeriter. [Continet cortex salicis albae, secundum disquisitionem Pelletieri et Caventou, materiem pinguem viridem, similem illi, quae in cortice Peruviano reperta est, ceram, pigmentum flavum saporis leniter amari, principium scytodepsicum, materiam e rubro fuscam, parum in aqua solubilem, gummi, fibram ligneam, acidumque nondum exploratae naturae, quod magnesiae nuptum sal format, aqua et spiritu vini facile solubile. Nuper ut succedaneum corticis peruviani commendatum est, quae vis mihi magis e magna principii scytodepsici quantitate (nam Davyus unciae corticis undecim eius grana inesse reperit), quam e praesentia peculiaris substantiae alcaloidis (salicines) repetenda esse videtur.] Ge. *Weide*, *Weidenbaum*, *Felberbaum.* Ga. *Saule.* A. *Willow*, *ozier*, *sallow-tree.* B. *Wilg*, *wilge-boom.*

SAL NITRUM, sive **HALINITRUM**, idem quod *nitrum*, seu *salpetra.*

SALOMONIS SIGILLUM, vide *Sigillum Salomonis.*

SALPETRA, i. q. *nitrum.*

SALPINGO-PHARYNGAEUS est musculus, qui utrinque oritur ab inferiore tubae Eustachianae parte, et in pharyn-

gis partem posteriorem simul cum stylo-pharyngaeo et palato-pharyngaeo inseritur, et pharyngem elevat.

SALSAMENTUM vel sumitur pro rebus, quae ad usum diuturnum sale condiuntur; vel pro aqua salsa, salsugine, vel muria, qua res eiusmodi condiri solent. Tales liquores salsi, quia putredini resistunt, in gangraena utiliter adhibentur.

SALVATELLA est vena, quae a brachii ramis et praecipue a vena cubitali externa, venae basilicae medianae propagine, in dorso manus tendit ad digitum minimum. Ge. *Die Milzader.* Ga. *La salvatelle.* A. *The salvatelle.* B. *De pinkader, milt-ader.*

SALVIA est plantae genus ad gymnotetraspermas verticillatas pertinens, (Diandr. Monogyn.) calyce monophyllo, corolla monopetala ringente filamentis bifurcatis. Species sub hoc genere quam plurimae continentur. Officinalis est Salvia maior *Bauh.* *Salvia officinalis* foliis lanceolatis, ovatis, integris, crenulatis, floribus spicatis, calycibus acutis *Linn.* Habet haec caulem ramosum, lanuginosum, lignosum, coloris viridis albescentis. Folia sunt oblonga, ampla, obtusa, rugosa, aspera, albescentia, crassa, lanuginosa, sicca, parum succulenta, spongiosa, diversi coloris, odoris penetrantis, fortis et grati, saporis aromatici, amari et acris, os calefacientis. Flores in summitate ramorum crescentes, et in spicas quasi congesti, sunt verticillati, galea falcata, vel fornicata, barba trifida, segmentum medium vix excavatum. Semina obrotunda quatuor, nigricantia, in capsula, quae flori tanquam calyx inservivit, inclusa. Radix fibrosa, dura, lignosa. Qualitatis est spirantis, amarae, subaromaticae, viribusque tonicis, nervinis, stomachicis et uterinis gaudet. Folia gingivarum putredini resistunt. Infusum in angina prodest. Prostat in officinis aqua, spiritus et oleum destillatum. Planta Sinensibus valde adamata. Crescit in Italia et Gallia australi. Apud nos in hortis colitur. Dicitur quasi salvatrix, quod multis incommodis medeatur, aegrosque salvos praestet. Alii a saliva, quam masticata elicit, dictam putant. Gr. Ἐλελίσφακον, quoniam illa herba semper retorrida et exsucca videatur, factum est, ut Graecis *Elelisphacon*, quasi in tabem redacta, vel in siderationem flaccescens dicta sita: *ἐλελίζειν, clamare,* et *σφάκος, saliva,* vocibus in unam coalescentibus appellationem. Est autem *σφάκος,* seu potius *σφάκελος,* malum in plantis, cum per aestatem et ardentissimum canis aestum, vi solis altius penetrante, humoreque, quo nutriuntur, deficiente, languent et arescunt. [Vid. Diosc. III. c. 35. ubi non solum denominatio *ἐλελισφάκον*, sed et alia cum graeca, tum aegyptiaca et romana nomina occurrunt. Hischius ex herbae recentis sex cum semisse libris accepit succi obscure viridis libras duas et octo

semuncias, acidum malicum liberum, materiam extractivam, cum peculiari substantia animali et kali nitrico coniunctam, gummi, et viride amylum continentes. Hoc amylum e resina viridi et albumine compositum erat. Massa post expressum succum residua et siccata continebat resinam viridem, materiam extractivam, gummi et fibrosas partes. Denique in commemorata herbae recentis quantitate septuaginta octo olei aetherei grana reperiebantur. Quae quidem analysis minus accurate instituta esse videtur.] Ge. *Salbey.* Ga. *Sauge.* A. *Sage.* B. *Salie*, *zelf*, *zalvie.* — *Salvia arestis* est *Teucrium Scorodonia Linn.*

SAMBUCUS arbor est, vel arbuscula, (Pentandr. Trigyn.) cuius variae dantur species. Quae apud nos est maxime frequens, est Sambucus fructu in umbella nigro *Bauh.* *Sambucus nigra*, cymis quinquepartitis, caule arboreo *Linn.* Huius rami sunt longi, rotundi, medulla multa, alba repleti, lignum rarum habentes, initio virides, deinde grisei. Truncus cortice aspero obductus est, fisso, colore cinericeo: sub hoc exteriori cortice latet alter viridescens. Eius lignum est solidum, flavescens. Folia quinque, vel sex, ad unam costam instar nucis iuglandis, sed minora, in margine dentata et odoris fortis: rami in summitate habent umbellas amplas et latas, quibus adhaerent flores parvi, monopetali, rotati, multifidi, albi, odoriferi, quorum meditullium a mucrone calycis, tanquam a clavo, perfoditur. Calyx autem deinde abit in baccam instar grani Iuniperi crassam, rotundam, initio viridem, sed per maturitatem nigram, succo valde rubro repletam, seminibus ut plurimum tribus oblongis foetam. Vocantur siccatae baccae *grana actes.* Huius plantae frequens adeo et salutaris in medicina usus est. Cortex medianus, vel in decocto, vel in succo expresso, adhibitus alvum et urinam valide movet, et ut eximium remedium antihydropicum commendatur. Foliorum quidem qualitas subfoetida est et nauseosa, externe tamen applicata inflammationem discutiunt, doloresque sedant. Flores fragrantia, viribusque anodynis, diaphoreticis et diureticis pollent; hinc frequenter satis in infuso et epithemate adhibentur. Prostat e floribus aqua, spiritus, acetum, oleum infusum, destillatum et unguentum sambucinum. Baccae aperiunt, resolvunt alvumque leniter movent. E baccis prostat rob, tinctura, extractum et spiritus. — *Fungus sambucinus* vide *Auricula Iudae.* — Crescit haec arbor humectis praesertim et tenebrosis locis, iuxta sepes et muros. Videtur ab auctore appellata, cui nomen *Sambyx* fuit, vel a *Sabacu*, musico instrumento, quod alii pectida nominant, alii Magadin. Gr. ἀκτὶς et ἀκτῆ, forte a *littore*; quod fluviorum littora amet, vel ab ἄγω, *frango*, quod undae littoribus allisae frangantur; sed a contrario ἀκτῆ dicta esse

potest, quod non facile a ventis propter flexibilitatem frangatur, vel ab ἄγω, quod facile ob eandem flexibilitatem ducatur. — *Sambucus humilis*, vide *Ebulus*. Ge. *Holderbaum, Hollunderbaum, Hollunderstaude.* Ga. *Sureau.* A. *Elder-tree.* B. *Vlier-boom, vlaar-boom, holder-boom.* Nonnulli derivant ab Hebr. *Savac, implicari.*

SAMPSUCHUM et **SAMPSUCHUS** dicitur *Maiorana*, vel *Amaracum*.

SANAMUNDA dicitur *Fuchsio* Caryophyllata: quia sanat et mundat. Vide *Caryophyllata*.

SANCTI VITI CHOREA, vide *Chorea sancti Viti*.

SANCTUM LIGNUM, vide *Guaiacum*.

SANDARACHA ARABUM, vulgo *vernix*, est gummi iuniperinum, in regionibus calidis e maiori Iuniperi specie [seu potius Thujae articulatae Broussoneti] sponte exsudans et calore condensatum, colore [dilute flavo] mastichem referens, sed globulos habet longiores; est friabile, saporis resinosi et odoris, cum accenditur, fragrantis. In spiritu vini et oleis totum fere solubile, menstruis aquosis resistit, hinc substantiae est maxime resinosae. [Materiam, quae ab hoc menstruo non solvitur, Giese *Sandaracinem* appellavit. Vid. infra *Sandaracine*.] Viribus cum mastiche convenit. Externe virtute vulneraria et nervina pollet; rarior tamen eius hodie usus est. Ge. *Wachholdergummi.* Ga. *Sandaraque des Arabes.* A. *Gum sandarach.* B. *Zandrak, vernis, jenever-gom.*

SANDARACHA GRAECORUM, REALGAR, vel **RISIGAL ARABUM** est substantia mineralis, rubra, splendida, magis vel minus transparens, inflammabilis, tumque foetorem allii spargens, constans ex arsenico cum sulphure coniuncto. Invenitur in Transsylvania, Turcia et Suecia. Qualitate venenata cum arsenico fere convenit. Usus pictorius et veterinarius est. In India vascula conficiunt, quibus vinum viribus emeticis imbuendum infundunt, idque hauriunt incolae non nisi validissimis dosibus movendi. Datur etiam realgar factitium ex arsenico et sulphure praeparatum. [Rationem, qua arsenicum et sulphur in sandaraca Graecorum Diosc. V. c. 121. invicem mixta sunt, varii chemici diversam invenerunt. Berzelius enim in centum eius partibus 70,04 arsenici, et 29,96 sulphuris, Klaprothius illius 69, huius autem 31 reperit.] Vide *Arsenicum*. Ge. *Rother Sandrach.* Ga. *Réalgar.*

[**SANDARACINE** est illa pars sandaracham constituens, quae ab alcohole rectificato non solvitur. Siccata coloris ex albo cinerei est, admodum fragilis, a flamma ellychnii inflammabilis, accensa vividam, et multum fuliginis exhalantem flammam exhibens, carbonemque nigrum atque splendentem relinquens, e quo alcohol calidus exiguam partem sol-

vit, quae aqua affusa iterum deiicitur. Facile atque perfecte ab aethere sulphurico solutam alcohol affusus sub alborum flocculorum forma praecipitat. Alias sandaracines qualitates e Giesei commentatione enumeravit Vir Ampliss. Fechner *in Repert. d. org. Chem. Vol. I. Pa.* 3. *p.* 1355. Klaprothus autem Giesei opinionem erroneam pronuntiavit, cuius tamen partibus Johnius in *Chem. Lex. IV. p.* 100. accedere non videtur.]

SANDIX, **SANDYX** est calx plumbi ad rubedinem exusta. Vide *Minium.* [Non hac solum, quam Blancardus attulit, notione sandyx apud veteres occurrit, sed videtur planta quoque eodem nomine insignita esse. Johnius (*Chem. Lex. Th. II. p.* 257.) in Virgil. *eclog. IV.* 45. *Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos*, Rubiam tinctorum intelligi putat. Sed non intelligo, quomodo dici queat, hanc plantam agnos vestire. Plinius *hist. nat.* 35. 6. plumbi oxydum, cerussam, in fornace coctam, formare sandaracham adulterinam. Cons. Salmasius ad *Solin. p.* 810.]

SANGU est arbor Africana, procera, spinosa, ad Cedros forte pertinens, cuius lignum in Numidia album, in Lybia violaceum, in Aethiopia nigrum esse dicitur. Resina exstillans Mastichi similis est. Decoctum ligni viribus diaphoreticis pollet. Ga. *Ettalche.*

SANGUIFICATIO, vide *Haematosis.*

SANGUINALIS et **SANGUINARIA**, vide *Coronopus.*

SANGUIS est liquor rubicundus, venis, arteriis aliisque sinubus corporis contentus, compositus ex succis alimentorum, in *chylum* mutatis, et per lactea vasa in venas infusis, et circulatione diuturna, actione cordis, pulmonum, aliorumque viscerum et arteriarum mutatus in animalem indolem, et colore adscititio inde rubro gaudens; ex attritu particularum magis, quam aër ambiens, calens; inserviens nutritioni et vitae sustentaculae, et ex quo omnia reliqua liquida animalia secernantur. Nullum signum acidi, vel alcali, exhibet, sed leviter salsum saporem habet; detexitque microscopium, quod sanguis ruber ex globulis componatur, qui in sero natant et tam parvi sunt, ut horum centena millia mole sua arenulam aequare non possint. Sanguis animalis recenter emissus sponte in duas partes secedit, rubicundam scilicet et cohaerentem, quae *cruor*, vel *purpura* vocatur, alteram magis dilutam, vel aquosam, quae *serum* dicitur. Inest tamen etiam praeter has partes sanguini pars fibrosa, iterata ablutione albescens, ex filamentis velut in membranas contexta, aqua non solubilis, sero igne coacto haud absimilem referens materiam. Haec *crassamenti* basis, a portione rubra et etiam a sero longe diversa est, quum sponte solidescat, sanguine frigente, stagnante, a sero semet segreget, rubrisque particulis amicior has trahat sibique

adunct. Substantia haec vitiose in morbis inflammatoriis concrescit. Vide *Phlogisticus sanguis.* — Sanguinis quantitas pro ratione corporis vix exacte determinari potest. Per analysin quidem chymicam probatur, sanguinem continere aquam, sal volatile, oleum, carbonem, scilicet terram cum sale fixo et paucissimam terram martialem, quorum quidem elementorum diversa proportio varia temperamenta maxima ex parte constituit, variorumque morborum causa est. [Quae nostro tempore de sanguinis partibus, in quas in aëre atmosphaerico sibi relictus secedit, et de partibus elementaribus, quibus illarum quaelibet constat, nota sunt, haec fere sunt: Sanguis, e vasis corporis animalis prodiens, liquor glutinosus est, aequalis consistentiae, ponderis specifici in homine =1,050, saporis leniter salsi, caloris in homine 98° scal. Fahrenh., coloris rubicundi, in quiete in duas, a Blancardo memoratas, secedit partes, *placentam,* s. *crassamentum sanguinis,* s. *cruorem* et *serum.* Prior pars e duplici materia composita est, *fibrine* et *pigmento* sanguinis *rubro.* Si enim cruorem affusa aqua saepius eluimus, perit rubedo remanetque materia alba fibrosa, cuius quantitas in centum sanguinis partibus aequat 0,075. In cineres redacta exhibet calcem phosphoricam, magnesiam phosphoricam, parum et calcis carbonicae et natri. Cruoris rubedo aut a peculiari quadam materia, quae quoniam rubrum colorem producit, *erythrogenium* (ab ἐρυθρὸς, *rubicundus,* et γένεσθαι, *fieri, oriri*) dicta, aut a ferro derivata est. Priorem sententiam Brande in *Philos. Transact.* 1812. tuitus est; posteriorem qui amplectuntur, in duas abeunt quasi familias, quarum altera cum Fourcroy et Vauquelino contendit, ferrum tanquam ferri oxydati salinam materiem cum organica massa non colorata iunctam, sanguini inesse, altera ferri tantum partes elementares una cum calcio, sulphure, phosphoro, carbonio, hydrogenio et azotico materiae organicae combinationem efficere, quae si per incinerationem dissolvatur, acidum phosphoricum, oxydum ferri, calcem al. formari. Vid. J. F. Engelhart. *comm. de vera mat. sanguini purpureum color. impertientis.* Gott. 1824. 4. In seri sanguinis mille partibus secundum Berzelii experimenta insunt aquae 905,0, albuminis 80,0, kali natrique muriatici 6,0, natri galactici, materiae animali nupti 4,0, natri et puri cum pauca materia animali, et phosphorici 4,1.] De *circulo sanguinis,* vide *Periodus sanguinis.* Gr. *Αἷμα, ἔαρ, Poët.* Ge. *Blut, Geblüt.* Ga. *Du sang.* A. *Blood.* B. *Het bloed.*

SANGUIS DRACONIS, (herba) est Lapathi species, cuius costae rubicundum habent colorem, scilicet Lapathum rubens *Dod.* Lapathum folio acuto rubente *Bauh.* *Rumex sanguineus Linn.* floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis, unica granifera, foliis cordato-lanceolatis. (Hexandr.

Trigyn.) Folia in usum cibarium cedunt, et virtute laxante refrigerante pollent. Usus quoque tinctorius est. Valvula exterior floris grano magno globoso rubro notata, rarius et altera grano minimo. His granis vis adstringens et anodyna tribuitur. [Ge. *Blutrother Ampfer, Blutkraut, Drachenampfer,*] *Drachenblut, rothblätteriche Mengelwurzel.* Ga. *Sang de dragon, patience rouge.* A. *Dragons-blood,* [*bloody dock.*] B. *Drake-bloed, zwarte,* sive *roode patig, bloedkruid.*

SANGUIS DRACONIS est resina rubra, penitus in spiritu vini alcoholisato solubilis, saporis adstringentis, profluens ex arbore *Draco* dicta, diebus canicularibus partim sponte, partim vulnere cortici illato, quae solis aestu tum exsiccatur: adfertur nobis in folliculis ex foliis huius arboris convolutis. Arbor ista crescit in insula Porto sancto aliisque insulis Canaricusibus; truncus est admodum durus, superius dividitur in octo et plures ramos, qui iterum subdividuntur, in cuius extremitate folia se erigunt instar Pancratii, vel Yuccae Americanae. Est Palma prunifera foliis Yuccae; cuius flores floribus Asparagi et fructus Cerasis similes sunt, colore subflavo, gustu subacido. Intus dicunt, detracta pelle, draconem, qualem pictores solent accedente imaginatione repraesentare. Haec resina *Cinnabaris Dioscoridis,* [V. c. 109. ad *q. l.* Sprengel vid.] et veterum fuisse creditur. *Kaempferus* notat, duplicem nobis exhibere sanguinem pharmacopolia, haudquaquam sola puritate, quod creditur, sed ipso genere arborum, ex quibus colligitur, differentem: unum nimirum in glebis, cuius ex Occidente quoque; alterum in guttis, cuius ex solo Oriente nobis fit copia. Ille in Canariensi insula manat ex dehiscente caudice arboris pruniferae cuiusdam, Draco dictae, de qua mox dictum est. [Hac in re errat Blancardus. Nam cum Rumphius arborem, in sylvis Indiae orientalis crescentem, *Palmi-iuncum draconem* appellaverit, non potést Rumex sanguinolentus, de quo in proxime antecedentibus expositum est, intelligi. *Calamus Rotang* L. aut etiam *Calamus Draco* Willd. potius intelligendus est.] Idem ex arbore Santalina rubra prolicitur. Ita sentire persuasit communis lacrymae cum Santalo color, bonitatis nota, virtus et demum patria, videlicet Cholomandela (vulgo Coromandel), Madagascar et Aethiopia. Suffulcit opinionem etymi inter diversas gentes cognatio et consensus: quandoquidem vocabulo, quo Persae draconis succum *Chuni Sengijoon,* id est sanguinem Sangibarensem, nuncupant, eodem quoque gentiles Gangetici, Santali rubri lignum indigitant. Ex alia rursus arbore eundem succum derivari contendunt alii: nec mirum, dissentire de illius natalibus, addit *Kaempferus.* Varium enim adulterium, quin supposititium huius nominis genus, quod arte componitur, et pro encau-

stis et pictoribus venale prostat, variam coniecturae et erroris occasionem ignaris rimatoribus suppeditant. De hoc vero posteriori, quem *sanguinem in guttis* appellant, inter Nigritas Orientis, Malaios, Iavanosque exploravit auctor, quod artificio eliciatur ex fructu parvulo, strobili figura, arboris *μονοβλάστου* spinosissimae, quae est Draco Indica siliquosa, populi folio, Angsana Javanica *Comel.* Lingoum *Rumph.* *Pterocarpus draco Linn.* (Diadelph. Decandr.). At et variae aliae sunt arbores et plantae Indicae, quarum succus resinosus induratus sub Sanguis draconis nomine ad nos adfertur, v. c. *Calamus Rotang Linn.* et *Dracaena draco Linn.* Conveniunt omnes hi succi qualitate friabili, styptica, inodora, viribusque incrassantibus et adstringentibus. Hinc usus in haemorrhagiis, diarrhoea et dysenteria, minus tamen forte tutus, internus commendatur; frequentior est et longe tutior in pulveribus dentifriciis usus, cum dentes firmat, et gingivas scorbuto adfectas sanat. [De principio alcaloide nuper in hoc succo detecto, vide sub *Draconine.*] Gr. *Αἷμα δρακόντιον.* Ge. *Drachenblut.* Ga. *Sang-dragon.* A. *Dragons-blood.* B. *Draken-bloed.*

SANGUISORBA est herba Pimpinellae similis, perianthio diphyllo, petalo quadripartito plano, capsula parva, biloculari, polysperma (Tetrandr. Monogyn.). Species officinalis est *Sanguisorba* spicis ovatis *Linn.* Pimpinella sanguisorba maior *Bauh.* Sic dicta, quod vulneribus iniecta ferrum et spicula facile et citra sensum doloris exigat, ut nonnulli arbitrantur: sed potius, quod ei in sistendo sanguine, undecunque emanarit, mira admodum insit efficacia; adeo ut hunc ipsum absorbere videatur. Idem quod *Pimpinella rubra.* Ge. *Rothe Pimpinelle, Wiesenknopf, Drachenblut,* aliaque plura. Ga. *Pimprenelle rouge, grande pimprenelle des prés.* A. *The great burnet, meadow sanguisorba.* B. *Sorbenkruid, bloedkruit, wilde pimpernel.*

SANGUISUGA, i. q. *hirudo.*

SANICULA est planta officinalis, (Pentandr. Digyn.) quae plurima folia habet ex radice erumpentia, lata, obrotunda, dura, in quinque partes divisa, denticulata, polita, pulchri coloris viridis, splendentis, et interdum in margine rubra, pediculis longis adhaerentia. Caules ex his enascuntur, inferius rubicundi; et in summitate habentes flores rosaceos et umbellatos, in capitulum conglobatos, quinque petalis constantes in orbem positis, ad centrum floris plerumque reflexis, et calyci insidentibus: is autem abit in fructum ex duobus seminibus compositum, hinc gibbis et echinatis, inde vero planis. Ex floribus nonnulli saepe steriles sunt. Dicitur et *Diapensia.* A vulneribus sanandis nomen traxisse vulgo constat; vires enim eximias resolventes, abstergentes et vulnerarias, tam interne, quam externe, adhibita exse-

rit. Saniculac nomine a quibusdam etiam aliae plantae denotantur ad diversa genera pertinentes. Ge. *Sanikel, Sanikle, Kranickel, Bruchkraut.* Ga. *L'herbe St. Laurent, la sanicle.* A. *Sanicle.* B. *Sanikel, bruik kruid.*

SANIES est in vulneribus, vel ulceribus, materia pure tenuior, acrior, sanguinolenta; omnia vascula, quae in sinu ulcerato attingit, erodens cum dolore. Ge. *Blutiger Eiter, dünner Eiter, Jauche.* Ga. *Sanie, matière sanguinolente.* A. *Bloody matter.* B. *Bloedige etter.*

SANITAS, vide *Hygieia.*

SANLEY sunt radices Acori veri palustris in China provenientis, quae in taleolos scissae et exsiccatae in thecis plumbeis asservantur, et, ob eximias vires alexipharmacas, quas tum externe, tum interne adhibitae in morbis malignis et morsu venenatorum animalium praestant, in summo pretio habentur.

SANTALUM LIGNUM triplex est, *album, citrinum* et *rubrum.* Duo priora sunt meditullium lignosum arboris indicae procerae, bacciferae, *Sarcanda* dictae (Octandr. Monogyn.). Utrumque lignum qualitatis est fragrantis et aromaticae, saporis amaricantis; eius tamen rarior hodie in medicina usus est. Subvenenatam ligni recentis indolem pessima febris cum deliriis testatur, qua incolae, dum hoc lignum caedunt, comprehendi dicuntur. Crescit in India, Siam, Timor et Solor. Rubrum ab alia arbore Indiae orientalis provenit, flore papilionaceo, fructu siliquoso, quae incolis *Pantaga* vocatur. Lignum est densum, ponderosum, coloris obscure rubri, fere nigricantis, fibrosum, et quasi nodosum, odoris nullius, saporis subadstringentis. Usus hodie pariter rarus in medicina, frequentior rubro-tinctorius. Extracto per menstruum spirituosum saltem praeparando interdum medicamenta tinguntur. *Santalum caeruleum* vide *Nephriticum lignum.* Ge. *Sandelholz.* Ga. *Santal, sandal.* A. *Sanders,* sive *saunders.* B. *Sandel-hout, sandelboom.*

SANTOLINA, Abrotanum foemina foliis teretibus *Bauh.* *Santolina chamaecyparissus* pedunculis unifloris; foliis quadrifariam dentatis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) est planta, quae instar arbusculae habet caules, vel virgas lignosas, leviter lanugine obductas, teneras, ramosas. Folia parva, valde angusta, cana, minutim denticulata, ita ut quatuor fere denticuli in eadem phalange agminatim dispositi conspiciantur, odore medicamentoso, et cum quadam suavitate gravi, sapore partim acri, partim amaro. Flos est flosculosus, globosus, plurimis scilicet flosculis constans multifidis, embryoni insidentibus, foliolis imbricatis intermediis, et calyce squamoso quasi hemisphaeriis comprehensis. Embryo autem deinde abit in semen, pappis nequaquam instructum. Viribus gaudet balsamicis, tonicis, pellentibus,

carminativis, praecipue vero anthelminthicis. Rarius hodie interne, frequentius externe, adhibetur. Sunt tamen, qui decoctam cum lacte summopere contra vermes commendent. Habitat in Europa australi. Nomen videtur habere a Santonibus, Galliae Aquitaniae populis. A. *Lavender cotton.* B. *Cypres kruid, wysjes-averoone.* Ge. *Cypressenkraut.* Ga. *Garderobe, santoline à feuilles de cypres, aurone femelle* etc.

SANTONICUM, seu **SEMENTINA**, **SEMEN CINAE**, **SEMEN SANCTUM**, **SEMEN CONTRA VERMES**, est semen constans e granis exiguis e viridi flavescentibus, intermixtis foliorum et caulium quisquiliis ex oriente ad nos adlatum, odoris atque saporis subaromatici, nauseosi, amaricantis. Planta, quae id semen profert, creditur esse Absinthium Santonicum iudaicum et alexandrinum *Bauh.* *Artemisia iudaica Linn.* foliis caulinis obovatis, obtusis, lobatis, parvis, floribus paniculatis pedicellatis; vel Artemisia foliis caulinis linearibus, pinnato-multifidis, ramis indivisis, spicis secundis reflexis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.). Crescit in regno Boutang Mogolis, Caramania Persica, Palaestina, Arabia, Numidia. Semen pollet viribus balsamicis, tonicis, stomachicis, praecipue vero anthelminthicis. Hinc frequens eius vel in confectione, vel in decocto, usus contra vermes est. Nomen forte habet a Santonibus, Galliae Aquitaniae populis, apud quos copiosissime provenire dicitur. [Varias plantas, quae semina contra vermes largiuntur, enumeravit Exc. Kunze ad Richardi *l. c. to. II.* p. 612. A pluribus chemicis, Trommsdorffio, Wackenrodero al., chemicae analysi subiecta sunt, cuius summam retulit Cel. Fechnerus (*Resultate d. b. jetzt unternom. Pflanzenanal.* p. 3. sq.)] Ge. *Zitwersaamen, Wurmsaamen.* Ga. *Barbotine, poudre à vers, semence contre les vers, santoline, semencine, xantoline.* A. *Worm wood, worm seed.* B. *Wormkruid, zeverzaad.*

SAPA, vide *Apochylisma* et *Defrutum.*

SAPHAENA [rectius *Saphena*] est venae cruralis ramus internus, qui per interius cruris latus sub cute fertur ad malleolum internum, ubi cum aliorum ramulis varie inosculatur, et in dorso pedis ad pollicem excurrit. Hanc antiqui in uteri affectibus frequentissime secabant. Forte a σαφὴς, *manifestus,* quia manifeste demonstrari potest. Ge. *Die Frauen- oder Rosenader.* Ga. A. *Saphène.* B. *De moeder-ader.*

SAPHATUM est exulceratio crustosa in capite, non absimilis achori. Vide *Achor.* [De *Saphati,* morbo sub hoc nomine a Serapione, noni seculi scriptore, descripto, diligenter egit C. Sprengel (*Beitr. z. Gesch. d. Med. III. p.* 90. sq.), ostenditque nomen illud ab initio nihil aliud, quam quod Graeci sub achoribus intelligebant, designasse, serius autem ab Ali Abbas filio sic nominatum fuisse malae notae ulcus, quod crassum spissumque et contagiosum pus fundat, fa-

ciemque et collum creberrime obsideat. Haec morbi forma maximam cum Iaws similitudinem habet.]

SAPHIRUS est gemma caeruleo colore, pellucida et diaphana. Gemma pellucidissima, duritie tertia, colore caeruleo in igne fugaci *Wall.* Alumen Gemma pretiosa, lapidosum, pellucidissimum, solidissimum, caeruleum *Linn.* Sunt aliquae colore caeruleo albidae, aliae caeruleo saturo: hae mares, illae foeminae olim appellabantur; aliae omni colore carent, albaeque, vel leucosaphiri vocantur. Color in igne facile aufertur. Inter fragmenta quinque lapidum pretiosorum refertur, cum ei olim insignes vires cordiales, alexipharmacas et ophthalmicas tribueret credulitas. Rarius hodie in medicina adhibetur, nisi in antiquioribus quibusdam, quas ingreditur, compositionibus. [Ad quintum genus lapidum, quorum praecipua pars alumina est, pertinet, durissimamque huius generis speciem constituit. Klaprothii analysis chemica in centum partibus aluminae 98, 50, oxydi ferrici 1, calcis 0, 50 invenit. Sapphirum veterum, a Theophrasto, Diosc. V. c. 156. Galeno al. memoratum, Beckmannus (*Gesch. d. Erfind. IV. p.* 185.) lapidem Lazuli esse demonstravit. Nomen σάπφειρος semiticum esse contendit Sprengel. ad Diosc. to. II. p. 659. sq.] Ge. *Ein Sapphir.* Ga. *Saphir, jélésie.* A. *Saphire.* B. *Sapphier.*

SAPIENTIAE DENTES, vide *Dentes.*

SAPINUS est abies, sive ipsius arboris infima pars, quae enodis est.

SAPO est proprie compositum ex sale alcalino et oleo expresso, vel destillato, coctione unitis, et redactis ad materiam consistentem, vel plane solidam, in aqua solubilem, praeditum virtute miscendi oleosa aquosis, et abstergendi quasvis sordes: qui cum oleo unguinoso animali, vel vegetabili fiunt, *sapones fixi,* vel *vulgares* dicuntur; qui vero ex oleis aethereis, aut salibus volatilibus praeparantur, *sapones philosophici, starkeyani,* vel *volatiles* dicuntur. Sapones fixi rursus vel *molles* sunt, vel *duri,* quorum priores e lixivio cum unguinoso animali conficiuntur et potissimum in usum oeconomicum adhibentur; *duri* vero e purissimis oleis expressis, ut amygdalarum, vel olivarum, addito lixivio, praeparantur, et tales in officinis prostant Hispanicus, vel Alicantinus, Venetus etc. Saponis in medicina usus frequentissimus, tum internus, tum externus est, dum ob eximias vires resolventes, incidentes et abstergentes summo cum fructu in infarctu et obstructione viscerum, cachexia, ictero, calculo, tumoribusque duris adhibetur. [Conf. quae de saponis confectione variisque eius formis Dulkius in Pharmacop. Bor. I. p. 758—765. habet.] Ge. *Seife.* Ga. *Savon.* A. *Soap.* B. *Zeep.*

SAPONARIA est plantae genus flore caryophyllaeo, (Decandr. Digyn.) calyce monophyllo, oblongo, quinquefido, petalis quinque, capsula longitudine calycis tecta, uniloculari, cylindrica, polysperma. Species officinalis est Saponaria maior laevis *Bauh.* *Saponaria officinalis* calycibus cylindricis, foliis ovato-lanceolatis *Linn.* Habet scilicet haec caules tenues, rotundos, nodosos, rubicundos, valde teneros. Folia sunt ampla, nervosa, Plantaginis foliis similia, sed minora. Flores crescunt in summitate ramorum; pentapetali, ut plurimum coloris pulchre purpurei, interdum rosei, aliquando albi, odoriferi. Floribus succedunt fructus, plurimis seminibus tenuibus, obrotundis, rubris focti. Radix est longa, rubra, nodosa, oblique repens in terra. Sic dicitur, quod saponis loco substitui potest ob succum ei insidentem vere saponaceum, et ob quem aqua, in qua haec folia teruntur, spumescit. Viribus gaudet sudoriferis, diureticis, emmenagogis et anthelminthicis. Hinc decoctum herbae et radicis in cachexia, leucorrhoea et morbis venereis commendatur, ipsique Sarsaparillae a quibusdam praefertur. [Bucholz (*Taschenb.* 1811. *p.* 13.), qui chemicam radicis analysin suscepit, in ipsa reperit resinam mollem fusci coloris, saponinen, de qua vide suo loco, materiam extractivam induratam, gummi, cui parum materiae adhaerebat, cum bassorine similitudinem habentis, et aquam.] Gr. ap. Diosc. II. 192. *στρουθίον*, [in Dioscoridis novissima editione, si vera sunt, quae Etym. M. p. 730, 30. monuit, falso *στρούθιος* pro *στρουθίος* legitur], aliis *radicula* et *lanaria.* Vide *Struthium.* Ge. *Waschkraut, Seifenkraut, Speichelwurzel.* Ga. *Saponaire, herbe à foulon.* A. *Soap-wort.* B. *Zeep-kruid.*

SAPONARIAE NUCULAE, Saponariae sphaerulae arboris filicifoliae *Bauh.* Baccae Bermudenses *Marloe* sunt fructus exsiccati, Cerasi magnitudine, sub involucro inflato, flavo et transparente nucleum album, dulcem, putamine duro nigro reconditum, continentes. Arbor in America, praecipue Iamaica et Brasilia, proveniens est Prunifera racemosa, folio alato, costa media membranulis utrinque exstantibus donata, fructu saponario *Sloan.* Nucifera arbor Americana, fructu saponario nigro orbiculato *Pluk.* *Sapindus saponaria* foliis imparipinnatis, caule inermi *Linn.* (Octandr. Trigyn.). Calyce est tetraphyllo patente, corolla tetrapetala, calyce minori, capsulis tribus globosis, connatis, inflatis, quarum tamen una saltem plerumque ad maturitatem provenit. Fructus [carnosus exterius saporis est intense amari, proptereaque omnibus animalibus maximopere adversatur], in aquam calidam immersus hanc spumescentem, incolisque ad usum lotorium aptam reddit. Materia saponacea pariter in spiritu vini solubilis est. Hinc tinctura et ex-

tractum summopere in cachexia et chlorosi [fluxus menstrui retardatione] commendantur. Rarissime tamen apud nos hi fructus prostant. [Maxima tamen cautione in eius usu opus est ob principii amari intensitatem.] Ge. *Seifenbeeren, Knopfpfeifenbeeren.* Ga. *Savonnettes, pommes de savon.* A. *Soapberries.*

SAPONEA est linctus ex amygdalis confectus.

[**SAPONINE**, quam Pfaffius nihil aliud, quam materiam extractivam acrem, fauces irritantem esse putat, est, e Bucholzii sententia, peculiaris pars constitutiva radicis non solum Saponariae officinalis L. sed et aliarum plantarum, quae paratur, si aut extractum aquosum cum fervente spiritu vini extrahitur, liquorque ad crystallisationis punctum usque evaporatur, aut extractum cum spiritu vini factum aquae auxilio extrahitur. Crystalli sunt badii coloris, pellucidae, durae, friabiles; saporem imprimunt linguae, ab initio subdulcem, leniter amarum, serius peculiari modo mordentem, faucesque continuo irritantem: laccam musivam rubefaciunt.]

SAPOR, vide *Gustus.*

SAPOTA, *Achras sapota Linn.* Sapota fructu ovato maiori *Plum.* Est arbor procera Indiae occidentalis, ferens fructus gratissimos acidulos, tres nucleos, vel amygdalas, [Ge. *Sapotillkörner.*] continentes, quae in emulsione propinatae eximiis viribus diureticis et lithontripticis pollere dicuntur. Num haec arbor eadem sit cum Sappadilla, quae est annonae species, dubium adhuc est. Illa enim habere dicitur calycem pentaphyllum, florem pentapetalum, baccam ovatam, quinquelocularem, continentem semina solitaria, subovata, compressa, hinc denticulo prominentia, nitida, [coloris nigri splendentis, saporis amari. Urinam movere dicuntur.] Aeque incertum est, quae sit arbor, quam *Lemery zapotum*, vel *zapotam* vocat, incolis Cochit-Zapotl dictam, quippe cuius fructus, praecipue semina summe venenata dicuntur. [Grana Sapotillae.] Ge. *Sapotille.* Ga. *Sapotiller.*

SARACENICA SOLIDAGO, vide *Virga aurea.* Dicitur etiam *herba fortis*, vel, ut quibusdam placet, *sortis;* forte a Saracenis reperta fuit. Ge. *Der Heiden Wundkraut.* Ga. *Verge dorée.* A. *Consound of Saracens.* B. *Heidens-wondkruid.*

SARCITES, [est intumescentia carnis, inde vox a nonnullis pro *anasarca* et *leucophlegmatia* usurpata est. Kraus. sarciten adiposum et flatulentum habet. Graeca lingua non agnoscit hanc vocem.]

[**SARCITIS** a Gr. σάρξ, gen. σαρκὸς, *caro,* est inflammatio carnosae partis, seu musculi aut plurium, v. c. a rheumatismo acuto.]

[**SARCOBASIS**, penultima brevi, est terminus technicus

recentiorum botanicorum, quo carnosum receptaculum designare solent. A σὰρξ et βάσις, *fundamentum.*]

[SARCOCARPIUM s. SARCOCARPUS est fructus carnosus, qualem poma habent. A σὰρξ et καρπὸς, *fructus,* s. κάρπιον, *parvus fructus*, quam tamen vocem graeca lingua non agnoscit. Καρπεῖον quidem legitur in Aristoph. teste Poll. VII. 149. sed cum nonnisi *usum fructum* denotet: non potest huc trahi.]

SARCOCELE, SARCOMA SCROTI est excrescentia testiculi, quae ab eius inflammatione et scirrho diversa est; in scirrho enim maior est durities, quam est nativa durities testiculi, non in sarcocele; in phlegmone testiculus acute dolet, brevi intumescit; sarcocele vero sensim et sine sensu excrescit. *Sauv.* Oritur ab obstructione, vel laesione vasorum testiculi ab inquinamento venereo, vel a contusione et violentia externa, et totum testem, omniaque eius vasa ita replet, ut multo gravior, maiorque evadat: cumque eodem, ac herniae, loco fiat, κήλη vocata fuit, quamvis hic hernia proprie non adsit. Ex σὰρξ, *caro,* et κήλη, *tumor.* Ge. *Fleischbruch.* Ga. *Sarcocéle.* B. *Een vlees breuk.*

SARCOCOLLA est lacryma gummea in granulis, pollini thuris similis, colore subruffo, vel flavo, sapore amaro, dulcedinemque Glycyrrhizae aemulantem post se relinquente, spongiosa, friabilis, in aqua penitus, in spiritu vini maximam partem solubilis, ad ignem spumescens et inflammabilis. Adfertur ad nos ex Persia, Arabia felici et Aethiopia. Profluit ex arbore quadam exotica, spinosa et nodosa, eiusdem cum lacryma nominis, quae tum sponte, tum sauciata, lacrymam illam profundit. Est haec Tithymalus myrsinitis specie arbuscula Aethiopica, subrotundis foliis, Stoechadis Arabicae squamato capitulo, lacrymam fundens *Pluk.* *Penaea sarcocolla* foliis ovatis planis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) calyce diphyllo, corolla monopetala, campanulata, quadrifida, capsula tetragona, quadriloculari, quadrivalvi, seminibus binis oblongiusculis. Internus huius lacrymae usus ob qualitatem lente purgantem, hincque intestinis infensam, suspectus est. Externe ulcera abstergere et consolidare creditur, unde etiam nomen obtinuit. [Olim et eius vires sanguinem e vulneribus profluentem sistendi laudabantur: Nonnulli chemici peculiare principium in sarcocolla deprehendisse sibi visi sunt, quod *sarcocollinem* appellarunt. Alii idem cum *Glycirrhine* unum idemque esse contendunt.] In lacte muliebri dissoluta summopere contra lippitudinem laudatur. Arabibus *Anzarot* vocatur. Sarcocolla dicitur ex σὰρξ, *caro,* et κόλλα, *gluten.* Ge. *Fleischleim, Fischleim,* *Sarcocolla.* Ga. *Colle chair*, sive *sarcocolle.* A. *Sarcocolla.* B. *Vlees-lym.*

SARCOEPIPLOCELE est hernia carnosa omentalis,

quando omentum elapsum in carneam substantiam excrescit, et induratur, sive circa umbilicum, sive in scroto fiat. Ex σὰρξ, *caro*, ἐπίπλοον, *omentum*, et κήλη, *tumor*. Ge. *Ein Fleischbruch am Netz*. Ga. *Hernie charneuse du nombril*, sive *sarco-epiplocele*. A. *A fleshy omental rupture*. B. *Een navels-vlees-breuk*.

SARCOMA est excrescentia vitiosa, consistentiam circiter carnis obtinens, et in variis corporis partibus obveniens. — Item molarum in utero productio. [A σαρκόω, *carneum reddo*. Auctor *defin. med.* inter Gal. *op. to. XIX. p.* 438. intelligit tantummodo carnis in naribus praeter naturam augmentum, additque, polypum quoque esse quoddam sarcoma.] Ge. *Ein Fleischgewächs*. Ga. *Sarcome*. A. *Fleshy excrescence*, sive *mole*. B. *Een fleeschig uitwas*.

SARCOMPHALUM est carnosa in umbilico excrescentia. Ex σὰρξ, *caro*, et ὀμφαλὸς, *umbilicus*. Ge. *Nabelfleischbruch*. Ga. *Sarcomphale*.

SARCOPHAGUM, i. q. *cathaereticum*. [A σὰρξ et φάγω, *edo*.]

SARCOSIS, vide *Sarcoma*. — Item generatio novae substantiae in vulneribus. [Beerius, qui tres exophthalmiae formas assumebat, fungosam, scirrhosam et carcinomaticam, primam *sarcosin bulbi*, aut *exophthalmiam fungosam*, sive *sarcomatosam* appellabat. Vide eius *Augenkrankheiten*, *Th. II. p.* 223.]

SARCOTICA, sive carnem generantia, sunt, quae moderato calore et vi detersoria, sordes e vulneribus et ulceribus tollendo, auferunt simul impedimentum illud, cuius virtute impediebatur efficacia illius causae, per quam omnia in nobis restituuntur et nutriuntur. A σαρκόω, *incarno*. Ge. *Fleischmachende Mittel*. Ga. *Sarcotiques*. B. *Middelen, die vlees doen groejen*.

SARDIUS LAPIS, seu SARDA est gemma semidiaphana, loturae carnis, seu carni sanguinolentae similis, unde *Carneolus*, vel corrupte *Corneolus* vocatur. Est Achates fere pellucida colore rubescente *Wall.* *Silex carneolus* vagus, diaphanus, unicolor, ruber *Linn.* Qualitatis est irresolubilis, ad usum medicum ineptae et infidae, tamen ob vires cardiacas, quae ei olim tributae sunt, inter fragmenta quinque lapidum pretiosorum officinalium referebatur. Non omnes uniusmodi inveniuntur coloris: alii enim sunt rubri, alii exigua sanguinis rubedine. Laudatissimus carneolus in Sardinia invenitur, sed etiam in Europa et Oriente eiusmodi lapides reperiuntur. [Cons. Blumenbach (*Handb. d. Naturgesch. p.* 573.)] Ge. *Sardis*, *Carneol*. Ga. *Cornaline*. A. *Sardis-stone*, *carneol*. B. *Zardus*, *carneool*.

SARDONIUS RISUS, SARDIASIS est risus praeter voluntatem nobis adveniens, ex convulsionibus ortus, cum

labiorum oris diductione. Esse in insula Sardinia fontes dicunt, circa quos maxime *herba sardonia* succrescit, quae etiam ideo *herba scelerata*, vel *Apium risus*, dicitur, et proprie species est Ranunculi, scilicet Ranunculus palustris, Apii folio laevis *Bauh.* *Ranunculus sceleratus Linn.* foliis inferioribus palmatis, summis digitatis, fructibus oblongis: etiam passim apud nos circa fossas et paludes proveniens. Haec herba, uti dicitur, comesta vescentium nervos contrahit, rictu ora diducit; ut, qui ita moriuntur, ridentium facie intereant. [Diosc. II. 206. inter ranunculi tres species memorat et *τὸν ἐν Σαρδωνίᾳ γεννώμενον, δριμύτατον,* quam Sprengelius Ranunculum lanuginosum pronuntiat. Swediaur *l. c. II. p.* 336. herbae nomen *σαρδωνίην* fecit, et Ranunculum flammulam L. esse contendit, e cuius quippe esu morbus produci observatus sit. Sed potius hunc effectum a Ranunculo scelerato L. pendere asserunt toxicologi, v. c. Buchnerus in *Toxicol. p.* 275. Pausan. *lib. X. c.* 17. §. 7. meminit plantae, apio similis, quae ad fontes maxime crescat, et comesta risum excitet exitialem. Homerum *Odyss.* XX. 302. *μειδᾶν σαρδώνιον* non posse de risu Sardonio intelligi, monuit ad illum Pausaniae locum Vol. IV. p. 243. Siebelis.]

SARE, i. q. *essere.*

SARMENTA praelongae sunt vitium virgulae, in quas vitis luxurians spargitur, hoc est, vitis ipsius, brachiorum et caulium ligna, tam dum sunt in ipsa vite, quam dum exsecta, vel exemta sunt. Ge. *Rebenholz, Reiser vom Weinstock.* Ga. *Sarment.* B. *Wyngaards-rank,* sive *tak.*

[SARMENTACEAE plantae constituunt undecimum ordinem systematis naturalis Linnaeani, qui haec comprehendit genera: Gloriosa, Erythronium, Alstroemeria, Uvularia, Convallaria, Ruscus, Asparagus, Dracaena, Medeola, Trillium, Paris, Smilax, Dioscorea, Tamus, Rajania, Menispermum, Cissampelos, Aristolochia, Asarum, Cytisus.]

SARMENTOSUS botanicis dicitur *caulis* filiformis, geniculis radicantibus.

SARSA PARILLA, aliis *Spartaparilla*, it. *Salsaparilla*, quod Hispanis fere idem sonare, quam humilis morus, dicitur. Radix est tenuis, longa, lignosa, fissilis, fibrosa et uniformis. Color externus obscure griseus, vel aliquantulum flavescens. Substantia interna friabilis et farinacea est. Adfertur ex nova Hispania, Peru, aliisque locis Americanis, ubi sponte et ubertim in sepibus adolescere dicunt. Planta est Smilax aspera Peruviana *Bauh.* Smilax viticulis asperis, virginiana, folio hederaceo laevi, Zarza nobilissima *Pluk.* *Smilax sarsaparilla* caule aculeato angulato, foliis inermibus, ovatis, retuso-mucronatis, trinerviis *Linn.* (Dioec. Hexandr.). Radix primum ad nos saeculo decimo

sexto adlata, magna laude ob singularem contra morbum venereum virtutem celebrabatur, quam tamen in climate nostro non prorsus sustinet. Qualitatis est siccae, inodorae, glutinosae, amaricantis, viribusque diureticis, diaphoreticis et purificantibus pollere creditur; hinc decoctis contra arthritidem, cachexiam, aliaque lymphae vitia additur. Sunt, qui, adiunctis mercurialibus, summopere in adfectibus venereis commendent. [A variis chemicis radix Sassaparillae chemice disquisita est vario cum successu. Nam magnum discrimen ratione quantitatis amyli, in hac radice contenti, varii chemici invenerunt. Canobio enim in centum partibus illius 54, 2, Pfaffius autem non nisi vestigium eius deprehendit. Cuius diversitatis causa in eo quaerenda esse videtur, quod uterque diversas Smilacis species in suis experimentis adhiberet. Palotta, qui in analysi chemica rádicis occupatus fuit, detexit peculiare, huic radici proprium principium, cui *parillines* nomen dedit, de quo suo loco dictum est.] Ge. *Sarsaparille.* Ga. *Salsepareille.* A. *Salsaparille, the medicinal smilax.* B. *Zalzaparil, steekende winden.* — Dicitur et *Zarzapillo.*

SARTORIUS MUSCULUS, sive FASCIALIS LONGUS, est inter eos, qui tibiam flectunt. Hic spinae superiori ilii ossis affixus, decussatim caeteris superstratus musculis femoris interiori sub genu tibiae ossis acutae eminentiae implantatur. Ge. *Der Schneidermuskel.* Ga. *Le couturier.* B. *De windel-spier, snyer-spier.*

SASSAFRAS arbor est praegrandis, nascens in Florida, folio ficulneo, cortice ex fulvo nigricante, aliquantum acri sapore, sed aromatico, odore fere foeniculi et cinamomi mixto redolente. Dicitur et *Paname.* Est Cornus mas odorata folio trifido, margine plano, Sassafras dicta *Catesb. Laurus sassafras* foliis trilobis integris *Linn.* (Enneandr. Monogyn.). Viribus gaudet diaphoreticis, pellentibus, roborantibus et purificantibus. Prostat aqua, spiritus et oleum destillatum, quod in aqua fundum petit. Cortex et lignum vim suam aquae communicant; hinc decocta eius in coryza, morbis podagricis, cachexia, hydrope, scabie et lue venerea in maximo usu sunt, praesertim si ex radice sit, quippe radix reliquis partibus praevalet, adeoque et eius cortex. [Radicis cortex sub nomine *cortex ligni Sassafras* in officinis prostat. Crassus, levis, spongiosus, fragilis, rugosus, coloris fuscorubri in externa superficie, in interna rubiginosi, odore denique et sapore foeniculi est. Praecipue eius vis medica in oleo aethereo residet, quod e ligni cum aqua destillatione obtineri potest. Si recens est, limpidum est sicuti aqua, in qua subsidere solet. Tempore autem interiecto flavum, tandemque rubrum assumit colorem. In vetusto oleo

crystalli conspiciuntur.] Ge. *Fenchelholz*, *Sassafras*. Ga. A. *Sassafras*. B. *Zassefras-hout*.

SATUREIA, sive **CUNULA** est plantae genus seminibus quatuor in calyce connivente reconditis, (Didynam. Gymnosperm.) cuius species apud nos maxime frequens et officinalis est Satureia hortensis *Bauh.* *Satureia hortensis* pedunculis bifloris *Linn.* Habet haec caulem parvum, rotundum, acutum, lanuginosum, rubicundum, ex uno pedunculo plures tales caules nascuntur. Folia sunt angusta, parva, oblonga, Hyssopum referentia, aliquantulum lanuginosa, multis foraminibus pertusa, quae non penetrant, odoris Thymi, sed debilioris et minus penetrantis, saporis acuti, grati. Flores sunt parvi, in alis foliorum sparsi, non in capita congesti, nec verticillatim dispositi, in pedunculis ramosis crescentes, galea erecta, bifida, barba trifida, segmento medio crenulato; semina quatuor minima, fere rotunda, in capsula, quae floris calyx fuit, inclusa. Radix minima, simplex, lignosa. Haec planta in Gallia australi habitans apud nos frequenter in hortis colitur. Qualitatis est spirantis et aromaticae, viribusque nervinis, resolventibus et excitantibus gaudet. Prostat herba, aqua et oleum, quod praecipue ad otalgiam et odontalgiam commendatur. Decoctum auribus iniectum soporem discutere dicitur. Laudatur quoque in angina. Foliorum pulvis vino sumtus pulmones sublevat. Frequentior tamen huius plantae usus in condiendis cibis est. Putatur a saturando nomen habere; sed alii a Satyris nomen traxisse putant, quod scilicet marcescentes ad coitus stimulet. *Theoph.* [*hist. pl.* 7. *c.* 1. *s.* 2. ad q. l. cons. Schneid. p. 539,] *Θύμβρον*, [sive *θύμβρα*, uti Theophr. *caus. pl.* 4, 3, 3. et Diosc. III. 39 habent], forte secundum lexicographos *ἀπὸ τοῦ θύειν*, ob fragrantiam. Ge. *Gartenysop*, *Pfefferkraut*, *Gartenquendel*, *Saturey*. Ga. *Sariette*, *sardrée*, *savorée*. A. *Savory*. B. *Keule*, *kunne*, *kunneke*, *boon-kruid*.

SATURANTIA sunt, quae acidum in corpore nostro absorbent. Vide *Absorbentia*.

SATURATIO terminus est chemicus, qui usurpatur, quando salia duo contraria, ut acidum et alcali, cum effervescentia affunduntur sibi pedetentim ea copia, donec unum aut alterum sal non magis praedominetur, vel nulla amplius effervescentia inter ambo observetur, sicque sal medium natum sit. Ge. *Sättigung*. Ga. *Saturation*.

SATURNUS: per eum intelligunt chymici *plumbum*. Unde *saturnina*, quae ex plumbo parantur.

SATYRIASIS, **SATYRIASMUS**, **PRIAPISMUS**, vel **SALACITAS** est morbus viris proprius, cuius praecipuum symptoma est effraenis impudensque veneris cupiditas cum libidinosa penis tentigine. [Aretaeus *ac. morb. sign.* 11. 12. Satyros, ait, Baccho sacros in picturis atque statuis cum

arrecto pene exprimi, quod libidinis signum sit: esse quoque morbi quoddam genus, quod laborantis pudenda arrigat.] *Priàpismus* autem est priapi, sive virilis membri, invita erectio, etiam absque appetitu congressus, convulso et tetano diu affecto pene, quod non sine dolore fieri solet, ita ut tensio a coitu peracto non remittat, ut in satyriasi accidere solet, licet et in hac mox nova erectio, eaque saepius subsequatur. Dicitur et *tentigo veretri.* A *σάτυρος*, simia sylvestris seu S. satyrus, hominem referens, et venerem summopere appetens, vel a *σάθη*, *membrum virile.* — *Satyriasis* quoque olim elephantiasis vocata est, quoniam tales aegroti coitus desiderio vehementissime flagrant. Aretaeus *l. c. p.* 182. ed. Lips. in elephantiacis adesse *ἐπιθυμίην λυσσώδη* dicit. Putat tamen Sprengel. ad Batemani *Hautkrankh.* p. 429. Galenum meliorem dedisse huius nominis rationem *de tum. praet. nat. c.* 14. *to. VII. p.* 728. *τοῦτο τὸ πάθος ἀρχόμενον ὀνομάζουσι σατυριασμὸν, ἐπειδὴ τοῖς σατύροις ὅμοιοι γίγνονται τὸ πρόσωπον.* In *Gloss. Hipp.* p. 556. *σατυρισμοὶ* explicantur per *οἱ περὶ τὰ ὦτα προμήκεις ὄγκοι τῶν ἀδένων. Ἔνιοι δὲ τὰς τῶν αἰδοίων ἐντάσεις ἤκουσαν.*] B. *Venus-quelling, schagts-stevigheid.*

SATYRION: huius plantae sunt variae species, variaque nomina. Communiter vero in officinis Satyrii radix sumitur pro radice plantae in Europae pascuis duris nascentis, quae est Orchis alba bifolia minor, calcari oblongo *Bauh. Orchis bifolia* bulbis indivisis, nectarii labio lanceolato integerrimo cornu longissimo, petalis patentibus *Linn.* (Gynandr. Diandr.) Pollet haec qualitate hircina et mucilaginosa, viribusque inviscantibus, lubricantibus, et, ut creditur, aphrodisiacis. [Suadet igitur Diosc. III. 133. eius usum iis, qui rem cum muliere habere velint. Cons. Wyttenbach. ad Plut. *mor. to. II. p.* 129. ed. Lips.] Hinc in dysenteria, sterilitate et atecnia commendatur, et electuarium diasatyrion ingreditur. A Satyris nomen habere putatur, qui primi sylvestres dii colludentes nymphis per sylvas et antra ad firmiorem venerem herbam hanc invenerunt. Vel dicitur *παρὰ τὴν σάθην, τὸ αἰδοῖον.* Gr. *σάθη* enim est *pudendum virile,* et *αἰδοῖον inguen, pudendum.* [Haec etymologia ineptissima est.] Vide *Orchis, Salap.* Ge. *Knabenkraut.* Ga. *Satyrion.*

SAVRE, Gr. *σαύρη*, putatur esse Nasturtium, quod instar lacertae [*σαῦρος*] mordeat sua acrimonia. [Nasturtium autem *σαυρίδιον* potius appellari, docuit Galen. *gloss. Hipp. p.* 556. et cum Erotianus *p.* 336. tum Oribas. ed. Matthaei *p.* 353. Quod autem Krausius *σαύρα* quoque membrum impuberum, et digitale, ad mentulae talis formam fabricatum, et continendis digitis cum fractis, tum luxatis ab Hippocrate adaptatum, denotare adseruit, id debebat locis scriptorum et Hippocratis allatis firmare.]

SAXIFRAGA, SAXIFRAGUM et **SAXIFRAGIA**, Saxifraga alba rotundifolia *Bauh.* *Saxifraga granulata* foliis caulinis reniformibus lobatis, caule ramoso, radice granulata *Linn.* (Decandr. Digyn.) est herba, quae habet caulem minimum, tenerum, rotundum, villosum, ramosum, purpureum. Folia sunt obrotunda, in margine incisa, hederam terrestrem fere referentia, sed succulentiora et magis alba, pediculis mediocriter longis et villosis adhaerentia. Flos est rosaceus, pentapetalus, calyci quinquefido innatus; post florem apparet fructus obrotundus, qui in duo loculamenta per maturitatem dehiscit, fundens semina minima, rubicunda, longiuscula. Radix est fibrosa, cui adhaerent tubercula instar seminum Coriandri crassa, coloris partim purpurei, vel rubicundi, partim albi, saporis amari. Haec tubercula vocantur ut plurimum semina Saxifragae. Haec planta crescit in locis incultis, ut circa montes. Est qualitatis insipidae, saporis subacris, eique olim vires aperientes et diureticae tribuebantur. Hodie tamen vix in usu est. — Alia autem est Saxifraga, scilicet *Saxifraga vulgaris*, sive *Anglica*, Hippomarathrum Anglicum, Foeniculum erraticum, Seseli pratense, Silaus forte *Plinio*, (*XXVI.* 8.) *Bauh.* Angelica pratensis apii folio *Tournef.* *Seseli Linn.* (Pentandr. Digyn.) Qualitatis magis acris, calidae et aromaticae, cuiusve virtutes diureticae passim laudantur, usus tamen pariter apud nos exoletus, apud Anglos frequentior est. — At et in officinis prostat *Saxifragae rubrae* radix, quae est radix Filipendulae vulgaris *Bauh.* *Spiraeae filipendulae* foliis pinnatis, foliolis uniformibus serratis, caule herbaceo, floribus cymosis *Linn.* (Icosandr. Pentagyn.). Haec passim in Europae pratis proveniens qualitatis est subadstringentis, eiusque decoctum in leucorrhoea, dysenteria et herniis prodesse dicitur. Ge. *Steinbrech.* Ga. A. *Saxifrage.* B. *Steen-breek.*

SAXIFRAGA, seu **LITHONTRIPTICA** sunt ea medicamenta, quae valent calculum in renibus, vel vesica, haerentem frangere et expellere ex corpore. Ge. *Steinzermalmende Arzneien.* Ga. *Lithontriptiques.* A. *Lithontriptics.* B. *Steenbreekende middelen.*

SCABER botanicis est *truncus* plantarum punctis eminentibus rigidiusculis exasperatus.

SCABIES est durior cutis aspretudo, levisque exulceratio pruriens et interdum rodens, plerumque extremitates, interstitia digitorum, saepe etiam truncum, raro faciem invadens; in hac pustulae oriuntur modo humidiores, modo sicciores. His ruptis, ulcus fit; id, purgata sanie, crustula tectum obdurescit, quae postquam decidit, continuo aliae pustulae in vicinis locis exsurgunt. Oritur ab humore acri in vasis cutaneis aggesto, qui vel in ipso corpore nascitur a ciborum salitorum fumoque induratorum crebro usu, vel aliis,

hoc malo laborantibus, per contagium communicatur; eo autem gravius malum est, quo magis cutem asperat, quoque prurit magis, et quo plures occupat partes, et quo somnum magis aufert: pravis ea radicibus, quae talis est, nititur, magnoque negotio tollitur; itaque hanc Graeci ἀγρίαν, id est feram, nominaverunt. Scabies aliis quidem ex toto desinit, aliis certo anni tempore revertitur; aegerrime autem in senibus sanescit, pessimaque in capite esse solet. *Scabies* est *humida*, vel *sicca; humida* est cutis inaequalitas ab obstructione vasculorum lymphaticorum, cum pustulis humidis et purulentis cum prurigine quadam coniuncta. *Sicca* est quadruplex, *pruritus, impetigo, psora* et *lepra*, de quibus suo loco. Gr. *ψώρα*. Gc. *Die Krätze*. Ga. *Gâle, rogne*. A. *Itch*. B. *Schurft, schurftheid.*

SCABIES VESICAE veteribus dicebatur, quum in urina cum dolore excretae moleculae furfuraceae apparent; tunc enim internam vesicae tunicam erosam arguebant.

SCABIOSA est plantae genus, (Tetrandr. Monogyn.) quod plerumque folia habet ex radice erumpentia oblonga, ampla, villosa, forma Valerianae maioris, profundius subinde laciniata, alias minus, sapore subacri. Ex his prodeunt caules rotundi villosi, cavi, foliolis quibusdam cincti inferioribus similibus, sed minoribus. Flos est flosculosus, plurimis scilicet flosculis inaequalibus constans, calyce communi comprehensis: horum autem alii, qui meditullium occupant, quadrifidi, aut quinquefidi, caeteri ad oram positi, bilabiati sunt, laciniis exterioribus maioribus, singuli embryonis supremae parti coronatae insident, et calyce proprio comprehenduntur, qui deinde abit in capsulam vel simplicem, vel infundibuliformem, semine foetam coronato, quod prius embryo fuit. Radix est longa. Species officinalis est Scabiosa pratensis hirsuta *Bauh*. *Scabiosa arvensis* corollulis quadrifidis radiantibus, caule hispido, foliis pinnatifidis, lobis distantibus *Linn*. Debilis quidem videtur qualitatis. Vires tamen ei alexiteriae, bechicae et exanthematicae tribuuntur. Prostat in officinis radix, herba, aqua et syrupus. Haec planta crescit in arvis, in segetibus planis et levioribus passim obvia. Herba haec appellatur vel a scabro habitu, vel quod scabiei medeatur. — Substituitur ei nonnunquam *Centaurea scabiosa* calycibus ciliatis, foliis pinnatifidis, pinnis lanceolatis *Linn*. Gc. *Apostemkraut, Scabiose, Grundkraut*. Ga. *Scabieuse* [*ordinaire des pres.*] A. [*The field*] *scabious*, [*corn-scabious.*] B. *Gemeen schurft kruid, aposteem-kruid.*

SCADICACALLI, vide *Euphorbium.*

SCALA est instrumentum chirurgicum, veteribus usitatum, quo articuli dislocati restituuntur, dicitur quoque *ambe*. Gr.

κλίμαξ. Ge. *Eine Leiter.* Ga. *Echelle.* A. *A ladder.* B. *Een leder, leer, ladder.* — Item sic vocatur cavitas in cochlea auris internae, bifariam divisa per lamellam, partim osseam, partim membranaceam, unde nascuntur duo cuniculi cavi, fere semiconici et aequales, in apice cochleae communicantes, quorum superior, qui in vestibulum aperitur, a *Valsalva* aliisque dicitur *scala vestibuli;* inferior tympanum spectans, atque in eius foramine rotundo apertus, vocatur *scala tympani.* Vide *Cochlea.*

SCALA AFFINITATIS, vide *Affinitas.*

SCALENI MUSCULI sunt utrinque duo musculi e pluribus portionibus compositi, quorum alter scalenus anterior, vel primus, alter scalenus posterior, vel secundus dicitur. Anterior oritur a superficie externa costae primae, prope portionem cartilagineam. Posterior magis retrorsum ab eadem costa provenit. Ambo oblique versus apophyses transversas trium superiorum vertebrarum cervicis adscendunt, iisque inseruntur. Inter hos musculos nervi et vasa brachialia transeunt. Ad latus scaleni posterioris adhuc sunt duae portiones musculosae, quae a quibusdam anatomicis scalenus tertius et scalenus quartus dicuntur. Oriuntur hi a secunda et tertia costa vera, et apophysibus transversis quinque inferiorum vertebrarum cervicis inseruntur. Omnes hi musculi collum flectunt, vel ad latus inclinant. Neque minus pro elevatoribus costarum habentur. Ge. *Die ungleichdreiseitigen Muskeln.* Ga. *Les scalenes.* B. *De ongelykzydige driehoeks spieren.*

SCALPELLUM, vide *Scalprum.*

SCALPELLUM UMBILICARIUM, Gr. ὀμφαλεστὴρ, *Poll.* Est cultellus, quo obstetrix praecidit puerorum funiculum umbilicalem.

SCALPRUM, SCALPELLUM RASORIUM est culter, quo ossa ante amputationem raduntur et a periosteo denudantur. Ge. *Ein Schabeisen.* Ga. *Couteau à ratisser.* B. *Een beitel.*

SCALPRUM CHIRURGICUM, *Celso, Scalpellus eid. Phlebotomum Isidor.* Φλεβότομον, μαχαιρὶς *Ammonio*, μαχαιρὶς ὀξυβελὴς *Hippocr. Galenus* φλεβότομον vocat. Idem μαχαιρίδα στηθοειδῆ nominat, quod σμιλίον γαστροειδὲς *Galenus;* nimirum cuius medium latius sit et ventricosius. Vide *Lancetta.* Ga. *Ein Flietmesser, Lasseisen, eine Lanzette.* Ga. *Lancette.* A. *Lancet.* B. *Vlym, laat-yzer, lancet.*

SCALPRUM est caelum, quo non tantum digitorum phalangae, verum etiam cubiti et radii capita ictu mallei amputantur. Ge. *Ein Meissel.* Ga. *Un ciseau.*

SCALPTURA est frictio fortior unguibus, aut corpore aliquo scabro facta, quae pruritu plerumque instigata, crustas

epidermidi adhaerentes tollit, et per stimulum humores ita allicit, ut pars magis caleat et doleat. Ge. *Das Kratzen.* Ga. *Le grattement.* B. *Krabbing.*

SCAMMONIUM, SCAMMONEUM, SCAMMONIA et **SCAMMONEA** est succus inspissatus ex lactescente radice alicuius Convolvuli, scammonea dicti. Est hic Convolvulus syriacus *Moris.* *Convolvulus scammonia* foliis sagittatis, postice truncatis, pedunculis teretibus subtrifloris *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Crescit haec planta in Syria, Mysia et Cappadocia, sed praestantissimus succus Alexandrinus est et Aleppensis. [Varia sunt scammonii genera, bonitatis ratione admodum inter se diversa. Omnium optimum est Aleppense, e Convolvulo scammonia *L.* exstillans; alterum genus Smyrnense est, e Periploca secamonc, seu ut Sprengelius (*instit. pharmac.* p. 200.) contendit, e Cynancho Monspellensi obtentum; tertium, omnium vilissimum, Antiochenum, cuius de origine diversae inter botanicos obtinent sententiae. Alii, v. c. Murray (*app. med. I. p.* 748.) ab Apocyno, Euphorbia etc. alii ab Cynancho monspellensi illud derivant. Chemicam analysin susceperunt Bouillon Lagrange et Vogelius, quorum experimentis constitit, scammonium componi e resina flava, translucente, fragili, facileque in alcohole solubili, e gummi, materia extractiva amara, in aqua et alcohole solubili, et e materia vegetabili arenaque admixta. Partium harum rationem pro diverso scammonii disquisiti genere diversam iidem chemici invenerunt.] Absciuditur superior pars radicis, et succus lacteus exstillans in vasculum excipitur, brevi tempore condensatus, tumque scammonium dictus. Probatur, quod nitidum est et splendidum (instar Gummi), rarum, cito liquescens, friabile, colore, cum frangitur, fulvo, non valde ponderosum, tactu linguae lactescens, nec vehementer eam calefaciens, odoris debilis, nauseosi, saporis acris amaricantis. Viribus pollet sat validis purgantibus, licet absque magno dolore. Datur ad grana aliquot. Substantiae est gummoso-resinosae, hinc in mixtione aquae et spiritus vini totum fere solubile. Pars, quae spiritu vini solo extrahitur et praecipitatur, sub *resinae scammonii* nomine prostat. Sat frequens huius remedii, ob dosin parvam, solubilitatem et saporem debilem, usus est, pluribusque formulis compositis purgantibus additur. Decoctum radicis exsiccatae ut tutissimum remedium purgans commendari coepit. Vis purgans solius radicis succo inest, quippe qua folia, caules, flores et semina destitui dicuntur. Iusto frequentior Scammonii usus humores omnes fundere, et ad plenariam exhaustionem exturbare posse creditur. Scammonium acidis, v. c. acido sulphuris, ut putant, correctum dicitur *diacrydium;* quasi diceres *δακρύδιον,* sive lachrymulam. Ge. *Scammonien, Purgierkraut.*

[*Purgierwinde.*] Ga. *Scammonée.* A. *Scammony.* B. *Scamonea.*

SCAMNUM HIPPOCRATIS est instrumentum longitudine sex ulnarum, seu cubitorum, membris luxatis et fractis restituendis accommodatum. Ge. *Hippokratische Einricht-* oder *Ziehbank.* Ga. *Le banc d'Hippocrate.* A. *Bench of Hippocrates.* B. *De bank van Hippocrates.*

SCANDENS botanicis dicitur *planta,* aut *truncus* plantae, alta petens, aliis corporibus sustinendus.

SCANDIX est planta umbellifera, (Pentandr. Digyn.) quae habet folia longis pediculis appensa, Coriandri divisura tenui, sapore subdulci, subacri et nonnihil nauseoso. Caules sunt tenues, ramosi, villosi, superius virides, inferius rubicundi. Flos est rosaceus et umbellatus, plurimis scilicet petalis constans in orbem positis, et calyci insidentibus. Is autem abit in fructum longissimum, subulatum, bipartibilem, compositum ex duobus seminibus subulatis, hinc convexis, sulcatis, inde planis, rostro filiformi, basi nucleum condentibus. Radix est digiti minimi crassitie, simplex, alba, saporis dulcis. Crescit passim haec planta in arvis atque vineis. Rarior eius in medicina usus est, quamvis ei vires aperientes, resolventes, vulnerariae, praecipue in tollendis vesicae morbis, attribuantur. Sunt, qui acetariis addere ament. Dicitur etiam *pecten Veneris.* Scandix forte vocatur a σκέω, id est ξέω, quia semen ei acutum. [Neque haec, a Dodonaeo excogitata etymologia, neque Krausii, qui hebraeam adeo linguam in auxilium vocavit, ferendae sunt.] Ge. *Nadelkörbel, Schnabelkraut.* Ga. *Peigne de Venus.* A. *Sheppherd's needle, Venus comb.* B. *Naalde kervel.*

SCAPHA est fasciarum species capiti propria, inserviens venae sectioni in fronte institutae. Ge. *Schiffbinde.* Ga. *Le scapha.* B. *Schuit-zwagtel.*

SCAPHA dicitur cavitas in aure externa, quae inter bina anthelicis cornua excavata est, et versus anteriora, helicis portione terminata. Ge. *Der innere Umkreis im Ohr.* Ga. *Fossette, cavité naviculaire.* — *Scapha,* vel *scaphula* etiam recessus in ima coniunctione labiorum pudendi muliebris vocatur.

SCAPHOIDES, NAVICULARE est *ossiculum* carpi, situm in primo ordine, connectitur cum radio, et quatuor carpi ossiculis. — Est quoque tertium os tarsi in pede, *naviculare* dictum, a scaphae, seu cymbae, similitudine: connectitur illud cum parte anteriori tali, vel astragali et tribus ossibus cuneiformibus. Ge. *Das Schiffgleiche Bein.* Ga. *L'os scaphoide.* B. *Schuitagtig been.*

SCAPULA, vide *Homoplata.*

SCAPULARE, s. *fascia scapularis* est fasciae species, quae scapulis inhaerens aliis fasciis thoracis et abdominis fir-

mandis inservit. Ge. *Die Schulter-, Trag-* oder *Jochbinde.* Ga. *Le bandage scapulaire.*

SCAPUS est caulis elevans fructificationem, non folia, vel pedunculus radicatus caulis faciem induens. Ga. *Hampe.*

SCARIFICATIO est incisio cutis scalpello, vel phlebotomo, quae fit cum, vel sine cucurbitulis. Sine cucurbitulis fit in membris et partibus gangraena corruptis, ut viva pars a mortua separetur, et liquores stagnantes inferius atque perpetuo putrescentes liberius effluere queant. Cum cucurbitulis autem instituitur, ut extrahatur sanguis ex vasculis cutaneis, inservitque loco venae sectionis, et tum plerumque plures cultelli una capsula contenti simul applicantur. Gr. *ἐγχάραξις*, [Apollonius, haud dubie Citieus, scripsit *περὶ ἐγχαράξεως*, e quo fragmentum servavit Oribas. Matth. p. 144. sq.] *καταχασμὸς*, [Hanc vocem lexica non exhibent. Legendum *κατασχασμὸς*, quod in Rufo Ephes. *p.* 163. *ed. Mosquens.* occurrit: *σικύας τῷ ἰνίῳ προσβάλλειν μετὰ κατασχασμοῦ*, in quo loco non audiendus est Matthaei, *σικίας* potius legi iubens, non enim de ficubus, sed de cucurbitulis sermo est. Cervici ut simul cum scarificatione cucurbitulae applicentur, Rufus commendat. Saepius apud Oribasium *ἀποσχασμὸς* legitur v. c. in Antylli fragmento *p.* 143. ubi cod. Mosquensis male *κατασχασμῶμεν* pro *κατασχασμῷ μὲν* legit.] *ἀπόσκηψις Hippocr.* [Cum *ἀπόσκηψις* derivationem materiae morbosae e loco affecto in alium denotet, v. c. in Ruf. Ephes. *p.* 150. *ed. Matth.* et Galen. in *gloss. p.* 440. *ἀποσκήψεις* per *τας ἀποσχάσεις* explicet, non accedere possum Foësio, qui Hippocratis locum, ad quem Galenus provocat, mendosum esse contendit.] *ἀποχασμὸς*. Ge. *Das Schröpfen.* Ga. *Scarification.* A. *Scarification, cupping.* B. *Insnyding, scarificering, vliemen, schrabben, kopping.*

SCARIFICATORIUM est instrumentum, quo scarificatio, sive incisio fit, estque vel *simplex*, seu unus cultellus, vel *compositum*, e pluribus cultellis capsula comprehensis constans. Ge. *Das Schröpfeisen.* Ga. *Scarificatoire.* A. *Cupping-glass, lancet.* B. *Een scherf,* sive *vliem-yzer.*

SCARIOLA, vide *Endivia.*

SCARIOSUM botanicis est *folium,* substantia sicca, arida, tactu sonora; aut *perianthium* squamis margine membranaceis, aridis, sonoris.

SCARLATINA FEBRIS est febris exanthematica, quae invadere solet tempore aestivo inprimis infantes, maculis parvis rubris, crebrioribus et multo latioribus, magisque rubentibus, sed non tam uniformibus, quam in morbillis, et quibus cutis universa inficitur. Maculae hae ad duos, vel tres dies persistunt, postea evanescunt, cuticula squamatim decidit, quod bis, vel ter, abit reditque. [Cons. Jos. Frank. *prax. med. praec. P. I. vol.* 3. *sect.* 1. *p.* 1—106. qui

non solum praecipuos de hoc morbo scriptores adduxit, sed et novissima de natura et curandi huius exanthematis ratione placita collegit.] Ge. *Scharlachfieber.* Ga. *Fièvre pourprée, rouge, scarlatine.* A. *Scarlet-fever.* B. *Purper-koorts.*

SCARLEA, i. q. *sclarea.*

SCAURUS est is, cui tali sunt exstantes. Ge. *Der grosse Knorren,* oder *Knöchel an den Füssen hat.* B. *Plomp hiel, groot van enkelen.*

SCELERATA, vide *Batrachium, Ranunculus.*

SCELETUM est ossium totius corporis arida compages, arte anatomica articulis suis coniuncta, et locis debitis reposita. A σκέλλω, *arefacio.* Est vel *naturale,* quando ossa propriis ligamentis inter se nexa manent, vel *artificiale,* quum iunguntur tali substantia, quae non fuit pars corporis, ut filis ferreis, vel aurichalceis. [Antiqui scriptores σκελετὸν ea, quae hodie obtinet, notione non adhibent, sed per τὸ σῶμα σκελετὸν intelligunt corpus mumiae in modum arefactum. Sic Plutarch. *to.* 6. *p.* 560.] Ge. *Ein Beinkörper, ein Skelet.* Ga. *Un squelette.* A. *A skeleton.* B. *Een beengeraamte.*

SCELETOPOIEA est ars, partes molles corporis animalis debito modo tollendi, et ossa secundum naturalem situm coniungendi. [A σκελετὸν et ποιέω, *facio.*]

SCELOTYRBE, quasi cruris perturbatio, secundum *Galeni* [(*defin. med. to. XIX. p.* 427.)] descriptionem est species resolutionis, qua erectus homo ambulare non potest, et latus alias in rectum, quandoque sinistrum in dextrum, vel vicissim, circumfert; interdum quoque pedem non attollit, sed attrahit, velut ii, qui magnos clivos adscendunt. A quibusdam ad Choream S. Viti refertur: saepe etiam symptoma scorbuti est. *Plinio* [*h. n. XXV.* 3.] *Scelotyrbe* idem est, ac *Scorbutus.* [Sprengel. ad Bateman *Hautkrankh. p.* 218. dubitat, an e Plinii loco deduci possit, exercitum Romanum vero scorbuto laborasse. Swediaur *l. c. to. I. p.* 352. ballismi synonymon scelotyrben fecit, eamque definit per motum musculorum extremitatum inferiorum convulsivum, abnormem, voluntati male obedientem.] Ex σκέλος, *crus,* et τύρβη, *tumultus,* unde aqua scelotyrbitis, quae adversus scorbutum usurpatur. [Ge. *Fusskrampf.*]

SCHESIS est corporis dispositio: unde *schetica febris,* quae in dispositione est, non in habitu. Gr. σχέσις ab ἔχω, seu σχέω.

SCHETICA FEBRIS opponitur hecticae; schetica quippe in sanguine tantum et humoribus ita radices egit, ut facile curam admittat; hectica vero in ipsa ἕξει, sive partibus solidis ita altius radicata est, ut non nisi difficulter medicamentis curetur.

SCHIATICA, SCIATICA, vide *Arthritis,* eam praecipue speciem arthritidis denotat, quae articulum femoris cum acetabulo occupat. Ge. *Hüftweh.* Ga. *La sciatique.* A. *Sciatica.*

SCHIDACEDUM, SCHINDALMOS est fracturae species, per ossis longitudinem, non per transversum factae, quae *καυληδὸν* vocatur. Vide *Cauledon.*

SCHISMA est scissura in dura, vel molli parte. A *σχίζω, findo.* Stricte de pudendo muliebri dicitur. Ge. *Spalte, Ritze.* Ga. *Fissure, fente.*

[**SCHIZOTRICHIA** a Jos. Frankio illud pilorum vitium vocatur, quando singuli capilli in plures finduntur. Contra linguae regulas formata compositio. Rectius dixeris *trichoschisin,* a *θρὶξ,* gen. *τριχὸς, pilus,* et *σχίσις, fissura.*]

SCHOENANTHUM et **SCOENANTHUM** foenum camelorum, s. Palea de Mecca *quibusdam.* Iuncus aromaticus odoratus *Bauh. Andropogon schoenanthus* paniculae spiculis coniugatis ovato-oblongis, rhachi rubescente, flosculis sessilibus, arista tortuosa *Linn.* (Polygam. Monoec.) est planta graminibus adfinis, cuius culmi exsiccati una cum peniculis ex Turcia et Arabia, ubi copiose adeo, praecipue circa montem Libanum, provenit, ut camelis in pabulum cedat, ad nos adferuntur. Odoris est fragrantis ad rosarum et pulegii odorem accedentis, saporis acris et aromatici, viribusque emmenagogis, carminativis, stomachicis et alexipharmacis gaudet. Hodie rarioris est usus, theriacam tamen ingreditur. — Ab aliquot abhinc annis ex insula Bourbonia et Madagascar alia ad nos adhuc adfertur species Schoenanthi, panniculis minoribus et gustus longe acrioris, cuius infusum in adfectibus rheumaticis valde laudatur. Ge. *Kamelheu, Kamelstroh,* [*wohlriechende Binsen.*] Ga. *Schoenante, jonc odorant,* [*paille de la Mecque.*] A. *Camels-hay.* B. *Kemels hooi, kemels-stroo,* [*welriekende bieze.*]. Ex *σχοῖνος, foenum,* et *ἄνθος, flos.* Vocatur et *Squinanthum.*

SCHOENOPRASUM, [penultima brevi] est quasi *porrum iunceum.* Ex *σχοῖνος, iuncus,* et *πράσον, porrum.* Vide *Porrum.* Ge. *Schnittlauch, Binsenlauch.* Ga. *Petit poireau, appetits.* A. *Porret, cive.* B. *Bies-look, bies-porrei, hondslook ast-look.*

SCHOENOS, Gr. *σχοῖνος,* est Iuncus, *παρὰ τὸ σχεῖν,* id est a retinendo, ligando: Iunco enim vincitur. Vide *Iuncus. Schoenus* Ill. *Linnaeo* est genus plantarum ad gramineas pertinens, (Triandr. Monogyn.) cuius gluma bivalvis, multiflora, petala sex, lanceolata, acuta, situ inaequalia, fereque imbricata, corolla laxe connivens, demittens semen maturum, unicum, subovatum, obsolete trigonum, nitidum: ad quod genus plures species referuntur. [A. *The bog-rush.* B. *Biesgras.* Ga. *Le choin.* Ge. *Knopfgras, Strickgras.*]

SCILLA, s. **SQUILLA** est plantae genus flore liliaceo, (Hex. Monog.) corolla plana hexapetala, capsula subovata, glabra, trisulca, triloculari, trivalvi, polysperma. Species officinalis est Scilla vulgaris radice rubra *Bauh. Scilla maritima*, nudiflora, bracteis refractis *Linn.* Habet haec folia longa, ampla, lata, carnosa, viridia, succum viscosum et amarum continentia. Flores Ornithogalo, vel Hyacintho stellari similes sunt, et in spica crescentes, antequam folia apparent. Fructus est rotundus, trigonus, foetus seminibus nigris. Radix bulbosa, maxima, pugnum crassa, cepacea, ex plurimis tunicis, vel lamellis compacta, inferius multis crassis fibris praedita, saporis nauseosi, acris, amari, odoris nullius. Haec radix sola in usum medicum adhibetur. Recens acris adeo et fere corrosiva est; hinc olim in pastam farinaceam involuta in furno coquebatur, hodie plerumque in taleolos discissa leni calore exsiccatur. [Chemice disquisita in centum radicis siccatae partibus, secundum Vogelii experimenta, continet peculiaris principii acris, *scillitines*, cum pauca sacchari quantitate iuncti, 35, principii scytodepsici 24, gummi 6, fibrae ligneae cum exigua calcis citricae copia 31, iacturae cum acri, volatili, separatim non exhibendo principio 5.] Praestantissimis viribus incidentibus, stimulantibus, diaphoreticis, diureticis et hydragogis pollet; hinc frequentissimus eius in asthmate humido, tussi, cachexia, ictero, praecipue vero omnibus speciebus hydropis, usus est. Plerumque ob qualitatem nauseosam, qua etiam maiori dosi vomitum excitat, lenia aromata adduntur. Datur vel in pulvere ad grana aliquot, vel acetum superfunditur, quod *acetum squilliticum* dicitur, et ex quo, addito melle, *oxymel squilliticum* praeparatur. Et vinum radici recenti superfusum summopere in hydrope commendatur. Sunt veterum nonnulli, qui recentem radicem cultro ferreo scindi vetent, hunc veneno infici putantes, hinc eburneum, vel ligneum praeferunt. Pasta, qua radix recens cocta est, venenata, volucribus saltem exitiosa creditur. Haec planta crescit in Hispania, Lusitania et Sicilia circa mare, unde etiam *cepa marina* dicitur. Nomen accepit, vel quod inter hanc et marinum testaceum piscem, a tunicata squamarum compactili serie squillam vocatum, magna similitudo intercedat, vel *ἀπὸ τοῦ σκιλήματος*, id est, *ariditate*, quod in sabuletis marinis, sole retorridis, oriatur. [Egregia derivandi ratio, qua voces, quae nunquam in usu fuerunt, excogitandae sunt, ut aliquam cum illa voce, cuius etymologia tradenda est, similitudinem aucupari possimus!! Eodem vitio laborat Krausii derivatio a *σχίλλω*, quod per *findere* exponit. In lamellas enim bulbum scillae facile findi posse ait. *σχίλλω* autem nullibi legitur.] Ge. *Meerzwiebel*, [*Squille.*] Ga. *Scille*, [*oignon marin, scipoule, charpentaire.*] A. *Squills, sea onion.* B. *Zeeajuin.*

[**SCILLITINE** est a nuperis chemicis in Squillae maritimae L. radice detectum peculiare principium amarum viscidumque, aqua, alcohole et aceto solubile, a quo huius radicis vires medicae pendent. Nam vomitum ciet, alvum solvit et urinae secretionem promovet.]

SCINCUS, STINCUS MARINUS, *Lacerta scincus* cauda tereti mediocri, apice compressa, digitis muticis [lobato-squamosis] marginatis *Linn.* (Amphib. Reptil.) animal est quadrupes, oviparum, magnitudine et figura Lacertae viridis, oblonge rotundo capite et acuminato ore, longa rotundaque cauda, a qua ad caput usque fusca linea excurrit, praeditum, squamis exiguis et frequentibus tectum, coloris sublutei, in Arabia et circa mare rubrum reperiundum, unde ad nos evisceratum et exsiccatum adfertur. Singulares ei a quibusdam, vix tamen satis constantes, virtutes alexipharmacae et praecipue aphrodisiacae tribuuntur, hinc et electuarium diasatyrion et mithridatium ingreditur. Rarissimi [vel plane nullius] apud nos usus. Incolae Aegypti recenter occisum aqua decoquunt, iusculumque hauriunt. Ge. *Das Erdcrocodil,* [*der Stink* oder *Szink.* Ga. *Le scinque.* B. *De schink.* A. *The scinc.*]

SCIRPUS est plantae genus flore apetalo, (Triandr. Monogyn.) spica undique imbricata, squamis ovatis, plano-inflexis, flores distinguentibus, pericarpio nullo, semine unico, triquetro, acuminato, villis calyce brevioribus instructo. Plurimae sub hoc genere species comprehenduntur.

[**SCIRRHOBLEPHARONCUS** est tumor scirrhosus, in palpebris situs. A σκίῤῥος, *tumor durus dolorisque expers,* βλέφαρον, *palpebra,* et ὄγκος, *tumor,* unde patet, ultimam vocem plane superfluam esse, quippe quae iam prima continetur. Ge. *Scirrhöse Augenliedgeschwulst.*]

[**SCIRRHOBLEPHAROSIS,** ab Hellingo formata vox, scirrhum palpebrarum denotare debet. Sed βλεφάρωσις non extat in lingua graeca, et si extaret, minime id, quod Hellingus voluit, significare posset.]

[**SCIRRHOPHTHALMUS** est oculus in scirrhum degeneratus. Bulbus, hoc modo affectus, fuscam et admodum duram massam offert, in qua structurae organicae nulla omnino vestigia supersunt. Ge. *Scirrhöser Augapfel.*]

SCIRRHOSIS, i. q. *scirrhus.*

SCIRRHUS et **SCIRRHOMA,** Barb. *Sclirosis,* est tumor durus, lividus, renitens, inaequalis, sensim increscens, et doloris expers, nisi ruditer tractetur, sedem habens vel in viscere, ut hepate, liene, glandulis mesenterii, vel in glandulis subcutaneis partium externarum, mammis etc., oriundus a quacunque causa materiam in folliculo glanduloso haerentem inspissante, vel comprimente, ut exire nequeat, inflammationem praegressam plerumque habens; vel etiam

sine ea oritur a causa externa violenta, ictu, compressione etc. vel etiam in aegris, quibus ex victu duro, vel vita tristi, aut aliis causis humores crassi et difficulter mobiles facti sunt. Hinc ab initio quidem benignus est, si vero materia stagnans acrimoniam acquirit, in cancrum degenerat. Vox [non] derivatur a σκιῤῥόω, *induro,* [sed versa vice]. Ge. *Verhärtete Geschwulst, Scirrhus.* Ga. *Scirrhe.* A. *Scirrhus.* B. *Verhard gezwel, een knoest gezwel.*

SCLAREA, seu SCARLEA, *orvala, tota bona,* Horminum sclarea dictum *Bauh.* *Salvia sclarea* foliis rugosis cordatis, oblongis, villosis, serratis, bracteis calyce longioribus concavis acuminatis *Linn.* (Diandr. Monogyn.) est planta, quae habet caulem duos circiter pedes altum, digitum minorem crassum, lanuginosum, quadratum, fortem, medulla alba repletum, in alas, aut ramos sibi invicem oppositos divisum. Folia sunt magna, ampla, lanuginosa, rugosa, albescentia, aspera, in basi sua magis ampla, deinde in apicem obtusum desinentia, in margine incisa, caulibus longis adhaerentia, inprimis inferiora, quae ex radice erumpunt, alia bina sibi invicem opposita iuxta longitudinem caulium et ramorum. Flores in summitate caulium crescunt verticillati, sex in singulo verticillo duabus stipulis cordiformibus stipato, in spicas longas congesti, galea longa, falcata, adunca, barba tripartita; segmentum medium bifidum et cavum; galea maior labium pedemque leonis referens. Semina quatuor satis crassa, polita, subrotunda, rubicunda, in capsula, quae flori tanquam calyx inservivit, inclusa. Radix est lignosa, longa, fibrosa, coloris fusci, saporis non ingrati, sed qui os quasi inflammat. Tota planta habet odorem penetrantem et saporem amarum. Notandum, quod vina, vel cerevisiae, in quibus vel per se, vel cum floribus Sambuci, fuit infusa, cito inebrient, capitisque dolores insignes excitent. Sunt tamen, qui modicum huiusmodi vini, vel cerevisiae usum foeminis frigidis, sterilibus et leucorrhoea laborantibus proficuum iudicent. Nomen forte habet a σκληρὸς, *durus, siccus,* quia haec planta habet caulem durum et siccum. Ge. *Scharlach, Scharleien.* Ga. *Orvale, toute bonne.* A. *Clary.* B. *Scarlei, algoede.*

SCLERIASIS, [aut σκληρία] est alicuius partis induratio. A σκληρόω, *induro.* Proprie de palpebrarum interiori duritie dicitur. [Galenus (*introd. s. med. c.* 16. *p.*770. *to. XIV.*) putat hanc denominationem tribuendam esse tumori palpebrae cum rubore et dolore coniuncto, quo difficulter curetur, et diutius duret, quam inflammatio.] *P. Aegineta* hac voce usus est de duritie quadam circa vulvae cervicem, quae ad scirrhum quidem accedit, sed tactui minus resistit.

SCLEROMA, i. q. *scleria.*

SCLEROPHTHALMIA est lippitudo dura, cum dolore,

motu oculorum tardo, rubedine et siccitate, quae in palpebris est, adeo ut nullum humorem fundant, nec post somnum facile aperiri possint. A σκληρὸς, *durus*, et ὀφθαλμία, *dolor oculorum.* Ge. *Harte Geschwulst der Augenlieder.* B. *Hardigheid*, seu *ontfleeking der oogschelen.*

SCLEROSARCOMA est abscessus progerminans plerumque in gingivis, carneus, durus, interdum galli coronam, vel cristam, interdum ostracodermi carnem referens, differens aliquantum ab *epulide.*

[**SCLEROSIS** a Swediaur *l. c. to. II. p.* 445. vocatur partis mollis cuiuscunque durities abnormis, plerumque ex inflammatione praegressa, aut a vi externe illata, quandoque et sponte oriunda, tumorem in externa corporis parte efficiens. A Gr. σκληρόω, *durum facio.*]

SCLEROTICA [REMEDIA] sive *indurantia*, sunt, quae partes firmius inter se coniungunt. Idque vel tenues et molles dissipando, vel eas interdum retinendo. Illud fit, ubi per nimis calefacientia scirrhus induratur; hoc, ubi per saturnina, aliave refrigerantia et adstringentia, pars ex. gr. oedematosa duritiem acquirit. Ideoque horum materia in calefacientibus et refrigerantibus, ac adstringentibus est quaerenda. A gr. σκληρόω, *induro.* Ge. *Verhärtende Mittel.* Ga. *Remèdes sclerotiques.* B. *Hardmaakende*, sive *verhardende middelen.*

SCLEROTICA [TUNICA] est involucrum primum et proprium bulbi oculi cum dura nervi optici membrana accurate connatum, album, ex cellulosa tela stipata compositum, absque conspicuis fibris, laminisve, densum et firmum, parvis vasculis, paucisque minutissimis nervulis percursum, hinc parum adeo sensile, quod totum oculi globum complecteretur, nisi anterius ei cornea membrana adaptaretur, cui recipiendae rotunda et paulum ovalis, adque nasi sedem latior scleroticae portio exscinditur *Hall.* Vide *Cornea.* A gr. σκληρόω, *induro.* — Nonnulli *corneam opacam* vocant. Ge. *Die harte Haut des Augapfels.* Ga. *La cornée opaque, sclerotique.*

[**SCLEROTICECTOMIA** est illa operatio medicorum oculariorum, qui, quando cornea suam pelluciditatem penitus amisit, prope huius tunicae marginem scleroticam satis amplo foramine aperiunt, sperantes fore, ut illud pupillae instar lucis radios excipiat, atque ut sic rerum obiectarum imago in bulbi fundo repraesentari possit. Autenriethius, huius operationis auctor suasorque, fausti successus spe, quam de ea conceperat, excidit. A gr. σκληρωτικὸς et ἐκτομὴ, *excisio.*]

[**SCLEROTICOMALACIA** est illud scleroticae tunicae vitium, quo illa, amissa naturali sua duritie, rarior fit et

emollitur. Fere semper cum hydrophthalmo universali coniungitur.]

[SCLEROTICONYXIS est ea operatio chirurgica, ad cataractae curationem inventa, qua acus, per scleroticam transfossae, ope lens crystallina, solis radiis impervia, e sede sua removetur. A gr. σκληροτικὸς sc. ὑμὴν, *sclerotica tunica*, et νύξις, *perforatio*, a νύσσω, *pungo*, *punctim aperio*. Sed graeca lingua substantivo νύξις caret: νύγμα potius debebat scribi.]

[SCLEROTICOTOMIA est sectio tunicae scleroticae. A gr. σκληροτικὸς et τομή.]

[SCLEROTICOTOMUS culter est ad perforandam membranam scleroticam aptus. A gr. σκληροτικὸς sc. ὑμὴν, *tunica sclerotica*, et τέμνειν, *secare*.]

[SCLEROTITIS. Hoc nomen tribuit Ca. Jos. Beck (*Handb. d. Augenheilk. p.* 97.) inflammationi scleroticae tunicae bulbi. Contra linguae autem usum, qui potius *scleroticitis* expostulat, formata vox. Neque ferenda est eiusdem morbi denominatio, ab Hellingo (*Augenkrankh. II. p.* 206.) adhibita, *scleritis*.]

SCLERUNTICA, i. q. *sclerotica*.

SCLIROSIS et SCLIROMA, i. q. *scirrhus*.

SCLOPETARIA AQUA, s. AQUA VULNERARIA praeparatur e vino generoso plurimis herbis vulnerariis superfuso, digesto et tandem destillato, eiusque usus externus ad contusiones, sugillationes, luxationes et vulnera recentia notissimus est. Interne sumta vires carminativas exserit. Ge. *Arquebusade, Schusswundenwasser*. Ga. *Eau d'arquebusade*.

SCLOPETARIA VULNERA dicuntur, quae globis ferreis aut plumbeis, maioribus vel minoribus, vi ignis explosis, corpori inferuntur et verius contusione, quam combustione partes laedunt. Ge. *Schusswunden*. Ga. *Coups de feu*. A. *Gunshot-wounds*.

[SCLOPETOPLAGA est nomen systematicum vulneris, per glandes e bombardis aut sclopetis emissus illati a Sagaro male efformatum. Ge. *Schusswunde*.]

SCOLIOSIS est spinae dorsi in hoc, aut illud, latus distorsio, sic ut etiam costae distorqueantur. Dicitur aliis etiam *gibbositas costalis*. [Swediaur *to. II. p.* 274. hoc ossium vitium ad osteomalaciam adultorum tanquam formam peculiarem retulit.] A σκολιόω, *intorqueo*.

SCOLOPENDRIA, SCOLOPENDRUM, *lingua cervina* officinarum, est species Asplenii, (Cryptogam. Filic.) et quidem *Asplenium scolopendrium* frondibus simplicibus, cordato-lingulatis integerrimis, stipitibus hirsutis *Linn*. Crescit in Germania, Gallia, Italia. Qualitatis est siccae, exsiccantis et roborantis; hinc infusum herbae in haemoptysi, hysteria,

hypochondriasi, cachexia et rhachitide commendatur. Ge. *Hirschzunge.* Ga. [*Doradille scolopendre,*] *langue de cerf.* A. *Harts tongue.* B. *Harts-tong.*

SCOLOPOMACHAERION est cultellus chirurgicus, apice incurvo, quo vulnera thoracis angusta dilatantur, magis item tumoribus aperiendis summopere convenit; abdominis quoque aperturae maxime utilis. Ex *σκολόπαξ*, *gallinago*, et *μάχαιρα*, *culter.* Ge. *Ein krummes Incisionsmesser.*

SCOLYMUS est *cinara*, seu *articocalus;* appellari volunt a *σκολύπτειν,* hoc est *μολούειν*, *arcere*, et *ἐκτίλλειν λιμὸν,* quod famem arceat, cohibeat, extinguat, vel a *σκόλος*, *spina.* Vide *Articocalus.* [Diosc. III. c. 14. varia nomina memorat, quae huic plantae Graeci, Romani et Aegyptii dederunt.]

SCOPTULA, i. q. *scapula.*

[**SCORACRASIA**, a Swedianr (*syst. nosol. to. I. p.* 236.) formata vox, qua alvi seu faecum involuntariam et durantem per anum aliasve vias abnormem excretionem designabat. A *σκὼρ*, *stercus* s. *merda,* et *ἀκρατία*, *retinendi impotentia.*]

SCORBUTICA sunt medicamenta acrimoniam scorbuti emendantia, et causam mali ex corpore eliminantia. Ge. *Mittel gegen den Scharbock, Antiscorbutische Arzneien.* Ga. *Antiscorbutiques.* B. *Scheurbuiks middelen.*

SCORBUTUS est morbus omnibus accolis maris septentrionalis, inprimis vero nautis et omnibus, qui cibis duris, salitis, vel fumo induratis vesci solent, et vegetabilibus destituuntur, frequentissimus et endemius, quo manus pedesque maculis saepe lividis conspurcantur, quae tandem nigrae evadunt, et late se per totam tibiam extendunt. Accedit item crurum debilitas, et tumor eorum accedens et recedens, totius corporis gravitas, anhelitus difficultas, inprimis post corporis motum; oris foetor, dentes vacillantes, sanguinem manantes gingivae, quae postea etiam exulcerantur et corrumpuntur; rigiditates, spasmi, dolores, arthritidesque vagae, colica et sexcenti alii morbi, qui propterea curari nequeunt, nisi specialis scorbuti ratio habeatur. Praedominantem acrimoniam in toto corpore habet, vel acidam, alcalinam, vel muriaticam, et sanguinem ita afficit, ut partim sit acris et serosus, partim crassus, ita ut venaesectione eductus scateat muco flavo-viridi etc. [Ex sanguinis scorbuticorum chemica analysi compertum est, in illo copiam fibrines et gelatinae minorem esse, quam in statu normali esse solet. Qua de causa solito fluidior, rubedo eius loturae carnis similis est, coagulatio denique sero contingit.] Antiquitati hunc morbum non fuisse incognitum, ex *Hippocrate*, lib. 2. cap. 42. ubi scorbuti symptomata enarrat evolvitque, quidam probare volunt, eumque fuisse morbum, quem sub nomine *ileos haematites* et *magni splenis* describit. [Antiquitates hu-

ius morbi accurate exposuit Grunerus in *Antiqu. morb. p.* 132 —141.] Nomen scorbuti saltem veteribus incognitum fuit, ab ea recentius formatum denominatione: *Schorbuk*, qua populi septentrionales hunc morbum insignire solent. Stomacace forte et scelotyrbe *Plinii* est. [Vide Gruner. *l. c. p.* 137.] Ge. *Scharbock, Skorbut.* Ga. *Scorbut.* A. *Scurvy.* B. *De scheurbuik, blaauw-schuit, schimmel-ziekte, blaauw-zugt.*

SCORDIUM, Chamaedrys palustris canescens *Tourn. Teucrium scordium,* foliis oblongis sessilibus dentato-serratis, floribus geminis axillaribus pedunculatis, caule diffuso *Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) est planta officinalis, quae habet caulem ramosum, quadratum, repentem, villosum. Folia mollia, villosa, in margine incisa, oblonga, albescentia. Flores sunt parvi, unilabiati, quinquefidi, in alis foliorum crescentes, coloris rubri. Flori succedunt quatuor semina tenuia, rotunda, in capsula, quae floris calyx fuit, inclusa. Radix fibrosa, oblique repens in terra. Est herba allium olens, quae propter vim putredini resistentem cataplasmata contra gangraenam ingredi solet. Crescit sponte in pratis paludosis, sed etiam ad usum medicum in hortis colitur. Saporis est acris et amari, viribusque tonicis, diaphoreticis et anthelminthicis gaudet. A quibusdam eximiae ei vires alexipharmacae tribuuntur. Adhibetur interne in forma infusi, vel essentiae, et plura medicamenta composita ingreditur. Destillatione nullum oleum aethereum elici potest. Nomen forte a σκόροδον, ab *allio*, habet: vel propter allii acrimoniam. Ge. *Lachenknoblauch*, [*Wasserlauch, Wasserbatengel.*] Ga. *Scordion, germandrée d'eau, chamarras.* A. *Water-germander.* B. *Water-look.*

SCORDOTIS est planta apud veteres Marrubio non absimilis: an vero sit Scordium? an Alliaria, quia allium olet, an eius, ut videtur, species, dubium adhuc videtur. [Commemoratur a *Plinio h. n. lib.* 25. *c.* 6. et *lib.* 26. *c.* 5. in quo loco, quae de scordotide relata sunt, totidem verbis apud *Diosc. III. c.* 15. quod de scordio agit, leguntur.] Ill. *Linnaeo* est species nepetae, scilicet *Nepeta scordotis,* spicis sessilibus terminalibus, bracteis subcordatis villosis, foliis cordatis obtusis. (Didynam. Gymnosperm.) Scordium alterum lanuginosius verticillatum *Bauh.* Videtur derivari a σκόροδον, *allium.*

SCORIAE sunt recrementa metallica, sive partes metallorum, quae in fusione, vel in cudendo, vi ignis corroduntur in massam mortuam, non solubilem amplius; et quae a partibus metallicis facile separantur. [Gr. σκωρία a σκῶρ, *stercus.* Occurrit vox saepe apud *Diosc. V. c.* 101. σκωρία ἀργύρου, *c.* 97. σκωρία μολύβδου, et *c.* 94. σκωρία σιδήρου. Usus quoque voce est Paul. Aegin. p. 254. Dzondius (*Aesculap I.* 1. *p.* 109.) stimulum, qui a suppressa perspiratio-

ne cutanea pendet, et qui vulgo *rheumatismi* nomine insignitur, aptius *scoriae cutaneae* nomen obtinere posse putavit.] Ge. *Schlacken, Schaum der Metalle, Hammerschlag.* Ga. *Ecume, impurités, scories.* A. *Scoria, dross.* B. *Schuim der metaalen, slek, hamerslag.*

SCORIFICATIO est operatio chymica, qua vi ignis, variisque additis, metalla a partibus vilioribus in scorias mutatis, dum fundum petunt, separantur, aut ipsa metalla in scorias mutantur, ad ulteriorem usum medicum, aut chymicum, adhibendas. Ge. *Verschlackung.* Ga. *Scorification.*

SCORODON est allium, [teste Diosc. II. c. 181.] Dicitur [secundum Etym. M. p. 719, 18.] quasi σκαιὸν ῥόδον, id est, *rudis rosa*, quod aspere supra modum redoleat, et olfacientium nares offendat, vel a σκῶρ ὄζειν, quod *foede oleat*, tanquam *stercus*. Vide *Allium.*

SCORODOPRASUM, [penultima brevi] est planta inter allium et porrum media. Gr. σκόροδον est *allium*, et πράσον, *porrum*. Est *Allium scorodoprasum Linn.* Ge. *Rockenbolle, zahmer Knoblauch.* Ga. *Ail poireau, rocambole.* A. *Leek schallot.* Ital. *Rocobole.* B. *Look parei.* — Quibusdam tamen auctoribus hoc nomine variae species allii (Hexandr. Monogyn.) denotantur, ut *Allium ampeloprasum Linn.* caule planifolio, umbellifero, umbella globosa, staminibus tricuspidatis, petalis carina scabris. *Allium rotundum Linn.* caule planifolio umbellifero, staminibus tricuspidatis, umbella subglobosa, floribus lateralibus nutantibus. *Allium sphaerocephalon Linn.* caule teretifolio umbellifero, foliis semiteretibus, staminibus tricuspidatis corolla longioribus.

SCORPIO est insectum apterum, cancro non dissimile, sed pro ratione gracilius, pedibus octo, oculis octo, horum tribus ad latus utrumque thoracis, duobus in tergo; fronte chelifera, palpis duobus cheliformibus, cauda elongata, articulata, terminata mucrone arcuato, pectinibus duobus subtus inter pectus et abdomen. [Definitur sic: Pedes 8 insuper chelae 2 frontales. Oculi 2 in dorso. Palpi 2 cheliformes. Cauda elongata mucrone arcuato. *Pectines* 2 subtus inter pectus et abdomen.] Huius generis plures dantur species, colore, figura et magnitudine differentes, quae omnes intra muros, lapides et cavernas regionum calidarum habitant, quarumve ictus, quem mucrone infligunt, eo est periculosior, quo ipsa regio calidior. Species, quae apud nos in usum medicum adhibetur, in Italia frequentissima, est *Scorpio europaeus* pectinibus 18. dentatis, manibus angulatis *Linn.* Huius speciei plures vivi, vel per se, vel additis pluribus alexipharmacis, in oleo infunduntur et macerantur, idque oleum in Italia, ubi vivorum copia praesto est, praeparatum in officinis nostris sub nomine *olei scorpionum* simplicis, et magni Matthioli prostat. Huic quidem insignes

vires alexipharmacae et nervinae tribuuntur; eius tamen usus internus rarissimus est. Frequentius longe et bono cum effectu regioni pubis, lumbari et perinaeo in dysuria et affectibus nephriticis ad urinam pellendam illinitur. In Italia oleum hoc promtissimum est in ictu scorpionum remedium. Auribus immissum in otalgia serosa prodest. Vires tamen magis ab oleo quam a scorpionibus pendent. Ge. *Scorpion.*

SCORPIOIDES, *Ornithopus scorpioides Linn.* est parvula planta, quae habet caules tenues, angulosos, aliquantulum villosos, in latitudinem se extendentes, repentes. Folia emittit oblonga, buplcurum, vel perfoliatam referentia, sed pinguiora et magis nervosa, saporis acidiusculi. Flores sunt exigui, leguminosi, flavi. Post florem sequitur siliqua villosa, longa, hispida, articulosa, cochleae, aut erucae ad instar eleganter in se convoluta, continens in singulis articulis semen ovatum. Radix est exigua. Haec planta crescit in regionibus calidis, praesertim in locis aridis Galliae australis: est legumen, cuius siliquae scorpii similitudinem habent. Ex σκορπίος, *scorpius*, et εἶδος, *forma.* Ge. *Skorpionkraut.* Ga. *Chenille plante.* A. *Scorpion-wort.* B. *Scorpion-kruid.*

SCORPIURUS est Heliotropii species, cuius summitates cum cauda scorpionis similitudinem habent. Ex σκορπίος, *scorpio*, et οὐρὰ, *cauda.* [Nemnich. *p.* 1263. *to. II.* synonymon esse vult scorpioidis. A. *Caterpillar.* B. *Scorpioenstaart.* Ga. *Chenille, chenillette.* Ge. *Scorpionschwanz, Raupenkraut, Raupenklee, Krebsblume, Schneckenklee.*]

SCORSONERA, vel **SCORZONERA** est plantae genus flore composito lingulato, (Syngenes. Polygam. Aequal.) cuius species officinalis est Scorzonera latifolia sinuata *Bauh. Scorzonera hispanica* caule ramoso unifloro, foliis amplexicaulibus integris serrulatis *Linn.* Habet haec caulem rotundum, striatum, cavum, in plures ramos longos divisum, levi lanugine obductos. Folia sunt longa, satis ampla, Tragopogoni foliis similia, polita, basi caulem amplectentia, aliquando parum crispata et sinuosa, in acumen satis longum desinentia, coloris viride-obscuri. Flores in summitate ramorum nascuntur, semiflosculosi, calyce oblongo, tenero, squamoso comprehensi. His succedunt semina longa, tenuia, alba, pappis plumosis instructa. Radix longa, digiti, vel pollicis crassitie, simplex, foris nigra, intus alba, tenera, fragilis, carnosa, succulenta, lactea, subdulcis ac grati saporis, odoris nullius. [Diffracta succum stillat, dum recens est, lactescentem.] Planta est perennis, in Hispania habitans, frequenter tamen etiam in hortis nostris culta. Radicis usus et culinaris est et medicus. Exsiccata leniter amarescit. Eximiae ei vires aperitivae, diaphoreticae et alexi-

pharmacae, simulque leviter nutricntes tribuuntur. Prostat in officinis aqua et extractum. Frequentius tamen radix in decocto adhibetur. Hispanis *scorzonera*, ab hispanica voce *scurzo*, quod est vipera, hinc dicitur quoque *viperina*, *viperia*, vel *serpentaria*. Ita vero vocata est, quod huius plantae radix habeat, ut credunt, eximias vires contra viperarum morsum. Vel a *scorzonera* ob colorem atrum radicis. Ge. *Spanische Schlangenwurz, Garten-Skorzonere, Schwarzwurzel.* Ga. *Scorzonere, salsifie d'Espagne.* A. *Vipersgrass.* B. *Gift-wortel, slange-wortel, adders-kruid.*

SCORTUM, i. q. *scrotum*. [Haud dubie e vitio typographico ortum. Barthol. *anat. lib. I. c.* 21. *p. m.* 210. ad cuius auctoritatem provocat Castellus, et qui hunc sequuntur, causam huius denominationis nullam, neque scriptorem attulit ullum, cuius testimonio haec scroti significatio defendi possit.]

SCOTODINOS, i. q. *scotomia*.

SCOTOMIA, VERTIGO, Gr. *δῖνος*, *ἴλιγξ*, *ἴλιγγος*, *σκότωμα*, *σκοτωματικὸν πάθος*, *Aegin.* *Σκοτόδινος*, *Hippocrat.* *Σκοτοδινία*, *Platoni*, est illa adfectio, qua obiecta externa videntur circumrotari, adeo ut aegri titubent, vacillent et oculi saepe simul obscurentur; accedente plerumque molesto aurium tinnitu: orta a quavis causa sanguinem vehementius determinante ad caput, vel spirituum animalium fluxum in nervos opticos eorumque thalamos turbante, unde retinae villi nervosi nimis concutiuntur, et imagines per radios lucis depingendae non placide per aliquot puncta temporis super eosdem villos retinae pinguntur, sed omni momento super alios vicinos, quare mens, hos motus percipiens, iudicat, imagines moveri, veluti olim per similes motus factum vere cognoverat. Causa est vel in ipso capite tuncque vocatur *scotomia idiopathica*, vel ab aliis morbis pendet, vitio ventriculi, hysteria, hypochondriasi, haecque *symptomatica* dicitur. A *σκοτόω*, *obscuro*. [Vide Swediaur *l. c. to. 1. p.* 478.] Ge. *Der Schwindel.* Ga. *Vertige, tournoyement de tête.* A. *A turning round, giddiness.* B. *Drajing in 't hoefd, suizeling, zwymeling, hoofd-zwymel.*

SCREATUS est voluntaria aëris ex pulmonibus pressio, ut cum sono concutiat fauces; ibidemque elidere conetur haerentem humorem. Ge. *Das Räuspern.* B. *Rocheling.*

SCRIPTULUS, vide *Scrupulus*. [Non *scriptulus*, sed *scriptum* dicendum esse probant ea, quae Matth. Gesner. in *thes. lingu. lat.* s. *v.* attulit.]

SCROBICULUS CORDIS, i. q. *anticardium*.

SCROFFA, i. q. *scrophula*.

SCROFULA, SCROPHULA, seu STRUMA, CHAERES, Gr. *χοιράδες*, quia porcas infestare solent, vel, ut alii volunt, a multiplici partu, quoniam, sicuti sues multos edunt par-

tus, sic ex una struma plures fiunt. Sunt vero tumores morbosi glandularum colli, vel aurium, vel etiam aliarum glandularum lymphaticarum renitentes, oriundi a materia in folliculis glandulosis stagnante in cavo ob frigus, ductus emittentes constringente et partes indurante, vel quia materia exitui inepta orbatur tenuissimo suo vehiculo, vel ab ipso veneno scrophuloso coagulatur. Glandulae scirrhosae sunt vel integrae, vel suppuratae; integrae quidem nascuntur, et sine ulla erosione diu permanent; ast vel sponte, vel male tractatae, ulcera sordida in diversis partibus pertinacia inducunt, ipsi digiti carie afficiuntur, articuli in tumores attolluntur, unde anchiloses, paedarthrocace, infinitaque alia mala saepe insanabilia, ita ut strumae, seu tubercula colli sint exigua pars totius morbi scrophulae dicti. Hic morbus est saepius congenitus, quandoque haereditarius, saepe a prava diaeta pauperum oriundus, tumque maxime periculosus si pulmones, aut alia viscera adficiat. *Sauv.* Ge. *Ein Kropf, Skropheln.* Ga. *Ecrouelles.* A. *The kings-evil, scrophulous tumor.* B. *Klieren, krop-zweeren.*

SCROPHULARIA, seu **SCROFULARIA** est plantae genus flore monopetalo anomalo, (Didynam. Angiosperm.) cuius quidem duae species in usum medicum adhibentur, scilicet *Scrophularia vulgaris Pharm.* Scrophularia nodosa foetida *Bauh.* *Scrophularia nodosa* foliis cordatis trinervatis, caule obtusangulo *Linn.* Habet haec caulem rectum, quadratum, coloris purpurei nigricantis, intus excavatum, in summitate in ramos, in alas se extendentes, divisum. Folia sunt oblonga, acuta, ampla, in margine incisa, urticam urentem referentia, sed ampliora, obscuriora, non urentia, caulium nodis sibi invicem opposita. Flos est anomalus, monopetalus, utrinque patens, fere globosus, quasi ollam rotundam repraesentans, parte anteriori bilabiatus, superiori binis folliculis constans, tecto inferiori trifido. Post florem succedit fructus, vel capsula semi-rotunda septo medio distincta, continens semina exigua. Radix est crassa, inaequalis et nodosa. Tota planta habet odorem ingratum, ad odorem foliorum sambuci accedentem, et saporem amarum. Foliis aeque ac radici vires emollientes, resolventes ac mundificantes attribuuntur. Radix in pulvere sumta haemorrhoidibus dolentibus mederi, et semen anthelminthicum dicitur. Crescit intra sepes, aliisque locis humidis et umbrosis. — Altera species est Scrophularia aquatica maior *Bauh.* *Scrophularia aquatica* foliis cordatis obtusis petiolatis decurrentibus, caule membranis angulato, racemis terminalibus *Linn.* magis in Europa australiori nascens, eiusdem fere cum praecedente, minus tamen foetidae, qualitatis. Nondum in officinas nostras recepta. Haec planta eadem cum *Iquetaya* Brasilien-

sium esse putatur, dum easdem vires possidet, additis scilicet foliis, saporem nauseosum foliorum sennae corrigendi, et, quae facile excitant, tormina tollendi. Scrophularia dicitur, quod strumosa radix ex multis granorum frumenti grumis videtur coaluisse, vel quod strumis, quas imitatione graeca scrofulas vocant, medeatur. Ge. *Braunwurzel, Feigen-* oder *Warzenkraut*, *Knotenkraut*, *Sauwurzel*, *Knollenkraut*, *Fischwurzel*, et *aquatica weisser Nachtschatten*, *Wasserbetonien*. Ga. *Scrophulaire*, et *aquatica*, *herbe du siege*. A. *Scrophulary*, *fig wort*, *pilewort*, *celandine*, et *aquatica water fix-wort*, *water-betony*. B. *Klier kruid*, *speen-kruid*.

SCROTOCELE est hernia scroti. Vide *Hernia*.

SCROTUM, ut et **BURSA**, Gr. ὄσχεος, ταῦρος, ποιρὶν, *Nicand. schol.* [Ther. vs. 585. Cons. et Schneider. ad h. l. p. 149.] Πηνιρά et πηνάρα θοραίην, invenio apud *Erotianum* p. 312. fortasse rectius πυρῖνα, est receptaculum in homine adulto, inque classibus animalium ruminante et rapace testiculos extra abdomen continens, quod ad latera penis dependet. Hic saccus per medium profunde in duos saccos ovales divisus, cute factus pertenui, crispis pilis conspersa, cum strato adipis non multi, neque laxi, subiecto. Est sub eadem cute peculiare involucrum, *dartos* [δαρτὸς, ap. Ruf. Eph. p. 41.] veterum, rubens, vasculosum, non vere quidem musculosum, neque fibris factum parallelis, hactenus tamen musculosae indolis, quod cum cute a frigore irritabile ex laxitate se concutiat, erigat, firmet et adscendat. Natura ei cellulosa est, densa, stipata, quae cuti adhaerescat. Cuivis testiculo sua eiusmodi est vagina, unde in utriusque darti coniunctione, flatu impulso et saccis ad se invicem adpressis, hoc septum scrotum in duos saccos dividens apparet. *Hall.* Hic saccus testes tuetur et sustinet. Ge. *Der Hodensack.* Ga. *Le scrotum, la bourse des testicules.* A. *The cod*, *cods-purse*, *scrotum.* B. *Het kloot-zakje*, *bal-zak.*

SCROTUM CORDIS, vide *Pericardium.*

SCRUPULUS est tertia pars drachmae: continet scrupulus grana viginti, seu obolos duos, vocatur item *scriptulus* et *scripulus.* Ge. *Ein Scrupel, der dritte Theil eines Quentchens.* Ga. A. *Scrupule.* B. *Een scrupel.*

SCUTALIS CARTILAGO, i. q. *ensiformis.* — Item idem quod *thyroides.*

SCUTIFORME OS, i. q. *mola genu*, s. *patella.*

SCUTIFORMIS CARTILAGO, vide *Ensiformis* et *Thyroides.*

SCUTUM proprie est instrumentum bellicum, quo corpus munitur ab invasione hostili. Improprie vero dicitur de aliis quibuscunque munimentis. Tale est emplastrum *scutum* referens, quod regioni epigastricae applicatur. Ge.

Ein Schild- oder Magenpflaster. Ga. *Ecusson, emplâtre scutiforme.* A. *Shieldlike plaister.* B. *Een schildgelyke pleister.* — *Scutum* quoque significat patellam, seu molam genu, ideoque *os scutiforme* appellatur. Vide suo loco.

SCYBALA sunt excrementa alvina in cellulis intestini coli in globulos formata, velut ab ovibus, aut capris excernuntur. [Etym. M. *p.* 719., 53. *σκύβαλον, τὸ δι' ἐντέρων ἐκδιδόμενον, κυσίβαλόν τι ὄν.* Eandem etymologiam tradunt Etym. Gud. Orion, Zonaras, et qui ad h. l. a summe vener. Tittmanno laudati sunt. Krausii longam de etymologia huius disputationem commemorasse sufficiat.]

SCYTALIDES vocantur ossicula digitorum singulorum terna, excepto pollice, qui duo habet, mutuo inter se colligata, et ordine succedentia, veluti in acie, turma equitum, quae *σκυτάλη* vocatur. [Hic Gorraei error recte notatus est a Krausio.] Latine *Internodia*, *Phalanges.*

SCYTHICA RADIX, vide *Glycyrrhiza.*

SCYTODEPSICUM principium est pars constitutiva omnium plantarum adstringentium, brunnci coloris, peculiaris odoris, adstringentisque saporis, in fracturae superficie hyalinum adspectum offerens, fragilis et libero aëri exposita immutabilis. A Deyeux et Seguino detectum est. Nomen plerumque falsum huic materiae dari solet principium *scytodephicum*, aut secundum Pfaffium uno vocabulo: *scytodephion.* Quamquam autem Eustath. ad *Hom. Od. XII. ν.* 48. verba *κηρὸν δεψήσας* explicat per *τὸ μαλάξαι, ἀπὸ τοῦ δέφω δέψω, ἐξ οὗ καὶ βυρσοδέψης*, et XX. v. 2. *δέφω δέψω, τὸ μαλάσσω καὶ κατεργάζομαι. οὗ ὁ μέλλων δέψω, ἀφ' οὗ βυρσοδέψης καὶ σκυτοδέψης,* tamen a praesenti nullum in *κὸς* desinens derivatur adiectivum, qua in re erravit Kraus. *l. c.* Hinc rectius nomen huius principii est *scytodepsicum.* Descendit enim a *τὸ σκύτος, corium,* et *δεψέω, mollio,* unde *σκυτοδέψης, qui coria subigit.* Etym. M. *p.* 217. *l.* 15. Ga. *Tannin.* Ge. *Gerbestoff.* Diosc. I. c. 147. *βυρσοδεψικὴν* vocat *ῥοὰ ἐκ τοῦ τοὺς βυρσοδέψας αὐτῆς χρῆσθαι εἰς τὴν στύψιν τῶν δερμάτων.* Simili modo *ἡ ῥοῦς βυρσοδεψικὴ* occurrit ap. Ruf. Ephes. *opusc.* a *Chr. Fr. de Matthaei* edit. Mosquae 1806. 8. *p.* 229. XXI. vel *Medic. graec.* opusc. ab eod. Mathaei Mosqu. 1808. 4. edita p. 270.]

SEBEL, i. q. *pannus oculorum.*

SEBESTEN prunorum quasi species est, dicuntur et *myxae* et *mixaria.* Sebesten officinarum *Dill.* *Cordia myxa* foliis ovatis supra glabris, corymbis lateralibus, calycibus decem-striatis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.). Crescunt in Aegypto Pruni instar; folia obrotunda, in margine dentata; flores parvi, albi, pentapetali, rosacei, in racemos congesti, et Geranio proximi, a quibus fructus oriuntur parvis rotundisque prunis similes, et calyce velut cupula tecti,

quorum nuclei tricostati cernuntur: viscosi sunt admodum masticati, exterius siccati nigri: pro tussi, raucedine et stranguria, rarius tamen hodie, assumuntur. Mucilago, quae ex his fructibus in Aegypto extrahitur, quamve incolae tum externe ad tumores duros resolvendos, tum interne in morbis pulmonum adhibent, sub nomine *glutinis Alexandrini* rarissime ad nos adfertur. Ga. *Le sebestier.* Ge. *Brustbeeren, Sebestepflaumen.* A. *The smooth leav'd cordia, sebesten.* B. *Borst pruimen, sebestenboom.*

[**SEBUM** seu **SEVUM** est durissima pinguedo, quae plurimum steatines in se continet. Castellus eam adipe scciorem, magisque concretam et compactam, eiusdem tamen cum adipe generis esse contendebat. Varia seborum genera olim in officinis prostabant. Pharmacopoea borussica unum retinuit sebum ovillum, de quo vid. Dulk. in commentario ad hanc pharmacopoeam.]

SECACUL dicitur Sigillum Salomonis, est vox Arabica.

SECALE est planta cerealis, (Triandr. Digyn.) quae habet caules valde altos, hominis altitudinem saepe superantes, rectos, firmos, folia gerentes pauca, longa, sed tritici foliis angustiora. Flos apetalus, per fasciculos in spicam dispositus; singuli nempe flores tribus staminibus constant ex calyce surgentibus; pistillum autem abit dein in semen oblongum, tenue, farinaceum, gluma aristata, quae floris calyx fuit, obvolutum; hanc tamen concussum facile deponit. Singuli fasciculi axi dentatae affixi spicam, tritici spica magis compressam, constituunt: grana sunt triticeis longiora, strigosiora, tenuiora, et intensius flavescentia, aut fusca, saporis farinacei, subdulcis. Apud nos frequentissime colitur, ad panificium et in usum cibarium cedens. Qualitatis est nutrientis, glutinosae tamen et facile acescentis, hinc robustioribus tantum, et valido labore exercitis, panis secalinus utile nutrimentum praebet. Antherae florum adversus febres intermittentes commendantur. Prostat emplastrum stomachicum de crusta panis. A secando dici videtur, quod messis tempore falce secari solet, dicitur et *Farrago, Rogga.* Ge. *Rocken, Korn.* Ga. *Ségle.* A. *Rye.* B. *Rogge.*

SEC. NAT. significat *secundum naturam;* vide infra suo loco.

SECRETIO est actio naturalis, vel ille circuitus humorum nostri corporis effectus, quo particulae quaedam humorum in visceribus quibusdam; quae ideo *organa secretoria,* s. *colatoria* dicuntur, se a contubernio reliquarum separari patiuntur. Ge. *Absonderung.* Ga. A. *Sécrétion.* B. *Afscheiding.*

SECTIO CAESAREA, vide *Hysterotomotocia.*

SECUNDAE, i. q. *secundinae.*

SECUNDINAE: hoc sub nomine intelligitur in genere omne id, quod in statu naturali praeter foetum in utero continetur, et in partu vel statim post partum excernitur, ut *chorion*, *amnios* cum liquore suo, et ipsa *placenta uterina*; quae omnia suis locis videnda. Vide *Placenta*. Ge. *Nachgeburt*, *Aftergeburt*. Ga. *L'arrière faix*. A. *The secundine*. B. *De nageboorte*.

SECUNDUM NATURAM res fieri dicuntur in corpore animali vivo, quando sese debito modo habent, ut in statu sanitatis. Cui opponitur *praeter naturam*, in quo statu omnia male, aut pessime sunt. Vide *Natura*.

SECUNDUS botanicis dicitur *racemus*, vel *pedunculus* ramis lateralibus instructus, in quo flores omnes ad alterum latus flexi sunt.

SECURIDACA est planta flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quae habet caules ex radice erumpentes, ramosos, repentes. Folia oblonga, plura uni costae adnascentia. Flores sunt leguminosi, flavi, in umbellam radiatim dispositi. Post florem sequitur siliqua longa, plana, recta, angusta, articulosa, annulata, carinata; in singulis articulis continetur semen rhomboideum introrsum emarginatum, coloris rubicundi, saporis amari. Siliquae securim militarem exhibent, ut veterum Dacarum, vel gladium Hungarorum. Radix est longa, alba, fibrosa. Haec planta crescit in locis incultis. Sic appellatur ad formam eius siliquae securim referentis. Usus vix medicus est; sunt, qui semen contra morsum animalium venenatorum laudent. Haec planta iam ad Coronillas refertur, estque *Coronilla securidaca Linn.* herbacea, leguminibus falcato-gladiatis, foliolis plurimis. Securidaca lutea maior *Bauh.* Ill. *Linnaeo* autem *Securidaca* est genus plantarum flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) cui pericarpium subrotundum, desinens in membranam perpendicularem, maximam, oblongam, obtusam, superne latiorem, semen unicum, pericarpio toto vestitum. Ge. *Beilkraut*, *Beilcoronille*. Ga. *Séné sauvage*, *coronille à gousses plattes*, *la faveille d'Espagne*. A. *Ax-wort*, *hatchet-vetch*. B. *Bylkens kruid*, *bylzaadig coronilla*.

SEDANTIA, **SEDATIVA** sunt medicamenta, quae non tantum nimium et irregularem solidorum fluidorumve motum componunt, sed etiam dolores inde ortos levant. Ge. *Besänftigende Mittel*. Ge. *Sedatifs*. A. *Sedatives*. — Sic *sedativum sal Hombergii*, vel *sal volatile narcoticum vitrioli*, quod altera pars constitutiva boracis est, per solutionem boracis in acido vitriolico obtinetur, et ad aliquot grana propinatum, secundum nonnullos egregie tum in febribus acutis deliria, tum furores maniacos compescit. Alii tamen vires eius boracis virtutem non superare contendunt.

[**SEDATIVUM SAL HOMBERGII** seu *acidum boracicum*

paratur hoc modo: pars una boracis quadrupla aquae bullientis portione solvitur; solutioni per filtrum traiectae sensim tertia acidi sulphurici pars additur. In liquore frigefacto crystalli oriuntur, quae parvas, albas, instar matricis margaritarum splendentes, elasticasque lamellas formant, quarum copia evaporatione ulterius protracta augetur. Repetita solutione et crystallisatione ab adhaerente acido sulphurico liberantur crystalli. Compositionem huius acidi cum disquirerent Davy, Gay Lussac cum Thenardo, et Berzelius, illud e boro et principio oxygenetico constare repericbant. Ab Hombergio nomen traxit acidum, quod is anno 1702, cum boracem cum oxydulo sulphurico candefaceret, illud primus obtinuit. Ga. *Acide boracique*, sive *borique*. Ge. *Boronsäure, Boraxsäure, Sedativsalz, narcotisches Vitriolsalz.*]

SEDENTARIUM OS nonnullis vocatur protuberantia ossis coxendicis, cui utrinque sedentes innitimur.

SEDIMENTUM URINARUM sunt particulae, quae in urina natantes, tandem in illa vel refrigerata, vel adhuc calente, sua gravitate praeponderante in fundo urinalis subsident; suntque pro vario morbo, eiusque statu diverso, variae formae, gravitatis, coloris et naturae, hinc etiam pluribus in morbis variam diagnosin atque prognosin suppeditant. Gr. *Ὑπόστασις*. Ge. *Der Satz im Urin.* Ga. *Sédiment.* A. *Sediment, subsistence.* A. *Zetzel, grond zetzel in de pis.*

SEDLIZENSE SAL, et **SEIDSCHUZENSE SAL** sunt salia media, sic dicta a pagis Bohemiae, *Seidliz*, vel *Sedliz*, et *Saydschüz*, iuxta quos scaturit aqua amara, e qua evaporando et crystallisando hoc sal praeparatur. *Sali mirabili Glauberi*, vel *sali aperitivo Fridericiano* hoc sal maxime est analogum. Constat ex acido vitriolico et alcali fixo salis communis, quae tamen pars alcalina in hoc sale non perfecte salina, sed simul valde terrea esse videtur, aut potius magnesia est, quae etiam ex eo praecipitatur. [Recentissimam huius aquae medicatae analysin instituit Steinmannus anno 1826. Is in illa iuvenit magnesiam et sulphuricam, et nitricam, et muriaticam, et carbonicam, kali et natrum sulphuricum, calcem acidis cum sulphurico, tum carbonico nuptam, strontianum carbonicum, ferrum oxydulatum carbonicum, manganum oxydulatum carbonicum, magnesiam subphosphoricam, silicium, extractum humi, et acidum carbonicum liberum, cum pauca aëris atmosphaerici quantitate. Cons. Bley *Taschenb.* etc. Leipz. 1831. p. 433. ss.] Minori dosi vires incidentes et digestivas, maiori vero leniter alvum moventes exhibet. Ge. *Böhmisches Bittersalz.* Ga. *Sel de Sedliz.*

SEDUM est plantae genus flore polypetalo rosaceo, capsulis pluribus acuminatis, compressis; cuius quidem plures

dantur species, quarum tamen duae praecipue in usum medicum adhibentur; scil. primum Sedum, seu Sempervivum maius vulgare *Bauh.* *Sempervivum tectorum* foliis ciliatis, propaginibus carnosis patentibus *Linn.* (Dodecandr. Dodecagyn.). Habet hoc folia succulenta, oblonga, acuta, crassa, carnosa, tenerrimae structurae, pulposa, terrae ac radicibus proxima, semper viridia, in latum se extendentia. Flos est rosaceus, polypetalus, coloris purpurei. Caulis est rectus, et crassus, folia habens angustiora et acutiora; calyx multifidus; floribus succedit fructus ex plurimis veluti capsulis vaginarum aemulis, in capitulum quoddam collectis compositus, seminibusque foetus ut plurimum exiguis. Radix parva et fibrosa. Qualitatis est aquosae, acriusculae et acido-austerae; hinc eximiis viribus refrigerantibus et subadstringentibus pollet. Commendatur etiam interne in febre hectica et dysenteria. Externe in aphthis, ambustura, haemorrhoidibus inflammatis et fissura papillarum succus expressus prodest. Folia contusa fronti imposita deliria in febribus mitigant: clavos pedum emolliunt. Succus expressus equis datus rigiditatem pedum tollere dicitur. Crescit frequenter in tectis Europae. Ge. *Hauslauch, die gemeine Hauswurzel.* Ga. *La grande joubarbe, artichaud sauvage, joubarbe des toits.* A. *The common house-leek.* — Altera species est Sedum parvum acre, flore luteo *Pharm.* Sempervivum minus vermiculatum acre *Bauh.* *Sedum acre* foliis subovatis adnato-sessilibus, gibbis, erectiusculis, alternis, cyma trifida *Linn.* (Decandr. Pentagyn.). Capsulis quinque erecto-patentibus; pariter in tectis et montibus Europae proveniens. Qualitatis est acris et subcorrosivae, viribusque incidentibus, vomitoriis et diureticis gaudet. Sunt, qui in quartana, scorbuto et hydrope commendent. Externe gingivis in scorbuto frigido medetur, et scrophulas et lupias nascentes resolvere dicitur. Ge. *Mauerpfeffer, kleine Hauswurz.* Ga. *La vermiculaire brulante, pain d'oiseau, l'illecebra, poivre des murailles.* A. *Wale-stonecrop, peppercrop.* B. *Scherp huis-look, muurpeper, bergknop.* — Est quoque species satis apud nos frequens, quae est Sedum minus luteum, folio acuto *Bauh.* *Sedum reflexum Linn.* foliis subulatis sparsis, basi solutis, inferioribus recurvatis, ad radices montium habitans, qualitatis aquoso-acris, quae saepe ad oeconomicum usum in acetariis adhibetur. Ge. *Tripmadam, kleine gelbe Hauswurz, gelber Mauerpfeffer.* Ga. *Tripemadame, l'orpin jaune.* A. *The sharp-pointed, stone-crop, prickmadam.* B. *Omgebogen huis-look.*

SEGMENTUM UTERI INFERIUS vocatur pars uteri gravidi inferior in vaginam prominens.

[SEISIS Castello est concussio et quassatio vertebrarum, quod spinae dorsalis vitium est, cum earum iuncturae et com-

pages fuerint dimotae, vertebrae autem suo loco manen. Galen. *comm.* 3. *in Hipp. de artic. c.* 2. *to. XVIII.* 1. *p.* 49. *ἔξωθεν δὲ τούτων ἡ σεῖσις καλουμένη τέταρτον πάθος ἐστὶ τῶν ἐν τῇ ῥάχει σφονδύλων, ὅταν διακινηθῶσι μὲν αἱ ἁρμονίαι, κατὰ χώραν δὲ οἱ σφόνδυλοι μένωσι.*]

[**SELENE** est macula alba in unguibus, lunae segmentum repraesentans. A Gr. *σελήνη, luna.*]

[**SELENIASIS**, a Gr. *σεληνιάζω, lunaticus sum*, est is hominum quorundam morbus, quo a lunae variis phasibus ita affici dicuntur, ut noctu et somno detenti actiones peragant, quas vigilantes aut exsequi solent, aut suscipere non auderent. Vid. *Lunaticus.*]

SELENITES est substantia mineralis terrea, vel lapidosa, in acido non solubilis, in igne in gypsum abiens, quod adiecta aqua in massam compactam mutatur. Constat ex terra calcaria et acido vitriolico, et pro varia densitate, vel substantia lamellosa, aut fibrosa, dicitur *Selenites*, Gypsum lamellis rhomboidalibus pellucidum *Waller. Lapis specularis Plin. Glacies Mariae Matthiol. Vitrum moscoviticum, spuma lunae* etc. Gravitatis specificae est ad aquam 2322 — 1000. Qualitatis siccae, stypticae, usus hinc internus suspectus. Huiusmodi terra selenitica in plerisque aquis, tum communibus, tum mineralibus, reperitur. Ge. *Spiegelstein, Eselsspiegel, Selenit, Fraueneis.* Ga. *Sélénite, pierre speculaire, talc de Montmartre.* — Est et alia substantia fossilis, quae Selenites vocatur, scilicet Gypsum crystallisatum *Wall. Fluor seleniticus Scheuchz.* cuius partes fibrosae, aut rhomboidales sunt, angulis tamen semper detritis, aut obtusis. Ge. *Gipskrystalle, Gipsdrusen.* Ga. *Gypse cristallisé.*

SELENITIS est *Lunaria*, dicitur a luna, quae Gr. est *σελήνη*. Vide *Lunaria.*

SELIBRA est librae dimidia pars, sive unciae sex. Ge. *Ein halb Pfund.* Ga. *Demi-livre.* A. *Half a pound.* B. *Een half pond.*

SELINUM vocatur *Apium:* dictum scribunt ab *ἕλος*, a *palude*, quod in locis palustribus libenter nascatur. Alii a *σελήνη* deducere volunt, quod epilepsia laborantibus obsit, ac novum paroxysmum creet; aliis quasi *ἕλους σευτόμενον*, hoc est paludibus impulsum: paludosis enim gaudet, et in iis enatum laetius exsurgit. Vide *Apium.* — Ill. *Linnaeo Selinum* est plantae genus flore umbellifero, (Pentandr. Digyn.) fructu compresso-plano, elliptico-oblongo, utrinque in medio striato, bipartibili, composito e seminibus duobus oblongo-ellipticis, utrinque planis, medio striatis, lateribus membranaceis.

SELLA EQUINA, seu **TURCICA** est cavitas ossis sphenoidis insculpta, inter processus clinoideos, interius intra cranium conspicua, quae continet glandulam pituitariam, et

rete mirabile in brutis. Ge. *Das Sattelbein.* Ga. *Selle sphénoidale, selle de turquie,* ou *fosse pituitaire.* A. *Saddle bone.* B. *Het saal-been.*

SELLA SPHENOIDIS, vide *Sella equina.*

SELLA TURCICA, vide *Sella equina.*

SEMEIOLOGIA, s. **SEMEIOTICA**, i. q. *semiologia.*

SEMEIOSIS, i. q. *diagnosis.*

SEMEN est rudimentum novae plantae. In officinis variarum plantarum semina prostant. Ge. *Saame.* Ga. *Semence.* A. *Seed.* B. *Zaad.*

SEMEN CONTRA, item **SEMEN SANCTUM**, vide *Santonicum.*

SEMEN VIRILE est humor albus, calidus et spirituosus, crassus, viscidus, subsalsus, ex sanguine tenuissimo et liquido nervoso mixtis, in testibus et epididymidibus elaboratus, qui ad generationem foetus per vias proprias in uterum muliebrem eiaculatur, et rudimenti evolutionem producit. Scatet infinitis numero anguillulis viventibus, rapidissime in alio liquido natantibus, capite grandiore, cauda tenuiori donatis, per microscopium facile conspicuis: et in semine omnium animalium hactenus observato talia animalia insunt, eiusdem, uti dicitur, in omnibus animalibus magnitudinis; in nullis vero aliis humoribus totius corporis simile quid reperitur, sed corpuscula saltem quaedam informia, exiguo motu praedita, quae nonnullis moleculae organicae dicta sunt. Est et in *foeminis* alia materia, semen sed falso appellata. Ea ex lacunis, prostatis glandulosae vaginae substantiae insertis, provenit, et non raro in lascivientibus prorumpit et foris emittitur; facit plurimum ad titillationem, ut concupiscibilis esset coitus. Vide *Conceptio.* — [Vauquelinus, qui semen analysi chemicae subjecit, mille eius partes noningentas aquae, sexaginta muci, natri decem, et calcis phosphoricae 30 continere reperit.] Vocatur item semen *genitura Plin. semen genitale.* Gr. *Σπορὰ, σπέρμα, δρόσος, Aristoph. Γονὴ, θορὸς, θορὴ, Aretaeo.* — — In vegetabilibus semen est plantae embryo cum placenta uterina, seu cotyledone simplici, duplici, vel multiplici, cui fune umbilicali nectitur embryo. Ge. *Saamen.* Ga. *Semence.* A. *Seed.* B. *Zaad.*

SEMICONGIUS est dimidium congii. Scilicet mensurae liquidorum, continens aquae libras quinque, olei libras quatuor cum dimidia.

SEMICOTYLE est dimidium cotylae. Vide *Cotyla.*

SEMIFLOSCULI botanicis dicuntur petala inferna tantum parte fistulosa, media vero et superna plana, ac veluti in lingulam producta. Semiflosculi quoque tenero fructui, seu embryoni insident, e quo surgit capillamentum ultra vaginam protentum, quinque staminibus ceu fulcris innixum.

Vide *Syngenesia.* — Flores ex huiusmodi petalis compositi vocantur *semiflosculosi, lingulati,* vel *planipetali.* Ge. *Halbblümchen.* Ga. *Demifleurons.*

SEMILUNARES VALVULAE, vide *Sigmoides.*

SEMIMEMBRANEUS, seu **SEMIMEMBRANOSUS MUSCULUS** est flexor tibiae, qui lato tendine, vel aponeurosi, a tuberositate ossis ischii oritur, et ad latus internum femoris descendens condylo tibiae interno inseritur. Hic a dissimili tendinum, supra carneam superficiem, inflexione tendinis respectu, membranae prae se fert speciem. Ge. *Der halbhäutige Muskel.* Ga. *Muscle demi-membraneux.* A. *The semimembranous muscle.* B. *De half-vliesige spier.*

SEMIMETALLA sunt substantiae minerales, ponderosae, splendentes, in igne fusiles, per sublimationem depurandae, minus, quam metalla, fixae, non ductiles, non malleabiles. Talia plura semimetalla in usum medicum adhibentur, ut *antimonium, bismuthum, zincum* etc., quae suis locis videnda. Ge. *Halbmetalle.* Ga. *Demi-métaux.*

SEMINERVOSUS, vel **SEMITENDINOSUS MUSCULUS** longo tendine a tuberositate ossis ischii oritur, tum capiti alteri bicipitis iunctus, brevi autem post ab hoc discedens, in posteriori femoris parte descendit, et longo ac gracili tendine iuxta tendinem recti interni sub condylo tibiae interno inseritur, sicque actione sua tibiam flectit. Ge. *Der halbflechsigte Muskel.* Ga. *Muscle demi-nerveux.* A. *The seminervous muscle.* B. *De half zenuwagtige spier.*

SEMIOBOLUS est oboli dimidium. Vide quantitatem *oboli.*

SEMIOLOGIA, SEMIOTICA est pars medicinae, sanitatis et morborum, eorumque exitus signa tradens. A σημεῖον, *signum,* et λόγος, *sermo, doctrina.* Ge. *Zeichenlehre.*

SEMIS, vel **SEMISSIS** est dimidia pars librae, unciae, drachmae, scrupuli, et scribitur S. vel *β.*

SEMISIDERATUS, i. q. *hemiplegia.*

SEMISPECULUM est instrumentum chirurgicum, ad dilatandum vulnus in collo vesicae, ut lithotomus forcipem facilius inducere valeat, quae cum sit magna, dilatationis ope tamen per parvam incisuram ingredi potest.

SEMISPINALIS *Albino* et *Douglassio* idem musculus est, quam *semispinatus.*

SEMISPINATUS MUSCULUS, *spinosus dorsi magnus,* est dorsi musculus admodum compositus, qui singulis tendinibus oritur a processu spinoso primae vertebrae lumbaris, et spinis trium inferiorum vertebrarum dorsi, tum cum longissimo dorsi iunctus, processibus spinosis sextae, quintae, quartae, tertiae et secundae vertebrae dorsi inseritur, dorso movendo una cum aliis musculis et extendendo destinatus.

Ge. *Der grosse Stachelmuskel des Rückens.* Ga. *Le demi-épineux, transversaire du dos.* B. *De half ruggegraats spier.*

SEMISSIS, vide *Semis.*

SEMITERES botanicis dicitur plantarum *caulis*, hinc planus, inde teretiusculus.

SEMITERTIANA FEBRIS vocatur, quae uno die semel, altero bis exacerbatur, sive intermittat, sive remittat. Vide *Hemitritaeus.*

SEMIUNCIA, seu **SEMUNCIA** est uncia dimidia. Vide *Semis;* scribitur ℥β. Ge. *Ein Loth.* Ga. *Demi once.* A. *Halfe an ounce.* B. *Een half once.*

SEMPERVIVUM, Gr. *ἀείζωον*, id nominis sibi vindicat, quoniam eius folia semper virent. [Diosc. IV. c. 88. et 89. tres *ἀειζώου* species memorat, *magnum*, h. e. Sempervivum arborescens, *parvum*, i. e. Sedum sive rupestre, sive reflexum, denique tertiam, scilicet, Columna judice, Sedum stellatum.] Vide *Sedum.* Ill. *Linnaeo* est genus plantarum, (Dodecandr. Polygyn.) a Sedo diversum, quod capsulas seminales duodecim et saepe plures habeat, quarum in Sedo saltem quinque sunt.

SEMPERVIVUM MARINUM, vide *Aloë.*

SEMUNCIA, i. q. *semiuncia.*

SENECIO est planta, quae habet caulem rotundum, excavatum, striatum, aliquando rubicundum, ramosum, habentem folia uncialia et longiora, pediculo vidua, hirsuta, circumrosa, sapore aliqualiter acidulo, colore obscure viridicante. Calyx est conicus, truncatus, squamis subulatis, plurimis in cylindrum superne contractum parallelis, contiguis, aequalibus, paucioribus basin imbricate tegentibus, apicibus emortuis. Flores flosculosi sunt in summitate ramorum, singuli umbellam habentes, radiati. Floribus succedunt semina pappis crinitis, longis instructa, in calyce conico-connivente recondita. Radix fibrosa. Nascitur passim in hortis, in agris secus vias, sylvosisque gaudet et arenosis locis. Vires huic plantae emollientes et resolventes tribuuntur. Hinc interdum clysteribus et cataplasmatibus additur; lac coagulatum in mammis resolvit. Veterinarii ea ad expellendos vermes equorum utuntur. [Folia Senecionis vulgaris L. grossiuscule contusa, et gastricae regioni applicata, vomitum producere legi.] Sic appellatur, quod flores capillorum ritu vere canescant, sive senectutem induant. Dicitur etiam *Senetio.* Ge. *Kreuzwurzel, Grindkraut, Kreuzkraut.* Ga. *Seneçon.* A. *Groundsell, simpson.* B. *Kruiskruid, kruis-wortel.*

SENEKA, SENEGA radix est plantae, quae *Polygala Virginiana* vocatur. Est haec Polygala marilandica, caule non ramoso, spica in fastigio singulari, gracili, e flosculis

albis composita *Rai.* *Polygala senega,* floribus imberbibus, spicatis, caule erecto herbaceo, simplicissimo, foliis lato-lanceolatis *Linn.* (Diadelph. Octandr.). Crescit in Virginia, Pensylvania et Marilandia. Haec radice gaudet perenni, spithamam saepe longa, digitum minimum crassa, varie contorta, in ramos divaricata, fibris stipata lateralibus margine veluti membranaceo, extuberante, secundum longitudinem decurrente, coloris extus sublutei, intus albi, saporis acris, exurentis, simulque acidi singularis, ut similis in toto regno vegetabili vix reperiatur. Laudantur in hac radice singulares vires sanguinem resolventes, sialagogae, vomitoriae, diaphoreticae, diureticae, expectorantes et vulnerariae. Indi ea tanquam praesentaneo specifico contra morsum serpentis crotalophori, seu Crotali horridi *Linn.* utuntur. Sed ob virtutem sanguinem resolventem etiam a medicis in peripneumonia, pleuritide, hydrope et arthritide, saepe felici passim cum successu adhibetur. Datur in forma pulveris ad drachmam dimidiam, vel in decocto saturato ad cochlearia aliquot. Tinctura spirituosa fauces acrimonia sua lacessit. [Exterior radicis cortex efficacissimus est. Infusum aquosum maiorem possidet acredinem, quam tinctura spirituosa. Cuius quidem rei causa e chemica radicis disquisitione, inprimis a Peschiero recentissimis temporibus suscepta, patet. Is alcoholis ope duplicem resinam obtinuit, quarum altera e liquore refrigerato se praecipitavit, altera post evaporationem; utraque acris est saporis. Si concentrato per evaporationem liquori aqua affunditur, quartum praecipitatum flavescentis coloris oritur, saponacei odoris similisque, cum acredine iuncti, saporis. Huic materiae Peschierus *polygalines* nomen dedit. Praeter hoc principium idem materiem, aqua et alcohole solubilem, amaram, acremque invenit, quam *Isolusinen* appellavit. Omnibus partibus, aqua solubilibus, extractis, ope aetheris et alcoholis potest adhuc oleum pingue obtineri, cui, cum illud solutionem laccae musicae rubro tingeret colore, acidum volatile, idque peculiare adhaerebat. *Acidum polygalinicum* illud Peschierus nominabat, de cuius tamen existentia multum dubitatur. Plura de partibus huius radicis constitutivis et medicis viribus tradiderunt et Exc. Kunze ad *Richard. med Bot. II. p.* 1200. et Dulk ad *Pharm. Bor. I. p.* 781 — 84.] Ge. *Klapperschlangenwurzel*, *Senega.* Ga. *Le seneka, racine contre la morsure du serpent à sonnettes.* A. *The rattle-snake root, senega.*

SENECTUS vocatur aetas, quae incipit post quinquagesimum annum, non autem dicitur decrepita, nisi post septuagesimum. In ea non tantum vigor actionum minuitur, licet sanitas utcunque maneat; sed propter maiorem vasorum rigiditatem, auctamque humoribus resistentiam, varii morbi contingunt, huic aetati prae alia proprii, medicisque no-

tandi, qui ideo *morbi seniles* dicuntur. Ge. *Alter.* Ga. *Vieillesse.* A. *Old-age.* B. *Ouderdom.*

SENNA est duplex, *Alexandrina* scilicet, quae et orientalis, Aegyptiaca et Syriaca dicitur, quae habet folia acuta, et ea est praestantissima. Est Senna Alexandrina foliis acutis *Bauh.* *Cassia senna* [seu e Colladi sententia, *Cassia obovata*], foliis seiugis subovatis, petiolis eglandulatis *Linn.* (Decandr. Monog.). Vel *Italica*, foliis magis obtusis *Bauh.* quae priori substituitur eiusque varietas est. Appellatur et *Sena.* Est planta, quae habet caules lignosos, ex quibus erumpunt folia oblonga, acuta, coloris subflavescentis. Flores sunt rosacei, pentapetali. Flori succedit siliqua plana, crassa, carnosa, valde succulenta, incurva, bivalvis, membranosa, coloris obscuri, continens semina instar gigartorum, renem figura referentes, a se mutuo distincta parvis sepimentis, nigra aut alba. Haec arbuscula crescit in regionibus calidis, praesertim in Indiis orientalibus, in Alexandria, Aegypto et Arabia, ut et in Italia; virtute purgante folia sunt celebria, quae in substantia, vel, quod praestat, in infuso data, satis blanda vi agunt. In morbis tamen inflammatoriis minus tuto dantur. Qualitatem nauseosam et tormina, addita salia, aromata, sed specifice, ut dicitur, Iquetaya Brasiliensium, vel Scrophulariae aquaticae folia, corrigunt. Praescribuntur folia Sennae S. S. id est sine stipitibus. Folliculorum Sennae idem usus, et eadem, sed debilior, virtus est. Folia Sennae plerasque compositiones purgantes ingrediuntur. [Tria inprimis Sennae genera in mercatu occurrunt, *Alexandrina*, quae e foliis fructibusque Cassiae acutifoliae constat; *Tripolitana*, minoris pretii quam C. obovata largitur. Omnium minime laudatur, quae ab hac frutice in Italia colligitur, *Italica* a Blancardo nominata. Tertium denique genus, inde ab anno 1821 cognitum, *Mochanica* s. *Mekkanica* s. arabica senna appellatur. A quanam Cassiae specie illa proveniat, nondum certo constat. Richardus C. lanceolatam, Lemaire C. elongatam, Hayne C. acutifoliam nominant. Lassaigne et Feneulle Sennam alexandrinam chemice disquirentes invenerunt, illam continere chlorophyllum, oleum cum pingue, tum etiam, quamquam non nisi pauca quantitate, volatile, albumen, cathartinem, de qua vide suo loco, pigmentum flavum, mucum, acidum malicum, calcem malicam tartaricamque, et varia alia salia.] Ge. *Sennesblätter.* Ga. *Sené.* A. *Sena.* B. *Zenebladen.*

SENSIBILE dicitur vel de omni re, quae in sensus incurrit; vel de partibus corporis nervosis, quae solae acuto sensu praeditae sunt. Ge. *Empfindlich.* Ga. *Sensible.*

SENSIBILITAS est qualitas partium nervosarum, qua lacessitae sentiunt. A solis nervis pendet. Ge. *Empfindlichkeit.*

SENSITIVAE PLANTAE botanicis illae dicuntur, quae ad contactum externum aut folia contrahunt, aut ramos demittunt, e. g. Mimosa etc. Ge. *Empfindende Pflanzen.*

SENSORIUM COMMUNE est illa pars in cerebro, ubi sensuum nervi terminantur et nervi motui dicati, vel simul ad musculos tendentes incipiunt; olim a *Cartesio* haec assignata fuit glandulae pineali; ab aliis initium medullae oblongatae; verum quamdiu veram et primam originem nervorum ignoramus, nunquam limites sensorii communis dari poterunt. Gr. *Τὸ πρῶτον αἰσθητήριον.* Vide *Aistheterium.*

SENSUS, Gr. *αἴσθησις*, est mutatio facta in sensorio communi, cuius sibi anima conscia est. Est vero *sensus* vel *externus*, vel *internus*. *Externus* est facultas animae percipiendi mutationes in organis sensoriis qua talibus factas, et ex his obiecta externa, quae mutationes inducunt: talis est *visus*, *auditus*, *tactus*, *gustus* et *olfactus*. *Internus* est facultas animae ideas varias producendi, revocandi, comparandi, et obiecta vel desiderandi, vel repudiandi. Talis est *phantasia*, *memoria*, *ingenium*, *iudicium*, *voluntas*. Vide *Aisthesis*. Ge. *Der Sinn*, *Empfindung*. Ga. *Les sens*. A. *The sense*. B. *Zin*, *bevat*.

SENTIS est *Rubus:* dicitur, quod a tangentibus quamprimum sentiatur. Vide *Rubus*.

SEPARATIO chirurgis est, quando caro emortua a sana, et caries ossis ab integro osse, arte vel naturae vi separatur. Ge. *Absonderung*. Ga. *L'exfoliation*, *separation*. A. *Separating*. B. *Scheiding*.

SEPARATORIUM, seu **HYPOCLEPTICUM** est vas chymicum vitreum oleis ab aqua separandis destinatum. Est vas transmittens quodammodo uniforme, oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, et fundo, in modum acus acuato, materiam rursus emittendi gratia, praeditum. In medio ventricosum est, ad capiendam materiae sufficientem capacitatem. Ge. *Der Scheidetrichter*, *Jungfer*. Ga. *Un séparatoire*, *vaisseau propre à separer*. A. *Separator by sisting*. B. *Schei-glas*, *schei-tuig*, *schei-trechter*.

[**SEPEDENOGENESIS** est ortus ulcerationis gangraenosae. A *σηπεδὼν*, quod ap. Hipp. v. c. aph. 3,21. corruptionem partium putredinosam denotat, et *γένεσις*, *ortus*. Auctt. Dict. term. med. etc. falso vocem *sepedogenesis* scribunt.]

SEPHIROS est inflammatio alicuius partis induratae. [Castellus videtur hanc vocem graecae tribuere linguae, quippe cum addat, eam idem, quod *σκλήρωσις*, *σκλήρωμα*, scirrhum nothum, significare. Krausius autem de graeca vocis origine recte dubitat, atque ad lexici sui appendicem provocat, qui proh dolor! post quinquennium nondum com-

paruit. Vox ab Avicenna saepissime adhibita v. c. lib. IV. fen. 3. tr. 2. c. 2. Quem locum cum Viro Summe Reverendo Rosenmüllero monstrarem, simulque ipsum rogarem, ut, si ex arabico Avicennae textu illustratio obscurae vocis *sephiros* peti posset, hanc mecum benevole communicaret, is haec pro summa ipsius erga me benevolentia mihi rescripsit: „In Opp. Avicennae arabicis, Romae 1593. f. to. II. p. 71. lin. 26. pro latino *sephiros* exstat سقيروس, *skirus*, quod ad marginem latinae versionis notatur. Interpres ille, qui *sephiros* posuit, in suo codice legit سفيروس, *sphirus*, litera ف *phe* cum uno puncto diacritico superne mendose posito pro ق *koph*, duobus punctis."]

SEPIAE OS, vide *Os sepiae.*

SEPLASIARIUS a foro Capuae in Italia nomen habet, *Seplasia* dicto; erant ii, qui odoramenta et unguenta aromatica divendebant. Tunc temporis circumforanei ita vocabantur, et pharmacopeis illud nomen, sed improprie, quoque attribuitur. Hodie plerumque sic vocantur, qui simplicia tantum vendunt. Ge. *Materialiste.* Ga. *Droguiste.*

[**SEPSICHYMIA**, a gr. σῆψις, *putrefactio*, Auctoribus Dict. term. med. denotat putredinem humorum s. proclivitatem humorum ad putrescentiam. Sed hoc vox illa significare nequit: id potius χυμοσῆψις foret. Neque potest sepsichymia considerationem putredinis chemicam denotare, qualem Abr. v. Stipriaan Luiscius scripsit: Hanc enim Graeci denominarent σηπτοχυμέιαν.]

SEPSIS [Gr. σῆψις, *putrefactio*], est dissolutio partium animalium et fluidarum et solidarum putrida. Ge. *Fäulung.* Ga. *Corruption.*

SEPTA, i. q. *septica.*

SEPTANA dicitur de febre, quae septem dierum spatio periodum absolvit. An detur, dubitandum. Ge. *Das siebentägige Fieber.* B. *Zevendaagse koorts.*

SEPTICA, sive **PUTREFACIENTIA** sunt, quae calore et acrimonia carnem tenuem colliquant, putrefaciunt, et corrumpunt. A σήπω, *putrefacio.* Ge. *Durchfressende, faulmachende Mittel.* Ga. *Septiques.* B. *Verrottende middelen.*

SEPTIFOLIUM, vide *Heptapleuron.*

SEPTIMESTRIS praecipue de foetu humano dicitur, qui post septimum mensem partu excluditur, et pro partu vitali et legitimo habetur. Ge. *Ein Siebenmonatkind.* Ga. *Enfant de sept mois.*

[**SEPTONE** idem quod *nitrogenium.* A σηπτὸσ, idem quod σηπτικὸς, *putredinem generans.*]

[**SEPTORRHEPYRA** a Swediaur *l. c. to. I. p.* 21. vocata est febris acuta continua ad putrefactionem vergens, contagiosa. A Gr. σηπτὸς, *putrefactus*, ῥεπὴς, *inclinans*, et τὸ πῦρ, *ignis, calor febrilis, febris, inprimis ardens.* Prorsus incongrua est et vocis compositio, et morbi denominatio. Krausius vocem quidem recte damnavit, vereor tamen, ne probari possit, quam proposnit, *septopyra;* id enim nihil aliud significare posse videtur, quam *febrem putrefactam.*]

SEPTUM AURIS est membrana tympani. Vide *Tympani membrana.*

SEPTUM CORDIS est paries carnosus inter ventriculum cordis dextrum et sinistrum ex utriusque fibris muscularibus compactus, atque non, ut passim visum est, ad solum sinistrum pertinens, utrumque ventriculum a se invicem separans, nec ullis foraminibus pervius, hinc omnem sanguinis ex altero ventriculo in alterum transfluxum impediens. Ge. *Die Scheidewand des Herzens.* Ga. *La cloison du coeur.* B. *Het harte-schot.*

SEPTUM LUCIDUM est productio corporis callosi formans sepimentum, propter tenuitatem diaphanum, cerebri ventriculos anteriores distinguens, elevato corpore calloso inter illos et fornicem subiacentem conspicuum. Constat ex substantia tenui medullari, duplici tamen, oblongam cavitatem comprehendente, et pia matre obducta; *Galeno diaphragma cerebri* dicitur. Ge. *Die durchsichtige Scheidewand des Gehirns.* Ga. *Cloison transparente.* B. *Het doorschynende spiegel-vlies.*

SEPTUM NARIUM est sepimentum illud partim cartilagineum, partim osseum, membrana glandulosa obductum, quo nares ab invicem in duo foramina dividuntur. Ge. *Die Scheidewand der Nase.* Ga. *La cloison du nez, l'entredeux des narines.* A. *The middle-part,* sive *bridge of the nostrils.* B. *Het neuseschot.*

SEPTUM SCROTI est substantia constans e stipata tela cellulosa testiculos ambiente et internum scroti parietem vestiente, quae scrotum iuxta longitudinem in duo cava separat, quorum singulum unicum testiculum recondit. Ge. *Die Scheidewand im Hodensack.* Ga. *La cloison du scrotum.*

SEPTUM TRANSVERSUM, vide *Diaphragma.*

SEPTUNX est pondus unciarum septem.

SERAPIAS ORCHIS est Helleborine *Tournef.* *Serapias Linn.* (Gynandr. Diandr.) planta scil. flore polypetalo anomalo, quinque petalis oblongis conniventibus constans et nectario excavato, inferne gibbo, trifido, acuto, cuius calyx abit in capsulam ovatam, trigonam, trivalvem, unilocularem, polyspermam. Radicibus, quae fibratae sunt, vires aphrodisiacae tribuuntur. Dicitur, quod huius flores insecta quae-

dam referant lasciva et foecunda, tanquam a Serapide, Aegyptiorum idolo, nomen habentia, cuius in Canopo, Aegypti urbe, magnificum templum erat, ubi lascivis et impudicis cantibus et saltationibus colebatur. Ge. *Wild Niesskraut, Helleborinen.* Ga. *Elleborine.* A. *Bastard hellebore, helleborine.* B. *Niesblad, vosse-kullekens, vlieg-bloem.*

SERAPIUM, i. q. *syrupus.* [Ab Arabica voce شرب, (*scharab, scherab*), *potus* seu *succus dulcis.*]

SERAPINUM, vide *Sagapenum.*

SERICEUM botanicis est *folium* tectum pilis appressis mollissimis.

SERICUM est tegmen, e tenuissimis filis constans, quo bombyx matura se cingit, in eo se recondens, usque dum in chrysalidem, seu aureliam, transmutetur. Illud crudum et integrum *folliculi serici* dicuntur, qui hyacinthorum confectionem ingrediuntur. Olim serico tosto singulares vires cordiales et alexipharmacae tribuebantur. [Tinctura e serico, a Goddero contra hypochondriacum et hystericum morbum commendata, olim sub nomine *guttularum anglicarum* prostabat.] Hodie exolevit usus. Analysi chymica easdem partes, quam alia corpora animalis prosapiae, exhibet. [Sericum album crudum continet in centum partibus viginti tres aut quatuor principii extractivi, cerae 0, 4 aut 0, 5, et paucam olei aetherei quantitatem; flavum crudum praeter enumeratas partes resinosum adhuc pigmentum.] Ge. *Seide.* Ga. *Soye.* A. *Silk.* B. *Zyde.*

SERIOLA, i. q. *seris.*

SERIPHIUM ABSINTHIUM dicitur *marinum absinthium.* A Seripho insula nomen habet, in qua copiosissime crescit.

SERIS, **SERIOLA** est *Intubus,* sive *Endivia.* Nomen quidam a serendo derivant, quia, cum sylvestris sit, planta serendo melior fiat. Alii, quod aqua tacta, quasi recenter sata foret, virescat; sed nomen non latinum, sed graecum est, et originem potius a *σαίρειν,* vel *σάρειν, mundare, purgare;* non quod purgandi vim obtineat, sed quod, uti mundata et purgata, inanis et vacua sit; a caule itaque cavo nomen potius habere videtur. *Seris* itaque a *σαίρω, inanis sum.* Vide *Endivia.* Ge. *Endivie.* B. *Witte endyvie.*

SERPENS botanicis dicitur *radix,* quae una, aut pluribus longis ac tenuibus propaginibus iuxta superficiem terrae extenditur, nec alte in terram descendit.

SERPENS est ordo [secundus] animalium amphibiorum, scilicet corde uniloculari, uniaurito, pulmonibus arbitrariis, pene duplici, ore respirantium, absque pedibus et pinnis, cuius ordinis plura dantur genera et species, colore, magnitudine, armis et qualitate venenata maxime inter se diversae. In officinis ad usum medicum prostat natrix torquata *Rai.*

Coluber natrix scutis abdominalibus CLXX, squamis subcaudalibus LX. Est serpens niger, macula alba utrinque ad collum. Habitat in Europa, in fimetis pariens. Spina dorsi exsiccata et in pulverem trita qualitatis est absorbentis. Exuviis virtus diuretica et ecbolica tribuitur. Axungia in unguentis nervinis commendatur. [Iusculum viperinum et sal viperarum, olim usitata, raro adhiberi solent. Cons. *Dict. des sc. méd. to.* 58.] Ge. *Schlange, Natter.* Ga. *Serpent.* A. *Snake.* B. *Slang, adder.*

SERPENTARIA dicitur *scorzonera*, quod serpentum morsibus venenatis medeatur. — Item sic *bistorta* appellatur. — Ita quoque *ari* species vocatur, ob nigras et purpureas, quas habet caulis, maculas. — *Serpentaria, Virginiana* dicta, Aristolochiae species est, et quidem Aristolochia pistolochia caule nodoso *Pluk.* *Aristolochia serpentaria* foliis cordato-oblongis planis, caulibus infirmis flexuosis teretibus, floribus solitariis *Linn.* (Gynandr. Hexandr.) radicem habens tenuem, fibrosam, foris fuscam, intus flavescentem, sapore amaro praeditam, contra febres intermittentes et exanthematicas celebratam. [Succus herbae vires fere specificas contra serpentum venenatorum morsus possidere dicitur. Nunc adhuc radici vires antihystericae tribuuntur. Bucholzius, qui radicem chemice diquisivit, in mille eius partibus olei aetherei 5, resinae amarae mollisque 28½, principii saponacei longe amarioris adhuc 17, materiae extractivae 181, fibrae vegetabilis 624, iacturae, maximam partem humiditati radicis tribuendae 144½ detexit. Propter volatilem olei aetherei naturam radix haec diligentissime in vasis probe clausis recondi debet, nec pulveratae magna copia in officinis servanda est.] Conf. *Dracontia, centum morbia, colubrina, mungos,* sive *serpentum radix.*

SERPENTARIUM LIGNUM, vide *Colubrinum.*

SERPENTINA est plantaginis species, et quidem plantago foliis triangulari-prismaticis *Guett.* Holosteum strictissimo folio minus *Bauh.* *Plantago subulata Linn.* (Tetrandr. Monogyn.) foliis subulatis triquetris, striatis, scabris, scapo tereti. Spica ovato-oblonga, non villosa. Habitat in maritimis mediterranei arenosis.

SERPENTINUM LIGNUM est lignum arboris in Zeylona habitantis, quae est ligustrum foliis ad singula internodia ternis *Burm.* *Ophioxylon serpentinum Linn.* (Polygam. Monoec.). Qualitatis est amarissimae, et ob vires pellentes et sudoriferas contra morbos malignos et morsuram animalium venenatorum laudatur. Datur in decocto ad unciam dimidiam. [A. *The scarlet-flowered ophioxylon* sive *snakeword.* B. *Slangenhout, inkhoorns-wortel.* B. *Bois de couleuvre,* sive *couleuvré.* Ge. *Schlangenholz, Marderwurzel.*]

SERPENTUM RADIX est mungos radix *Kaempf.* *Ophi-*

orrhiza mungos Linn. (Pentandr. Monogyn.) foliis lanceolato-ovatis. Crescit haec planta in Iava, Zeylona, Sumatra. Radix est amarissima, eique singulares virtutes contra ictus venenatos, hydrophobiam, aliosque morbos malignos attribuuntur. Lapidem de Goa factitium ingreditur. Vide *Mungos.* [A. *The indian snake-root.* B. *Oostindische slangenwortel.* Ga. *Racine de serpent.* Ge. *Schlangenwurzel, Mungoswurzel, indianischer Enzian, fremde Erdgalle.*]

SERPIGO, vide *Lichen, Herpes.*

SERPILLUM, s. **SERPYLLUM** est species Thymi, scil. *Thymus serpyllum* floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtusis; basi ciliatis *Linn.* (Didyn. Gymnosp.). Serpyllum vulgare minus *Bauh.* Habet plures caules quadratos, duros, lignosos, rubicundos, humiles, parum villosos, quosdam rectos, alios repentes, folia Thymi latiora, caetera cum Thymo plane conveniunt. Crescit passim in collibus nudis Europae. Qualitatis est spirantis viribusque eximiis nervinis et resolventibus gaudet. Hinc in cephalalgia, paralysi, dystocia et torminibus commendatur. Adhibetur et interne et externe, praecipue in balneis. Infusum tussim inveteratam tollere lego. Prostat in officinis aqua, spiritus et oleum. Gr. ἕρπυλλον, [Diosc. III. c. 40. ad q. l. Sprengelius annotavit, e nomine Aegyptio, quod μηρουζόπ emendavit Rossius, patere, ἕρπυλλον Dioscoridis non esse, quod omnes opinantur Thymum serpyllum, sed potius Thymum Zygidem L.] a serpendo, tam Graecis quam Latinis, dictum: quoniam, si qua eius particula terram attingit, inibi radices demittit. Gr. ἕρπω enim est *serpo.* Ge. *Quendel, Feldkümmel, wilder Poley.* Ga. *Serpolet.* A. *Mother of thyme, wild thyme.* B. *Quendel, wilde thym.*

SERRA est instrumentum chirurgicum lamella dentata constans, qua ossa serrando auferuntur. Gr. πρίων. Ge. *Eine Säge.* Ga. *Scië.* A. *A saw.* B. *Een zaag.*

SERRA VERSATILIS est instrumentum chirurgicum, tympanis duobus, iisque dentatis, praeditum; utile maxime ad intercidenda duorum, vel trium, modiolis factorum, foraminum interstitia. Ga. *Trepan.* B. *Draay-zaag.*

SERRATA, vide *Chamaedrys.*

SERRATA botanicis dicuntur *folia* margine inciso, omnibus incisuris respicientibus extremitatem.

SERRATULA est planta flore composito flosculoso (Syngenes. Polygam. Frustran.) a pluribus pro specie Iaceae habita, quae habet folia oblonga, ampla, Betonica maiora, incisa. Caulis ad altitudinem duorum pedum crescit, rectus, striatus, rubescens, in parte superiori in multos ramos divisus, folia gerentes instar scabiosae incisa, et ab inferioribus diversa. Flores ut in Iacea. His succedunt semina pappis instructa. Radix est fibrosa, saporis aliquantulum

amari. Haec planta crescit in sylvis, in pratis, et in locis tenebricosis et humidis. Vires quidem plantae tribuuntur subadstringentes, vulnerariae et resolventes. Rarior tamen eius usus medicus est, et longe frequentior [Serratulae tinctoriae L.] nigro-aut viridi-tinctorius. III. *Linnaeo Serratula* proprium genus plantarum flore composito flosculoso (Syngenes. Polygam. Aequal.) constituit. Planta sic vocatur a foliis primum e terra erumpentibus, serramque aemulantibus. Ge. *Schartenkraut, Färberscharten,* [*blaue Scharte, Färberdistel* u. a. m. Ga. *Sarrette, serrette.* A. [*The common*] *saw-wort.* B. *Schaar kruid,* [*verwend zaagblad.*] Vide *Chamaedrys.*

SERRATUS MUSCULUS, vel **DENTATUS** quadruplex est, *postici* habentur duo, et totidem *antici. Posticus primus superior* lata aponeurosi a ligamento cervicis et a processibus spinosis duarum inferiorum vertebrarum colli et duarum superiorum vertebrarum dorsi oriens, oblique antrorsum descendit, et dentationibus suis carnosis secundae, tertiae, quartae et quintae costae verae inseritur. Alter est *serratus,* vel *dentatus posticus inferior,* pariter lata aponeurosi a processibus spinosis trium inferiorum vertebrarum dorsi et duarum superiorum vertebrarum lumbarium oriens, et oblique adscendens, quatuor inferioribus costis spuriis totidem dentationibus carneis adhaeret. Hi musculi quidem actione sua costas superiores elevare, inferiores detrahere, sicque thoracem dilatare posse videntur; verum cum tenuis sit eorum moles, magis verosimile est, eos potius firmandis musculis subiacentibus, sicque eorum actioni sublevandae, inservire. Alterum par *anticum* est. Istius inferior musculus *maior* est, latus et undique carnosus, cum abdominis obliquo descendente serratam compagem efficit. Oritur plerumque octo, vel novem distinctis portionibus carneis ab octo costis superioribus, hinc retrorsum vergens sensim contrahit se, et affigitur interiori parti baseos scapulae, atque quum agit, scapulam in anteriora trahit; et hac firmata, costas extrorsum trahit. Alterum par *superius anticum minus,* vel *musculus pectoralis minor,* sub pectorali maiori latens, costis superioribus quatuor, prima excepta, totidem extremitatibus adnascitur, hinc ad scapulae processum coracoidem implantatur. Antrorsum ad thoracem scapulam adducit. Ge. *Die sägförmigen Muskeln.* Ga. *Muscles dentelés.* A. *The saw muscles.* B. *De zaagspieren.*

SERRIOLA vocatur *endivia,* ut et *Lactuca* sylvestris. Sic dicitur, quod eius foliorum costa media, a posteriore parte, spinis serrae in modum sit aculeata. Vide *Endivia.*

SERTULA CAMPANA, vide *Melilotus.*

SERUM, Gr. ὀῤῥός, est sanguinis humor aqueus, tenuis, subflavus et subsalsus, constans ex plurima aqua, mediocri sale et pauca terra. Usus est, ut sit vehiculum sanguinis ru-

bri, seu alimenti, deinde ut sanguinem diluat, ut per vasa minima fluat, ea nutriat, et ex illo tenuissimi corporis liquores segregentur. Eius proportio ad partem purpuream, vel cruorem, in variis subiectis diversissima est, nec unquam exacte determinari potest. Tenuior seri pars, ab aliis vero crassior *lympha* vocatur. [Chemica seri analysis, a Berzelio instituta, docuit, in centum eius partibus inesse albuminis 3,00, zomodmi et natri lactici 0,40, kali et natri muriatici 0,60, materiae, sialinae similis, natri et phosphorici natri 0,41, aquae 90,50, iacturae 0,09. Pondus specificum seri = 1,025 — 1,031.] Vide *Lympha*. Apud *Hippocratem* vocatur *ὄχημα τῆς τροφῆς*. Ge. *Der wässerichte Theil im Geblüt*. Ga. *La serosité du sang*. A. *Watery*, sive *serous part of the blood*. B. *De wei van 't bloed*.

SERUM LACTIS est pars aquosa lactis a portione caseosa et pingui, instillato acido, coctione et filtratione separatum. Huius, cum eximiae sint vires diluentes, demulcentes et aperientes, amplissimus in medicina, praecipue in morbis chronicis, usus est. Sed etiam e lacte recenti ad siccitatem cocto, affusa rursus aqua, *serum lactis dulce* paratur, quod praecipue viribus acre obtundentibus et nutrientibus summopere se commendat, et exhaustis prodest. [Tria seri lactis genera parari possunt: 1. *Serum lactis dulce* aut via, a Blancardo monstrata, aut hac quoque obtinetur, ut lacti, oleosis partibus orbato, et calefacto coagmenti frustulum adiiciatur: caseosa pars coit, a qua serum filtri ope separatur. 2. *Serum lactis acidum* oritur aut spontanea lactis acescentia, aut ita, ut lacti ad ebullitionem usque calefacto sive cremor tartari, sive succus citri apta quantitate addatur. 3. *Serum lactis vinosum* parabatur sic, ut mixtione vini generosi acidi cum lacte huius coagulatio perficiatur.] Vide *Lac*. Ge. *Molken, Milchschotten*. Ga. *Petit lait*. A. *Whey*. B. *Wei*.

SESAMOIDEA OSSA [a *σησάμη*, Sesamum orientale L. et *εἶδος*, *species*,] sunt ossicula sedecim, plura, vel pauciora aliquando, quae [speciem sive figuram seminum habent, et] in internodiis manuum et pedum reperiuntur, ut ossium tendines haec superscandentes maiorem vim in elevanda parte acquirant, et ossium articulatio firmetur. In iunioribus adhuc cartilaginea sunt, unde in senibus facilius reperiuntur. [Cum Graeci *ὀστέα σησαμοειδῆ* dicant, ossa sesamoid*ea* falso dici apparet.] Ge. *Die Gelenkbeinchen*. Ga. *Les os sésamoides*. B. *De zaadbeentjes*.

SESAMUM est plantae genus calyce monophyllo, quinquepartito, brevissimo; corolla monopetala ringente, (Didynam. Angiosperm.) capsula oblonga, obsolete tetragona, compressa, acuminata, quadriloculari, polysperma. Sesamum veterum *Bauh*. *Sesamum orientale* foliis ovato - oblongis in-

tegris. Crescit in Malabaria et Aegypto; apud nos passim colitur. Semen oblongum, striatum, flavum, saporis est mucilaginosi alliacei, viribusque emollientibus et antiphlogisticis gaudet. Commendatur in ophthalmia. Rarioris usus. Frequens esca oscinum. Oleum vel coctione eductum, vel ex semine tosto expressum, quod spissius est, Indis ad cibos condiendos in usu est. — *Sesamum falsum*, vide *Myagrum*. Planta haec nomen habet a *σήθω*, quod quandoque *σείω* denotat, *concutio*, *impello;* et *ἀμάω*, *meto*, quod subito et quasi impetu ad messem propelleretur. [Absurda sunt, quae de hac etymologia Blancardus fabulatur.] Vel nomen accepit ab Aegyptiis, Syrisve forte Indis. Aegyptiis *Sempsem* dicitur. Ge. *Sesamdotter*. Ga. *Engoline, sésame*. A. *Sesamy, oily purging grain*. B. *Sesam*.

SESCUNCIA, sive **SESQUIUNCIA** continet unciam unam et semissem, sive drachmas duodecim. Sic notatur ℥iß.

SESELI, SESELEOS et **SESELIS** planta est officinalis, dicitur et *sesedi*, hinc manavit vitium lectionis vulgatae *sili*. *Silatum* antiqui dicebant, quod nunc ientaculum dicimus, eo quod tum ieiuni, vini sili herba conditum, absorbebant. Veteres etiam *sil, sile, seli* vocabant. *Seseli massiliense* foeniculi folio, foeniculum tortuosum *Bauh*. s. *Seseli tortuosum* caule alto rigido, foliis linearibus fasciculatis *Linn*. (Pentandr. Digyn.) in Europa australi habitans est planta, quae habet caulem striatum, medulla alba repletum, qui statim, ubi ex radice erupit, dividitur in plures ramos, firmos, tortuosos, nodosos, satis crassos, dispersos. Folia foeniculi foliis similia, sed aliquantulum crassiora, breviora, duriora, et magis a se invicem remota, coloris similis fere anethi foliis. Flos est rosaceus et umbellatus, pentapetalus, coloris albi, interdum purpurei. Flore deciduo calyx fit fructus compositus ex duobus seminibus oblongis, ab una parte gibbis, sulcatis, planis, ab altera parte figura ad foeniculi semina accedentibus, coloris grisei albi, vel pallidi, odoris valde aromatici, saporis acerrimi. Radix est longa, digiti interdum crassitie, alba. Tota planta odorem habet fortem et gratum. Semen potissimum viribus carminativis et stomachicis pollet, rarius tamen adhibetur. Ge. *Seselkraut, Steinkraut, Bergkümmel*. Ga. *Seseli de Marseille*, sive *fenouil tortu*. A. *Common hart-wortel*. B. *Sermonteine*. — *Seseli creticum Pharm*. Seseli creticum minus *Bauh*. *Tordylium officinale* involucris partialibus longitudine florum foliolis ovatis laciniatis *Linn*. (Pentandr. Digyn.) est planta umbellifera in Europa australi pariter proveniens, iisdem cum praecedente, debilioribus tamen, viribus. Theriacam Andromachi ingreditur. Ge. *Kretischer Bergkümmel*. Ga.

Séséli de Candie. — Aliud *seseli offic.* est *Laserpitium siler Linn.* Vide *Siler.*

SESQUI vocabulum cum aliqua mensura, vel modi, vel numeri, vel temporis collocatum, non integrum modo id, cui iungitur, explicat, sed integrum et semis. Sic *sesquilibra* libram unam et semissem significat; *sesquimensis* integrum mensem et semissem.

SESQUICYATHUS est heminae quadrans, vel sextans cum uncia dimidia.

SESQUIHEMINA est hemina una et dimidia.

SESQUILIBRA est libra una et dimidia.

SESQUIOBOLUS est obolus unus cum dimidio, sive grana quindecim.

SESQUIPLUM est libra una cum dimidia.

SESQUISEXTARIUM est sextarius unus cum dimidio.

SESQUIUNCIA, i. q. *sescuncia.*

SESSILE botanicis dicitur *folium,* aut *stipula,* immediate cauli absque petiolo insidens.

SETACEUM, a seta dictum, est, cum cutis, inprimis cervicis, perforante utrinque acu plerumque transversim, raro longitudinaliter, compungitur, vulnusque per setas, aut potius per funiculum lineum, vel sericeum, qui in vulnere relinquitur, et his quotidie digestivo inunctus, hinc inde paululum ducitur, apertum servatur, ut per id vitiosi humores evacuentur. Haec operatio, licet a quibusdam ceu inutilis reiecta, a pluribus tamen summopere in morbis quibusdam refractariis laudatur, et praecipue in hydrocephalo, ophthalmiis variis, incipiente cataracta, epilepsia, cephalaea, affectibus soporosis et imminente apoplexia commendatur, longeque plus, quam plures fonticuli, efficere dicitur. Ge. *Eine Haarschnur, Haarseil.* Ga. A. *Séton.* B. *Een seton, hair-snoer.*

SETAE in plantis sunt pili rigidiusculi, teretiusculi.

SEUTLOMALACHE, vel **SEUTLOMALACHIUM** quidam *betam,* alii *spinachiam* esse tradunt. Gr. σεῦτλον enim, vel τεῦτλον, *beta* est, et μαλάχη, *malva.*

SEVUM est pinguedo duriuscula, sumiturque a solis quadrupedibus granivoris, vel graminivoris. Ge. *Unschlitt.* Ga. *Suif.* B. *Talk, ongel.*

SEXCUNX, i. q. *semiuncia.*

SEXTANS est librae sexta pars, uncias duas continens.

SEXTARIUS mensurae Romanae genus est, quod si melle repleatur, pendet uncias triginta; si oleo, uncias octodecim; si vero aqua repleatur, pendet aquae uncias viginti. Capit (ut alii dicunt) mensurales uncias viginti olei: pondere vero habet uncias sedecim, drachmas quinque et scrupulum unum, continet duas heminas vulgo, seu uncias decem et octo. Dicitur sexta pars congii. Aliis est

vini libra cum unciis octo, et olei libra una cum semisse. Ge. *Ein Nösel, halbes Maas.* Ga. *Setier.* B. *Een halve maat.*

SEXTULA pendet scrupulos quatuor.

SEXUNX est pondus sex unciarum, sive libra dimidia.

SEXUALE SYSTEMA botanicorum illud est, in quo classes et ordines plantarum iuxta numerum et situm partium masculinarum et foemininarum in floribus, scilicet stamina et pistilla, distribuuntur.

SEXUS est differentia inter marem et foeminam in organis ad generationem pertinentibus; et morbi inde oriundi, id est viro, vel foeminae, proprii, vocantur *morbi sexus.* Ge. *Geschlecht.* Ga. *Sexe.* A. *A kind,* sive *sexe.* B. *Geslagt, kunne, sexe.*

SIAGONAGRA est *arthritis maxillarum.* A *σιαγὼν, maxilla,* et *ἀγρεύω, capio.* Ge. *Gicht am Kinnbacken.* B. *t' flerecyn der kaaken.*

[**SIAGANTRITIS** vocata est a Chelio *Chirurg. II. p.* 127. inflammatio membranae mucosae, antri Highmoriani cavitatem investientis. A *σιαγὼν, maxilla,* gen. *σιάγονος,* et *ἄντρον, cavitas.* Denominatio plures ob causas, facile perspiciendas, damnanda!]

[**SIALINE** nominata est a Berzelio, inventore eius, materia quaedam peculiaris, in sola saliva reperiunda, cuius virtutes hae sunt. Spiritu vini non solvitur, facile autem aqua, et frigida adeo, et ex hac solutione neque per alcalina, neque per acida, neque per acetatem plumbi, neque per hydrargyrum muriaticum, neque per principium scytodepsicum deiicitur. Cocta solutio minime turbatur. Ratio sialinen parandi haec est: saliva ad siccitatem usque evaporata cum praeter paucissimam salinarum particularum quantitatem nihil nisi sialinen et mucum contineat, puram sialinen obtinemus, quando siccam massam aqua solvimus destillata, quae solam sialinen solvit, muco intacto. Ge. *Speichelstoff.*]

SIALAGOGA sunt medicamenta, quae salivam movent. Ge. *Den Speichelfluss erregende Mittel.* Ga. *Sialagogues.*

SIALISMUS, i. q. *ptyalismus.*

SIALOCHUS, i. q. *ptyalismus.*

SIALON, seu **SIELON**, i. q. *saliva.* [Non a *σιαλίζω, salivam emitto,* uti Blancardus voluit, sed versa vice hoc ab illo descendit.]

SIBILUS AURIS idem quod *tinnitus auris.* — *Sibilus* etiam denotat sonitum, qui in respiratione asthmaticorum auditur.

SICCUM opponitur humido, diciturque de temperamento melancholico: *siccus hydrops* est tympanites; *sicca ophthalmia* dicitur, in qua nullus lacrymarum fluxus est; *sicca pleuritis,* in qua nihil exspuitur; *sicca scabies,* in qua pustu-

lac non purulentae, sed aridae sunt; *sicca gonorrhoea,* in qua ob inflammationem materiae effluxus subito suppressus est etc.

SICILICUS, seu **SICILIUM** ponderis nomen veterinariis usitatum, pendens unciam dimidiam, sive drachmas quatuor; alii putant, esse quartam unciae partem.

SICYS et **SICYOS** est planta cucurbitacea floribus masculis et foemineis in eadem planta, (Monoec. Syngenes.) calyce monophyllo, campanulato, corolla quinquepartita, campanulata, bacca ovata, spinis obsita, uniloculari, semine conico subovato. Planta est scandens, saepe in hortis nostris luxuriose crescens. Vix ad usum medicum adhibetur. Qualitatis caeterum aquosae, refrigerantis. Dici volunt a σεύεσθαι et κινέω, *moveo:* quia cucumeres cito crescunt. Hinc σικύα, *cucurbita.* Alii a σεύεσθαι, *concitari,* et κύειν, *osculari,* vel utero gerere, quoniam dicunt eo cibo venerem accendi. [De talibus etymologiis quid sit statuendum, dictum est saepius.] Ge. *Steigende Gurken.*

SIDA est plantae malvaceae genus, aliis *malvinda,* aliis *abutilon* dictum, (Monadelph. Polyandr.) perianthio simplici, semiquinquefido, petalis quinque inferne coalitis; capsula subrotunda, acuminata, loculis coniunctis, loculamentis discedendo dehiscentibus, cornutis, seminibus subrotundis, acuminatis, hinc convexis, inde angulatis. Plures eius species in hortis nostris coluntur, neque tamen hucusque in usum medicum adhibitae sunt. Nomen est a Sida, Boeotiae oppido. [A. *The yellow mallow.* B. *Geele heemst.* Ga. *Guimauve à fleurs jaunes.* Ge. *Sammetpappel*, *Sammetpappelside.*]

SIDERATIO, i. q. *sphacelus* et *apoplexia.*

[**SIDERATIO** appellatur morbus et arborum insitarum novellarumque, quae absque causa in sensus incurrente emoriuntur, et hominum, quorum corporis pars aliqua subito omni et motu et sensu privata est. Scrib. Larg. *comp.* 101. antidoton hieran Pacchii facere ad tremulos et sideratione tentatos refert: ad q. l. p. 168. cons. Jo. Rhodius.]

SIDEREUS LAPIS, vide *Magnesia.*

[**SIDERITES**, Gr. σιδηρίτης, duobus locis a Plinio *h. n.* XXXVI. 25. et XXXVII. 15. 67. commemoratur. Priore loco magnetem narrat ferrum attrahere, et ob hoc sideritin alio nomine vocari. In altero loco contendit Plinius, sideritin ferro similem translucere melleo fulgore, imaginem lunae continentem. Cons. et Dioscorides V. c. 158.]

SIDERITIS, seu *herba iudaica,* est planta flore monopetalo ringente, subaequali, labio superiori bifido, inferiori trifido, (Didynam. Gymnosperm.) quae habet caulem lanuginosum, quadratum, flavum. Folia sunt invicem opposita, oblonga, in margine incisa, lanuginosa, rugosa, saporis adstringentis, aliquantulum acris. Flores verticillati,

in alis foliorum plerumque incisorum congesti, coloris albi, subflavescentis, punctis rubris notati. Singula pars horum florum sustinetur a duabus bracteis, vel foliis subrotundis, instar cristae galli incisis, quae folia multum ab aliis foliis in parte infima crescentibus differunt. Semina quatuor sunt oblonga, nigricantia, in capsula, quae floris calyx fuit, recondita. Radix lignosa. Haec planta odore lamium refert. Crescit in montibus, locis siccis et incultis. Viribus gaudet subadstringentibus et vulnerariis, hinc in herniis et leucorrhoea cataplasma et decoctum eius commendatur. Ob vim abstergentem balneis praecipue additur, quae balnea morbis ex fascino mederi olim credidit superstitio. Lat. etiam *ferraria* vocatur, quia vulnera ferro icta firmiter conglutinare dicebatur. [Iam Dioscoridi IV. c. 33. ss. haec sideritidis vis vulnera conglutinandi nota fuit, et inde fortasse hausit quoque sua Plin. *h. n.* XXV. 19, 26. 88.] Gr. *σίδηρος* est *ferrum, ensis.* Ge. *Gliedkraut*, *Beschreikraut.* Ga. *Crapaudine.* A. *Iron-wort.* [B. *Yzerkruid*, *glidkruid, giltkruid, gliskruid.*]

SIEF est vox Arabica, et denotat medicamentum ophthalmicum, vel collyrium siccum. Vide *Collyrium.*

SIELISMUS, idem quod *salivatio.* A *σιαλίζω, sputum emitto.*

SIELOCINETICA, idem quod *salivantia.* Ex *σίελον, sputum*, et *κινέω, moveo.*

SIGILLATA TERRA, vide *Argilla*, *Bolus.*

SIGILLUM, NAEVUS SIGILLUM est macula connata nigricans, subrotunda, parva, una vel multiplex, alias plana, quandoque eminens et verrucosa, quae nedum noceat, saepe in facie ita placet, ut similes maculas, cum deficiant, effingant puellae. *Sauv.* Ge. *Muttermaal.* Ga. *Sein.*

SIGILLUM BEATAE MARIAE est Bryonia nigra *Bauh.* vel *Tamus communis Linn.* Vide *Bryonia.*

SIGILLUM HERMETICUM vocatur, quum collum phialae vitreae igni admotum ad liquefactionem usque calefit, et hac ratione per ipsum vitrum clauditur. Interdum ante liquefactionem epistomio et orificio lutum intericitur ex succino albo, vitro veneto contuso et borace. Ge. *Hermetisches Siegel.* Ga. *Sceau hermétique.*

SIGILLUM SALOMONIS, sive **POLYGONATUM** planta est sic dicta ob characteres sigilli modo radicibus impressos. Vide *Polygonatum.*

SIGMOIDES sunt *apophyses* ossium semilunares; ut processus ancyroides scapulae et sinus ossis radii, Graecorum antiquorum C referentes. — Sic *cartilagines* duae articulo femoris cum tibia interiectae *sigmoideae,* vel *semilunares* dicuntur. Coli *flexura* inferior sinistra, qua in rectum abire solet, pariter *sigmoidea* dicitur.

SIGMOIDES sunt *valvulae* tres arteriae magnae, circa cor foris spectantes, sanguinem ex ventriculo sinistro in aortam quidem admittentes, sed illi regurgitare conanti suo explicatu et exacta clausura resistentes: dictae a littera C. seu *sigma*, et *εἶδος*, *forma*. Huiusmodi etiam tres valvulae in ventriculo cordis dextro ad exitum arteriae pulmonalis in eundem usum collocatae sunt, quas nonnulli distinctionis causa *semilunares* proprie vocant. Vide *Valvula*.

SIGNUM MORBI, Gr. *σημεῖον*, est, quidquid sensibus nostris est obvium, vel aliquid ad ipsum pertinens, ex quo aliquid ratiocinio elicimus. Signum est morbi causa, vel symptoma, quod vel praesentia indicat, et hoc vocatur *diagnosticum;* vel futura praenunciat, et hoc dicitur *prognosticum;* vel praeterita in memoriam revocat, illudque appellatur *anamnesticum*. Signum est *proprium*, vel *commune;* hoc separabile; proprium inseparabile, sive *pathognomonicum*, *synedreuon* (*συνεδρεύον*), *epiphainomenon*, *bonum*, *malum*, *certum*, *incertum*, *salutare*, *letale* etc. — *Signa sanitatis* sunt actiones integrae; qualitates convenientes, excreta et retenta bene convenientia. Ge. *Die Zeichen der Krankheit*. Ga. *Signe de maladie*. A. *A sign of the disease*. B. *Teken der ziekte*.

SIL, vide *Ochra*.

SILER est ligustici species, et dicitur *montanum*, ligusticum, quod Seseli officinarum *Bauh*. *Laserpitium siler* foliolis ovali-lanceolatis, integerrimis petiolatis *Linn*. (Pentandr. Digyn.). Planta haec habet caulem valde altum ad hominis quidem altitudinem, ramosum, pedunculos longos proiicientem, qui emittunt folia ampla, magna, in alas extensa in plures partes divisas, quibus tria adhaerent foliola, ut in Meliloto, sed angustiora et molliora, aliquantulum odora, ubi contunduntur. Flos est rosaceus et umbellatus, quinque potissimum petalis constans in orbem positis, et calyci insidentibus. Is autem abit in fructum compositum ex duobus seminibus sibi invicem adhaerentibus oblongis, hinc gibbis et sulcatis cum liris veluti foliaceis, inde vero planis, odoris ad cuminum accedentis. Radix crassa, longa, rugosa, alba, odora, pastinacae similis. Tota haec planta, praecipue vero semen, viribus carminativis, diureticis et emmenagogis pollet. Urinam nigro colore inficit. Specifice in colica lochiali, mensibusque a terrore suppressis revocandis laudatur. Crescit inprimis in locis calidis in montibus. Ge. *Bergser*, [*Rosskümmel*, *Seselkraut*.] Ga. *Livèche*, sive *sermontaine*. [A. *The montain lasserwort*.] B. *Sermonteine*, [*ezelskonyn*.]

SILIGO est tritici albissimi species. Gr. *ὄλυρα* et *τίλιγνις*, vel *σέλιγνις*: putant derivari ab Hebraica voce *scheleg*,

nix, ob farinae eius albedinem. Ge. *Weizen*. B. *Tarw*. — Plerumque tamen idem etiam significat, quam *secale*.

SILIQUA, Gr. *κεράτιον*, seu **KIRAT**, est dimidium lupini, et siliquae sex pendent scrupulum. Semen autem in siliqua contentum, non tota siliqua, intelligitur et id mediocre, non enorme et habitius; neque strigosum et emaciatum, quare hordei, aut tritici grana usurpamus, quae hodie minimum pondus faciunt, velut olim grana lentis. Nonnullis est pondus quatuor granorum.

SILIQUA est pericarpium bivalve, longum, adfigens semina, secundum utramque suturam; si pericarpium subrotundum sit, stylo saepius sat longo instructum, *silicula* dicitur. Hinc plantae flore tetrapetalo cruciformi in *siliculosas* et *siliquosas* dividuntur. Non modo legumina, sed complures quoque et herbae et frutices, siliquas proferunt. [A. *Silique, ped.* B. *Pelle, schelle, haauw.* Ga. *Gouffe, silique.* Ge. *Schote.*]

SILIQUAE DULCES, quarum arbor *Ceratonia* appellatur. Siliqua edulis *Bauh.* *Ceratonia siliqua Linn.* (Polygam. Trioec.). Est mediocris magnitudinis, habens plurimos ramos, magnos, duros, in latum se extendentes. Folia pinnata, oblonga, carnosa, nervosa, dura, ad rhachin communem cum impari extremo. Flores sunt apetali, numerosis staminibus constantes ortis ex calycis fissura; in calycis centro fit siliqua oblonga, compressa, paululum intorta, crassa, digito longior, pollice latior, fusca, splendens, coloris obscuri, rubicundi, dorso elatiore, includens pulpam carnosam, rufam, dulcem, sub qua intra membranaceos loculos latitant semina plana, subrotunda, compressa, fusca, lucida. Dulcedo maior in pulpa, quam in cortice. Hinc hae siliquae, ob qualitatem demulcentem, edulcorantem et expectorantem, in soda, ardore urinae, raucedine, tussi et asthmate cum fructu in substantia et decocto adhibentur. Syrupum Diacodii ingrediuntur. Crescunt in regno Neapolitano, insula Creta, Iudaea, Syria, Hispania etc. Fructus sunt siliquae instar oblongi et plani, extus colore castanei; intus semina fere continent, ut Cassia fistula; fructus ipsi dulces sunt, ideoque in morbis pneumonicis usui veniunt. Ge. *St. Johannisbrod*, [*Sodschoten, Sodbrod, Bockshornbaum.*] Ga. *Carouge*, [*le pain de St. Jean-baptiste, caroubier.*] A. *St. Johns-bread, carob tree.* B. *St. Jans-brood*, [*karobenboom.*]

SILIQUASTRUM, seu *piper Brasilianum*, est capsici species, a siliquis siliquastrum dictum. Vide *Capsicum* et *Piper indicum*. — Sed Siliquastrum *Tourn.* Siliqua sylvestris rotundifolia *Bauh.* Arbor Iudae *Dod.* *Cercis siliquastrum* foliis cordato-orbiculatis glabris *Linn.* (Decandr. Monogyn.) est arbor, quae habet ramos a se invicem distantes,

cortice purpureo, nigricante praeditos. Flores sunt papilionacei, ante folia vere erumpentes, leguminosi, purpurei, plures simul iuncti, pedunculis brevibus et nigris adhaerentes, quinquefidi, ex quibus duo in inferiori parte positi superiores exsuperant magnitudine. Post florem sequitur siliqua longa, plana, membranacea, purpurea, seminibus reniformibus et duris foeta. Folia sola et alterna nascuntur rotunda, asarum referentia, sed maiora, nervosa, in parte superiori viridia, in inferiori albescentia, quae alae vexillo supereminent. Crescit haec arbor in regionibus calidis Europae et Orientis circa flumina. *Arbor Iudae* vocatur, vel quod cortex eius passim disruptus sit, ut abdomen Iudae, vel quod Iudas, ut putant, hac suspensus arbore mortem sibi consciverit. Ge. *Gemeiner Judasbaum,* [oder *spanischer Griffelbaum, früher Salatbaum, Liebesbaum.*] Ga. *Arbre de Judas, gainier commun.* A. *Arbor Judas tree, bud tree.* [B. *Europische Judasboom.*]

SILO est is, qui habet nasum resimum, hoc est, sursum versus repandum, more simiae. [Haec est Plinii *h. n.* XI. 37. Sed veteres grammatici, Festus atque Varro, vocem a Sileno derivant, et per *silonem* hominem prominentibus superciliis praeditum, qualia Sileno fuerint, intelligi volunt.] Ge. *Der eine aufwärtsgekrümmte Nase hat.* Ga. *Qui a le nez épâte.* B. *Kamuis neus, krom neus.*

SILPHIUM est ex genere ferulacearum. Cyrenensibus *σίρφι*, aut *σίλφι*, item *σέρφι*, unde Gr. *σίλφιον*. Lat. *sirpe, silpe* et *serpe*, atque porro *Lac serpitium*, unde *Laserpicium.* Vide *Laserpitium.* — Ill. *Linnaeo* est genus plantarum flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Necessar.) calyce ovato, imbricato, seminibus membranaceis fere, obcordatis, margine membranaceo bicorni emarginato cinctis, receptaculo communi paleis linearibus distincto. Est Asteriscus *Dill.* [Vid. supra *Laserpitium* p. 836. sq.]

SIMAROUBA est cortex fibrosus, pallidi coloris, saporis amari non ingrati, parum adstringentis, arboris, seu potius radicis arboris, quae est Terebinthus maior, Betulae cortice, fructu triangulari *Sloan. Bursera gummifera Linn.* (Hexandr. Monogyn.) Habitat in Guiana Americae. Inde primum hic cortex sub initium huius saeculi in Europam delatus est. Ventriculo cum primis et intestinis subvenit, et in dysenteria ut remedium summe specificum celebratur. Datur vel in substantia ad drachmam dimidiam, vel eius drachmae duae in libris duabus aquae decoquuntur, aut, ut alii malunt, aqua frigida infunduntur. Decoctum saturatum vomitum excitat. [Sub variis nominibus hanc arborem botanici descripserunt. Linnaeus illi Quassiae simarubae, Decandolle Simaroubae officinalis, Richardus Simarubae Guyanensis, Aubletus S. amarae nomen dedit. Morin analysin

corticis instituens, invenit, illum materiam resinosam, oleum volatile, quod acidi benzoici odorem spirat, kali muriaticum, sal ammoniacale, acidum malicum et acidi gallarum vestigium, quassinem, calcem malicam et oxalicam, quaedam salia mineralia, silicium, ulminem et fibram vegetabilem continere. A. *The Iamaica birchtree.* B. *Simarouba-boom.* Ga. *Le gomart d'Amerique.* Ge. *Die gummitragende Bursere, Simaruba.*]

SIMILARES PARTES sunt, quae sibi ubique per totum similes sunt, nec variationem aliquam ullibi obtinent. Tales autem partes proprie solae sunt fibrillae ultimae, solidae, non magis vasculosae, omnium partium firmarum corporis animalis: hae enim sunt merae expansiones longitudinales et firmae, ac ubique in tota longitudine eaedem, oriundae et compositae ex meris particulis elementaribus, antea fluidis, nunc consolidatis; fibrae hae erunt proin sibi similes. Morbi ergo in his partibus residentes proprie morbi *similares* dicuntur, sicque ab *organicis* differunt. Latiori tamen sensu anatomici omnes partes *similares* vocant, quae sibi similes sunt, ut arterias, venas, nervos, membranas, ligamenta, musculos, tendines, ossa, cartilagines etc. e quarum coniunctione partes dissimilares, vel organicae, componuntur. Ge. *Aehnliche Theile.* Ga. *Les parties similaires.* A. *The simple parts, similar parts.* B. *Eengedaantige deelen, enkele deelen, similare deelen.*

SIMPLEX botanicis dicitur *caulis* plantarum, continua serie versus apicem extensus: *setae*, aut *spinae simplices,* continuo extensae longitudinaliter: *fructificatio simplex,* paucis floribus constans; *umbella simplex,* pedunculis omnibus ex uno eodemque receptaculo ortis.

SIMPLICES PARTES, vide *Similares partes.*

SIMPLICIA sunt medicamenta unius generis et nominis, quae a sola natura sine ulla artificis ope sunt producta, ex quibus seorsim collectis componitur materia medica, ut sunt radices, herbae, semina, flores, gummi, succi, mineralia, partes animalium etc. Ge. *Einfache Arzneien.* Ga. *Des simples.* B. *Enkele genees-middelen.*

SIMUS est, cui nares depressae superius. Gr. σιμός. Ge. *Der eine eingedrückte Nase hat.* Ga. *Camus.* A. *Flat nosed.* B. *Kamnis neus, plat-neus.*

SINAPI et **SINAPIS** est planta, (Tetradynam. Siliquosa), quae habet folia rapae, sed minora et magis aspera. Caulis quatuor, vel quinque pedes altus est, rotundus, villosus, in multos ramos divisus. Flores quadrifidi, cruciformes, flavi. Post florem sequitur siliqua oblonga, brevis, angulosa, acuta, septo intermedio (cui valvae utrinque adhaerescunt) in duo loculamenta divisa, seminibus foeta ut plurimum subrotundis, rubicundis, aut nigricantibus, par-

vis, saporis acris, fervidi; siliqua in cornu quoddam fungosum, simili semine praegnans, plerumque desinit. Radix est lignosa, fragilis, alba, fibrosa. Semen praecipue in usu est. Qualitate pollet acri et orgastica, viribusque incidentibus, rubefacientibus, stimulantibus, diureticis et aphrodisiacis. Hinc in nausea, cachexia, lethargo, tussi, calculo et scorbuto commendatur. Adhibetur quoque inter sternutatoria et masticatoria. Vim saltem antacidam inesse, et humores ad putridam acrimoniam disponere, non levis suspicio orta est. Usus frequentissimus est seminum contusorum et cum musto coctorum, quae sic sub spissiori consistentia inter condimenta mensis apponuntur. Gr. *νάπυ*, vel *σίνηπι*. [Diosc. II. c. 183.] Eius nomen venit e Graecia in Latium, censeturque [teste Etym. M p. 713, 38. Athen. *deipnos. IX. p.* 367.] dici, *ὅτι σίνεται τοὺς ὦπας ἐν τῇ ὀσμῇ*, hoc est, quod olfactu luminibus officiat; ergo a *σίνειν*, *laedere*, et *ὢψ*, *oculus*, vel a *νὴ*, et *πάω*, quod parum pascat, vel *νέ*, et *πίνω*, quod ob acrimoniam non possit bibi. [Nescio, quomodo Kraus. p. 751. Athenaei etymologiam vocis *sinapi* paulo ante allatae praeferre potuerit. Minime enim Athenaeus a *σίνειν* et *νάπυ*, *napus*, vocem *sinapi* derivavit, sed *σίναπυ* dictum esse vult, *ὅτι σίνεται τοὺς ὦπας ἐν τῇ ὀδμῇ*, *ὡς καὶ τὸ κρόμμυον ὅτι τὰς κόρας μύομεν*. Placet denique Viro Erud. etymologia ex hebraicis vocibus *schin* i. e. mordere, et *aph* i. e. nasus, quibus planta, mordens s. irritans nares indicetur.] Pleraque Graecia *napy* nominat, quasi *naphy*, quod sit acris et proinde incommoda. Alii *naphy* per privationem, videlicet *νήπιον*, quasi immite dici volunt, quoniam acrimoniae vehementis particeps sit. [Chemicae analyses seminibus sinapis cum albae, tum nigrae inesse docuerunt oleum cum volatile acre, tum pingue, resinam, gummi et albumen. In cineribus Iohnius multum calcis et magnesiae phosphoricae invenit.] Ge. *Senf.* Ga. *Moutarde.* A. *Mustard.* B. *Mostaard.*

SINAPISMUS est medicamentum externum, ardorem, ruborem, doloremque cuti, cui applicatur, inducens; forma eius est similis cataplasmati, vel massae duriori. Paraturque ex *Sinapi*, *Raphano silvestri*, *sale*, *fermento acido* et *aceto*. A *σίνηπι*, *sinapi semen.* Ge. *Ein Senfbrey, Senfpflaster.* Ga. *Sinapisme.* A. *Mustard cataplasme, sinapisme.* B. *Een mostert-pap.*

SINAPIUM est embamma, vel intinctus, ex semine sinapi cum musto cocto paratus.

SINCIPUT, Gr. *βρέγμα*, est pars anterior cranii, a fronte usque ad suturam coronalem excurrens. *Sincipitis ossa*, vide *Bregma*. Ge. *Das Vorhaupt.* Ga. *Le devant de la tête.* A. *The fore-part of the head.* B. *'t voorste been des hoofds.*

SINGULTUS, Gr. *λυγμὸς* et *λὺγξ*, a *λύζω*, *singultio*. Est

praeceps, repetita, sonora, momentanea et convulsiva [sermonem intercipiens] inspiratio, proveniens a spastica constrictione fibrarum oesophagi, praecipue vero diaphragmatis adnexi, a variis causis irritati. Laborant autem singultu, qui cibo, aut potu, non satis bono se impleverint; maxime autem nonnulli febricitantes, hysterica affectione afflictae foeminae: imo saepe ii, qui pleuritidem, colicam, nephritidem, iliacam passionem, gravem vomitum, alvi fluxum, vel dysenteriam patiuntur. Oritur porro a repletione, ab inanitione, ab exanthematibus retrocedentibus, diaphragmate inflammato. Quinimo cum aliis convulsionibus incidit, et a vomitoriis et catharticis, aut iulapiis refrigerantibus perperam datis, a cibis nimis celeriter ingestis saepe efficitur, et post febres, quae per aphthas iudicatae sunt, interdum remanet; etiam moribundos nonnunquam exercet. Denique reperitur singultus non letalis, qui per aliquot hebdomadas perseverare solet. [Cons. Jo. Frank *prax. med. praec. P. II. Vol.* 2. *s.* 2. *p.* 98 — 48.] Ge. *Der Schlucken.* [Quae vulgo adhibentur vernaculae voces ad singultum significandum: *das Schlucken* i. e. deglutitionis actus, et *das Schluchzen,* i. e. repetitae post profundam inspirationem breves et cum sonitu coniunctae exspirationes, quae sub fletu audiuntur, videntur minus recte adhiberi.] Ga. *Le hoquet.* A. *Hiccup, hiccough.* B. *De hic, snik.*

SINUATA dicuntur *folia,* a lateribus sinubus dilatatis.

SINUS est ulcus profundum, angusto orificio, absque callo. Gr. *κόλπος, ὑπόνομον ἕλκος Diosc.* Ge. *Ein hohl Geschwür.* Ga. *Sinus, sinuosité.* A. *Sinus of an ulcer.* B. *Bogt-gezweer, boesem zweer, etter holte.*

SINUS MENINGIS seu *durae matris* sunt cavitates, quasi triangulares a concursu laminarum durae matris ortae, quas *Galenus ventriculos crassae membranae* vocat. Non enim sunt arteriae, vel venae, quamquam proprie ad venosum systema pertinent. Primus et secundus, sive laterales, inter cerebrum et cerebellum situm habent, et desinunt in sinubus vertebralibus; tertius ab osse cribriformi incipit, in medio priorum sinuum finem consequitur, et falciformis dicitur; superior et inferior, quartus, occipitalis posterior, in medio lateralium sinuum finitur: quorum insertio vocatur *torcular Herophili.* Praeter hos etiam alii minores recensentur. Cranio egressi partim in saccos venarum iugularium abeunt, partim in sinus vertebrales, qui totam medullam spinalem circumdant, et ad os sacrum usque descendunt. Usus est venarum vicem agere, sanguinemque non illico refluere potentem recondere: nam omnem sanguinem a cerebro et cerebello accipiunt ex venulis tenuissimis, et brevissimis, in hos terminatis, et partim in venas iugulares, partim in sinus vertebrales, exonerant, partim per minores venas e cranio

egredientes aliis venis communicant. Ge. *Die Höhlen in der harten Hirnhaut.* Ga. *Sinus de la dure mère.* A. *Cavities of the dura mater.* B. *Hollen in 't dikke herssen-vlies.*

SINUS OSSIUM sunt cavitates, quae capita aliorum ossium admittunt.

SINUS PITUITARII sunt cavitates in ossibus cranii, uno orificio patentes, natae e secedentibus laminis ossium, et vestitae membrana pituitaria mucum secernente, hunc mucum recondentes tandemque in nares effundentes. Tales sunt duo *sinus* in osse frontis supra orbitas, qui *frontales,* duo in maxilla superiori, qui *maxillares* vocantur, unus in osse cribriformi, qui *sinus ethmoideus* s. *cellulae ethmoideae* et unus in osse basilari, qui *sinus sphenoidalis* s. spheno-basilaris dicitur. [Num hic in foetu novem mensium deprehendatur, a nonnullis dubitatum est. Praesentiam illius affirmat Scarpa *de gen. oss. struct.* p. 44.] Ge. *Schleimhöhlen der Nase.* Ga. *Sinus pituitaires.*

SION, et **SIUM** est planta umbellifera, (Pentandr. Monogyn.) et quidem species, quam *Linnaeus latifolium* dicit, quae habet caules crassos, angulosos, striatos, excavatos, in ramos divisos, quatuor, vel quinque pedes altos. Folia coniugatim adnata uni costae, in margine incisa, crassa, oblonga. Flores in umbellas crescunt, ex quinque petalis albis constantes, in orbem positis. Floribus succedit fructus ex duobus seminibus compositus subrotundis, minimis, hinc gibbis et striatis, inde vero planis. Habitus reliquus huius plantae est instar Pastinacae. Radix est parva, fibrosa, nigra. Tota planta odorem bituminis habet. Habitat maxime in Europa orientali. Semen qualitatis est calidae, aromaticae et carminativae: hinc praecipue in colica flatulenta laudatur. Dicitur etiam *Amomum officinarum falsum.* Nomen sibi adscivit a concussu, quod Gr. a *σείειν* derivant. Nam excutiendi vim nactum est, utpote quod a renibus calculos pellat, urinam et menses ducat. Vel, ut aliis placet, ab eodem *σείειν*, [*huc illuc movere*], quod in aquis vacillando, ab aquis praeterlabentibus succutiatur. Ge. *Brunnenpeterlein, Wassereppich.* Ga. *Berle, grand sium.* A. *Waterparsnep.* B. *Water-eppe.*

SIPHAC, i. q. *peritonaeum.*

SIPHO, s. **SIPHUNCULUS** est instrumentum chirurgicum, constans e tubo et receptaculo, suctioni aptum, ope cuius vel lac e mammis, aut sanguis, aqua, aër e cavitatibus corporis educitur. Ge. *Saugröhre.* Ga. *Siphon.* — Sic quoque instrumentum vocatur, vel syringa, cuius ope liquores in cavitates corporis iniiciuntur. Ge. *Sprütze.* Ga. *Seringue.*

SIPHYLIS, vide *Syphilis.*

[**SIPTONIA** *Catuchu* Rich. Vid. Resina elastica.]

[**SIREN** *lacertina* una cum *Proteo anguino* duo constituunt

amphibiorum genera, quibus nondum suus in systemate locus assignari potuit, quoniam una cum luculentis pulmonibus simul branchiae adsunt. Siren in aquis Carolinae degit.]

SIRENES, i. q. sirones.

SIRIASIS est cerebri et meningum, ab ardore solari, inflammatio, seu (rectius) incalescentia; pueris propter tenuitatem cranii, vel fontanellam tenuissimam frequens. A *σίρος, cavitas sincipitis.* [Paul. Aeg. I. c. 13. *σιρίασις ἐστὶ φλεγμονὴ τῶν περὶ τὸν ἐγκέφαλον καὶ μήνιγγας μορίων· παρακολουθεῖ δὲ τοῦ βρέγματος κοιλότης καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, μετ' ὠχρειάσεως καὶ ξηρότητος τοῦ σώματος.* Derivatio vocis a variis varia adfertur. Equidem a *σειριάω, inflammatione capitis laboro*, illam deduxerim. Nominis germanici: *Blattfalln, Blattschiessen,* originem invenio in allato Pauli loco: *κοιλότης τοῦ βρέγματος*, fontanellae collapsus. Derivationem Blancardianam vocis a *σίρος* habet Aëtius I. 4. 13. — A. *Head - mould - shot.*] Ge. *Das Blattfallen, Blattschiessen, oder eine Entzündung des Gehirns und der Gehirnhäute der kleinen Kinder.* Ga. *Coup de soleil, sorte de maladie causée par l'inflammation des membranes du cerveau.* B. *Brein ontsteeking.*

SIRONES, seu **CHIRONES** sunt pustulae, vel psydracia, quae in vola manus et pedum plantis aliisque corporis locis oriuntur, emerguntque aestivo inprimis tempore, et cum insigni pruritu molestant, in quibus minutissimum quoddam vermiculorum genus sub cuticula latet. Sunt hi vermiculi species Acari, scilicet insecta aptera, pedibus octo, oculis duobus ad latera capitis, tentaculis duobus, articulatis, pediformibus: *Acarus siro Linn.* lateribus sublobatis, pedibus quatuor posticis longissimis, femoribus capiteque ferrugineis, abdomine setoso. Huiusmodi sirones in pustulis, excrementis dysenteriae et farina habitant. Differunt a sironibus, aut comedonibus male sic dictis, infantum. Vide *Crinones.* [*Matth. Sylvat.* sirionum nomine insignit vermiculos, quos in dentibus cariosis nidulari opinatur.]

[**SIROPUS**, sic, non *syrupus,* scribendam vocem esse Krausius monuit, est succorum vegetabilium cum sufficienti sacchari quantitate coctio, tam diu protracta, usque dum guttula in orbem decidua haud diffluat, sed figuram rotundam retineat, quicunque tandem situs orbi detur. De scribendae vocis ratione hoc adhuc addo, iam Castello displicuisse *syrupum*, quoniam haec medicamentorum forma Graecis incognita fuerit. Conf. infra *Syrupus.*]

SIRSEN Arabum est *phrenitis.* [Rectius sic dici, quam *birsen*, et denotare apostema calidum, dein quoque id, quod Blancardus posuit, contendit Castellus.]

SISARUM, et **SISER**, *Sium sisarum Linn.* foliis pinnatis, floralibus ternatis, est planta umbellifera, (Pentandr.

Monogyn.) quae crescit ad altitudinem duorum circiter pedum. Folia plura uni costae adhaerent, ut in Pastinaca, sed minora, viridiora, et molliora, leviter in margine incisa sunt. Flos est rosaceus, et umbellatus, parvus, quinque petalis ut plurimum constans albis, bifidis, in orbem positis, odorus. Hunc sequitur fructus parvus, ex duobus seminibus compositus, oblongis, paululum Petroselini seminibus maioribus, angustis, hinc gibbis et striatis, inde vero planis, coloris obscuri. Radices ex uno capite plures pendulae, glandulosae, tenerae et fragiles, rugosae, cortice tenui pallidoque obductae, pulpa candida, digitali crassitudine, pedales quaedam, quaedam breviores multo, dulci et grato sapore, nonnihil aromatico. Radicibus eximiae virtutes contra sputum et mictum sanguinis tribuuntur. Usus plerumque culinaris est. Tiberio adeo in deliciis fuisse commemoratum est, ut a Germanis has radices in tributum exigeret. Et saccharum ex iis elicere bono cum successu tentatum est. Colitur frequenter in hortis nostris haec planta ex China olim ad nos adlata. Ge. *Zuckerwurzel, Klingelrüben.* Ga. *Chervi, racine sucrée, gyrole, berle des potagers.* A. *Skirret.* B. *Suiker-wortel.*

SISYMBRIUM est plantae genus flore tetrapetalo cruciformi, (Tetradynam. Siliquos.) quod habet caules tres pedes altos, striatos, aliquando rubicundos, excavatos. Folia sunt oblonga, acuta, profunde laciniata, dentata, alternatim caulibus adhaerentia. Flores in summitate ramorum crescentes, pedunculis longis et tenuibus adhaerentes, quadrifidi, flavi, cruciformes. Flori succedit siliqua exigua brevis, divisa in duos loculos continentes semina obrotunda fere. Radix oblonga, alba, acris, minimi digiti crassitiei. Haec planta crescit in paludibus et locis aquosis, et cum reliquis eiusdem ordinis virius incidentibus, resolventibus et antiscorbuticis convenit; rarioris tamen apud nos usus est. Dicitur a Sisymbrio, quae fuit veteribus in comoediis meretricula, appellatur etiam *Corona veneris:* vel quod ob odoris suavitatem, quam prae se fert, eo iuventus, quae amoribus gaudet, coronata, in comessationibus suis blando odoris oblectamento suas illecebras commendaret: vel potius, quod Sisymbrii caulis articulatim per internodia verticillato florum ambitu concinne coronatur. Ge. *Wasserkresse, Brunnenkresse.* Ga. *Cresson aquatique.* A. *Water-cresses.* B. *Roode wilde munte.*

SISYRINCHIUM est plantae genus flore liliaceo, (Triandr. Monogyn.). Iridi simile sed ab Iride et Xiphio diversum, radice gemina, alte alteri insidente, qualis in Croco et Gladiolo observatur. *Sisyrinchium officin.* est *Ixia bulbocodium Linn.* scapo unifloro brevissimo, foliis linearibus. — Sed Ill. *Linnaeo* Sisyrinchia aliud denotat plantae ge-

nus, flore liliaceo hexapetalo, (Gynandr. Triandr.) capsula obovata, triquetra, triloculari, trivalvi, quod etiam Bermudianas aliorum auctorum comprehendit. Nomen habet a vocibus Graecis ὗς, *sus*, et ῥύγχος, *rostrum*, quasi diceres rostrum suillum, tum propter radicis formam, tum quod sues rostro terram fodiant, et ea radice pascantur. Ge. *Eschlauch.* Ga. *Groin de cochon.* A. *Spanish nut.* B. *Zegen-ryk.*

SITANION est frumenti species. A σῖτος, *frumentum.*

SITIS est defectus humoris (salivae nempe) ad irrigationem oris, linguae, labiorum, faucium, dein partium internarum, necessarii; quo sensus inde excitatus sibi imaginatur, potum esse in auxilium vocandum, sicque desiderium eius oritur, ut id incommodi, quod corpus ex defectu humoris patitur, tollatur. Sitis etiam est ordinaria, quae homini sano obtingit; vel praeterordinaria, et nonnunquam depravata, quae aegris. Gr. δίψα vel δίψος. Ge. *Der Durst.* Ga. *La soif.* A. *Thirst.* B. *Dorst.*

SIUM, vide *Sion.*

SMALTA est substantia mineralis factitia, quae praeparatur ex cobalto tosto, cum arena et sale alcalino in vitrum fuso et in tenuissimum pulverem contuso. Usus est pictorius et lotricius. Ge. *Blaue Stärke, Smalte, Bläue.* Ga. *Smalt, émail d'azur, bleu d'émail.*

SMARAGDUS est gemma pellucidissima, duritie quinta, colore viridi in igne permanente *Waler.* [Plinius, qui de smaragdis libr. XXXVII. c. 5. copiose exposuit, hoc nomine *Limoniatis* non utitur. Cap. 10. autem limoniatis meminit, dubitanter autem addit, fortasse smaragdum esse: a viridi pratorum colore nomen derivandum est: λειμὼν enim *pratum* denotat.] Gemma Neroniana, Domitiana. *Borax smaragdus* gemma nobilis, lapidosus, prismaticus, pellucidus, pyramidibus truncatis, viridis *Linn.* Adfertur ex India. Ab igne candens caerulescit, post refrigerationem rursus colorem viridem induit. Singulares ei olim vires cordiales tribuebantur; hinc inter fragmenta quinque lapidum pretiosorum refertur, pluresque adhuc vetustiores compositiones ingreditur. Ge. *Smaragd.* Ga. *Emeraude.* A. *Emerald.*

SMECTIS, SMECTITES, LARDITES, STEATITES, CIMOLIA est marga fullonum saponacea, lamellosa *Wall.* Marga in bracteas dehiscens *Ionst.* substantia scilicet terreo-lapidosa, scissilis et fissilis; in igne durescens, in aqua solubilis et quasi spumescens, proxime ad Bolos accedens. Figurae variae exsculptae ex China adferuntur. Pulvis abrasus in intertrigine puerorum commendatur. [A Gr. σμέω, *abstergo*, et ἡ σμηκτὶς sive σμηκτρὶς scil. γῆ, *terra*, qua sordes e laneis vestibus removebantur. Utraque vox et in Erotiani Galenique codicibus, et in Polluce VII. 40. X. 135. ad q. l. cons. Hemsterhus., occurrit.] Ga. *Speckstein,*

Schmeerstein. Ga. *Stéatite, pierre de lard.* A. *Soap-rock, soap-stone.*

SMEGMA dicitur de omnibus rebus, quae cuti applicantur, eamque puram conservant. — *Smegma* etiam vocatur substantia unguinosa in glandulis sebaceis cutis secreta, aut in ductibus excretoriis collecta. *Smegma articulare* est humor mucosus in glandulis articulorum secretus, qui cartilagines in extremitatibus ossium inungens motum faciliorem reddit. [A Gr. *σμέω, τὸ σμῆγμα, pulvis*, quo olim ad cutim depurandam utebantur.]

SMILAX: nomen hoc variis plantis imponitur, ut Sarsaparilla vocatur *Smilax aspera Peruana*, Convolvulus dicitur *Smilax laevis.* — Phaseolus *Smilax hortensis* siliqua sursum ringente. — *Chinae* radix pariter Smilacis est. — *Smilax arborea* est *Quercus ilex Linn.* — Sed Smilax aspera fructu rubente *Bauh. Clus. Smilax aspera* caule aculeato, angulato, foliis dentato-aculeatis, cordatis, novemnerviis *Linn.* (Dioec. Hexandr.) est planta flores masculos et foemininos separatos ferens. Habet scilicet caules longos, duros, striatos, ramosos, flexiles, scandentes, spinis instructos, arbusculas vicinas et arbores apprehendentes. Folia Hederae foliis fere similia, sed longe crassiora, rigida, nervosa, spinis non tantum per margines horrentia, sed et secundum nervos, nunc ampla et viridia, modo angustiora, et albis maculis conspersa, acrimoniam aliquam habentia. Flores hexapetali, nudi, albi, exigui, in spicas digesti, inodori. Ovarium in fundo floris sphaericum, brevi tuba instructum, fit bacca sphaerica, mollis, post maturitatem rubicunda, sub tenui pellicula recondens semina sphaerica, laevia, mollia, exterius coloris rubri obscuri, intus albi; saporis ingrati. Radix parva, perennis, repens, fibrosa, alba, saporis subdulcis. Haec planta in hortis colitur. Radix insignibus viribus sanguinem purificantibus pollere dicitur, ita ut etiam Sarsaparillae substitui possit. Gr. *σμίλαξ* et *μίλαξ*: est nomen puellae, quae amore Croci pueri capta extabuit, mutataque est in fruticem sui nominis, quae similis est Hederae. Ge. *Windekraut, Stechwinde.* Ga. *Liseron rude, liset épineux, smilace common.* A. *Rough bind-weed, common smilax.* B. *Steener de winde, steekende winde.*

SMILE, [Gr. *σμίλη, scalprum*], est *scalpellum*, sive instrumentum chirurgicum veterum, quod utrinque aciem habebat, et lineas utrasque, utrinque curvas; sed alteram concavam, alteram vero illi oppositam, gibbam. Cuspis autem acuta erat; diversi generis erant; aliud magnum, aliud parvum, aliud mediocre. Ga. *Bistouri.*

SMIRIS est substantia mineralis, scilicet *ferrum smiris* refractarium, rubricosum, vitrum arans *Linn.* Ferrum mineralisatum, minera durissima, rapaci, solida, magneti re-

fractaria *Waller.* Usus est mechanicus ad polituram. Sunt, qui in stomacace ad roborandas gingivas commendent. [Tennantus eam e magna magnesiae, et pauciore silicii et oxydi ferrici quantitate constare reperit.] Ge. *Schmirgel.* Ga. *Emeril.* A. *Emery.* B. *Smerge, amaril.*

SMYRNA, i. q. *myrrha.*

SMYRNIUM est planta flore umbellato (Pentandr. Dig.) *Smyrnium olusatrum* foliis caulinis, ternatis, petiolatis, serratis *Linn.* Habet caules tres pedes altos, ramosos, striatos, aliquantulum rubicundos. Folia Apii foliis similia, sed maiora, incisa in partes magis rotundas, odoris aromatici, saporis Petroselinum referentis. Flores rosacei et umbellati, parvi, albi, e petalis quinque integris constantes. His succedit fructus fere globosus, compositus ex duobus seminibus sibi invicem iunctis, crassiusculis, obrotundis, striatis, nigris, saporis amari, odoris myrrhati. Radix mediocriter magna, circularis, alba, succum amarum gustui praebens, et saporem et odorem Myrrhae habens. Qualitatis licet calidae, aromaticae et carminativae, rarius tamen in usum medicum adhibetur. Nomen accepit, quod radix lacrymam emittat Myrrhae similem: vel, quod huic idem odor sit, qui Myrrhae: σμύρνα enim est myrrha. Aliis vocatur *Levisticum;* quibusdam *Ligusticum.* [Smyrnium, quod Dioscorides III. c. 72. in monte Amano crescere testatur, quodque et in Italia aliisque regionibus provenit, Sprengelius peculiarem Smyrnii speciem fecit, et *Sm. Dioscoridis* nominavit.] Ge. *Smyrnenkraut, Pferdesilge, Brustwurzel.* Ga. *Maceron comnun.* A. *Common Alexanders.* B. *Peterseli van Alexandrie,* [*europische veldepp, groote wilde eppe.*]

SOCOTORINA ALOE, vide *Succotrina.*

SODA, i. q. *cephalalgia,* s. *hemicrania.* — Item *ardor ventriculi,* vel *cardialgia.*

SODA est substantia salina alcalina, quae praeparatur per combustionem et calcinationem plantae, quae est Kali geniculatum maius *Bauh. Salicornia herbacea* patula, articulis apice compressis, emarginato-bifidis *Linn.* (Monandr. Monogyn.). Qualitatis soda est salsae alcalinae, viribusque stimulantibus, diureticis, resolventibus et emmenagogis pollet. Commendatur ad scabiem, abscessum, scelotyrben, hypersarcosin. Inservit ad praeparationem salis polychresti, salis de Seignette, saponis Veneti, et ad usum vitriarium. Optimum ex Hispania adfertur. Sed etiam tale sal alcali e variis aliis plantis maritimis salsisque conficitur variis in locis; uti ex Mesembrianthemo in Aegypto, Chenopodio in Hispania, Salsola in Anglia, Salicornia fruticosa in Italia, quae eundem fere usum praestant. [Vide supra *Natron* p. 1000.] Ge. *Sode.* Ga. *Soude.* A. *Keep.*

[**SODIUM** idem, quod *natronium*, s. *natrium*, de quo in antecedentibus p. 1001. actum est.]

SOIA est planta in India orientali habitans: Phaseolus erectus siliquis lupini, fructu pisi maioris candido *Kaempf. Dolichos soia*, caule erecto flexuoso, racemis axillaribus erectis, leguminibus pendulis hispidis, subdispermis *Linn.* (Diadelph. Decandr.). Semen qualitatis est subdulcis, siccae et farinaceae. Usus cibarius est et culinaris. In anorexia prodesse dicitur.

SOL quid sit, notum. Sed a chymicis sumitur pro *auro*: adeo ut *medicamenta solaria* sint ex auro parata.

[**SOLANINE** est principium peculiare alcaloides, in baccis Solani nigri L. a Desfosses detectum, et disquisitum. Succus baccarum perfecte maturarum (nam immaturae ceram continent, difficulter a solanine seiungendam) per filtrum traiicitur, addita ammoniaca praecipitatur solanine, quae aqua frigida abluta cani coloris cum alcohole solvitur. Ex hoc liquore filtrato aut refrigerio, aut evaporatione obtinetur solanine in forma pulveris albi, non pellucidi, chartam, lacca musica colore coeruleo tinctam, rubefacientis, inodori, saporisque leviter amari et nauseosi. Vid. Magendie's *Vorschr. z. Bereit. u. Anwend. ein. neu. Arzneym. Sechste Aufl.* 1831. 8. p. 132. ad q. l. Excell. Kunze animadvertit, ex aliis quoque Solani speciebus, v. c. verbascifolii, et mammosi, Solaninem fuisse obtentam.]

SOLANUM est plantae genus flore monopetalo rotato, (Pentandr. Monogyn.) cuius quam plurimae dantur species, quarum nonnullae in usum medicum adhibentur. — *Solanum furiosum*, vide *Belladonna*. — *Solanum dulcamara*, vide *Dulcamara*. — Solanum officinarum *Bauh.* est *Solanum nigrum*, caule inermi herbaceo, foliis ovatis dentato-angulatis, racemis distichis nutantibus *Linn.* Ge. *Nachtschatten.* Ga. *Morelle.* A. *Nightshade, common nightshade.* B. *Nagtshade, bolkruid.* — Planta haec habet caulem sesquipedem circiter altum, ramosum. Folia sunt oblonga, acuta, satis ampla, mollia, nigricantia, aut viridi-obscura, quaedam angulosa, altera crenata, quaedam integra, saporis herbacei, insipidi, succumque viridem continent. Flores sunt monopetali, quinquefidi, stellae instar expansi; coloris albi, in medio pluribus staminibus donati. Calyx est monophyllus, quinquefidus, stellatus, non vesicarius. Flori succedit bacca initio viridis, quae vero per maturitatem fit mollis, succulenta, ovata, vel globosa, nigricans, foeta seminibus planis, exiguis, flavis. Radix longa, fibrosa, albescens. Haec planta crescit in cultis. Qualitatis est subvirosae, viribusque anodynis, hypnoticis, refrigerantibus gaudet. Commendantur folia in phlegmone, proctalgia, scirrho et paronychia. Aqua destillata contra cephalalgiam fronti applicatur. — Est

et alia species Solani, quae est Solanum tuberosum esculentum *Bauh.* *Solanum tuberosum* caule inermi herbacco, foliis pinnatis integerrimis, pedunculis subdivisis *Linn.* *Patatas* Americanorum. Ge. *Erdäpfel, Erdbirnen.* Ga. *Pommes de terre.* A. *Patatoes.* B. *Aard-appel, aard-buil.* Haec species sub initium saeculi decimi septimi ex America septentrionali in Europam translata nunc abunde passim apud nos colitur, eiusque radices in frequentissimum usum cibarium cedunt. Qualitatis sunt farinaceae et nutrientis, robustioribusque laudabile alimentum suppeditant. Solanum dicitur Gr. *τρύχνος,* seu *στρύχνος,* forte a solamine dictum, quod dolores intensos sopiendo sistat. Hinc Gr. *τρύχνος,* vel *στρύχνος, mollis, lenis,* quod emolliat, leniatque dolores ardentes.

SOLARIS, s. **STELLARIS FASCIA,** it. **STELLA** est fascia nodosa ad arteriotomiam arteriae temporalis. Ge. *Die knotenförmige Binde, die Sonne.* Ga. *Le solaire, le chevêtre oblique à deux chefs.*

[**SOLARIS PLEXUS** ex utroque nervo splanchnico, sub diaphragmate coëunte, oritur, arteriae coeliacae originem obtegit, et ganglion maximum abdominis format, ganglion coeliacum, cerebrum abdominale etc. appellatum. Vide Hildebrandt *Lehrb. d. Anatomie.* §. 3166.]

SOLDANELLA, et **SOLDANA,** alias *Convolvulus marinus, Brassica marina,* Soldanella maritima minor *Bauh.* *Convolvulus soldanella* foliis reniformibus, pedunculis unifloris *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) est planta habens caules tenues, flexiles, sarmentosos, rubicundos, repentes. Folia obrotunda, polita, splendentia, Chelidonium minus referentia, sed crassiora, succo lacteo repleta, caulibus longis adhaerentia. Flores sunt utplurimum campaniformes, monopetali, ora repanda. Floribus succedit fructus obrotundus, membranosus, includens semina angulosa, nigra aut alba. Radix minima, fibrosa. Tota planta habet saporem amarum et salsum, et qualitatis est acris, nauseosae, viribusque drasticis et hydragogis gaudet; hinc praecipue in hydrope commendatur. Datur vel pulvis ad drachmam dimidiam, vel in decocto ad drachmas duas. Rarior eius hodie usus est. Crescit in maritimis Angliae et Frisiae, unde exsiccata una cum radice adfertur. Creditur, ita dictam esse ab Arabico *Soldan*, quod *principem* denotat, ob insignem vim purgandi serosos hydropicorum humores. Gr. *κράμβη θαλασσία.* Ge. *Meerkohl, Meerwinde.* Ga. *Soldanelle, chou marin.* A. *Seabind weed, scottish scurvygrass.* B. *Zee-winde, zee-kool, lepel-kruid.* — *Soldanella* etiam Ill. *Linnaeo* et *Tournefortio* est plantae genus, calyce quinquepartito, corolla monopetala, campanulata, ore lacero, (Pentandr. Monogyn.) capsula oblonga, terete, striata, uniloculari, dehiscente apice decem-

dentato, polysperma. Est Soldanella alpina *Bauh.* [A. *The alpine soldanella.* B. *Alpische sondanella.* Ga. *Soldanelle des Alpes.* Ge. *Drattelblume.*]

SOLEN chirurgis est instrumentum oblongum, intus cavum, in quod membrum fractum, crus, aut femur, imponitur, aut continetur, sic ob similitudinem cum valva conchae, quae Solen vocatur, dictum. Ge. *Lade.* Ga. *Caisse, boëte, goutière.*

SOLEUS MUSCULUS est musculus latus et tibiae fibulaeque ossis commissurae posterius insertus robustissimus, suraeque maximam constituit molis partem. Tendinem suum cum tendine Gastrocnemiorum coniungit, et tendinem Achillis, vel chordam *Hippocratis*, ad tuberositatem calcanei ossis insertam constituere, sicque actione sua pedem extremum extendere iuvat. Ge. *Der innere Wadenmuskel.* Ga. *Muscle soleaire.* A. *The sole muscle.* B. *De zool-spier.*

SOLIDA vocantur partes corporis, quae certam consistentiam, figuram et circumscriptionem habent, et constant ex particulis terrestribus, sive elementis, ope glutinis aquosi, vel oleosi, inter se cohaerentibus, unde fibrae, membranae, vasa et viscera emergunt. Vocantur ita, ut distinguantur a fluidis, intra solida contentis. Ge. *Feste Theile.* Ga. *Parties solides.* A. *Solid-parts.* B. *Vaste deelen.*

SOLIDAGO est plantae genus flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Superfl.) calyce imbricato, seminibus ovato-oblongis, pappo capillari coronatis; cuius quamplurimae dantur species. Nomen creditur derivari a solido, sano. Gr. σύμφυτον.

SOLIDAGO SARACENICA, vide *Virga aurea.*

SOLIDUM est antiquorum pondus pendens scrupulos quatuor.

SOLIDUS botanicis dicitur *caulis* interne farctus, aut bulbus carnosus, intus indivisus.

SOLIUM nomen est, quod etiam *taeniae* datur, quia nonnulli putant, quod hicce vermis solus tantum in intestinis reperiatur. Plures tamen in uno aegroto taeniae nonnunquam adsunt. Vide *Taenia.*

SOLUTIO CHYMICA est operatio, qua corpus quodcunque, vel naturaliter, vel arte, variis heterogeneis partibus constans, in sua principia resolvitur et reducitur, et haec proprie vocatur *solutio radicalis.* *Solutio* vero *superficialis,* vel *immersiva,* fit, dum corpori alicui solido fluidum aliquod conveniens, quod *menstruum* dicitur, superfunditur, sic in illud agens, ut in unum visu homogeneum corpus fluidum ambo abeant. Ge. *Die Auflösung.* Ga. et A. *Solution.* B. *Ontdoening der scheikonst.*

SOLUTIO CONTINUI est separatio partium antea cohaerentium a quacunque causa facta; in vulneribus, ulceri-

bus, fracturis etc. Ge. *Trennung.* Ga. *Solution de continuité.* A. *Solution of the parts.* B. *Eene scheiding des geheels.* — Sic *solutio placentae* separatio eius ab utero dicitur.

SOLUTIVA a solvendo, quia humores intestinales solvunt, idem quod *laxantia.*

SOMNAMBULO, vide *Noctambulo.*

SOMNIFERA, Gr. *ὑπνωτικὰ,* sunt medicamenta, quae valent somnum producere, et plerumque agunt duplici de causa; nimirum 1) per causas naturales tollendo impedimenta somni naturalis, qualia plerumque sunt obiecta externa, dolores, calores, sudor, animi curae, et quaecunque sanguinis circuitum augent; his igitur sublatis per varia varii generis medicamenta, quae tamen omnia vocari solent *ὑπνωτικὰ,* sequetur somnus. 2) Agunt per causas non naturales, opprimendo scilicet causas naturales vigiliarum, et impediendo fluxum spirituum animalium per nervos; quare hoc medicamentorum genus maxime in cerebrum et nervos agit. Ge. *Schlafmachende Arzneien.* Ga. *Remèdes somniféres.* B. *Slaap verwekkende middelen.*

SOMNIUM, Gr. *ἐνύπνιον.* *Insomnium* est, quando dormiendo nobis varia videntur occurrere, eodem modo, ac si essemus vigiles, quae tam alte quandoque memoriae sunt infixa, ut evigilantibus pro revera contingentibus habeantur, scilicet dum anima in somno spectaculum succedentium sibi sensationum et notionum contemplatur, ac seriei imaginum auscultat, quae ex vestigiis priorum sensationum cerebro impressis nascuntur. Est vero regulare, quando apparentiae, seu phantasmata, connexionem quandam cum anteactis habent; vel irregulare, quando contrarium evenit. Sic insomnia, quatenus a statu corporis pendent, etiam medicis varia signa suppeditant. Ge. *Ein Traum.* Ga. *Songe.* A. *A dream.* B. *Een droom.*

SOMNOLENTIA est sopor vigiliis protractior, seu continua et assidua in somnum procidentia et inclinatio; oritur, quod vascula substantiae cerebri viscositate quadam oblitentur, vel clauduntur, quacunque ex causa comprimente, ita ut liber transitus spiritibus animalibus denegetur in organa sensoria et musculos voluntariis actionibus inservientes. Sequitur proinde sanguinis abundantiam, vel vitam otiosam et opiparam, aut omnes illas causas, quae liberum fluidorum in cerebro motum turbant, aut etiam graves morbos praenunciat. Ge. *Schläfrigkeit.* Ga. *Assoupissement, envie de dormir.* A. *Coma.* B. *Slaaperigheid.*

SOMNOLENTUM COMA, vide *Coma somnolentum.*

SOMNUS est tubulorum cerebri et nervorum considentia et angustatio, a quiete, vel defectu, vel impedito fluxu spirituum animalium a compresso cerebro orta, qua sensus ex-

terni ab operationibus desistunt, quum interim sensus interni et actiones, quae a visceribus vitalibus et naturalibus pendent, minime cessent. *Naturalis*, id est, qui corpus labore vigiliisque fatigatum recreat, et *praeternaturalis*, vel *morbosus*. Somnus cum vigilia inter sex res non naturales refertur. In somno irritabilitas minor, hinc pulsus tardior, respiratio profundior, se- et excretiones imminutae, calor minor. Gr. *ὕπνος*. Ge. *Der Schlaf*. Ga. *Sommeil*. A. *Sleep*. B. *Slaap*.

SOMNUS PLANTARUM est nocturna foliorum et florum mutatio, quae expansae contrahuntur etc.

SONCHITES, vide *Hieracium*.

SONCHUS est plantae genus flore semiflosculoso, Syngenes. Polygam. Aequal.) calyce ventricoso, squamis linearibus, seminibus oblonginsculis, coronatis pappo simplici. Huius generis plures dantur species, quarum tamen duae apud nos frequentissimae sunt, (quae vero a *Linnaeo* ad unum *Sonchum*, nempe *oleraceum* referuntur), scilicet una, quae est *laevis*, altera *aspera*. Prior est planta, quae habet caulem sesquipedem altum, intus excavatum, tenerum, purpurascentem. Folia longa, laevia, fere glauca, Dentis Leonis divisura, latiora, incisa, vel laciniata, alternatim disposita, alia pediculo longo, alia nullo gaudentia, sed latiore basi caulem amplectentia, in circuitu quasi dentata, in quibus vel nullae spinae, vel molles, lacte praegnantia, salsa, amara. Flores semiflosculosi, plurimis scilicet semiflosculis constant embryoni insidentibus, et calyce crasso comprehensis, qui per maturitatem conicus fere evadit. Embryo autem abit deinde in semen pappis instructum, thalamoque affixum, oblongum, rubicundum. Radix minima, fibrosa, alba. *Sonchus* vero *asper* habet folia Sonchi laevis crassiora, obscurius viridia, in crebras lacinias divisa, ad Endiviae folia accedentia, basi sua caulem inanem amplectentia, spinulis longioribus et rigidioribus aspera, (quin etiam folia extrema et laciniae in angustiores et acutiores mucrones desinunt) lac fundentia salsum et amarum: caetera vero omnia, quae de Soncho laevi dicta fuerunt, huic quoque conveniunt. Crescit abunde utraque species in arvis Europae. Gaudet qualitate emolliente, resolvente et diluente. Decoctum lac augere dicitur. Pauperibus interdum obsonii loco in usum cibarium cedit. Propullulans acetariis additur. Dicitur forte *παρὰ τὸ σῶον χέειν*, quod salubrem succum de se fundat; vel nuncupatur quasi *σομφὸς*, ab inanitate caulium. Lat. *Cicerbita*, [hanc denominationem plantae attulit Diosc. II. c. 158. addito epitheto *asperae*, ut sic melius respondeat graeco σόγχος τραχὺς.] *Lactuca leporina*, *Lactucella* et *Lactero*, quia lac fundit, et nutricibus lactis copiam praebet. Ge. *Hasenkohl*, *Saudistel*. Ga. *Palais de lievre*, *laiteron*, *laitron épineux*. A. *Sow*

thistle. **B.** *Haze-latouw, haze-zalade, konynen-kruid, ganzen-distel, hazen-kool, dauw-distel, melk-weye.*

SONITUS, s. **TINNITUS AURIUM** est perceptio soni absque obiecto externo, a causis internis, estque vel tinnitus, vel sibilus, vel pulsus, vel fluctuatio. **Ge.** *Klingen, Sausen der Ohren.* **Ga.** *Bourdonnement des oreilles.*

SONUS duplicem habet significationem. Denotat enim 1) sensum, sive ideam, aut perceptionem, quam corpora sonora, mediantibus vehiculo aëreo, et organis auditus, in nobis excitant. Vel 2) conditionem physicam, seu oscillationem, quae corporibus sonoris, medio deferenti, vel organis auditus inest, qua menti ideam soni exhibent. **Ge.** *Ton.* **Ga.** *Son.* **B.** *Geluid.*

SOPHIA CHIRURGORUM est Nasturtium sylvestre tenuissime divisum *Bauh. Sisymbrium sophia* petalis calyce minoribus, foliis decomposito-pinnatis *Linn.* (Tetradynam. Siliquos.). Crescit frequenter in maceriis Europae. Qualitatis est acris, subfervidae, viribusque subadstringentibus, vulnerariis et anthelminthicis pollet. Commendatur semen contra diarrhoeam; nec non in haemoptysi et leucorrhoea. Dicitur quasi chirurgorum sapientia: quia forte ad illam plantam, ob salubres effectus, solebant confugere, ac si illorum tota sapientia in istius herbae usu consisteret. **Ge.** *Wellsaame, Sophienkraut, Besemkraut.* **Ga.** *Thalitron.* **A.** *Flixweed.* **B.** *Fie-kruid.*

SOPHISTICATIO dicitur partium quarundam corporis in pristinum statum restitutio; ut mammarum flaccidarum, amissae virginitatis per adstringentia etc.

SOPHISTICUM AURUM dicitur vel substantia ex viridi aeris, tutia, borace, nitro et mercurio sublimato invicem fusis composita, vel metallum natum ex fusione cupri cum zinco, quod etiam vocatur *Tombac* et *metallum principis Roberti.* [Pro diversitate et quantitatis utriusque metalli invicem mixti, et puritatis variis nominibus insignitur aurichalci, tombaci, pinchbecki et similori.]

SOPHRONESTERES sunt sapientiae dentes. [Gr. *σωφρονιστὴρ* a *σωφρονίζω, facio, ut quis sapiat.* Hinc patet, falsum esse Blancardi *Sophronesteres,* potius *sophronisteres* scribendum. Ruf. Ephes. p. 27. *σωφρονιστῆρας δὲ τοὺς ἐσωτάτω καὶ ἐσχάτους, ἡνίκα ἂν δεῖ σωφρονεῖν ἄρχωνται* (scr. *ἄρχεσθαι, φυομένους ἕνα ἑκατέρωθεν.* Etym. M. p. 742, 35. *σωφρονιστῆρες, οἱ ἔσωθεν τῶν ἄλλων ὀδόντων διαφυόμενοι κατὰ τὴν τοῦ φρονεῖν ὥραν περὶ τὸ εἰκοστὸν ἔτος.* Poll. *onom. II.* 92.] Vide *Dentes.*

SOPOR idem est quam *Coma.* [Minime! nam *coma* vehemens tantummodo in somnum propensio est: *sopor* autem profundus solitoque diutius durans somnus est. Ille morbus

Germanis *starke Neigung zum Schlafe*, hic *Schlafsucht* audit. Vid. Osiander *üb. d. Entwick. Krankh.* Th. I. p. 72.]

SOPORARIAE ARTERIAE, i. q. *carotides*.

SOPORIFERA, i. q. *somnifera*.

SORA, i. q. *essera*.

SORBETTUM, vulgo *Serbet*.

SORBITIO est ea actio, qua clausis naribus interius velo palatino, ore anterius arctato, ut fiat parvum foramen, vacuum excitatur Boyleanum in ore, dum lingua aërem in eo contentum suo applicatu ad palati fornicem versus posteriora pellit, et genae gingivis appositae omne liquidum prohibent, quo fit, ut applicata ori liquida una cum aëre intrantia, speciem soni excitent. Ge. *Das Schlürfen.* Ga. *Humer.* A. *Sipping.* B. *Slorping.*

SORBUS est plantae, vel arborum, genus flore rosaceo, (Icosandr. Digyn. et Trigyn.) cuius plures dantur species, quarum apud nos frequentissimae sunt: 1) *Sorbus domestica Pharm.* Sorbus legitima *Clus.* Sorbus sativa *Bauh.* *Sorbus domestica* foliis pinnatis, subtus villosis *Linn.* Ge. *Spierling-, Speierling-, Sperberbaum, Escheritz.* Ga. *Le cormier cultivé, à fruit en forme de poivre, le sorbier domestique.* A. *The cultivated service, the true service* sive *sorbtree.* B. *Tamme sorben boom.* — — — Huius fructus sunt Pyrum moschatellinum parvum aequantes, turbinati, umbilicati, magis minusve rubentes, carne flavescente, et ante maturitatem adeo austero succo, ut strangulet, colore in rutilum transeunte, at ubi velut fermentatione quadam emolliti fuere, vix mutato interno colore, dulci satis et vesca carne, non sine adstrictione. Huius arbor est magna, ramosa, truncum habens rectum, cortice aspero et pallido obductum. Lignum est valde durum, compactum, rubicundum. Folia sunt oblonga, plura uni costae adnata instar Fraxini, in margine dentata, villosa, mollia, inferius alba, saporis styptici. Flores sunt parvi, albi, plures sibi invicem iuncti, pediculo ex foliis enato adhaerentes; quinque foliis in orbem positis constantes. His deciduis succedit fructus supra dictus. Fructus hic qualitatis est farinosae, alimentosae, flatulentae et subadstringentis. Arbor haec crescit in Germaniae montosis. — 2) *Sorbus aucuparia Pharm.* Sorbus sylvestris, foliis domesticae similis *Bauh.* *Sorbus aucuparia* foliis pinnatis utrinque glabris *Linn.* (Icosandr. Trigyn.). Ge. *Vogelbeerbaum, wilder Sperberbaum,* [*Aberesche* i. e. spuria], *Ebereschen, Queizenbeerbaum.* Ga. *Cochêne, cormier,* [*des oiseleurs* sive *des chasseurs*], *sorbier sauvage.* A. *Quick-beam, roan-tree,* [*the mountain ash* sive *service-tree.*] B. *Quicken-boom,* [*lysterbezienboom, sorbenboom, haveresche, qualsterboom, kwartelboom.*] — Habitat in Europae sylvis frigidioribus. Baccis est qualitas acida, farinosa, visque adstringens; hinc in

diarrhoea, leucorrhoea et gonorrhoea commendantur. Spiritus destillatione productus viribus lithonthripticis pollere dicitur. [Baccae continent acidum, cuius a Donavano detecti peculiarem naturam Vauquelinus et Vogelius accuratius inquisiverunt. Alii quoque fructus acidi idem acidum exhibent. Braconnotus autem, quem Trommsdorff sequitur, illud nihil aliud, quam acidum malicum esse contendit.] 3) *Sorbus torminalis Bauh. Crataegus torminalis* foliis cordatis, septangulis, lobis infimis divaricatis *Linn.* (Icosandr. Digyn.). Fructus eiusdem, cum praecedente, qualitatis, sed magis stypticae. Sorbus vocatur, vel a sorbendo, quod fluxus alvinos absorbeat: vel, quod fructus ore absorbeatur, vel quod diu servetur. Gr. *ὄη*, vel *οὖα*, et fructus *ὄον*, et *οὖον*, *ab ovi forma.* Ge. [*Elsenbeere, Darmbeere, Elrizen,*] *Sperberbaum, Speiren e. s. p.* Ga. *Sorbier*, ou *cormier.* A. *The wild haw tree, service-tree.* B. *Wilde zorben-boom, spreuw-bezien boom, haver elzen, darm-appeltjes.*

SORDES sunt excrementa quaedam, quae ab humore perspirabili, postquam liquidissima earum pars avolaverit, in ambitu corporis remanent: vel crassior ichoris species, quae in illis ulceribus reperitur, quae inde *sordida* vocantur. Ge. *Unflath.* B. *Vuiligheid.*

SORGUM est milii species. Milium arundinaceum subrotundo semine *Bauh. Holcus sorghum* glumis villosis, seminibus aristatis *Linn.* (Polygam. Monoec.). Ex India olim adlatum, nunc passim apud nos colitur. Arista inferne fusca, superne laevis albida est. Usus seminis cibarius, praecipue in dysenteria et diarrhoea commendatur. Ab Italica voce *Sorgi* nomen habet. Vocatur etiam *melica.* [In Italia admodum celebrata medicina domestica contra strumam inde paratur: medullam scilicet plurium surculorum una cum spongia comburunt, addunt piperis nigri semina, et cuncta in pulverem redacta cum farina triticea miscent: inde laganum paratur, quod lunae decrescentis tempore comedendum est.] Ge. *Sorgsaamen, Indianischer Hirse.* Ga. *Blé barbu.* A. *Sorgh seed.* B. *Zorg-zaad.*

SORORIATIO terminus est, quo de mammis iuvencularum utuntur, quando hae circa pubertatis tempus intumescunt et pruriunt.

SORY est substantia mineralis, ratione mixtionis, originis et qualitatis maxime cum *misy* et *chalcitide* conveniens, scilicet omnia sunt vitriola lapide mineralisata, seu lapides atramentarii, colore differentes, Sory vero est lapis atramentarius griseus. Invenitur in insula Cypro, Aegypto et Hispania. [Vid. Plin. *h. n. XXXIV. c.* 12. *s.* 24. et Salmas. *exerc. Plin. p.* 814. *b. E.* qui vulgarem per *y* scribendi rationem falsam esse probare studuit, cuius in partes Sprengel. ad Diosc. V. c. 118. quoque ivit, simulque monuit, Rossium

sori aegyptiam habere vocem, a *σόρε* derivandam, quod *urere* vertit.] Usus est externus, viribusque exsiccantibus et adstringentibus gaudet. Ge. *Grauer Atramentstein.* Ga. *Sory.*

SOTERIAE AQUAE, SOTERII FONTES, vide *Acidulae, Balneum, Thermae.*

SOTIRELLA PARVA est electuarium, cuius exigua portio in odontalgia denti dolenti imponitur.

SPADIX est receptaculum palmae, enatum intra spatham, in ramulos fructificantes divisum.

SPADO in genere quidem eunuchum, seu testiculis orbum, significat; proprie tamen ita dicitur ille, qui propter testium contusionem, vel in universum propter alium eorum morbum, semen prolificum producere impos est. A *σπάω, traho.*

SPAGYRICA ARS eadem est, quam *chemia.*

SPAGYRICA CALCINATIO, vide *Calcinatio philosophica.*

SPAGYRICA MEDICINA, quam vocem nonnulli *ἀπὸ τοῦ σπᾶν* et *ἀγείρειν,* a segregando et coniungendo, quod heterogenea separet, et homogenea iterum coniungat, deductam putant, idem quod *hermetica medicina,* quae nimirum fundamenta sua medica, et mutationes corporis animalis, humorum, statum morbi, et actionem medicamentorum ponit et explicat ex mutationibus, quae inducuntur corporibus aliis ope vulgaris ignis, adeoque analogice ubique et in quocunque corpore sic fieri statuuntur. Vide *Chymiatria.*

SPANACHIA, vide *Spinachia.*

SPARADRAP, sive **SPARADRAPUM** est linteum, utrinque unguento spisso, vel emplastro tinctum, quod hoc modo fit; post liquationem unguentorum, vel emplastrorum, linteum penitus immergitur, quod tinctum extrahitur, extenditur et in usum medicum asservatur. Vocatur etiam *tela Gualteri,* vel *tela emplastica,* seu *emplastrum ad fonticulos,* quia plerumque eo fonticuli teguntur. Ge. *Durchzug.* Ga. *Toile gautier, sparadrap.* B. *Doorplaasterd linnen.*

SPARAGUS, i. q. *asparagus.*

SPARGANIUM vocatur etiam *Gladiolus aquatilis,* vel *Platanaria Dod.* est planta flore apetalo, floribus masculis a foemininis separatis in eadem planta, (Monocc. Triandr.) Planta aquatica est, vel palustris, emittens caulem rotundum, tres circiter pedes altum, politum, tortuosum, medullam albam habentem, in multos ramos divisum. Folia sunt longa, angusta, acuta, aspera, scindentia, saporis subdulcis. Flores mares, amentacei, herbacei, tribus staminibus foecundi, arctissime congeruntur ad caulem in formam globi. Ovaria nascuntur in eodem caule, sed infra priores flores masculos; suntque drupae exsuccae, incurvae, parvae, siliculosae, quae maturae fiunt capsulae, seu ossicula, unicapsularia,

vel bicapsularia, nucleo quodam farinaceo plerumque foeta; colliguntur et haec ovaria in globos instar nodorum. Radix fibrosa, nigra, repens. Succus huius plantae, vel decoctum, contra morsum serpentum laudatur. An a σπάργανον, *fascia,* vel σπαργάνιον, *fasciola,* quod foliis eius pro fasciis uterentur nutrices? Vide *Platanaria.* Ge. *Schwertelkraut, Degenkraut, Igelknospen, Igelkolben.* Ga. *Jonc-fleuri, ruban d'eau.* A. *Burreed.* B. *Water-lisch, kandel-aars.*

SPARGANOSIS est mammarum, a nimia copia lactis, distensio. [Occurrit vox in Diosc. II. c. 119. sed variat lectio. Codd. enim. Constantinop. et Neap. legunt σπαργήσεις, unde Schneider in *lex. gr.* Brandeis in *Med. Wörterb.* p. 589. Krausius et Sprengel σπαργώσεις in Diosc. l. c. legi recte malunt. Σπαργάνωσις autem nihil aliud est, quam involutio membri aut infantis fasciis.] Aut et inde eius deviatio in alias partes, quod ultimum id est, quod etiam *metastasis lactea* vocatur. Ge. *Milchversetzung.* Ga. *Lait repandu, dépôt laiteux.* B. *Zogverplaatsing.* A σπαργανόω, *fasciis distendo.*

SPARGANUM, vide *Fascia.* Non a σπαργανόω, *fasciis ligo*, quod Blancard. mavult, sed versa vice.

SPARGIRIA, i. q. *spagirica.*

SPARSA botanicis dicuntur *folia,* vel pedunculi absque certo ordine constituti.

SPARSI MORBI, vide *Sporadici morbi.*

SPARTUM, SPARTIUM est plantae genus flore papilionaceo, (Diadelph. Decandr.) quod habet caulem pollicis crassitiei, sesquipedem circiter altum, cortice aspero et striato obductum, in plures ramos divisum, virgulas exiguas, tenues, flexiles instar iunci virgularum germinantem, folia exigua, oblonga in initio habentes, quae folia, floribus apparentibus, cadunt. Flores sunt leguminosi, exigui, flavi, inodori, pediculis adhaerentes, qui e virgularum lateribus producuntur. Flori succedit siliqua brevis, oblonga, aut rotunda, turgidula, cartilaginea, foeta seminibus reniformibus, duris et nigris. Radix est dura, lignosa. Huius generis plures dantur species, quarum tamen vix ulla ad usum medicum, nonnullae ad usum tinctorium, et in Italia, praevia maceratione, ad usum textorium, vel coriarium adhibentur. Provenit in regionibus calidioribus, praesertim Hispania, locis sabulosis, et sterilibus. Sunt, qui hoc genus ad Genistam referant, a qua tamen differt calyce colorato, bilabiato, labio superiori trifido, inferiori bifido, et carina dipetala. Ita dicitur, quod funiculi ac vinculi usum in alligandis vitibus praebeat. A σπειράω, *in orbem contraho,* quia in spiram flecti et convolvi potest. Ge. *Spanische Binsen,* [*binsenartige Pfrieme, spanischer Ginster.*] Ga. *Genêt commun.* A. *The spanish-broom.* B. *Spaansche breem.*

SPASMA, i. q. *spasmus*.

SPASMODICA sunt medicamenta spasmum tollentia, influxum spirituum, vel sanguinis inordinatum, vel corrigendo, vel acre quodcunque stimulans et in musculo haerens tollendo, vel sensum partis nervorum compressu hebetando. Ge. *Krampfstillende Arzneien*. Ga. *Antispasmodiques*. A. *Antispasmodics*. B. *Kramp* -, sive *stuip-middelen*. — Saepe etiam varii morbi a spasmis oriundi dicuntur *morbi spasmodici*.

SPASMUS et **SPASMA** est contractio invita, constans vel interpolata musculorum organis loco motivis, non vitalibus, inservientium. Est *spasmus* vel *tonicus*, scilicet rigiditas et immobilitas, vel *clonicus*, scilicet agitatio coacta, non libera; uterque rursus vel *partialis*, unius vel alterius organi, vel *generalis*, totius fere corporis. Tonicus nonnullis *tetanus* dicitur, *clonicus* vero *convulsio*. Causa in genere a veteribus ponitur repletio et inanitio; rectius vero statuitur, quicquid nervosum genus irritare, et irregularem spirituum nervosorum motum producere potest. Spasmus fit cum acri dolore in artubus, crure, sura, pede etc. Huius species sunt: spasmus traumaticus, seu in vulneribus, spasmus cynicus, strabismus, risus sardonius etc. A σπάω, *contraho*. Ge. *Der Krampf*. Ga. *Spasme*. A. *Cramp, spasmodic contraction*. B. *De kramp*, *zenuwtrekking*, *stuiptrekking*.

SPASMUS CYNICUS, sive **CANINA CONVULSIO** est convulsio musculorum oris. Hoc est, quando musculi, praecipue canini et zygomatici, convelluntur et os, nasus, oculus, atque adeo dimidia faciei pars, in obliquum et rugas torquetur, imo et irati canis effigiem repraesentant, ita ut qui eo correpti sunt, efflare aërem, aut humorem exspuere nequeant, saliva ex ore fluente. Tristissimam fereque semper funestam prognosin in morbis malignis, vel etiam vulneribus, suppeditat. Ge. *Hundskrampf*. Ga. *Ris sardonien*. A. *The dogs cramp*. B. *Honds-trekking*, *honds-kramp*.

SPATHA, Gr. σπάθη et ἐλάτη, dicitur calyx longitudinaliter ruptus. [Willdenow (*Grundr. d. Kräuterk. p.* 92.) spatham dicit esse folium oblongum, quod cum basi sua caulem amplectitur, floresque ante ipsorum evolutionem obtegit. Palmis omnibus, liliisque et ari speciebus plurimis competit.] Ge. *Blumenscheide*. Ga. *Spathe*.

SPATHA est instrumentum oblongum, ex argento, chalybe, cupro aut ligno confectum, inferius latum, quo electuaria, vel conservae, et emplastra absque manuum inquinatione commode tractantur, chirurgis et pharmacopoeis familiare. Vide *Spatula*. Ge. *Ein Spatel*. Ga. *Une spatule*. B. *Een spatel*. — *Sculteto* est scalpellum anceps, utrinque acutum, et in superiore parte paulo latum, quod in extremi-

tate sua in angustam cuspidem coit. *Spatham* autem *Celsi* aliud scalpelli genus fuisse, autumat *Heisterus*.

SPATHOMELA, [a graec. *σπάθη* et *μήλη*, *specillum.*] sive **SPECILLUM LATUM**, vide *Spatha*.

SPATHULATUM botanicis dicitur *folium* subrotundum, basi angustiore lineari.

SPATHUM, s. **SPATUM** est corpus minerale, magis vel minus durum atque pellucidum, ad lapides calcarios, aut etiam gypseos, pertinens, fragmentis rhomboidalibus, nitidis. Gypseum ustulatum in pulverem non effervescentem cum aqua transit. In universum paullo plus, quam quadruplo, aqua ponderosius est. Huius generis quam plurimae dantur species, magis, vel minus calcariae, aut etiam gypseae indolis. Ge. *Spath*. Ga. *Spath*. A. *Spar*.

SPATILE, [graec. *σπατίλη*, quam vocem in Hipp. *de vict. in morb. ac. p.* 58. obviam Galenus in *expos. voc. Hipp. p.* 564. explicat per *τὸ ὑγρὸν ὑποχώρημα*.] est species alvi lubricae.

SPATULA, vel **SPATHULA** est instrumentum minori forma, quam spatha. Significat quoque *scapulam*. A *σπάω*, *traho*, ut putatur. Ge. *Ein kleiner Spatel*. Ga. *Spatule*. B. *Een spateltje*.

SPATULA FOETIDA est Iridis species, et quidem *Iris foetidissima* corollis imberbibus, petalis interioribus patentissimis, caule uniangulato, foliis ensiformibus *Linn.* (Triandr. Monogyn.) Gladiolus foetidus C. B. Spathula foetida, Xyris. *I. Bauh.* Radicis decoctum in spasmis atque herniis commendatur; potenter aquas hydropicorum evacuat: praecipue vero balneum membra arida sublevat. Semini, quod piso simile, qualitas acris, visque diuretica est. A foliorum figura ita dicta: *Spata* enim gladium significat. Est enim illi folium ancipiti novaculae similius, acutiore acie, et tenuiore, rigidioreque, quam Gladioli, aut Iridis, mucrone. *Foetida* cognominatur, quod gravem exhibet odorem. Gr. *ξυρὶς*, [Diosc. IV. *c.* 22. ad q. l. vid. Sprengel.] *gladius, novacula*. Ge. *Wandlauskraut*, [*Wanzenkraut*,] *stinkende Schwerdtel*. Ga. *Espatule*, [*iris fétide*,] *glayeul puant*. A. *Stinking iris* sive *gladdon*, sive *gladwyn*. B. *Wand-luis kruid, stinkende lis*.

SPEAUTER, vide *Zincum*. Ge. *Spiauter*.

SPECIES, seu **PULVIS** dicuntur in officinis simplicia (ingredientia) pro compositis conficiendis coordinata. Sic dicuntur *species theriacae*, id est ex quibus theriaca compilatur. Sic sunt et *species decoctorum usualium*. [In Pharmacop. boruss. sequentes tanquam officinales indicantur *aromaticae*, *ad cataplasma, ad decoctum lignorum, ad enema*, *ad fomentum*, *ad infusum pectorale*, *resolventes*, *ad suffitum, viscerales pro clysmate Kaempfii.*] Prae reliquis tamen hoc

nomen sibi vindicant pulveres nonnulli, tum aromatici, tum cathartici. Forsan quia ordinati fuerint olim, ut inde conficerentur electuaria, morsuli vel rotulae, sic sunt species aromaticae, rosaceae etc., species diaturbith cum rhabarbaro, diaireos, diaolibani, diamoschi etc. Ge. *Pulver, Species.* Ga. *Poudre.* A. *Powder.* B. *Poeder.*

SPECIFICA MEDICAMENTA sunt, quae vi quadam singulari et propria tantum in eam causam agunt, quae morbum in corpore producit, partem affectam movendo et mutando, nihil vero in reliquas corporis partes efficiendo. Sic oleum viperinum applicatum morsui viperae; cortex Peruvianus in febribus intermittentibus; opium in conciliando somno, et quamplurima alia *specifica* dicuntur.

SPECILLUM est instrumentum chirurgicum, spithamae longitudine, tenue, ex argento vel chalybe, ab una extremitate latum, rotundum et interdum nonnihil incurvatum; ab altera vero rotundum nodulum habet; quo vulnerum et fistularum altitudo pertentatur. Quod si per longitudinem sulcatum est, inservit etiam ad dirigendam scalpelli aciem, in fistulis, vel sinubus incidendis, ne vasa subiacentia, aliaeve partes laedantur. Saepe etiam *specilla* adhibentur ex ossibus balaenae, aut filo cera obducto confecta. Videtur esse diminutivum a *specium*, quo usus est *Pacuvius*. *Μήλη, τραυματικὴ μήλη Galeno.* Tentando imperitum vulgus *Tentam* vocat. Ge. *Ein Sucheisen, Wundeisen, Sonde.* Ga. *Sonde.* A. *A probe.* B. *Een tintel-yzer, tenten-yzer, provet, wond-yzer, proef-yzer, zondeer.*

SPECULARIS LAPIS, vide *Selenites.*

SPECULUM ANI est instrumentum chalybeum, e duabus laminis forcipis instar in axi dilatabilibus compositum, hodie tamen rarissime adhibitum, vel necessarium, quo chirurgi anum dilatant, ut vitia quaedam intus delitescentia melius perquirant, et spinas, aliaque inhaerentia extrahant, vel innata absumant. [Tale instrumentum dilatatorium vide in Heisteri *instit. chir. tab. XXXIV. f.* 15. delineatum: aliud invenit Ancelinus, descripsitque in *Hist. d. l. Soc. de méd.* 1780. Ge. *Afterspiegel.*]

SPECULUM LUCIDUM, i. q. *septum lucidum.*

SPECULUM MATRICIS, vide *Dilatatorium.*

SPECULUM OCULI est *aranea tunica oculi.* — Vel ita etiam vocatur instrumentum chirurgicum, cuius variae dantur species, [quarum nonnullas memorat Schreger (*chir. Oper. p.* 259.)], constans plerumque ex annulo ovali metallico, e duabus portionibus supra se mobilibus composito et manubrio affixo, qui inservit palpebris dilatandis, ne in oculorum operationibus laedantur, vel impedimento sint. [Fabricio ab Aquapend. nos huius instrumenti inventionem de-

bere contendebat Arnemann. in *Uebers. d. vorzügl. chir. Instrum. p.* 54.] Ge. *Ein Augenspiegel.* B. *Een oog-spiegel.*

SPECULUM ORIS. Ge. *Mundspiegel.* [Vid. figuram eiusmodi instrumenti in Heisteri *inst. chir. tab.* XX. f. 13.] *Uteri* etc. Vide *Dilatatorium.*

SPELTA, Gr. *ζέα,* nonnullis *Far,* est *Triticum spelta* calycibus truncatis, quadrifloris, flosculis aristatis hermaphroditis, intermedio neutro *Linn.* (Triandr. Digyn.). Hordeum flosculis lateralibus masculis, muticis, involucro destitutis *Sauv.* Zea dicoccos, vel Spelta maior *Bauh.* Vox videtur descendere a *spelta Italorum,* quae est frumenti species. Ge. *Spelt, Tinkel oder Dinkelkorn.* Ga. *Epeautre, blé locular, froment locar, froment rouge.* A. *Spelt-wheat.* B. *Spelt.*

SPERAGUS, i. q. *asparagus.*

SPERGULA est planta flore rosaceo, (Decandr. Pentag.) calyce pentaphyllo, corolla pentapetala, capsula ovata, tecta, uniloculari, quinquevalvi, seminibus plurimis, depresso-globosis, margine emarginato cinctis; caulibus fusis, foliis linearibus verticillatis, tomentosis. Haec planta in omni solo, maxime sterili, provenit, et commodissimum armentis pabulum praebet. Dicitur etiam *πολύγαλα.* An a *σπείρω, sero, semino, spargo,* et *γάλα, lac?* quia eius semen lactis gratia spargitur: nam creditur vaccis lac augeri, si illa planta vescantur. Ge. *Spergel, Spurre.* Ga. *Espèce de morgeline.* A. *Spurrey.* B. *Spurie.*

SPERMA, i. q. *semen.*

SPERMA CETI male sperma dicitur, et est substantia pinguedinosa, alba, squamosa, tenera, mollis, quasi ex parvis furfuraceis squamulis composita, saporis oleosi, odoris unctuosi. Extrahitur e capite animalis ad mammalia cete pertinentis, quod est *physeter macrocephalus Linn.* Cete *Clus.* Animal scilicet marinum, spiraculis supra caput, dentibus in maxilla inferiore, dorso impenni: s. *Cachalot.* Habitat praecipue in Oceano septentrionali et mari Groenlandico. Substantia haec oleosa in textu celluloso inter duram et piam meningem cerebri et medullae spinalis recondita est, ea quidem quantitate, ut ex uno pisce plura dolia, vel tonnae repleantur. Adlata coctione cum lixivio, iterata fusione et percolatione depuratur, et in eum statum reducitur, in quo in officinis nostris prostat. Recens in lixiviis non solvitur, nec cum iis in saponem abit. Qualitatis est emollientis, lenitivae, thoracicae, resolventis et cosmeticae. Hinc in tussi, sputis pleuriticorum suppressis, diarrhoea, dysenteria commendatur. Facile rancorem contrahit; hinc sunt, qui in morbis pulmonum ab hac materia pingui timeant. Facile in oleis solvitur, non item in aqua; hinc in oleo amygdalarum dulcium solutum sperma ceti, addito syrupo pectorali, vel cum sacharo tritum in forma pulveris frequente propinatur.

[Recentissimis temporibus in eius naturam partesque constituentes a Chevreulio, Berardo aliisque inquisitum est, repertumque, illud fere nihil aliud, quam cetinem puram esse. Paucam tamen olei peculiaris quantitatem continet, ab aëris contactu intra breve temporis spatium flavum colorem et rancorem contrahit, et calore admoto paulo facilius, quam cetine, liquescit, caeterum cum illa maximopere convenit.] Emplastrum de spermate ceti ad lac in mammis dissolvendum adhibetur. Ge. *Wallrath, Wallram.* Ga. *Blanc de baleine.* A. *Sperma ceti.* B. *Walschot.*

[**SPERMACRASIA**, rectius *spermatacrasia*, a *σπέρμα*, *semen*, et *ἀκρασία*, *mala mixtio*, est seminis a naturali mixtione aberratio. Male a Swediauero pro incontinentia seminis, quae graece *Spermatacratia* dicitur, usurpatur.]

[**SPERMATACRATIA** est seminis, et plerumque simul humoris prostatici excretio frequens, aut assidua adeo, praeter voluntatem eveniens noctu vel die, ut plurimum sine erectione colis, aut cum erectione eiusdem incompleta vel momentanea, teste Swediauero l. c. I. p. 229 — 31. Ge. *Saamenfluss.*]

SPERMATICA VASA sunt arteriae duae, ex aorta sub emulgentibus ortae, sanguinem pro secretione seminis ad testes adducentes; et totidem venae, quarum dextra in venam cavam, sinistra in venam emulgentem sinistram, differentia, ob situm arteriae aortae maxime necessaria, inseritur, sanguinem a secretione seminis residuum ex testibus revehentes. Ge. *Saamengefässe.* Ga. *Vaisseaux spermatiques.* A. *Spermatic vessels.* B. *Zaadvaten.*

SPERMATICAE PARTES sunt partes albidae, quae olim propter albedinem censebantur ex semine duntaxat generari, ut nervus, membrana, os, cartilago etc. Verum omnes partes ex semine successive fiunt, quia ex ovo, quod totius foetus rudimentum continet, generantur: imo et omnes partes, quotquot habentur, si sanguis aliique succi eluantur, etiam albidae apparent. Hinc omnibus illud nomen ex aequo competit. Vide *Semen.* Ex *σπέρμα*, *semen.* Ge. *Saamentheile.* Ga. *Les parties spermatiques.* A. *The spermatick parts.* B. *Zaad-deelen.*

SPERMATOCELE, OSCHEOCELE SEMINALIS est tumor testiculi et funiculi spermatici, cum epididymide, calidus, renitens, dolorificus, qui facile abit in apostema, fistulam, scirrhum, hydrocelen, sarcocelen etc. Hunc facit semen suis ductibus haerens, eosque vellicans et distendens. Spermatocele alia est venerea, quae ex syphilide confirmata, vel a gonorrhoea suppressa ortum ducit. (Ga. *Chaudepisse tombée dans la bourse.*) Alia vero simplex, quae a variis causis oritur. [Bell. (*Lehrb. d. Wundarzn. Th. I. p.* 373.) sub spermatocele intelligit abnormem epididymidis vasisque

deferentis expansionem, cuius causa in seminis in hisce partibus accumulatione quaesita est.] Ge. *Saamenbruch.* Ga. *Spermatocéle.* Ex σπέρμα, *semen*, et κήλη, *tumor.*

SPERMATOPOEA ORGANA vocantur in viris illae partes, quae elaborando, secernendo et asservando semini inserviunt. [A σπέρμα, *semen*, et ποιεῖν, *facere.*] Ge. *Saamenwerkzeuge.* Ga. *Organes spermatiques.*

SPERMATOPOEA medicamenta sunt, quae liquidi prostatarum, vesicularum seminalium, et testium generationem et elaborationem augent in maribus, ita ut deficiens ex aegritudine semen restituatur, et quae in foeminis humores ad concipiendum requisitos elaborant. Ge. *Saamenmachende Arzeneien.* B. *Zaadmaakende middelen.*

SPERNIOLA, seu **SPERNIOLUM** vocatur *Sperma ranarum;* est enim mucilaginosa quaedam substantia, aquis innatans, qua ova recenter a ranis edita involuta et quasi conglutinata sunt. Viribus gaudet refrigerantibus atque cosmeticis; commendatur ad ambusta, inflammationem et erysipelas. Prostat aqua destillata et emplastrum. — Sic *Sperniola Crollii* est pulvis ex camphora, croco, myrrha et olibano contusis, aqua spermatis ranarum irroratis et exsiccatis; qui externe in haemorrhagiis adhibetur. Ge. *Froschlaich.* Ga. *Frais des grenouilles.* A. *Seed of frogg's.* B. *Kikvorsch schot.*

SPHACELOIDES est quid sphacelo simile. Ex σφάκελος, *sphacelus*, et εἶδος, *forma.*

SPHACELUS vel sphacelismus est sideratio, sive sensus et vitae in quacunque parte extinctio, ad ossa usque plerumque penetrans, permittens dein humorum et solidorum corruptionem et destructionem, cum partis immobilitate, frigore, colore livido et nigricante, et foetore cadaveroso. Habetur pro ultimo gradu *gangraenae.* A σφάττω, *interficio.* Gr. σφάκελος, σφακελισμὸς, τελεία νέκρωσις. Ge. *Der kalte Brand.* Ga. *Sphacéle, mortification.* A. *Sphacelus, mortification.* B. *Het koud vuur.*

SPHACELUS, vide *Salvia.*

SPHACELUS HUMORUM vocatur quibusdam humor morbosus subniger, inemendabilis, exstincta actione vitali natus.

SPHAERITIS quasi planta globosa, seu capite globoso, quia capitula habet rotunda et globiformia. A σφαῖρα, *globus.*

SPHAEROCEPHALUS est *Cardui* species, capitula habens rotunda. A σφαῖρα, et κεφαλὴ, *caput.*

SPHAGITIDES sunt venae iugulares in collo. [Cels. IV. c. 1. In dextra sinistraque circa guttur venae grandes, quae σφαγίτιδες vocantur.] A σφάζω, *iugulo, macto.*

SPHATULA FOETIDA, i. q. *spatula foetida.*

SPHENDAMNOS vocatur *Acer.* Gr. σφένδαμνος, di-

citur durus, firmus, ob ligni duritiem. [Nunquam *σφένδαμνος* pro *duro*, *firmo* adhibitum fuit, sed male explicatio adiectivi *σφενδάμνινος* e Scapulae lex. ad substantivum *σφένδαμνος* translata fuit.]

[**SPHENENCEPHALUS** a Geoffroy St. Hilaire (vid. *Coccycephalus*) ea capitis monstrosa conformatio vocatur, qua illud in regione palati ita inflexum est, ut dentes ab utroque latere conveniant atque contingant. Aures ita coadunatae, ut unus tantum meatus auditorius, nec nisi una cavitas tympani adsit. Processus uterque ossis sphenoidis per totam fere longitudinem invicem concretus. A *σφὴν*, *cuneus*, et *κεφαλὴ*, *caput*, male formata vox.]

SPHENOIDEA OSSICULA, vide *Cuneiformia*. [A Gr. *σφὴν*, gen. *σφηνὸς*, *cuneus*.]

SPHENOIDES, SPHENOIS, vide *Cuneiforme os*. Sunt, qui olim hoc os *sphecoides*, quasi vespiforme, rectius dictum esse suspicentur.

SPHENOPHARYNGAEUS est par musculorum, a sinu alae internae ossis cuneiformis ortum ducens, atque oblique deorsum inclinans, in oesophagi latera extenditur, gulamque dilatat. Ex *σφὴν*, *cuneus*, et *φάρυγξ*, *oesophagi caput*, sive *fauces*. Ge. *Der Keilbein - Schlundmuskel*. Ga. *Muscles spheno-pharyngiens*, sive *spheno-salpingo-pharyngiens*. B. *Wiggebeens strot-spier*.

SPHINCTER: hoc nomine in variis partibus musculi gaudent, qui hanc proprietatem habent, ut nulli puncto fixo inserti sint, sed circulariter ambientes partem rotundam mollem cavam, vim hanc plane constringendi possideant; uti est musculus constrictor oesophagi, ani, vesicae etc. — *Sphincter oris* est musculus orbicularis labiorum aperturam ambiens. A *σφίγγω*, *constringo*. Ge. *Der Schliessmuskel*. Ga. *Muscle sphincter*. A. *Sphincter*. B. *Sluitspier, ringspier*.

SPHONDYLIUM, *Heracleum sphondylium*, foliis pinnatifidis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) est planta umbellifera, quae habet caulem, duos vel tres pedes altum, rectum, rotundum, nodosum, villosum, striatum, excavatum. Folia sunt ampla, laciniata, in multas partes divisa, lanuginosa, saporis dulcis. Flores in summitate ramorum in umbellas crescunt, singuli ex quinque petalis bifidis constant; coloris ut plurimum albi, aliquando purpurei, sed raro. Flore deciduo calyx fit fructus, ex duobus magnis seminibus compositus, compressis, striatis, marginatis a parte superiori, in dorso striatis; ubi se invicem cingunt, duabus lineis nigris notantur. Radix est simplex, longa, perennis, altissime depacta, et sat crassa, carnosa, inordinate divisa, succo flavo praegnans, saporis acris. Habitat in Europae nemorosis. Folia virtute emolliente, semen vero et radix incidente et aperiente pollent. Adhibentur in cataplasmate. Paratur e foliis

et semine potus, *Parst* dictus, quo in Polonia pauperes cerevisiae loco utuntur. E cortice interiori caulium spiritum inflammabilem et inebriantem elicere solent incolae Kamschatkae. Sphondylium, vel Spondylium dicitur ab odore seminis, qui similis est ei, quem insectum Sphondylus spargit. Est hoc insectum lepidopterum e genere Phalaenarum, cuius larva sub terra habitans pessime radices corrodit. Sphondylium vulgo etiam vocatur *Branca ursina*. Ge. *Deutsche Bärenklau, Heilkraut, Kälberkropf.* Ga. *Berce*, ou *fausse branc ursine.* A. *Cow parsnep.* B. *Duitsche beeren-klaauw, heilkruid.*

SPHONDYLUS, SPONDYLUS, i. q. *vertebra.*

SPHYGMICA est pars hygieinae, agens de pulsibus. A σφύζω, *pulso, salio.*

SPHYGMUS, vide *Pulsus.*

SPICA fasciae chirurgicae species est, unius vel utriusque humeri luxati; alia est, cuius fascia ab una extremitate voluta est; alia, quae ab utraque. Hinc *spica simplex*, vel *duplex* dicitur. Alia est *spica inguinalis*, cuius pars inter femora transit. Ge. *Kornährenbinde.* Ga. *Spices.*

SPICA est species inflorescentiae, constans e floribus sessilibus alternis in pedunculo communi simplici. Sic in frumento dicitur totum illud, quo granum continetur, et ad similitudinem plurimae plantae; earum summitates spicatae spica nominantur, ut Lavendula, Spica Celtica, Indica etc. *Spica* dicta quasi *Speca*, a spe: nam quum fruges in spicam exeunt, spem praebent hominibus. Alii dici putant a figura spiculi, quam refert, ubi primum e folliculis erumpit. Tria vero continet, granum, glumam et aristam. *Spica mutica* est, quae non habet aristam, et *mutica* quasi mutila nominatur. Gr. στάχυς, [putidum est etymologiae studium eorum, qui hanc vocem] a στὶξ, *ordo*, [derivant], quia certos habet granorum ordines, vel a στάω, et χύω, *fundo.* Seges suo stat caule, et spicae fluitant, quasi a vento fusae. Alii derivant, quod verticillato ambitu florem et orbibus spicarum caules cingentibus coronetur. Ge. *Aehre.* Ga. *Epi.* A. *Ear.* B. *Koorenaar.*

SPICA, vide *Lavendula.*

SPICA CELTICA, sive **NARDUS CELTICA** est radix e fibrillis nigris constans, quae exsiccata ad nos adfertur, adhaerentibus caulium et foliolorum marcidorum reliquiis. Planta est *Valeriana Celtica* floribus triandris, foliis ovato-oblongis obtusis integerrimis *Linn.* (Triandr. Monogyn.) Qualitatis haec radix est fragrantis, acris et aromaticae, viribusque carminativis, diureticis et anthelminthicis gaudet. Rarioris usus. Theriacam et Mithridatium ingreditur. Crescit in Liguria, Carinthia, Styria, in Alpibus Tyrolis, montibusque Pyrenaeis, ad spithami altitudinem. Folia fere Sa-

lici similia habet, unde *Saliunca* forte dicitur, sed minora. Ge. *Celtische Narde.* Ga. *Spica nard.* A. *Celtick spikenard.* B. *Celtische spikenard.*

SPICA INDICA, vide *Nardus indica.*

SPIGELIA, SPIGELIA ANTHELMIA, Spigelia quadrifolia, spicis terminalibus *Brown. Spigelia anthelminthica* foliis summis quaternis *Linn.* (Pentandr. Monogyn.). Arapabaca quadrifolia fructu testiculato *Plum.* est planta annua calyce quinquepartito, lineari, erecto, corolla monopetala, infundibuliformi, quinquefida, capsula didyma, muricata. Haec planta in Brasilia, Carolina et Iamaica proveniens, haud ita pridem [medio seculo superiori per Browneum ob eximias vires anthelminthicas] nobis innotuit. Qualitatis est tetrae et foetidae, viribusque narcoticis, expellentibus, et praecipue singularibus anthelminthicis pollet. Datur aut radicis scrupulus unus, aut herbae manipuli duo in aquae fontanae libris duabus decoquuntur, eiusque decocti quavis hora unciae quatuor propinantur. [Chemicam eius analysin Feneulleus suscepit, inque radicibus aeque ac foliis oleum cum volatile, tum pingue, paucam resinae quantitatem, materiam amaram, in qua vis anthelminthica residere videtur; saccharum mucosum, partes ligneas, principium albuminosum, acidum gallarum, calcariam et kali cum acido malico coniuncta reperit. Materia illa peculiaris amara coloris fusci est, aqua et alcohole solubilis, et narcoticum quoque principium continet; nam paulo largius assumta vertiginem excitat.] — Cum ea viribus et genere botanico convenit *Spigelia Marilandica,* caule tetragono foliis omnibus oppositis *Linn.* Provenit in Carolina australi et ab Anglis *Indian Pink* vocatur. [Vid. H. Ga. Ferd. Wackenroder *comm. de anthelminthicis regni vegetab.* Gott. 1826. 4.]

SPILANTHUS est plantae compositae genus, ad quod a *Linnaeo* Acmella refertur, quae olim ab eo Verbesinis adnumerabatur. Vide *Acmella.*

[**SPILOMA**, a Gr. σπιλόω, *maculo,* vocavit Swediaur *l. c. to. II. p.* 760. naevum s. maculas solitarias, vel tubercula, cystides, aut excrescentias verrucosas, vel sarcomatosas, neonatorum cutem colore, figura et indole varia deformantes. A. *A mole of the skin, mothers mark.* B. *De moedervlek.* Ga. *Sein, envies.* Ge. *Muttermaal, Mutterfleck.*]

SPINA botanicis dicitur mucro e ligno plantae protrusus. Ge. *Dorn.* Ga. *Epine.* — *Spinosa folia* vocantur margine acuminibus subulatis rigidis pungentibus.

SPINA, vide *Acantha.*

SPINA est pars scapulae acuta, oblique superficiem superiorem dividens, ob figuram sic appellata. Ge. *Die Gräte am Schulterblatt.* Ga. *Epine de l'omoplate.*

SPINA ALBA est idem, quod *Oxyacantha.* Gr. ἄκανθα

λευκή. [Diosc. III. 12. ad q. l. Sprengel diversas variorum botanicorum sententias de planta, quam a Dioscoride descriptam esse contenderunt, exposuit, diiudicavitque.] Nomen herba haec ab albis foliis, seu lacteis maculis, quibus folia conspersa sunt, accepit. Officinae *Bedegarim*, seu *Bedeguar*, Poeno nomine appellant. Saepe idem denotat, quam *Carduus Mariae*. Aliis idem est, quam *Onopordon acanthium Linn.* vel etiam *Echinops strigosus Linn.* Ge. *Weisse Distel.* Ga. *Chardon commun, sive artichaut sauvage, sive epine blanche sauvage.* B. *Onzer vrouwen - distel.*

SPINA ARABICA, vide *Carlina.*

SPINA BIFIDA, **SPINOLA** est species lupiae, scilicet tumor exiguus, mollis, in infantibus, concolor, supra vertebras lumborum, dehiscentibus earum processibus sensim increscens, quem recens nati ex utero gestant, plerumque simul hydrocephalo interno laborantes, fluido aquoso plenus, quo aperto ut plurimum cito pereunt infantes. [Vocatur quoque *hydrorrhachis* seu hydrorhachia. Prius nomen a Ios. Frank, posterius a Swediaur *to. II. p.* 132. morbo datum.] Ge. *Gespaltenes Rückgrad.* B. *Ruggegraats - splyting.*

SPINA CERVINA, vide *Rhamnus.*

SPINA CHRISTI, sive **SPINA IUDAICA** est Paliurus, sic dicta, quia creditur, coronam, qua Christus a Iudaeis coronabatur, ex Paliuro fuisse contextam. Vide *Paliurus.*

SPINA DORSI, **RHACHIS** vocatur columna illa ossea, ex vertebris, osse sacro et osse coccygis constans, a capite ad anum usque extensa, per totam suam longitudinem canalis instar excavata, spinalem medullam continens. Vide *Acantha.* Ge. *Rückgrat.* Ga. *Epine du dos.* A. *Spine, chine.* B. *De rugge - graat.*

SPINA IUDAICA, i. q. *spina Christi.*

SPINA NODOSA, vide *Rhachitis.*

SPINA VENTOSA Barbaris vocatur *flatus*, seu *ventus. Spina* et *ventositas spinae* est apostema ossium, scilicet collectio materiae purulentae, vel ichorosae, undique coercitae, in ossibus praecipue tubulosis, ut tibia, perone, femore et circa articulos cum ossis sphacelismo, cum doloribus in initio magnis, ab inflammatione periostei et membranae medullam in cancellis ossium continentis, subsequente tumore molli, indolente, ex quo aperto ichor acris serosusque cum corrupto osse exit, quod malum inprimis corripit infantes. Vocatur et *caries ossis, teredo, paedarthrocace:* vide suo loco. [Swediaur *l. c. II. p.* 280. *ὀστεοφθορίαν* appellavit. A Gr. *ὀστέον, os,* et *φθείρω, laedo, corrumpo.*] Ge. *Winddorn, Beinkrebs, Beinfrass, Beinfäule.* Ga. *Carie.* B. *Beenvreter, wind doorn, beeneeter.* Vide *Caries.*

SPINACHIA, et **SPINACIA**, Lapathum hortense, seu Spinachia semine spinoso *Bauh.* *Spinacia oleracea* fructibus

sessilibus *Linn.* (Dioec. Pentandr.) est planta, quae habet folia ampla, acuta, incisa, angulosa, tenera, mollia, succulenta, pediculis longis adhaerentia, coloris viridis, obscuri; caules rotundos, fistulosos, ramosos. Flores sunt apetali, quinque scilicet staminibus constantes calyci quadrifido insidentibus, sed steriles: embryones enim innascuntur speciebus Spinaciae, quae flore carent, et deinde abeunt in semen turbinatum, in capsula nunc eiusdem formae, nunc cornuta, vel angulata, reconditum. Radix est simplex, tenuis, alba, parvis fibris instructa. Haec planta colitur in hortis: est olus vulgo notum. Viribus gaudet diluentibus et humectantibus, ususque cibarius frequentissimus et salutaris est. Sic vocari videtur a spinoso semine; vel quod eius folia in acumen desinant. Gr. *σπανάχια*. [Lingua graeca hac voce penitus caret.] Arabicae factionis principes *Hispanach*, hoc est, *Hispanicum olus*, nominant. Spanachiam haud dubie ab oleris raritate dixerunt Graeci; raro enim illo utebantur medici, quod cibo magis forsitan, quam medicinae, nata esset, nec quicquam illustre sortita. Ge. *Spinat, Spinasche, Grünkraut.* Ga. *Epinars.* A. *Spinach, spinage.* B. *Spinagie.*

SPINALIS MEDULLA, vide *Medulla spinalis.*

SPINATI MUSCULI duo habentur in cervice, inter spinas totam cervicem occupant, suntque longi et ampli. Oriuntur a quinque spinis vertebrarum colli, septemque thoracis. In totam inferiorem spinae secundae vertebrae partem valide implantantur. Usus est, spinam extendere, vel in posteriora flectere, et oblique movere. Ge. *Der ausstreckende Muskel des Halses.* Ga. *Muscles épineux.* A. *Muscle spinate.* B. *Graat spieren.*

[**SPINITIS** a quibusdam vocatur inflammatio medullae spinalis. Sed vox cum hybrida sit, quippe e latino *spina*, et graeca terminatione *itis* composita, ferri nequit. Conf. *Myelitis*, et mea *Opuscula to. II. p.* 335.]

SPIRACULA vocantur in furnis chemicis aperturae, vel foramina sic instructa, ut iis pro lubitu magis, vel minus apertis aër admitti et ignis intendi et conservari possit. [— Spiracula quoque praeter branchias varii pisces possident, quibus inspiratum aërem denuo exspirant. Sunt et insectis spiracula.] Ge. *Luftloch.* Ga. *Soupirail.*

SPIRAEA est arbuscula humilis, quae crescit ad altitudinem trium circiter pedum, plures ramos tenues germinans, cortice rubro obductos. Folia in ea specie, quae *salicifolia* a *Linnaeo* nuncupatur, per ramulos sparsa, longiuscula, et angusta sunt instar salicis, per ambitum serrata, superne dilutiore viriditate praedita, inferne veluti aerugine adspersa, exsiccantis cum quadam amaritudine coniuncti gustus. Calyx est monophyllus, quinquefidus, stellatus. Flos rosaceus,

pentapetalus. Ex calycis margine interiore ad interstitia segmentorum nascuntur petala et stamina valde numerosa (Icosandr. Pentagyn.). Ovarium in fundo calycis fit fructus compositus ex quinque capsulis oblongis, acuminatis, compressis, bivalvibus, foetis semine oblongo, exiguo, compresso, flavescente. Arbuscula haec colitur in hortis et locis praesertim umbrosis, et gaudet viribus abstergentibus et subadstringentibus. Plures aliae quoque Spiraeae species, v. c. alba, hypericifolia etc., numerantur. An *Bukku* Hottentotorum? Nomen invenit ἀπὸ τῆς σπείρας, quod frutex sit lentus et flexilis, ita ut in spiram torqueri possit: σπεῖρα enim est *spira*. Ge. *Spierstaude*, *Traubenweide*. Ga. *Spirée*.

SPIRITUS ANIMALES, FLUIDUM NERVEUM: hoc sub nomine, iuxta opinionem plerorumque medicorum, quam pluribus argumentis ad magnum probabilitatis gradum evehunt, intelligitur materia illa subtilissima atque mobilissima, quae a sanguine purissimo atque elaboratissimo, per arterias carotides et vertebrales in cranium delato, in substantia vasculosa cerebri secernitur, indeque in substantiam tubulosam medullae oblongatae et originis nervorum influit, perque eam distribuitur. Oportet vero id fluidum mobilissimum esse, et una maximi momenti capax, aut ad suscitandos maximos motus idoneum, nempe a minima quaque causa, etiam absque cordis potestate, a voluntate et a sensuum impressione in efficacem motum cieri posse: porro fluidissimum esse elementum, ut celerrimo motu fungatur: tenuissimum, ut minimos, nullo microscopio inveniendos tubulos perfluat, atque ipsi spiritus nulli sensuum nostrorum quocunque auxilio adiuto conspicui reddi possint: simul tamen eam oportet esse fluidi nervei ad nervum adhaesionem, ut nervo contineatur, neque eum ante absolutum munus deserat: oportet denique eiusmodi liquidum esse, in quo nullus excitatus et vividus sapor, aut odor, aut color, aut calor, aut alia quaecunque sit qualitas, quae sensus nostros vehementer feriat: eiusmodi enim vis si in fluido nerveo habitaret, id fluidum aut perpetuo se ipsum menti repraesentaret, aut certe efficeret, ut mens ad sensationem non fortiorem obsurdesceret. Est ergo activum elementum ad motum a voluntate et a sensu concipiendum aptissimum, celerrimum, omni sensuum acie subtilius, tamen hactenus igne et aethere, et electrica atque magnetica materia crassius, ut et contineri vasis et vinculis coerceri aptum sit, et denique manifesto ex cibis nostris nasci et reparari queat; non sine suspicione, partem tamen eius fluidi non exiguam ex rectore illo stirpium spiritu constare, ut quo recepto spiritus nostri augeantur, ut et sensuum acumen intendatur, et imaginatio succedat vividior, et vires musculorum increscant, et demum nimis excitati motus quicunque et ipsi sensus per foetentes halitus opiumque compes-

cantur. Porro ex animali materie etiam constare oportet, in summam subtilitatem evecta, cum ab ea vires musculorum potissimum pendeant, magisque, ut ferocia, sic robusta, sint animalia carnivora, et homines viribus fracti a valido cibo musculorum usum et robur recuperent. Oportet autem haec mobilia elementa in raritatem quandam expansa esse, ut nostros sensus non feriant: et quid vetat, uti a luce diversum ignem esse, ab utroque magnetis materiam, ab omnibus aërem et aetherem distare nunc constat, quin etiam id proprium, suos unice per effectus notum, elementum sit. *Hall.* — Per usum hanc materiam quoad magnam partem amitti et exhalare, defatigatio, exhaustio, et per cibum atque quietem refectio docent. Functio huius materiae in eo consistit, ut per nervos in organa motoria influens motum peragat, et per organa sensoria ad sensorium commune refluens sensum excitet, atque animae obiecta externa repraesentet. Gr. *πνεῦμα.* Ge. *Lebensgeister, Nervensaft.* Ga. *Esprits.* A. *Spirits.* B. *Geesten, herssen-zap, zenuw-zap.*

SPIRITUS CHYMICI sunt liquores destillatione e variis subiectis producti, mobiles, volatiles, activi, ex aqua et tenerrimis, vel inflammabilis, vel salinae, vel utriusque prosapiae particulis, perenni et veloci motu intestino agitatis, nunc laxiori, nunc arctiori interveniente cohaesione compositi. Habita ratione principii activi cuncti spiritus arte chemica parandi commode dividi possunt in 1) spiritus *sulphureos*, vel *inflammabiles*, 2) *Salinos acidos*, 3) *Salinos alcalinos*, vel *urinosos*, 4) *Compositos.* Inflammabiles, vel sulphurei sunt, qui facile flammam concipiunt, absque fumo et faece consumuntur, atque post plenariam vegetabilium fermentationem producti sunt, ac inter destillandum decurrunt striatim iuxta latera capitelli, phlegmate separabili, aliisque partibus heterogeneis oleosis, aut salinis, perfecte liberati, liquida sistunt aqueo-phlogista, adeoque oleo tenerius resoluto et in phlegmate extenso longe simpliciora, quae aquam et olea subtilitate, mobilitate, volatilitate ac levitate longe superant, et cum priori promtissime miscentur. Tales sunt spiritus vini et omnes spiritus ardentes ex baccis ribium, fragorum, sambuci etc. *Acidi* sunt, qui constant ex particulis acidis et aqua, quibus pauca substantia oleosa, aut tenerrima inflammabilis arcte sociata est. Corpuscula salino-acida liquori activitatem et specificam indolem, aqueae autem particulae decentem fluiditatem conciliant. Tales sunt spiritus vitrioli, sulphuris, salis etc. *Salino-alcalini,* vel *urinosi* sunt, qui ex sale volatili et aqua constant, ut spiritus salis ammoniaci, spiritus urinae, fuliginis etc. Spiritus *compositi* sunt, vel acido-inflammabiles, qui etiam *dulcificati* dicuntur, ut spiritus nitri dulcis, spiritus salis dulcis; vel salino-urinoso inflammabiles, ut spiritus salis ammoniaci vi-

nosus, vel salino-urinoso-oleoso-inflammabiles, ut sal volatile oleosum etc. Ge. *Geist, oder Spiritus.* Ga. *Esprits.* A. *Chymical spirits.* B. *Geesten.*

SPIRITUS RECTOR: hoc sub nomine chymici iuxta *Boerh.* intelligunt halitum quendam in unoquoque singulari animalium, vel vegetantium, et secundum quorundam opinionem etiam fossilium, proprium unice illi tantum corpori, adeo subtilem, ut odore tantum, vel sapore suo, aut effectibus sibi tantummodo debitis se manifestet: exprimit ille vapor sui corporis proprium genium, quo illud inprimis ab aliis omnibus accuratissime distinguitur, et ne ob summam tenuitatem et volatilitatem desereret protinus, cui moderando datus est, corpus, innexus est constanti, nec aëre, vel aqua, nec igne naturali facile diffiando oleo. *Boerh.* Huius praesentia praecipue in aromatibus demonstrari potest. Veteribus adeptis ideo dicebatur *scintilla vitalis, filius solis, spiritus intus alens* etc.

[**SPLANCHNEURYSMA** est cavi visceris cuiusvis dilatatio abnormis, eaque permanens. A *σπλάγχνον, viscus,* et *εὔρυσμα, dilatatio.* Vid. Swediaur *l. c. to. II. p.* 384.]

SPLANCHNICUS NERVUS est ramus anterior trunci nervi intercostalis per thoracem transeuntis, diaphragma perforans, et tandem ramulis innumeris ad ganglia et plexus abdominales et viscera abdominis dispersus.

[**SPLANCHNOLITHIASIS** est calculorum in visceribus aut glandulis corporis humani generatio. A *σπλάγχνον, viscus,* et *λιθίασις, calculi generatio.* Swediaur *l. c. to. II. p.* 267. varias enumerat partes, in quibus calculi formati fuerunt. Cons. Mart. Schurigii *lithologia, h. e. calculi hum. considerat. phys. med. curiosa.* Dresd. et Lips. 1744. 4.]

SPLANCHNOLOGIA est illa anatomes pars, quae viscera, eorumque situm, nexum, fabricam et usum describit. Ex *σπλάγχνον, viscus,* et *λόγος, doctrina.* Ge. *Beschreibung der Eingeweide.* Ga. *Splanchnologie.* B. *Beschryving der ingewanden.*

SPLANCHNON est viscus, sive pars organica, in magna cavitate contenta. Ge. *Eingeweide.* Ga. *Viscères.*

SPLEN, sive **LIEN**, Gr. *σπλὴν,* est infimi ventris viscus, a parte sinistra situm, hepati e regione oppositum, magis tamen posteriora versus locatum post ventriculum, rubrum, seu sanguinolentum quidem, sed et saepe lividum, adeo ut obscure rubeat. Figura eius in homine oblonga est, instar linguae: longitudo, latitudo et crassities variant, naturaliter autem costarum spuriarum limites non excedit. Pars ventriculum spectans sima est, ubi et vasa sanguinea cum nervis et vasculis lymphaticis conspiciuntur. Ab altera parte gibba, et lumbis, et diaphragmati, et peritonaeo adhaeret. Substantia eius, maximam saltem partem, vasculosa est, inter-

iecta tenerrima tela cellulosa: dum scilicet arteria splenica, ramus arteriae coeliacae, et vena splenica, ramus venae portae splenem ingredientes sensim in plures ramos dividuntur, nulla certa lege, ut tamen multo minus minutorum ramorum sit, quam grandium, iique rami porro diminuti denique in penicillos abeant, ramulos scilicet multos sibi vicinos. Functio et utilitas lienis praecipue in eo consistit, ut sanguis ad hepar pro secretione bilis deferendus ibidem praeparetur: dum scilicet ob maiorem ibi ramorum ad truncum rationem tardius movetur, retinetur, sicque acrimoniam aliquam contrahit, ut cum sanguine ex vena mesenterica reduce, adipe gravido, mixtus materiam pro secretione bilis suppeditet. Olim putabatur receptaculum esse humoris melancholici, sive excrementorum salsorum et terrestrium, ut ibi mediantibus spiritibus animalibus volatilisentur, et sanguini denuo ad ulteriorem fermentationem inspirentur. Ge. *Die Milz.* Ga. *La rate.* A. *The milt.* B. *De milt.* — Lienes morbidi, valde obstructi et tumentes, etiam vocantur *lienes*, et qui hoc morbo laborant, *splenetici* dicuntur. A *σπλάγχνον, viscus,* vel a *σπάω λίαν*, *contraho valde.* Ge. *Milzkrankheit*, *milzsüchtig.* Ga. *Rateleux*, *mal de rate.* A. *A disease in the milt.* B. *Milt-zugt.*

SPLENALGIA, **SPLENICA** est morbus, cuius praecipuum symptoma est dolor pertinax in regione lienis, sine pyrexia acuta, oriens ab infarctu, scirrho aut suppuratione huius visceris. [Swediaur *l. c. to. I. p.* 417. dolorem, huius morbi perpetuum comitem, accuratius describit: eum esse obtusum, gravativum, raro acutum, in regione hypochondrii sinistri, praecipue versus dorsum, ubi splen situm suum habet, pressione auctus. A. *Pain in the milt.*] Ge. *Milzweh.* Ga. *Douleur de la rate.*

SPLENETICA sunt medicamenta adversus splenum morbos. Ge. *Milzarzneien.* B. *Milt-middelen.*

SPLENETICI, vide *Splenici.*

SPLENIA, **PLUMACEOLI**, seu **PLAGULAE** componuntur ex linteo, ter, quater, et quinquies duplicato, ita ut *spleni* crassitie quadret, quod vulneribus, ulceribus et fracturis imponitur. Antiquis plumaceola vocantur, quia vulgo ex pluma inter duos pannos consuta constabant. A splenis figura splenia dicuntur. Item pulvilli, quod pulvinaris formam referant. Differunt ratione figurae, longitudinis, latitudinis et crassitiei. Figura triplex est, pro positionis scilicet eorundem modo. Pleraque quadrata sunt, alia oblonga, et si brachium, vel pedem circumcingere debeant, etiam annularia. Quaedam enim parti secundum longitudinem recte, quaedam oblique, quaedam vero transverse imponuntur, et quidem nunc singula, nunc plura, pro usu parti affectae debito, ad deligationem firmandam, membra crassitudine

inaequalia, aut partes graciles et concavas aequandas et explendas, ut tota deligatio aequalis evadat; partes item a fasciarum et vinculorum onere defendendas et saniem ichoresque exprimendos et imbibendos; naturalem etiam aegrae partis calorem fovendum, et frigus avertendum. Imponuntur interdum sicca, vel liquore aliquo imbuuntur et madefiunt. Ge. *Bauschen*, *Compressen*. Ga. *Compresses*. A. *Bolsters compress*. B. *Plumezolen*, *compressen*, *wondkussentje*.

SPLENICA, [sc. remedia] sunt, quae validius attenuando, incidendo et volatilisando obstructionibus splenis corrigendis conducunt. Ge. *Milzarzneien*. B. *Milt-middelen*. [*Splenica vasa* sunt arteria et vena lienalis, quae insignem venae portae ramum constituit. Ge. *Milzgefässe*.]

SPLENICI, vel **SPLENETICI** veteribus proprie vocati sunt, qui duritie lienis inveterata laborant. Ge. *Milzsüchtig*. B. *Miltzuchtig*. Vide *Splen*.

SPLENII MUSCULI, seu **TRIANGULARES** sunt origine gemina, partim enim a quinque spinis vertebrarum colli inferiorum, partim a totidem apicibus vertebrarum thoracis superiorum prodeunt: atque obliquatis nonnihil fibris in medium occipitis, ad processum usque mastoideum, et processum transversum secundae vertebrae inseruntur; caput ad posteriora trahunt: sic a laterum figura nomen inditum est. Ge. *Die milz-* sive *riemenförmigen Muskeln des Kopfes* und *des Halses*. Ga. *Muscles splenius*, sive *les mastoidiens posterieurs*. A. *The spleen muscles*. B. *De spalk-spieren*.

SPLENION idem quod *Asplenium*. Dicitur spleni, seu lieni mederi. Fabulantur, cum exta super eam proiecta essent, hanc plantam adhaesisse lieni, eumque exinanisse. Narrant quoque veteres eos sues, qui radicem eius edunt, sine splene inveniri. Vide *Asplenium*. [Diosc. III. c. 141. ubi de Asplenio exponit, inter plura plantae nomina etiam *splenii* meminit. Sprengelius Asplenium Cetarach L. seu Gymnogramma Cetarach Spr. a Dioscoride descriptum esse testatur.] Ge. *Steinfarn*, *Milzkraut*. Ga. *Céterac*. A. *Spleen-wort*, *milt-wast*. B. *Steen-varen*, *milt-kruid*.

SPLENITIS est inflammatio lienis, scilicet phlegmasia, cuius praecipua symptomata sunt tumor in hypochondrio sinistro, lienis molem et figuram referens, aut locum occupans, cum renitentia, dolore tactum non tolerante, calore, respiratione intersecta, et pyrexia ut plurimum acuta. [Gr. σπληνῖτις. Antiqui scriptores huic voci alium tribuerunt sensum: non enim morbum lienis, sed venam ex hoc viscere ad hepar redeuntem sub hoc nomine intellexerunt. Ruf. Ephes. p. 41. τὴν ἀπὸ τοῦ σπληνὸς (ita pro σωληνὸς leg.) σπληνῖτιν ὠνόμασαν. Longe aliam notionem tribuebat σπληνίτιδι Hippocrates, qui venam sinistri brachii, *salvatellam* dictam, sub illo nomine intellexit, *de morb. lib. I. p.* 204. *to. XXII. ed.*

Lips. ἡ φλὲψ ἡ σπληνῖτις καλεομένη τείνει ἀπὸ τοῦ σπληνὸς ἐς τὸ πλευρὸν, ἐκ δὲ τοῦ πλευροῦ ἐς τὸν ὦμον καὶ ἐς τὴν χεῖρα τὴν ἀριστερὴν, et *p.* 206. τούτου ξυμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ, τὴν σπληνῖτιν καλεομένην. Krausius cum Castello animadvertit, Galenum auctorem fuisse significationis, quae hodie ad inflammationem lienis designandam adhibetur. Occurrit hoc morbi nomen in libro *de sympt. differ. c.* 5. *to. IX. p.* 74. ἅπαντος (σώματος) μὲν οὖν, ὥσ ἐπὶ τῶν ἐκτεριώντων ἔχει, καὶ τῆς ἡπατίτιδος καὶ σπληνίτιδος ὀνομαζομένης νόσου.] Ge. *Entzündung der Milz.* Ga. *Inflammation de la rate.* B. *Milt-ontsteeking.*

SPLENOCELE, HERNIA LIENIS est lienis trans laxatos, diductos abdominis in latere sinistro parietes, vel per inguinalem eiusdem lateris annulum elapsi ectopia herniosa. Morbus in se quidem rarissimus cognoscitur 1) loco, ad quem extuberat hernia, qui est abdominis latus sinistrum sub umbilico et inguinis sinistri annulus. 2) Explorato liene, qui ex regione sinistri hypochondrii in protuberantiam tendere percipitur. 3) Firmitate protuberantiae parenchymatica. 4) Defectu signorum, quae sibi assumunt enterocele, epiploocele et praeprimis hysterocele. *Sauv.* Ge. *Milzbruch.* Ga. *Hernie de la rate.*

[**SPLENOÏDES** ab Heusingero fungi haematodes ob coloris similitudinem appellantur.]

[**SPLENONCUS** est tumor lienis abnormis, qualis v. c. post febres intermittentes male curatas remanere solet.]

SPODIUM, s. *Spodium Graecorum,* est favilla eadem, ac *pompholyx,* ob gravitatem in pavimentum decidens. Dicitur *Graecorum* ad differentiam *Spodii Arabum,* quod nihil aliud est, quam radix Alcannae combusta, et officinae nostrates *ustum ebur* eius loco substituunt. Spodium Graecorum, uti specie a pompholyge non differt, ita et viribus exsiccantibus inter se conveniunt. Gr. σπόδιον et σποδὸς. Lat. *Offic. Nil,* vel *Nihili griseum.* Ge. *Grauer Nichts, Hüttenrauch.* Ga. *Tutie grise.* A. *Spodium, grey tutty.* B. *Grauwe tutia, spodium.*

[**SPONDYLARTHROCACE**, a Gr. σφόνδυλος s. σπόνδυλος, *vertebra,* ἄρθρον, *articulatio,* et κάκη, *affectio, morbus,* est ea vertebrae unius pluriumque intumescentia et emollitio tanta, ut ponderi superiacentium partium ferendo haud amplius par sit; unde spina inflectitur et curvatur. Pottius Anglus primus huius vitii accuratam dedit notitiam.]

SPONDYLIS, vel **SPONDYLIUM** est Panacis Heraclei species, nomen habet a vertebris, vel verticillis fusorum. Sed alii malunt ab odoris gravitate, a Spondyle scilicet insecti specie odoris gravis. Vide *Sphondylium.* Ge. *Bärwurzel.* B. *Duitsche beerenklaauw.*

SPONDYLUS, seu **VERTEBRA**, **VERTICILLUS** sunt ossa viginti quatuor capiti subiecta, in medio excavata pro transitu medullae spinalis. Constant basi, sive corpore quasi cylindrico, et septem processibus, quatuor obliquis, duobus transversis, et uno spinoso, qui partim articulationi vertebrarum inter se, partim insertioni musculorum inserviunt. In quovis latere incisuris semicircularibus praedita sunt, quarum superiores et inferiores sibi invicem iunctae foramina formant, quae ex utroque latere nervis spinalis medullae exitum concedunt. Parvis praeterea gaudent foraminulis, in corpore potissimum conspicuis, per quae vasa sanguifera transeunt. Septem superiores dicuntur colli, quae reliquis sunt minores, sed solidiores. Harum suprema vocatur *atlas*, secunda *epistropheus*, tertia *axis*. Has excipiunt duodecim, quae ad dorsum, vel thoracem pertinent, maiores, quam in collo, quarum apophyses spinosae longissimae, et sensim magis inflexae, et transversae crassiores. Quinque inferiores pertinent ad lumbos, quae corpora habent crassissima, processus transversos longissimos, spinosos, crassissimos, rectos, et reliquis magis dissitos. Connectuntur inter se per articulationem, scilicet ipsa corpora per interiectam substantiam densam tendineo-cartilagineam, posterius per processus superiores et inferiores, qui se mutuo excipiunt. His adduntur sex vertebrae, a nonnullis *spuriae* dictae, quae ad os sacrum pertinent. Cuncta haec ossa iunctim *spinam dorsi* constituunt, columnam scilicet osseam, quae caput et truncum corporis fulcit, simul tamen aliquem motum, flexionem et extensionem admittit. Gr. *σπόνδυλος, στροφεῖς, ἀστράγαλοι Hom. κύβοι. Σπόνδυλον* deducunt a *σφίγγω*, [*constringo*], quod vertebrae inter se constrictae sint. [Sic Etym. M. p. 739. l. *σφόνδυλος, παρὰ τὸ ἐσφίχθαι πρὸς ἀλλήλους.*] Alii a *σπᾶν* et *δύνειν*, quod altera alteram quasi attrahat et subingrediatur. Ge. *Der Wirbel, oder die Wirbelbeine.* Ga. *Vertèbre.* A. *Bak-bone, chine-bone.* B. *Wervel-beenen.*

SPONGIA: spongias inter vegetabilia antiqui olitores vocarunt radiculas illigatas et connexas. Hinc Asparagi sativi et altilis radices multis irretitae capillamentis coalescentes, et inter se implicatae, ac quasi in unitatem coëuntes spongiolae, et spongiae, spongiosaeque appellantur.

SPONGIA MARINA est substantia quaedam mollis, levis, porosa, quae fungum refert, in mari rupibus adhaerens, coloris nunc albicantis, flavescentis et spadicei, odore et sapore carens; omnes fere adferuntur ex mari mediterraneo. Si microscopio lustretur spongia, videtur composita e tubis, qui pluribus inflexionibus varias figuras cohaerentes formant, et totum, quod apparet spongiosum, e mari extractum, apparet limoso corpore plenum. Huius natura fungis quidem videtur esse proxima, de vegetabilium marinorum genere,

ita tamen, ut simul polyporum sit habitaculum; hinc combusta ad partes animalium accedit, et dat odorem cornu cervi calcinati, per destillationem dat ingentem copiam olei et salis volatilis. Recentiorum tamen plerique rectius spongias ad animalia ipsa referunt, iisque vitam tribuunt. Aquam quasi attrahunt spongiae, et tunc in omnem dimensionem extenduntur, et deinde aquam attractam diutissime retinent, et nisi exprimatur, non facile dimittunt. Recentes e mari emersae graves satis sunt ob limum in earum foraminibus contentum; expansa quasi radice firmantur in fundo maris, et quamdiu ibi haerent, habent motum quasi systoles et diastoles, contrahuntur, et tunc difficulter avelli possunt; motum inesse negari non potest, si extracta ex mari, pars una in aqua, altera vero sit in aere, pars sub aqua motum contractilem et distractilem retinet, quod phaenomenon causa est, ut a quibusdam spongiae ad zoophyta referantur. Duo genera spongiarum constituit *Dioscorides*, marem atque foeminam; *marem* densioribus atque minoribus foraminibus constare docet, *foeminam* maioribus et rotundis. Vivunt spongiae scopulis, testaceis et arenae radice affixae; a sua radice repullulant et ut plantae crescunt. Usus frequentissimus est oeconomicus et chirurgicus; spongiae tostae, et lapidibus in ea repertis, qui *Spongites*, vel *Lapides spongiae* vocantur, vis specifica ad dissolvendas strumas adscribitur. Spongia quoque hodie, ut Agaricus, ad haemorrhagias vulnerum sistendas adhibetur. Dicitur *παρὰ τὸ σπᾶν τὰ ὑγρὰ*, quod liquida attrahat et combibat. Ge. *Schwamm.* Ga. *Eponge.* A. *Spunge.* B. *Spons, spongie.*

SPONGIOIDEA OSSA, vide *Cribriformia ossa.*

[**SPONGIOSIS** vocatur a Swediauero *l. c. II. p.* 568. tumor cysticus, mollis, spongiam consistentia aemulans, pressui cedens, sed digiti impressionem non retinens, cuti concolor, plerumque indolens, in membrana cellulari sub cute situs. Plerumque in articulatione genu locum habet. A. *White swelling, soft cancer.* Ga. *Tumeur blanche.* Ge. *Gliedschwamm.*]

SPONGIOSUM OS, i. q. *cibriforme os.*

SPONGITES s. **SPONGIARUM LAPIS** est species Coralli [orum ordinis, generisque *Cellepora* dicti, lamellis simplicibus undulato - turbinatis cumulatis, cellulis seriatis, osculo marginato.] *Eschara spongites Linn. Porus anguinus, Calamachus.* Conf. *Spongia.* Ge. *Schwammstein.* Ga. *Pierre d'eponge.* B. *Sponssteen, rietsteen.*

[**SPORADES** venae olim, teste Galeno *de admin. anat.* 3. c. 12., propagines quaedam venae cruralis vocabantur, quae sine ordine ad cutim permeant.]

SPORADICI MORBI sunt, qui specie differentes omni tempore et loco exoriuntur, et quosdam homines ex indivi-

duali causa separatim invadunt, etiam eo tempore, quo morbi epidemici grassantur, qui plures homines simul uno tempore, et in una regione infestant. — [Fortasse ex hoc loco non recte intellecto Passovius in sua Schneideriani Lex. gr. editione σποραδικὰ νοσήματα explicat male per *morbos undiquaque disseminatos, ubivis locorum, omnique tempore regnantes,* cum potius sint morbi unius eiusdemque generis, qui singulos tantum homines, uno quidem loco commorantes, sed a se invicem remotos eodem tempore invadunt.] A σπείρω, *fero.* Ge. *Einzelne Krankheiten.* Ga. *Maladies sporadiques.* B. *Verspreide ziekte.*

SPUMA NITRI, vide *Aphronitrum.*

SPURII MORBI, ut febres spuriae, pleuritis et angina spuria etc. sunt, qui ordinarium rhythmum non absolvunt, vel licet symptomatibus cum veris morbis inflammatoriis conveniant, tamen non vere inflammatorii sunt. — — — Item *Costae* breves dicuntur *spuriae.* Vide *Nothae costae.*

SPUTUM est liquor saliva paulo crassior, ab amygdalis, aliisque glandulis mucosis, in os effusus: vel qui per tussim ex aspera arteria eiusque ramis eiicitur. *Sputum cruentum* vocatur excretio pauci sanguinis per os, salivae, vel muco pulmonali intermixti, in quo ab *haemoptoë, vomitu cruento* et excretione sanguinis sinceri per os, quam *haemorrhoides oris* vocant, differt. Provenit vel a laesione gingivarum et partium internarum oris, vel a pulmonibus inflammatis, ubi in principio striae sanguinis sputo intermixtae sunt. Si sensim magis misceatur, *Sputum* dicitur *lateritium,* si denique aequalis sit consistentiae, coloris ex albo flavescentis, et facile, et cum levamine reiiciatur, *Sputum* vocatur *coctum.* Gr. *Πτύελον.* Ge. *Schleim, Auswurf, Speichel.* Ga. *Crachat.* A. *Spittle.* B. *Bog, spouwzel, sluim, fluim.*

[**SQUAMA** appellata est a Willano *d. morb. cut.* vitiosa integumentorum communium conditio, quae se per laminam cuticulae plerumque inspissatam, albescentem, opacam prodit.

SQUAMOSA SUTURA, vide *Lepidoides.*

SQUAMOSUM OS est pars superior ossis temporum, ita dicta a similitudine, in infante distincta a parte petrosa, quae inferiorem eiusdem ossis partem constituit. Ge. *Schuppichtes Bein.* Ga. *Portion écailleuse.* B. *Schubachtig been.*

SQUARROSUM botanicis dicitur *folium* divisum in lacinias elevatas, nec plano-parallelas; *Perianthium squarrosum,* squamis undique divaricatis patentissimis. [A. *Ragged.* B. *Rappig.* Ge. *Sparrig.*]

SQUILLA, vide *Scilla.* Ge. *Meerzwiebel.* Ga. *Scille, oignon marin.* A. *Sea-onion, squill.* B. *Zee-ajuin.*

SQUINANTHIA, barbaro vocabulo dicitur angina. Vide *Angina.*

SQUINANTHUM, i. q. *schoenanthum.*

SRINT est morbi apud Hungaros familiaris nomen, quo omnis tumor in ore, gutture vel ano inflammatorius indigitatur.

STACHYS est plantae genus calyce monophyllo, tubulato, semiquinquefido, corolla monopetala ringente, labio superiori erecto, seminibus quatuor in calyce maturescentibus, (Didynam. Gymnosperm.) cuius plures dantur species, pleraeque qualitatis subfoetidae, nauseosae. Sunt, qui iis vires emmenagogas tribuant, vix tamen in usum medicum adhibentur. Stachys forte dicta, quod verticillato florum ambitu, et orbibus spicarum caules cingentibus coronetur. Vide *Spica.* [A. *The stachys.* B. *Andoorn.* Ga. *Stachyde, stachique.* Ge. *Die Rossnessel.*]

STACTE sive **GUTTA**, a *στάζω, stillo*, sunt guttae alicuius gummi, ut styracis, myrrhae, quae ideo myrrha liquida dicitur etc. Item significat lixivium per cineres guttatim destillans.

STAGMA sunt latices, qui destillationi exponuntur. [Sic apud Constant. Porphyr. in *hist. Basil. maced.* c. 13. *στάγμα ἐκ τοῦ ῥόδου* occurrit.] A *στάζω, stillo.*

STAGNATIO dicitur de humoribus, qui remoram in motu progressivo patiuntur. Haec locum habet in obstructione, innumerosque producit morbos pro diversa humorum stagnantium indole, et functione partis, in qua cursus humorum impeditus est. Ge. *Das Stocken.* Ga. A. *Stagnation.*

STALAGMA est id, quod a stagmate destillatum est. A *σταλάζω, stillo.* [Potius *σταλαγμὸς* dicendum: Graeci enim ignorant *στάλαγμα*. Galen. in *gloss.* p. 564. *σταλαγμοῦ* explicat per *καταστάξεως ἀπὸ κεφαλῆς.*]

STALTICA, i. q. *sarcotica.* [*Σταλτικὰ* collyria sunt, quae vim habent reprimendi. Inprimis de medicamentis, quae carnem in vulneribus ulceribusve nimis luxuriantem coërcent, adhibetur. A *στέλλω, comprimo.*]

STAMINA in plantis sunt, qui in medio calycis erumpunt apices. Sic dicta, quod veluti filamenta ab intimo floris sinu prosiliant. Stamina autem inter generationis organa non ultimum sortiuntur locum: mascula quippe in his et multiplicandae proli idonea virtus eminet, haud secus, ac in animalium maribus fieri observatur, ubi simillimae his partes simili quoque scopo inserviunt. Componuntur haec stamina capitulis, quae vulgo apices, vel etiam antherae dicuntur, et quae pollinem foecundantem stigmati infundendum continent, et caudis, quae filamenta et columnae vocantur. Iuxta diversum numerum et situm staminum Ill. *Linnaeus* in systemate suo classes plantarum distribuit. [*Stamina spuria* vocantur nectaria filiformia, quae cum staminibus veris aliquam habent similitudinem. — A. *The stamens.* B.

Vezelen, draadjes.] Ga. *Etamines.* Ge. *Staubgefässe, Blumenfäden.*

STANNUM est metallum, post plumbum mollissimum, flexile, ductile, facillimo igne liquescens et avolans, fumos edens sulphureos, a parte metallica facile separandos, et fere combustiles, per se vix sonorum, nempe gravitatis respectu aquae, ut 7321. ad 1000. Crudum proprio cum adhaerente sulphure a sola aqua regia solvitur, calcinatione a sulphure purius et aceto liquescit, minimumque solventis requirit: plumbo et antimonio adeo resistit in tigillo docimastico, ut quam difficillime inde separari queat, et ne sic quidem absque auxilio cupri. Rarior eius in medicina usus est, nisi quod cum nitro et antimonio detonatum Antihecticum Poterii, et addito mercurio sublimato Bezoardicum ioviale inde praeparetur. Tamen etiam singulares hodie stanno vires anthelminthicae attribuuntur, praecipue contra taeniam, si pulvis eius, in largiori dosi, et iuxta nonnullos, ad unciam dimidiam propinetur, quam virtutem alii admixto principio arsenicali adscribunt. Chemicis vocatur *Jupiter.* Ge. *Zinn.* Ga. *Etain, plomb blanc.* A. *Tin, pewter.* B. *Tin.*

STAPES est ossiculum parvum in aure interna positum, et si situs spectetur, inter quatuor ossicula auditus ultimum, a *Vesalio* Graecorum literae △ ac triangulo ob similitudinem comparatur. Stapedis nomen habet, quia stapedem equestrem exactissime refert. Articulatur extremo apici convexo rostri incurvi processus longioris incudis, seu potius lateri posteriori convexo ossiculi orbicularis mediante parva cavitate capitulo stapedis insculpta, cui os orbiculare superpositum est. Huius scilicet stapedis bina crura, ad capitulum unita, sensim magis a se invicem recedentia, incurva, qua parte se invicem respiciunt sulcata, versus interiora elongata, efficiunt, ut stapes quasi horizontaliter introrsum procedat, et ad intima tympani pertingat, ubi bascos suae ellipticae, latae, planae, tenerae, parte convexa interiora spectante (cum altera capitulum respiciens concava sit) *foramen* a figura *ovale* dictum, in parte posteriori et superna conchae internae e regione membranae tympani positum, habens situm ipsi parallelum, et configurationem stapedis basi respondentem, replet, et membranulae tenuissimae, tenerrimae, illud occludenti accrescit, servata interim cum reliquis ossiculis auditus mobilitate requisita, cum hac membrana in adferendis sonis contremiscit. Ge. *Stegreif, Steigbügel.* Ga. *L'etrier.* A. *Stapes.* B. *De styg-beugel.*

STAPES est quoque fasciae species, quae pedi inprimis post sectionem venae saphenae [aut post leviores pedis vulnerationes] applicatur. [Descripta est a recentissimo de vinculis chirurgicis scriptore T. G. W. Benedicto (*von den*

Verbänd. u. Werkz. d. Wundärzte. p. 585.)] Ge. *Die Steigbügelbinde.* Ga. *L'etrier.*

STAPHIS AGRIA, s. *Staphisagria.* [Gr. *σταφὶς ἀγρία.* Diosc. IV. c. 153.] Delphinii species est, scilicet *Delphinium staphisagria Linn.* nectariis tetraphyllis petalo brevioribus, foliis palmatis, lobis obtusis, (Polyandr. Trigyn.) quae habet caulem sesquipedem, vel duos pedes altum, rectum, rotundum, nigricantem, ramosum. Folia sunt magna, ampla, in plures partes profunde incisa, viridia, Ricini, vel Platani folia referentia, pediculis longis adhaerentia. Calyx nullus. Flores sunt polypetali, anomali, ex plurimis nempe petalis dissimilibus constantes, quorum superius in caudam tenuatur, excipitque aliud petalum bifidum, scilicet nectarium, pariter caudatum. Pistillum medium occupans abit in fructum, in quo veluti in capitulum colliguntur vaginae secundum longitudinem dehiscentes, seminibus foetae instar parvorum pisorum crassis, triangularibus, rugosis, asperis, arcte sibi invicem iunctis et unitis, extus nigris, intus albescentibus, aut flavescentibus, saporis acris, urentis, amari, valde ingrati. Semen, quod *piper murium*, aut *glirium* appellatur, in usu est; ad pediculos arcendos et abigendos pulvis eius capiti et vestibus inspergitur, ob qualitatem summe drasticam vix interne adhibetur. Crescit in Europa australi. Nomen a foliorum divisuris accepit, quibus vitem imitatur sylvestrem. Vocatur et *Pedicularis*, quia enecat pediculos, et *Pituitaria*, quia mandueando salivam pituitosam elicit. Ge. *Läusekraut, Speichelkraut, Mauspfeffer, Ratzenpfeffer.* Ga. *Herbe aux pouilleux,* sive *aux poux.* A. *Staves acre.* A. *Luis-kruid.*

STAPHYLE, i. q. *cion.*

STAPHYLEPARTES est instrumentum chirurgicum, quo uvula laxior elevatur et attollitur. Dicitur et *σταφυλάγρα.* [Meminit huius instrumenti, quantum mihi constat, unus Paulus Aeg. 3. c. 26. *Κιονίδος φλεγμαινούσης γαργαρίσμασι χρηστέον — οἷός ἐστι ῥοᾶς χυλὸς διὰ κοχλαρίου ἢ τοῦ ὀργάνου σταφυλεπάρτου λεγομένου ὑποτιθέμενος.* Ex usu, qui h. l. instrumento tribuitur, patet, *σταφυλεπάρτην* non posse idem cum *σταφυλάγρᾳ* instrumentum esse. A *σταφυλὴ*, *uvula,* et *ἐπάρτης*, *qui elevat, tollit*, simili modo, ut *ἀντάρτης*, *qui adversus aliquem insurgit*, formata vox, ab *ἐπαίρω* descendit.]

STAPHYLINOS est *Pastinaca*, vel *Daucus.* [Mentionem huius plantae Dioscor. III. 52. fecit, ad q. l. Sprengel. animadvertit, nullam aliam plantam, quam *Daucum Carotam* L. vel varietatem sylvestrem, vel etiam *Daucum guttatum* Sibth. sub *σταφυλίνῳ* intelligi posse. — Idem nomen coleopteron habet, antennis moniliformibus, elytris dimidiatis, alis tectis, cauda simplici exserente duas vesiculas

oblongas. Hae vesiculae, quarum utilitas nondum perspecta est, in conspectum prodeunt, ut primum Staphylinus sibi periculum imminere sentit.] A *σταφὶς*, *uva.*

[STAPHYLITIS i. q. CIONITIS, quam vide.]

STAPHYLODENDRON, *Staphylaea Linn.* (Pentandr. Trigyn.), arbor est, vel arbuscula densa, cuius lignum flexile, medulla alba repletum. Folia ut plurimum quinque, aliquando septem, uni costae adnascuntur, Sambuci folia referunt, sed aliquantulum minora sunt, in margine dentata. Calyx quinquepartitus. Flos est rosaceus, pentapetalus, erectus velut in campanam, staminibus quinque foetus. Ovarium in fundo calycis tubis duabus praeditum, fit fructus membranaceus, inflatus instar vesicae, divisusque in tria loculamenta foeta binis seminibus nucibus avellanis similibus, cortice ligneo obtectis, sed tenui, coloris rubicundi, fragili; horum substantia est viridescens, saporis subdulcis, insipidi, et nauseosi. Gaudet locis humidis, praesertim in Helvetia. Est nux vesicaria, ferens nuces in vesiculas elevatas. *Σταφὶς, uva* est, sed hic potius *nucem* denotat, et *δένδρον, arbor.* [Vocatur quoque Pistachia sylvestris, aut nux vesicaria.] Ge. *Pimpernüsse, Blatternuss, Blasennuss, Klappernuss, wilde Zwiebelnüsse, Judennüsse, Todtenköpfe.* Ga. *Faux-pistachier, nez coupé.* A. *The five-leaved bladder-nut.* B. *Pimpernooten.*

STAPHYLOMA est oculi vitium, scilicet vel cystis aquosa a corneae proptosi, vel quando cornea rupta, et tunica uvea ei subiecta acini instar excidit, deformemque super oculo tumorem efficit. Pro varia similitudine interdum perla, myocephalon, clavus, vel mylon dicitur. [Galen. *def. med. to. XIX. p.* 435. hanc mali definitionem exhibet: *ἐστὶν ἔπαρμα κατὰ τὸν τῆς κόρης τόπον ἐμφερὲς ῥαγὶ σταφυλῆς.* Corneae cum iride concretae abnormis expansio et protuberantia staphyloma vocatur. Est vel *totale,* quando utraque membrana integra seu per totam suam expansionem extensa est, vel *partiale,* quando haec abnormitas non nisi in quodam corneae loco obtinet. Ill. de Walther abnormem corporis ciliaris expansionem, qua sclerotica, loco quaedam, corneae vicino, valde attenuata, in tumorem attollitur, *staphyloma sceleroticae* appellavit. Cons. Graefe et Walther *Journ. d. Chirurgie u. Augenheilk.* III. 1. p. 37. ss. et Benedict *Augenheilk. III. p.* 268.] A *σταφὶς, uva.* Lat. *Uvatio.* Ge. *Vorfall des Augensterns, Traubenauge.* Ga. *Staphylome.* B. *Druifgezwel.*

[STAPHYLORRHAPHIA illius operationis chirurgicae nomen esse voluerunt recentiores, qua fissi e primae conformationis vitio palati mollis margines sutura invicem coniunguntur. Si Rufi Eph. *de part. c. h.* p. 28. observatio, qua *σταφυλὴ* non partem quandam faucium, columellam, sed morbum (inflammationem eiusdem) significat, vera esset.

ista denominatio ferri haud posset. Sed idem Rufus *p.* 50. *τὸ δ' ἐντεῦθεν* (e palato sc.) *κατὰ τὰ ἄνω μέρη ἐκκεκρεμαμένον σαρκίον κιονὶς, οἱ δὲ γαργαρέωνα, οἱ δέ σταφυλὴν* (*ὀνομάζουσι*).]

STATER est nomen ponderis unciam semis pendentis.

STATICA MEDICINA est exploratio quotidiana, qua ope bilancis omnia ingesta et egesta, ipsumque corpus ponderantur, ut sic et incrementum et decrementum corporis, praecipue vero varia quantitas perspirationis insensibilis, quae ab auctore medicinae staticae, Sanctorio, *perspiratio Sanctoriana* dicitur, cognoscatur.

[**STATIONARII MORBI** vocantur ii, qui non solum per plura anni tempora, sed interdum per plures annos continuos durant. Conf. Sydenham. *opera* p. 25. ed. Lips. et Harles *üb. d. Constitutio* stationaria in eius *Jahrb. d. deutschen Med. u. Chir.* B. I.]

STATUS MORBI, vide *Acme.*

[**STEAROPTENUM.** Nomen contra grammatices regulas formatum omninoque incongruum camphorae e Ledi palustris, Rossici, floribus et herba per destillationem obtentae. Grassmann scilicet invenit, hanc plantam, lentae destillationi subiectam, praebere oleum aethereum purum, aquae instar limpidum; sin destillatio intensioris caloris auxilio perficeretur, camphora simul cum oleo aethereo transit, unde oleum flavo tingitur colore. Utraque materia in superficie destillatae massae corticem adiposum cumque continuum format, qui accuratius consideratus ex acuformibus crystallis coacervatis constare videtur. Camphorae nisus ex hac massa secedendi adeo magnus est, ut, si aestatis tempore illa massa vitro idoneo inclusa seponitur, iam post paucas horas camphorae crystalli acuformes e massae superficie exsurgant. Hic secedendi nisus et quasi fuga huic e Ledo palustri eductae camphorae nomen absonum dedit. Nam e grammatices regulis *steatoptenum* dicendum erat, cum *στέαρ*, *adeps*, in genit. *στέατος*, non *στέαρος*, habeat. Posterior vox *πτηνὸς*, *volucris*, volatilem huius materiae naturam indicare debet, quemadmodum ob eandem causam osmium a chemicis Francogallicis *le ptène* appellatum est. Linguae graecae usus talem notionem *τοῦ πτηνοῦ* ignorat. — Bonastre nuper (*Pharm. Centr. Bl.* 1831. *No.* 53.) etiam in oleo Ocymi basilici steatoptenum invenit.]

[**STEARRHOEA** ab Hünefeldo in *Physiol. Chem. I. p.* 294. appellatur secessus pinguedinis per anum, qualem Kunzmannus in Piereri *allgem. krit. Ann. d. Med.* 1824. observavit. Denominatio vitio laborare videtur. Praetulerim *στεατόῤῥοια*. A *στέαρ*, *pinguedo*, et *ῥέω*, *fluo*.]

[**STEATINE**, non *stearine;* nam a *στέαρ* descendit adiectivum *στεάτινος*, quo usus est Aesop. 18. 2. et quod haud

dubie pro vulgata lectione *στεάτιος* in Paul. Aeg. III. c. 28. restituendum est. *Steatine* igitur in pinguedine a Chevreulio, pinguedinem experimentis chemicis accurate subiiciente, detecta est. Is enim illam e duplici materia constare docuit, quarum altera siccior, fragiliorque ceracca caret ductilitate, *steatine*, altera consistentiam oleorum pinguium habet, indeque nomen etiam sortitum est *elaïnes*. *Ἐλάϊνος* enim *oleagineus*.]

STEATOCELE est tumor scroti sebaceus. Ex *στέαρ*, *sebum*, et *κήλη*, *tumor*. Ge. *Fettbruch*. Ga. *Stéatocéle*. B. *Kloot zaks spek gezwel*.

STEATOMA est species lupiae, s. tumoris cystici, scil. tumor propria tunica contentus, originem trahens a materia sebo simili, eiusdem ubique coloris, mollis, ab exiguo principio augmentum paulatim sumens, ad pondus aliquot librarum interdum increscens, digitis difficulter cedens, iis remotis facile ad primam magnitudinem rediens, in folliculis panniculi adiposi plerumque originem habens, in partibus internis quandoque etiam nascens. Ex *στέαρ*, *sebum*. Ge. *Eine Speckgeschwulst*. Ga. A. *Stéatome*. B. *Een spek gezwel*.

STEGNOSIS est pororum et vasorum constrictio et constipatio. A *στέγω*, *constipo*. Ge. *Zusammenziehung*.

STEGNOTICA, i. q. *adstringentia*.

STELLA, s. **STELLARIS FASCIA**, vide *Solaris fascia*.

STELLAE HERBA, i. q. *coronopus*.

STELLATAE botanicis dicuntur plantarum *setae* decussatim dispositae. *Stellata folia* stellae in modum circa caulem disponuntur.

[**STENOCARDIA** variis nominibus insignitum morbum indicat. Vocatur enim *asthma convulsivum*, *arthriticum*, *dolorosum*; *arthritis phrenica*; *syncope anginosa*; *sternalgia*. Aliquamdiu cum asthmate confusa est stenocardia, donec Rougnonus, et post eum accuratius Heberdenus utrumque discrevit morbum. Primarium stenocardiae symptoma est constrictio pectoris maxime dolorifica, ab uno latere ad oppositum tendens, et post longiora temporis intervalla revertens. A. *Suffocative breastbang*. Ga. *Angine de poitrine*. Ge. *Brustbräune*.]

STENOCHORIA, [Gr. *στενοχωρία* a *στενὸς*, *angustus*, et *χῶρος*, *spatium*], est angustatio vasis, ab enato tumore in substantia propria membranae, cavum constituentis. Ge. *Verengerung*. Ga. *Stenochorie*. B. *Vernaauwing*.

[**STENOSIS**, a Gr. *στενόω*, *coarcto*, Swediauero *l. c. II. p.* 387. est vasorum, aut canalium seu meatuum naturalium angustia aut coarctatio abnormis. A. *Stricture*. Ga. *Retrécissement*, *constriction*, *coarctation*. Ge. *Verengerung*.]

[**STENOTHORACES** vocantur homines dispositi ad phthi-

sin, qui sunt angusto et breviori thorace, quia brevius est intervallum a claviculis usque ad extremum sterni, vel quia pectus anterius est nimis planum, aut a lateribus compressum, ac proinde capacitate angustius. [A Gr. στενὸς, *angustus*, et θώραξ, *pectus*. Ge. *Von enger Brust.*

STERCUS est excrementum crassum, ab alimentis residuum, bile et liquoribus entericis permixtum, et nutritioni inutile, quod per intestinum rectum et anum excernitur. Vocatur etiam *excrementum alvi*, *alvus*, *merda*. Graec. σκῶρ, κόπρος, ἀποπάτημα, ἀπόδευσις, πύραθος *Nicandro*, σπατίλη *Aristoph.* πάτος, σκύβαλον, ἀφόδιον γαστρὸς *Nicandr.* ἀφόδευμα, διαχώρημα. Ge. *Koth*, *Unflath*, *Stuhlgang*. Ga. *Merde*, *ordure*, *excremens*. A. *Dung*, *excrement*. B. *Stront*, *drek*, *uitdygzel*, *afgang*.

STERILITAS est morbus sexus sequioris, in quo foemina, caeterum in pubertate constituta, varias ob causas impraegnari, aut concipere non potest. [Cons. Fr. Ludw. Meissner *üb. die Unfruchtbark. d. männl. u. weibl. Geschlechts* etc. Leipz. 1820. 8.] Ge. *Unfruchtbarkeit*. Ga. *Stérilité*.

STERNOHYOIDES est musculorum par ossis hyoidis, quod recto ductu deorsum movet; a supremo sterno et clavicula exterius profectum, in basin ossis hyoidis adscendit. Tendineas inscriptiones in posteriori eorum facie perpetuo observari, notavit *Morgagnius*. A στέρνον, *pectus*, et ὑοειδὲς, *os hyoidis*. Ge. *Der Brustmuskel des Zungenbeins*. Ga. *Muscles sterno-hyoïdiens*. B. *Tongbeens borst spieren*.

STERNOIDEI MUSCULI, i. q. *triangulares musculi*.

STERNOMASTOIDEI MUSCULI sunt musculi, utrinque a parte anteriori sterni et extremitate claviculae orientes, qui oblique retrorsum adscendentes processui mastoideo inseruntur, et actione sua caput antrorsum et ad latus flectunt. [Ex στέρνον, *pectus*, et μαστοειδὴς, *mammaeformis*.] Ge. *Die Kopf- und Brustbeinmuskeln*. Ga. *Muscles sternomastoidiens*.

STERNOTHYROIDES est par musculorum cartilaginis scutiformis, eamque deorsum trahens, a superiore atque interna parte sterni profectum, inferiori scutiformis cartilaginis lateri inseritur. Ex στέρνον, *pectus*, et θυροειδὴς, *scutiformis*. Ge. *Der Brustbeinmuskel der Luftröhre*. Ga. *Muscle sterno-thyroidien*. B. *Schild-wyze krake beens borstspieren*.

STERNUM est os, quod in anteriore thoracis parte costarum cartilaginibus adnatum est et insternitur, unde sternum dici putant, [στέρνον à firmitudine Paauw *de ossibus* p. 125. dictum esse putat.] Constat in iunioribus ex quatuor ossibus, in adultis saepe in unum solidum os facescit: inferius ei cartilago ensiformis adhaeret, quae non semper in mucronem, sed aliquando in obtusum finem desinit. Pars su-

perior manubrium vocatur, cui utrinque claviculae adnexae sunt. Ge. *Das Brustbein.* Ga. *L'os de la poitrine, le sternum.* A. *The breast plate, the breast-bone, sternum.* B. *Het borst been.*

STERNUTAMENTUM, vide *Ptarmica* et *Sternutatorium.*

STERNUTATIO, Gr. *πταρμὸς*, a *πταίρω*, *sternuto.* Est fortis ac subita aëris lente inspirati et diu retenti efflatio per nares potius, quam per os: sed ita, ut, in altum sublatis visceribus abdominis, imo altius, quam solent, per repentinam constrictionem musculorum abdominalium, tum etiam et pulmonibus fortius constrictis, valida ac subita exspiratio subsequatur cum forti paene totius corporis concussione, atque ita fit sternutatio, quae raro una vice, plerumque bis, vel pluries successive contingit, pendens ab omni illa causa, quae membranam pituitariam et nervos nasales, vel idiopathice, vel per consensum irritat. Sed cum saepius repetit, admodum molesta est non modo naribus, a quarum vellicatione incipit, sed toti corpori et maxime ventri ex illa concussione, aliquando cum tussi illis in morbis repetitur. Sunt etiam sani, nares humidas habentes, qui saepius de die sternutant. Sic a sternutatoriis frequens est sternutatio. Ge. *Das Niessen.* Ga. *Eternuement.* A. *Sneezing.* B. *Niezing.*

STERNUTATORIUM, **STERNUTAMENTUM**, *Cic.* Gr. *πταρμικὸν*, est medicamentum, quod naribus inditum, subtili acrimonia, vel mechanico modo vellicat, et membranae pituitariae nervos nasales, ramulos scilicet paris quinti, irritando per sternutationem, quicquid in lacunaribus propinquis haeret, expurgat. Ge. *Niespulver, Nieskraut.* Ga. *Sternutatoire.* A. *Sneezing powder.* B. *Nies-poeder.*

STERTOR, Gr. *ῥόγχος*, a *ῥέγχω*, *sterto*, est anhelatio sonora, seu sono involuntario, saepius rauco, quandoque sibiloso stipata, pendens praecipue a relaxatione veli palatini; talis maxime observatur apud moribundos, cum, viribus detritis, loquela abolita est. Sed etiam multi inter somniandum stertuut, sic ut alios secum dormientes excitent, iisque molesti sint. In asthmate vero, apoplexia et epilepsia frequens est stertor. Sed asthma nunquam sine stertore, aut, si gradus minor sit, sine sibilo, sive sonitu paulo arctiore respirationem difficilem facit: cum tussi denique etiam stertor saepe auditur, et tum asthmatis initium; et in tussi etiam sonus auditur, qui tamen non est stertor. Ge. *Das Schnarchen, Röcheln.* Ga. *Ronflement, le râle.* A. *Snooring, snorting.* B. *Ronking, snorking.*

[**STETHOSCOPUM**, a gr. *στῆθος*, *pectus*, et *σκοπὸς*, *explorator*, vocatur instrumentum a Laennecio excogitatum, ad diagnosin morborum perfectiorem reddendam utilissimum. Constat e tubo ligneo, cuius altera extremitas pectori, altera auri applicatur, ut diversi a respiratione producti soni, a mor-

bosa partium thoracis cavitate inclusarum constitutione pendentes, accuratius percipi possint. Rectius scribendum esse *στηθοσκόπιον*, s. *στηθοσκοπεῖον*, *stethoscopium*, monui in *Cens. med. lex. rec.* V. p. 5 — 7. Ga. *Stethoscope.* Ge. *Stethoscop.*]

[**STHENIA**, e Io. Brunonis sententia, est illa corporis animalis conditio, qua eius incitabilitas tanta est, ut a levioribus stimulis excitari possit. Opponitur *astheniae.* A Gr. *σθένος, robur.* Cons. I. Brunonis *elementa medicinae. C. praef. Pt. Moscati.* Hildburgh. 1794. 8.]

STIBIALIA sunt, quae ex stibio, seu antimonio, parantur.

STIBIUM, quod et *stibi* et *stimmi*, Gr. *στίμμι*, idem quod *antimonium.*

STICA sunt adstringentia externa, ut bolus, sanguis draconis etc.

STICHAS, i. q. *stoechas.*

STICTICUM EMPLASTRUM est vulnerarium, fortificans, desiccativum, consolidans. Idem quod *Stypticum.*

STIGMA est [cutis punctum (purpureum, bruneum, flavum, lividum, nigrum) sine elevatione cuticulae, cuius imaginem exhibuit Willanus tab. I. f. 5. sui operis *de morb. cutan.*; praeterea] cicatrix, unde cutis deformatur; vide etiam *Ecchymoma.* A *στίζω, pungo.* Ge. *Maal, Zeichen.* Ga. *Cicatrice, marque de quelque playe.* A. *A skarr, marke.* B. *Een lid-teken, brand-teken.*

STIGMA botanicis est pars superior pistilli, stylo, vel germini, insidens, humore madida, quae pollinem foecundantem recipit. Ge. *Die Narbe.* Ga. *Stigmate.*

STIGMATA in insectis vocantur orificia vasculorum in utroque latere corporis collocata, per quae insecta aërem inspirant et exspirant. Ge. *Luftwarzen.* Ga. *Stigmates, points à miroirs.*

[**STILLICIDIUM NARIUM** est moderatus, guttatim effectus, sanguinis e naribus effluxus. In iuvenibus, sanguine divitibus, saepissime contingit, et cum nimiam sanguinis copiam imminuat, nullo modo medicamentis coërcendum. In morbis quoque saepe criticum est.]

STILLICIDIUM SUPRA PARTEM, vide *Embroche.*

STILLICIDIUM URINAE, i. q. *stranguria.*

[**STIMATOSIS** a Meyero (*von den Blutflüssen* Th. II.) vocatur sanguinis e membro virili, cum voluptatis sensu rigido, profluvium. Ut taceam pravam sribendi rationem, *stymatosis* enim scribendum est, propterea haec vox damnari debet, quoniam verbum *στυματόω*, unde derivari possit, graeca lingua non habet, et, si haberet, nunquam sanguinis profluvium e membro virili, tentigine affecto, significaret. A Gr. *στύμα, tentigo.*]

STIMULANTIA sunt medicamenta, quae motus oscilla-

torios fibrarum motricium vasorum augent, tum motu magno, tum frequentia hos accelerando, unde per vasorum crebriores et maiores contractiones liquida intus contenta velocius propelluutur. *Stimulantia* quoque idem sunt, quam *aphrodisiaca,* scilicet quae venerem languidam excitant. *Stimulans* porro id dicitur ingrediens, quod formulis medicis eo fine additur, ut actionem reliquorum incitet; ut si pulveri Ialappae, vel Ipecacuanhae unum, vel alterum granum resinae Ialappae, vel Tartari emetici addatur; unde stimulantia non movent liquida, nisi per secundam causam. Haec *Baglivio simplicia* vocantur, quando vim suam in cute tantum exercent; *composita,* si quidpiam eorum cum humoribus communicatur. Ge. *Reizende Arzneien.* B. *Prikkelende middelen.*

STIMULI in plantis dicuntur mucrones puncturas inflammatorias efficientes, unde pruriginosae evadunt partes.

STIPES est pars plantae inter radicem et ramos, seu proprie truncus in folia transiens. Ge. *Stamm.*

STIPITATUS botanicis dicitur *pappus,* filo elevante et adnectente pappum et semen.

STIPULAE sunt folia culmum ambientia, vel squamae basi petiolorum enascentium adstantes. Ge. *Blattansätze, Ohren.*

STOEBE est species Scabiosae, Iaceae etc. Dici volunt a *στοιβάζειν, instipando, cogendo.* Forte quia iuxta vias calcandas succrescat.

STOECHAS et **STICHAS**: hoc sub nomine duae diversae plantae in officinis prostant; altera est *Stoechas arabica Pharm.* Stoechas purpurea *Bauh. Lavendula stoechas* foliis lanceolato - linearibus, integerrimis, spicis comosis *Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) praecipue in Europa australi habitans. [A. *The french lavender.* B. *Stechas.*] Ge. *Welscher Lavendel, Stöchas.* Ga. *Stéchas arabique,* [*la lavende stécade.*] — Est planta arbusculam referens, plures habens caules, vel virgas, sesquipedem, vel duos pedes altas, lignosas, in ramos divisas. Folia Lavendulam spicam referunt, sed non tam magna, angusta, spissa, crassa, densa. Flos monopetalus est, labiatus, cuius labium superius erectum est, bifidumque, inferius vero tripartitum, sic tamen secantur ambo, ut primo adspectu flos quinquepartitus videatur. Flores varia serie disponuntur in capitulis squamosis, e quorum cacumine aliquot foliola eminent. Ex calyce autem surgit pistillum, posticae floris parti ad instar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina fere rotunda, nigricantia, in capsula, quae floris calyx fuit, inclusa. Radix lignosa. Tota planta est odoris aromatici, saporis acris, subamari. Colitur in hortis. Qualitatis est amarae et spirantis, viribusque cephalicis, ner-

vinis gaudet; hinc in paralysi, vertigine et hypochondriasi commendatur. Mithridatium ingreditur. Stichas nomen accepit a Stoechadibus, ex adverso Massiliae sitis Galliae insulis, in quibus provenit. Arabici auctores patriam stichada reliquis omnibus praetulerunt, hinc sequaces illorum gentili cognomento *Arabicam* nuncuparunt. Sunt, qui rectius Stachyn, quasi spicam, dici existiment. — Altera planta est *Stoechas citrina Pharm.* Elichrysum s. Stoechas citrina latifolia *Bauh. Gnaphalium arenarium* herbaceum, foliis lanceolatis, inferioribus obtusis, corymbo composito, caulibus simplicissimis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) in Europa australi pariter habitans. Vires ei aperitivae et resolventes tribuuntur, et suffimigia contra arthritidem commendantur. [A. *The sandy everlasting* sive *live-ever.*] Ge. *Stechadenkraut, Mattenkraut, Steinblume, Reinblume,* [*Sandruhrpflanze, deutsche gelbe Strohblume* etc.] Ga. *Immortelle jaune,* ou *citrine, gnaphale des sables.* B. *Stoechas-bloemen, zandig droogbloem.*

[**STOECHIOLOGIA**, quam Serturner chemicam physicen appellat, est ea doctrina, quae nos de attractiva facultate, diversis principiis seu elementis competente, edocet. A *στοιχεῖον, elementum,* et *λέγω, ago.*]

STOLONES vocatur coliculorum, vel turionum soboles, inutilisque e radicibus fruticatio, quibus evulsis plantantur coryli etc. Vide *Nodus.*

STOMA, OS seu cavitas, lingua, dentibus, palato etc., praedita. — Item oscula vasorum dehiscentia dicuntur *stomata* et *ora.* Ge. *Mund.* B. *Mond.*

STOMACACE est scorbuti symptoma, illud ob oris male olentis et putridi vitium cum gingivarum erosionibus, et spontaneis haemorrhagiis e vasculis gingivarum, tum et in illis gangraena, dicitur. [Stomacaces antiquitates exposuit Chr. Gfr. Grunerus in *Morbor. antiqu.* p. 132 — 141. De etymologia vocis e *στόμα, os,* et *κάκη, vitium, morbus,* vid. Lobeck ad Phryn. p. 668.] Ge. *Mundfäule.* B. *Scheurbuiks, stinkende aassem.* — Alii hoc sub nomine universalem sanguinis dissolutionem intelligunt, ut facile e diversis corporis locis erumpat.

STOMACIA, i. q. *stomacace* et *scelotyrbe.*

STOMACHICA sunt medicamenta, quae stomachi morbis cuiuscunque generis succurrere valent. Ge. *Magenarzneien.* Ga. *Remèdes stomachiques.* B. *Maag-middelen.*

STOMACHUS quandoque sumitur pro toto ventriculo, verum stricte refertur ad sinistrum et superius ventriculi orificium, quod est oesophagi terminus in ventriculum, sive oesophagus continuatus, vel cardia. Situm est magis ad undecimam thoracis spinae vertebram, quam cartilagini ensiformi propinquius, perpendiculari linea ventriculi medio

fere inseritur; estque cibis recipiendis destinatum, et plurimis nervis ex ramo paris vagi et intercostalis intertextum. [Medici graeci non semper unam eandemque corporis animalis partem voce *στόμαχος* designaverunt. Nunc enim oesophagum totum, nunc sinistrum ventriculi orificium *στόμαχον* appellarunt. Priore significatu adhibuit vocem Ruf. Eph. *de part. corp. p.* 37. *δι' οὗ τὰ σιτία καὶ τὰ ποτὰ εἰς τὴν κοιλίαν κάτεισι, στόμαχος (καλεῖται).* Oribas. *anat. p.* 68. e Galeno, cum rationem adferre cupit, ob quam natura cartilaginibus asperae arteriae non integri circuli, sed literae C figuram dederit, hoc propterea factum esse docet, ne adiacens *στόμαχος* (oesophagus) laedatur. Eundem loquendi usum iam secutus est Celsus *de med. IV.* 1. Contra ea Galen. *de comp. med. loc. VIII.* c. 1. p. 121. to. XIII. *Εἴρηται πολλάκις, ὡς τὸ τῆς γαστρὸς στόμα καλεῖν ἔθος ἐστὶ τοῖς ἰατροῖς ὥσπερ καρδίαν, οὕτω καὶ στόμαχον.*] Ex *στόμα, os,* et *χέω, fundo;* vel a *στόμα* et *ἄγχω, coarcto;* aliis a *στενὸς* et *μακρὸς, angustus* et *longus.* [Duae priores derivationes e Scapula desumtae; tertia autem nimium absona est, quam ut huic lexicographo tribui possit.] Ge. *Der linke Magenmund.* Ga. *L'orifice superieur de l'estomac.* A. *The upper orifice of the stomach.* B. *Linker mond van de maag.*

STOMATICA medicamenta sunt, quae oris partibus internis adplicantur. [A *στόμα, os, στοματικὸς, ad os pertinens.* Remediorum stomaticorum leniorem naturam, Galeno (*de remed. loc. comp. VI. c.* 1. *p.* 899. *to. XII.*) indice, requirit mollior tunicae oris cavitatem investientis natura. Hunc Galeni locum Paul. Aegin. VII. c. 14. mutuatus est, in cuius verbis loco *στομάχου* legendum est *στόματος.*] Talia sunt *Dentifricium, Apophlegmatismus* et *Gargarisma.* — Hoc sub nomine etiam medicamenta exsiccantia externa intelliguntur. Ge. *Trocknende Mittel.*

[**STOMENCEPHALUS** a Geoffroy St. Hilaire (vid. *Coccycephalus*) male vocatum est caput monstrose ita formatum, ut oris apertura clausa unus tantum oculus in media fronte compareat. A *στόμα, os,* et *ἐγκέφαλος, cerebrum.*]

STORAX, vide *Styrax.*

STRABISMUS seu **STRABILISMUS** et **STRABOSITAS** est musculorum oculi spasmus, quo pupilla versus nares, vel tempora, vel frontem, vel genas trahitur: ita ut obiecta cerni nequeant e directo, sed in contrarium flexo oculo. Est vero hic spasmus plerumque perpetuus, vel in uno tantum, vel in utroque oculo, atque iis versus unam partem, vel altero versus contrariam, contortis. Hinc evenit, ut in utroque oculo axes optici ad visum non convergant, et ideo obiecta dupliciter repraesententur. Causa non tantum a spasmo, sed a relaxatione, paralysi, nimia musculorum oculos moventium longitudine, aut brevitate etc. pen-

dere potest. A στραβίζω, *sum oculis distortis.* Ge. *Das Schielen, Schielsehen.* Ga. *Louche, strabisme, bigle.* A. *Squint-eyed.* B. *Scheel-oog, scheel-zien, loens-zien.*

STRABOSITAS, i. q. *strabismus.*

STRAMONIA seu **STRAMONIUM**, *Pomum spinosum, Malum spinosum, Nux methel, Datura, dutroa, datyra.* Est planta, quae habet caulem duos circiter pedcs altum, digiti crassitiei, in ramos divisum. Folia sunt ampla, lata, angulosa, acuta, Solanum referentia, sed maiora, mollia, pinguia, graveolentia, summam narcosin spirantia. Calyx est monophyllus, oblongus, tubulatus. Flores sunt monopetali, pentagoni, infundibuliformes, oblongi (Pentandr. Monogyn.). Pistillum fit capsula seminalis aculeis donata, quadrangularis, in quaterna loculamenta divisa septo cruciformi, in quorum singulis est placenta, cui semina adnascuntur plurima, reniformia. Planta proprie in America habitat, interim tamen haec species, quae est *Datura stramonium* pericarpiis spinosis erectis, ovatis, foliis ovatis glabris *Linn.* Solanum foetidum pomo spinoso, oblongo, flore albo *Bauh.* sat frequenter in hortis nostris occurrit. Planta haec ob qualitatem venenatam, viresque summe narcoticas et stupefacientes celebris est. At, haud ita pridem, praeeunte Ill. *Stoerkio*, tentari coeptum est, quid succus expressus et inspissatus pauca quantitate in amentia, epilepsia aliisque morbis cerebri et nervorum rebellibus efficeret. Nec irrito prorsus successu, ita tamen, ut in amentia magis, quam morbis convulsivis, efficax deprehenderetur. Externe folia contusa cum pinguedine mixta, anodynis et rosolventibus viribus gaudent. Ge. *Stechapfel, Rauchapfel, Tollkraut* etc. Ga. *Pomme épineuse* [ou *du diable. Herbe aux forciers* ou *des magiciens* etc. E seminibus, quae ne cum Nigellae sativae seminibus, magnam cum illis similitudinem habentibus, confundantur, diligenter cavendum est, Brandesius principium peculiare alcaloides extricavit, de quo sub *daturine* seu *daturium* expositum est.] A. *Thorn-apple.* B. *Doorn-appel.*

STRANGULATIO UTERINA, SUFFOCATIO HYSTERICA est symptoma hystericis familiare, quod saepe pertinax est et in praefocationis sensu consistit, sive anginam hystericam vehementem, sive cingulum hystericum simulet. *Sauv.* Vide *Hystericum malum.* Ge. *Muttererstickung.* Ga. *Suffocation de matrice.* A. *Hysteric fit.*

STRANGURIA s. **URINAE STILLICIDIUM** est, quando urina guttatim cum dolore et ardore stillat, cui adest indesinens mingendi conatus. Fit autem vel ex potu, et, ut passim creditur, diverso, una vice hausto; cerevisia nondum defoecata; cantharidum usu tam externo, quam interno, vel gonorrhoea, in dysuria, vesicae calculo, tunicae internae urethrae inflammatione, ulceratione, relaxatione. Causa

eius est, quod materia mucosa, quae naturaliter oblinit interne vesicam et urethram, ne ab acrimonia urinae erodatur, abrasa sit, vel secerni impediatur ex sanguine, unde nuda haec tunica ab acrimonia urinae exeditur, et sensum hunc excitat molestum etc. Ex *στράγξ, gutta*, et *οὖρον, urina.* [Hanc derivationem nominis exhibet Theophan. Nonn. (*epit. c.* 179.) *Ἡ στραγγουρία ἐστὶν, ὅταν συνεχῶς κατὰ στράγγα οὐροῦσι,* quae morbi definitio e Galeno (*comm. in Hipp. aph. VII.* 48.) hausta esse videtur: *ἡ στραγγουρία τὴν κατὰ στράγγα τῶν οὔρων ἀπόκρισιν δηλοῖ.*] Ge. *Brennender Harn.* Ga. *Strangurie, difficulté d'uriner, retention d'urine.* A. *The strangury.* B. *Droppel-pis, de koude pis.*

STRATIFICATIO est [ea sive chemica, sive metallurgica operatio, qua diversa corpora sibi invicem alternatim imponuntur eo consilio, ut mutua actione alterutrum immutetur. Sic laminae cupri recentibus imponuntur vinaceis, ut acidum partim iis inhaerens, partim ex illis calore evolutum in cuprum agat, idque in aeruginem mutet. Eadem per strata dispositio in ferro et carbonum pulvere locum habet, quando ignis vehementissimi ope ferrum in chalybem commutare cupimus.] Ge. *Stratificiren.* Ga. *Stratification.*

STRATIOTES, vide *Militaris.* A *στρατιὰ, exercitus, στρατιώτης* est *miles.*

STRATIOTES, vide *Millefolium.*

STRATUM SUPRA STRATUM, vide *Stratificatio.*

[**STREMMA** est partis membranosae aut tendinosae ultra modum extensio. Affectio haec inprimis in articulationibus locum habet, quarum ligamenta capsulaeque ubi vi externa nimium sunt intensa, dolorem, tumorem, quin plenariam membri immobilitatem efficiunt. A *στρέφω, torqueo.* Cons. Lara's *Taschenb. d. Wundarzn. II. p.* 302. Inusitata prorsus notione haec vox pro rotundi ulceris cicatrice occurrit in Photii *Lexico p.* 468. haud dubie, quoniam eiusmodi cicatrices superficiem offerunt inaequalem, quasi huc illuc tractam.]

STRIAE in plantis partes sunt quaedam, quae protuberant et eminent, vel etiam lineae tenuissimae excavatae. Hinc *striatus caulis*, qui huiusmodi striis, seu fibris longitudinalibus eminentibus est praeditus, aut striaturis est exasperatus. *Strigiles* etiam, si Vitruvio credimus, appellantur.

STRICTOR seu **CONSTRICTOR**, i. q. *sphincter.*

STRICTUS botanicis dicitur plantarum *caulis,* vel *folium* omnino perpendiculare, absque flexura.

STRIGAE botanicis sunt pubes plantarum, e pilis rigidiusculis, planiusculis constans, et *strigosa folia*, quae aculeis lanceolatis et rigidis instructa sunt.

STROBILUS est pericarpium ex amento factum, squa-

mis induratis, ut in Abiete, Pino, Larice etc. videtur. Ge. *Zapfen.*

STROBILUS est Articocalus, seu Scolymus. Sic dicitur, quod eius capitulum structili nucleorum serie pineam nucem referre videtur. A *στροβὸς, vortex, turbo.* Vide *Articocalus.*

[**STROPHULUS** est nomen cutanei morbi, qui primo, a Willano constituto, horum morborum ordini adscriptus est. Comprehendit hoc genus varias papularum eruptiones, quae aetati infantili ob magnam cum vasorum copiam, tum cutis irritabilitatem valde communes sunt, et ab accidentali corporis sive per dentitionem, sive per primarum viarum sordes, sive per quamcunque aliam causam producta irritatione pendent. Strophuli quatuor statuuntur formae: 1. intertinctus, 2. albidus, 3. confertus, 4. volaticus et candidus. De his vide Batemann. *v. d. Hautkrankh. p.* 29—34.]

STRUMA est tumor glandulosus in parte anteriori colli, [lente evolutus, mobilis, spongiosus, elasticus, aliquando durus, plerumque cuti concolor, indolens et haud raro ad ingentem magnitudinem increscens.] Morbus in quibusdam regionibus frequens et endemius. Ge. *Ein Kropf.* [A. *Derbyshire-neck, wen.*] Ga. *Goitre.* [Synonymiam amplam vide ap. Ios. Frank *pr. prax. med.* II, 2. 1. *p.* 227.]

STRUTHIOPTERA est *filicis* species; sic dicta, quod eius folia avem struthium referant. [A *στρουθίον, struthium* s. *radicula* et *πτερὸν, ala.*]

STRUTHIUM vocatur *Ostruthium;* sed *Theophrastus* aliam plantam innuere videtur, qua fullones utuntur. Nomen non habet a *στρουθίζεσθαι,* quod lanas purget, candidasque reddat: sed potius vox *στρουθίζεσθαι* a *στρουθίον* derivata est, quod herba hac lanae mundarentur. Verisimilius nomen illud impositum a floris pulchritudine et similitudine alarum passeris, quam situs foliorum struthii prae se fert. Vide *Saponaria.* A praecipua et utiliore parte *Radicula* Romanis est appellata. Ge. *Seifenkraut.* B. *Zeep kruid.*

STRYCHNOS, STRYCHNON dicitur et *τρύχνος:* vide *Solanum.* — *Strychnus* Ill. *Linnaeo* est plantae genus peculiare, (Pentandr. Monogyn.) calyce quinquepartito, minimo, deciduo, corolla monopetala infundibuliformi; bacca fragili, globosa, glabra, uniloculari, pulposa, seminibus orbiculatis, depressis, villosis. — [Duplex species a medicis notari meretur.]

[**STRYCHNOS COLUBRINA**, cuius radix lignosa, saporis acris et peramari, sub nomine *ligni colubrini* cognita est. Continetur illo principium strychninum, a quo eius virtus narcotica pendere videtur. De illa actum est sub *Vomica nux.* A. *Snake wood.* Ga. *Bois de couleuvre.* Ge. *Schlangenholz.*]

[**STRYCHNOS NUX VOMICA**, cuius descriptionem botanicam vide infra sub *Vomica nux*.]

STRYPHNA, a στρυφνὸς, *acerbus*, *adstringens*, vide *Adstringentia*.

STUPEFACIENTIA, i. q. *narcotica*.

STUPHA seu **STUPA** est linteum liquori intinctum et parti dolenti admotum. Idem quoque, quod *Laconicum balneum*, vel *Sudatorium*, aut *Vaporarium*. Ge. *Feuchte Bähung*.

STUPOR est sensus tactus obtusus, inductus a nervorum compressione, vel obstructione, ita ut spiritus animales functionibus suis fungi non possint, ut in paralysi, cuius veluti initium est, et a qua tantum causarum magnitudine discrepat: aut si quis ex casu, lapsu aut alia plaga in caput, stupet et talis stupor vocatur Gr. ἔκπληξις. Idem fit in *Haemodia dentium*. Vel quando pes, brachium, diu in eodem situ retinentur, et postice nervos et musculos premendo, influxus sanguinis et spirituum in musculos non bene processerit, dicuntur dormire, et quando remittuntur, punctionis, vel formicationis sensus subsequitur. Ge. *Erstarrung*, *Trägheit der Empfindung*, *Einschlafen*. Ga. *Engourdissement*. A. *Numbness*. B. *Doofgevoel*, *loomheid*. [Differt a torpore h. e. motus tarditate, *Trägheit der Bewegung*.]

STUPOR DENTIUM, vide *Haemodia*.

STUPOR VIGILANS, vide *Catalepsis*.

STUPPA, vel **STUPA**, vide *Stupha*.

STYGIAE AQUAE dicuntur spiritus acidi concentrati, praecipue *aqua fortis* et *aqua regia*.

STYLOCERATOHYOIDES sunt musculi utrinque os hyoides oblique sursum trahentes, aliquando fissi, ut biventri transitum praebeant; oriuntur a processus styliformis appendice externo, et in ossis hyoidis cornua porriguntur. Ex στύλος, *stylus*, et κερατοειδὴς, *cornuformis*. Ge. *Griffelmuskel des Zungenbeins*. Ga. *Stylo-hyoidiens*. B. *Priemwyze tong beens hoorn spieren*.

STYLOGLOSSUM est par musculorum linguam attollens, a styliformi processu natum, quod circa linguae medium inseritur. Ex στύλος, *stylus*, et γλῶσσα, *lingua*. Ge. *Griffelmuskel der Zunge*. Ga. *Les stylo-glosses*. B. *Priemwyze tong-spieren*.

STYLOHYOIDES, i. q. *styloceratohyoides*.

STYLOIDES seu **BELENOIDES** sunt processus ossei styliformes, graciles scilicet, et plus vel minus longi, utrinque a portione petrosa ossis temporum deorsum vergentes, et musculis linguae et pharyngis insertionem praebentes. Ex στύλος, *stylus*, et εἶδος, *forma*. Ge. *Griffelförmige Fortsätze*. Ga. *Apophyses styloides*.

STYLOPHARYNGAEUS est par musculorum gulam di-

latans; quod a processus styliformis inferiori parte descendens, in gulae latera exporrigitur. Ex *στύλος*, *stylus*, et *φάρυγξ*, *gula*. Ge. *Der Griffelschlundmuskel*. Ga. *Les stylopharyngiens*. B. *De priem wyze keel-spier*.

STYLUS est pars pistilli elevans stigma a germine. Vide *Pistillum*.

[**STYMATOSIS**, vid. supra *Stimatosis*.]

STYMMA est spissamentum seu crassamentum florum, rerumque aliarum, quod remanet post macerationem et expressionem oleorum. [Gr. *στύμμα* a *στύφω*, *spisso*. Occ. ap. Diosc. I. 79. Gal. *de comp. med. sec. loc. III. c.* 88. Salm. exerc. Plin. p. 806. b.]

[**STYPSIS** a Ploucqueto (*syst. nosol.*) vocatur alvi seu faecum impedita aut suppressa excretio, plerumque cum generali dysphoria coniuncta. A Gr. *στύφω*, *adstringo*.]

STYPTICA, i. q. *adstringentia*. A *στύφω*, *adstringo*.

STYRAX sive **STORAX** est *sicca* et *liquida* — *Sicca* dicitur *Calamita*, a cannarum calamis sic dicta, in quibus olim ex Pamphilia apportabatur. Est substantia gummoso-resinosa in massa, rarius in granis prostans, exstillans ex cortice inciso, aut, iuxta alios, ab insectis terebrato arboris, quae est Styrax folio mali cotonei *Bauh*. *Styrax officinale Linn*. (Decandr. Monogyn.). Haec arbor Betulae, vel Cydonio non absimilis est, sed folia habet minora, oblonga, firma, superius viridia, inferius alba, et lanuginosa. Flos est monopetalus, infundibuliformis, albus, parte inferiore tubulata, superiore multifida, instar stellae expansis quinque laciniis. Ovarium ex centro calycis dentati, multifidi, ampullosi, fit drupa, seu fructus subrotundus, avellanae nucis magnitudine, albus, cortice carnoso obtectus, saporis aliquantulum amari, uno vel altero ossiculo plerumque foetus, in quo continetur nucleus medullosus, oleosus, odoris ut gummi styracis, saporis ingrati. Ex cortice stillat illud gummi, seu resina, quae concrescens odoris est suavissimi. Fertur ad nos in cannis, ut olim, sed in globulos concretus. Venit ex Syria, Cilicia, Pamphilia, Creta, Palaestina etc. Debet esse pinguis, lenta, fragmentis albicantibus rufescens, vel flava, odore perseveranti, quae, dum mollitur, melleum liquorem reddit. Qualitatis est fragrantis, viribusque balsamicis, nervinis et subanodynis gaudet; hinc a quibusdam in ulceribus internis atque catarrho commendatur. Massam pilularum de styrace, aliasque antiquiores compositiones ingreditur. Rarior usus internus, externus in suffimigiis frequentior. — *Styrax liquida* est substantia gummoso-resinosa, liquido-tenax, grisea, acris, aromatica fragrans, exstillans, aut, iuxta alios, ex contuso et cocto cortice producta arboris, quae est Liquidambar arbor, s. styraciflua, Aceris folio, fructu tribuloide *Pluk*. *Li-*

quidambar styraciflua foliis palmato-angulatis, lobis indivisis acutis *Linn.* (Monoec. Polyandr.). Ga. *Copalin alibousier.* A. *Sweet gum tree.* — Haec arbor habitat in Virginia et Mexico. Resina rarius ad nos pura defertur. Est et alia substantia sub nomine Styracis liquidae prostans ex India Orientali ad nos delata, Arabibus *Mitia,* Turcis *Cottermiza,* Sinensibus *Roca malba,* Europaeis *Storax stacte* dicta, odoris ad Styracem accedentis, sed magis graveolentis. Sunt, qui Storacem liquidam pro factitia habeant, scilicet coctione e storace calamita, terebinthina, vino et oleo confectam. Viribus nervinis, balsamicis et calefacientibus gaudet; hinc unguenta odorata et mundificantia ingreditur. — *Styrax alba* est Balsamum Peruvianum. — Gr. *στύραξ* dicitur tela, seu canna, in quibus olim solebat colligi et conservari. Ge. *Styraxgummi.* Ga. *Storax.* A. *Storax, sweet-gum.* B. *Styrax.* [Dulkius (*Preussische Pharmac. I. p.* 822.) masculino genere enunciat styracem. In graecis solet frutex, succum illum fundens, feminino, rarius masculino, succus autem aut masculino (Diosc. I. 79.), aut neutro genere designari *τὸ στύραξ.*]

SUBACTIO est, quando res quaedam manibus tractatur; et dicitur de mistione et emollitione emplastrorum cerae et similium massarum, manibus, vel in mortario cum pistillo facta. — Vox haec etiam usurpatur, dum cibos in ventriculo solutos, et cum omnibus liquoribus, tum ingestis externe, tum interius hospitantibus, permistos conspicimus, ut modo una massa uniformis appareat: sic etiam chylus in sanguinem infusus, integre cum eo mistus, vocatur subactus. — Denotat etiam haec vox talem materiae morbificae mutationem, ut aequabiliter cum reliquis humoribus permisceri, vasa transire, et tandem e corpore eliminari queat. Ge. *Das Aufweichen, Erweichen.* Ga. A. *Subaction.* B. *Onderbrenging.*

SUBCARTILAGINEUM, i. q. *hypochondrium.*

SUBCLAVIA VASA sunt venae et arteriae, quae sub clavicula transeunt, et maiores sunt; qualis est illa utrinque vena, in quarum sinistram hiat ductus thoracicus inferne et sinistrorsum, modo et superne vena iugularis, tum et omnes venae brachiorum, et quae ambae in venam cavam superiorem sanguinem revehunt; et qualis est illa arteria utrinque, quae in sinistro latere ex arcu aortae, in dextro ex arteria innominata oriens, sub clavicula transiens, extremitatibus superioribus prospicit. Ge. *Die Schlüsselbeingefässe.* Ga. *Vaisseaux souclaviculaires*, sive *souclaviers.* B. *Onder sleutelbeens vaten.*

SUBCLAVIUS MUSCULUS ita dictus, quod sub clavicula situs sit, spatium replet inter claviculam et primam costam. Oritur carnosus a parte interiore et inferiore claviculae: inseritur carnosus in partem superiorem primae costae,

quam sursum et extrorsum trahit. Ge. *Der Schlüsselbeinmuskel.* Ga. *Muscle souclavier.* B. *De ontersleutelbeensspier.*

SUBER est arbor mediocris magnitudinis ad Quercum pertinens, scilicet *Quercus suber* foliis ovato-oblongis, indivisis, serratis, subtus tomentosis, cortice rimoso, fungoso *Linn.* (Monoec. Polyandr.). Suber latifolium perpetuo virens *Bauh.* Haec arbor est parum ramosa, sed truncus est crassior, et corticem habet multo crassiorem, valde levem, spongiosum, coloris ex griseo flavescentis, facile fissilem, et ab arbore separabilem, quia a supposito novo cortice propellitur foras: incolae regionum, in quibus Suber occurrit, tempore sicco et calido circumscindunt arborem, qua stipes telluri committitur, ad lignosam usque materiam, aut usque ad novum subtus nascentem corticem, paritcrque in summis humeris, antequam in brachia dividat sese arbor, mox a summo ad imum finditur et detrahitur cortex. Hic deinde in frusta dissectus diversae magnitudinis et crassitiei, aquae committitur, lapidibusque oneratur, ut hoc mediante quasi prelo densior minusque porosus evadat, et admodum planus reddatur. Quo facto exsiccatur, et per omnem fere terram distribuitur et divenditur. Arbores interim non intereunt, sed novo cortice teguntur, qui in tantam crassitiem excrescit, ut ulnam et ultra, si fides auctoribus est habenda, superet. Arbor haec habitat in Gallia australi. Corticis usus frequentissimus oeconomicus est. Sunt, qui ob qualitatem stypticam ad drachmam unam in pulvere, vel eius decoctum in haemorrhagiis et diarrhoea commendent. Nomen habere dicunt a subire, quod mergi nequeat, vel a graeca voce σύφαρ, sive corium vetus atque rugosum inprimis: nam cortex est, exuvium. Vocatur etiam φελλὸς, *suber*, unde φελλεύειν, *veluti suber* aquis innatare. Ge. *Gorkbaum, Korkbaum, Pantoffelholzbaum.* Ga. *Liège.* A. *Cork.* B. *Kork-boom, vlot-hout.*

SUBER MONTANUM est substantia fossilis, scilicet Amiantus fibris mollioribus, parallelis, facile separabilibus, flexilibus, inordinate se intersecantibus constans, levissimus. Refertur quidem inter lapides apyros, ignis tamen vi in vitrum nigrum abit. Emplastris additum paralysi mederi dicitur. [E Bergmanni analysi in centum partibus continentur magnesiae 26,1, silicines 56,2, calcis 12,7, aluminis 2, et oxydi ferrici 3.] Ge. *Bergkork*, [*Bergleder.*] Ga. *Liège fossile, cuir fossile.*

SUBEROSUS botanicis dicitur plantarum *truncus* cortice exteriore molliore, sed elastico, indutus.

SUBETH AVICENNAE, i. q. *coma.*

SUBINTRANTES FEBRES quibusdam vocantur, quarum paroxysmi incipiunt, antequam praecedens finitus sit.

SUBLIGACULUM, i. q. *bracherium*. Vide *Amma*.

SUBLIMAMENTUM, i. q. *enaeorema*.

SUBLIMATIO est sicca subtiliorum partium per ignem in sublime sublatarum et vasi adhaerentium elevatio. Uti sunt mercurius corrosivus et dulcis. Significat quoque exaltationem alicuius rei, quando a debiliori statu res in statum maiorum virium elevatur. Id, quod per sublimationem exaltatur, si pulverulentum et rarum est, *florum* nomen gerit, ut flores sulphuris, benzoës etc. *Sublimati* autem, si compactum fuerit et densum, ut mercurius etc. Ge. *Sublimirung*. Ga. A. *Sublimation*. B. *Opheffing, verheffing*.

SUBLIMATORIUM est instrumentum vitreum, vel figulinum, instar cucurbitae cum capitello non rostrato, in quo res volatiles et siccae ope ignis in altum elevantur, uti sunt mercurius sublimatus, cinnabaris, flores salis ammoniaci etc. Nomen habet a sublimando, inde *sublimatum*, materia ignis ope elevata; et *sublimatorium*, instrumentum, quo elevatur. Ge. *Ein Sublimirgefäss*. Ga. *Sublimatoire*. A. *Sublimatory-vessel*. B. *Een sublimeertuig*.

SUBLIMATUM est res elevata per ignem, uti sulphur, mercurius etc. Ge. *Sublimat, Blumen*. Ga. *Sublimé*. B. *Sublimaat, bloem*.

SUBLIMIS MUSCULUS, i. q. *perforatus*.

SUBLINGUALES GLANDULAE sunt duae glandulae oblongae iuxta musculos geniohyoideos sub lingua positae, a *Bartholino* inventae, quae ad latera linguae ductus in os apertum emittunt, a *Rivino* et *Walthero* descriptos, per quos salivam in sua fabrica secretam mittunt. Ge. *Zungendrüsen*. Ga. *Glandes sublinguales*. B. *Kliertjes onder de tong*.

SUBLINGUALES PILULAE sive *hypoglottides*, sunt, quae sub lingua collocantur, ad bonum halitum, ad tussim etc.

SUBLUXATIO sive elongatio est, quando os paululum tantum e cavitate sua articulari recedit, ita ut non omnino ex illa exciderit; vel est ossis alicuius de loco suo aliqualis dimotio. Ge. *Das Verrenken, Verrücken*, [*Verstauchung*.] Ga. *Luxation, dislocation, entorse*. A. *Luxation, dislocation*. B. *Vervringing, verstuiking*.

SUBMERSI dicuntur, qui in fluidum, e. g. aquam, delapsi, aëre et respiratione privati, suffocatione perierunt. Ge. *Ertrunkene*. Ga. *Noyés*. — *Submersa* botanicis dicuntur *folia* intra aquae superficiem abscondita.

SUBSCAPULARIS MUSCULUS, vide *Infrascapularis*.

SUBSIDENTIA, i. q. *hypostasis* et *sedimentum*.

SUBSTANTIA est id, quod proprie corpus aliquod constituit, cui primariae eius qualitates innituntur. Sic de substantia medullari, corticali, pingui, lapidea, metallica etc., medici loquuntur. Dicuntur porro remedia in *substantia* dari,

dum e. gr. ipsa folia, radices etc., contusa, non decocta, vel extracta, propinantur.

SUBSULTUS est spasmodicae contractionis species, quae inprimis in tendinibus percipitur, et in febribus malignis, phrenitide, aliisque morbis acutis capitis frequens satis et periculosum symptoma est. [Cons. Swediaur *l. c. to. I. p.* 484.] Ge. *Zucken oder Hüpfen der Flechsen, [Flechsenspringen.]* Ga. *Soubresaut des tendons.*

SUBTILISATIO chymicis dicitur dissolutio, qua partes crassiores a subtilioribus separantur. Illa est, quando corpora brevi temporis spatio dissolvuntur, estque iterum duplex, *elevatio*, vel *descensio*. Haec dicitur, quae tempore longiore res dissolvit. Estque *exaltatio* et *digestio*. Ge. *Feinmachung*. B. *Fynmaaking*.

SUBVERSIO STOMACHI est nauseae quidam sensus, cum constrictione ventriculi, qui saepe in vomitum terminatur.

SUBVOLA, i. q. *hypothenar.*

SUCCAGO, vide *Apochylisma.*

SUCCEDANEUM, i. q. *antiballomenon.*

SUCCENTURIATI RENES, vide *Capsulae atrabilares.*

SUCCIDUS, i. q. *oesypus.*

[**SUCCININE** est materia sui generis, quae maximam succini partem constituere solet. Illa etiamsi cum resinis similitudinem habeat, calore admoto mollescit quidem, sed non liquescit, ab aqua, alcohole, aethere et alcalibus non excipitur, post diuturnam digestionem ab oleis pinguibus et acido sulphurico solvitur.]

SUCCINUM est substantia bituminosa, dura, magis vel minus transparens, igni imposita fluens, fumans, ardens, et odorem specificum bituminosum spargens, nec in menstruis spirituosis, nec salinis, nec oleosis tota solubilis, et post frictionem electricitate, vel vi attractiva gaudens. Succinum colore differt; habetur enim *album*, *flavum*, *citrinum* s. *cereum* et *nigrum*, quod omnium vilius est, et potius ad *Gagates* pertinet. Chymica analysis docet, *Succinum* ex multo oleo, pauca aciditate, et magna salis volatilis parte constare. [Centum partes succini destillationi subiectae praebebant Drapiczio fluidum gasiforme idque elaeogeneticum 1,40; acidum succinicum 4,65; acidum aceticum 1,15; olea cum liquidum 16,50; tum tenax 24,00; et compactum 7,50; solutumque ab aethere sulphurico residuum carbonem 39,50. Iactura 2,10. autem nimium magna est, quam ut haec analysis accuratae laudem mereri possit. Berzelius novam succini analysin cum institueret, inveniebat, illud continere paucam olei aromatici quantitatem, flavam, intime cum hoc oleo coniunctam, resinam, acidum succinicum, et succininem, de qua paulo ante. Vid. Fechneri *Repert. d. org. Chem.* II. 2. *p.* 860.] Illud oleum et sal volatile optima sunt medicamenta

antihysterica, cui usui etiam inservit tinctura eius cum alcohole parata. Iuxta nonnullos succinum ex arboribus stillat, et ratione originis est lacryma, aut resina, arborum resiniferarum, pini, abietis, alni, populi, in mare defluens, et ab eodem congelata et ad littora delata: sed alii credunt, succinum esse bituminis subterranei, vel minerae sulphureae, speciem scaturientem, vel e fundo maris, vel in prope positis locis. Forte ex resina vegetabili arborum fossilium, acido salis marini, aut alio modo ita mutata oritur: potissimum invenitur in regionibus ad mare Germanicum et mare Balticum sitis, Borussia praeprimis, et Pomerania, ubi a mari illud in littus eiicitur, vel etiam ex terra eruitur. In primo ortu Succinum liquidum fuit; quod testari videntur varia animalcula, quae involuta in eo reperiuntur, uti muscae, culices, araneae, festucae etc. Docet insuper analysis chemica, sale acido liquido, imo et concrescente in glebas, adeoque forma solida, constare, quod acidum peculiare sistit vegetabili acido in multis analogum, tum et oleo fossili, quod quam proxime petroleum refert. Succino, praeter usum artificialem et mechanicum, insignes tribuuntur vires calefacientes, roborantes, nervinae, anticatarrhales, antihystericae et emmenagogae; hinc plura remedia composita ingreditur. Prostat in officinis succinum praeparatum, seu pulverisatum, sal volatile, oleum, balsamum et tinctura. Adhibetur quoque in suffimigiis. Dicitur *ambra, electrum, chrysolectrum, carabe*. Ge. *Agtstein, Bernstein* Ga. *Succin, ambre jaune*. A. *Amber*. B. *Ambersteen*, *barnsteen*.

SUCCISA est *Morsus diaboli*, sic dicta, quod eius radix semper quasi succisa et commorsa existat. Ge. *Teufelsabbiss, Abbiss*. Ga. *Succisa*. A. *Devils-bit*. B. *Duivels-beet*.

SUCCOLLATA, vide *Chocolata*.

SUCCOTRINA ALOE dicitur quibusdam quasi constans ex succo citrino, quia pulverem praebet crocei coloris, vel denominatio venit ab insula *Socotora*, ubi copiose crescit. Vide *Aloë*.

SUCCUBUS est *incubus*, mulieribus noctu adveniens, putantibus, se cum incubo rem veneream habere. Idem quod *epialtes*. Vide *Ephialtes*.

SUCCUS: succi in officinis vocantur expressi liquores, ex radicibus, foliis, floribus, fructibus etc. Succi aliquando in spissam condensantur consistentiam, evaporando nempe, ut succus Glycirrhizae, Acaciae, Hypocistidis etc. Item, qui ex arbore, vel frutice sauciata emanat, ut succus Vitis, Betulae etc. Ge. *Saft*. Ga. *Suc, jus*. A. *Juice*. B. *Sap*.

SUCCUS CEREBRALIS, vide *Spiritus*.

SUCCUS NERVOSUS, vide *Spiritus*.

SUCCUS NUTRITIUS idem quod *chylus*. Plerumque tamen hoc sub nomine elaboratissima *lympha* intelligitur, eas

particulas subtilissimas continens, quarum appositione corpus increscit et conservatur. Ge. *Nahrungssaft.* Ga. *Suc nourrissier.*

SUCCUS PANCREATICUS, vide in *Callicreas* et *Ductus pancreaticus.*

[**SUCCUS VIRIDIS** est succus e baccis Rhamni cathartici L. expressus, cum alumine pulverato, calce carbonica, cineribus clavellatis depuratis aut magnesia commixtus. Pigmentum hoc modo paratum nostratibus vocatur *Saftgrün, Blasengrün.*]

SUCTIO est ea actio, qua infans ore papillam uberis materni amplectens, velum pendulum palatinum per musculos pterygostaphilinos applicat foramini narium interno, idque exacte claudit, tum genas gingivis immediate apponit, lingua aërem in cavo palatino contentum deglutit, eam palato adducendo, hinc os anterius vacuum *Boyleanum* habens, lac ex uberibus maternis in hunc locum minus resistentem pulsum ab aëre externo recipit. Gr. *Μύζησις*, [a *μυζάω, sugo,* (vid. Jacobs *Anth. Palat. p.* 260.) Formatum substantivum *μύζησις* equidem nullo scriptoris antiqui loco firmare possum.] Ge. *Das Saugen.* Ga. et A. *Suction.* B. *Zuiging.*

SUDAMINA, Gr. *Ἵδρωα*, sunt exanthemata in summa cute corporis haerentia, granis milii simillima, in ambitu rubicunda, in summitate vesiculam limpidam habentia, brevi evanescentia, quae *ἑλκώδως* cutem exasperant; a *Plinio* papulae sudorum appellantur. Affectus familiaris est pueris et iuvenibus, praesertim temperamento calidioribus, qui aestatis tempore nimis moventur, et exercentur, in collo, scapulis, pectore, brachiis et femoribus, frequentius tamen circa pudenda et anum accidens. Vide *Hydroa.* [Cons. Foresti *observ. VI.* 61. *schol.* et Sprengel *Handb. d. Pathol. II.* §. 153. Dritte Aufl.] Ge. *Grübelsucht, Schweissflecke.* Ga. *Echauboulure.* B. *Zweet-zweertjes, water puistjes.*

SUDATIO est sudoris eruptio, hoc est, materiae fluidae, ex vasculis quibusdam parvis extus in cuticula totius corporis terminatis, sub specie parvarum guttularum, quae fit a morbo, ab exercitio, aut medicamentis diaphoreticis. Gr. *Ἵδρωσις.* Ge. *Das Schwitzen.* Ga. *Suement.* A. *Sweating.* B. *Zweeting.*

SUDATIONES, i. q. *sudamina.*

SUDOR est humor aquosus, ex plurima aqua, pauco oleo et sale constans, hinc lintea maculis quibusdam inficiens, et saporem subsalsum habens; non plane naturalis, sed sine notabili molestia, etiam in sanis, caloris et motus corporis vehementioris ope, interdum quoque et sanguinis fluiditate et tenuitate per cutis poros, sive vasa exhalantia, expulsus, qui in cute in guttas colligitur. Hinc a materia perspirabili non differt, nisi quod propter dilatationem vasorum copiosior

sit. Gr. Ἱδρώς. Ge. *Schweiss.* Ga. *Sueur.* A. *Sweat.* B. *Zweet.*

SUDOR ANGLICUS, sive **HYDRONOSOS**, et **HYDROPYRETOS** febris est species, olim in Anglia epidemia, [anno 1485. primum observata], qua quis unico die liberabatur, vel moriebatur; vagabunda erat et contagiosa, finiebatur ut plurimum per sudorem abundantissimum, unde et febrem etiam *sudorem* appellarunt incolae. Quibus per sudorem solvebatur, fere omnes evadebant, alii peribant. [Morbus eadem cum vehementia redibat annis 1506, 1516, 17 et 18. quo postremo anno ad terram continentem transiit, ita, ut annis 1528 et 29. inprimis Germaniam totumque septentrionem devastaret. Iter huius morbi descripsit Chr. Godofr. Gruner. Jen. 1805. 8.] Ge. *Schweissfieber.* Ga. *Fièvre suante, la suette.* A. *The sweating fever.* B. *Zweet-koorts.*

SUDORIFERA, vide *Hydrotica.*

SUFFERSURAE dicuntur exanthemata, vel pustulae, quae pueris ex calore solent evenire, interdum sicciores, interdum humidiores. Vide *Sudamina.* [Amandat Castellus, e quo haec vox desumta est, ad Foresti *observ. VI.* 42. *schol.* quem locum tamen frustra inspexi: nam de variolis et morbillis ibi tantum expositum, suffersurarum autem nulla mentio facta est.]

SUFFIMENTUM, i. q. *suffitus.*

SUFFITUS est pulvis crassiusculus, ex plurimis odoriferis paratus, qui super carbones vivos iniectus, et deflagrans, non ingratum odorem et fumum a se diffundit. Inservitque vel aërem inquinatum depurando, vel morbos quosdam profligando. Sic per suffitum rerum adstringentium curantur haemorrhoides externae, coryza narium, odontalgia etc. Nonnulli quoque per suffitum mercurii salivationem excitare soliti fuerunt. *Suffitus* etiam dicitur *humidus*, dum aceta varia, vel liquores spirituosi, prunis, aut laminis ferreis candentibus inspersi, vapores spargunt. Vocatur et *suffimentum Plin. suffitio ibid. suffimen Ovidio.* Gr. *θυμίαμα, θυμίασις.* Ge. *Räucherung, das Räuchern, Beräuchern.* Ga. *Parfum, parfumement, fumigation.* A. *Perfuming, fumigation.* B. *Rooking.*

SUFFOCATIO dicitur ingressus et egressus aëris per tracheam in pulmones, sicque respirationis, per quamcunque causam interceptio. Ge. *Erstickung.* Ga. A. *Suffocation.* B. *Verstikking.*

SUFFOCATIO HYPOCHONDRIACA, vide *Hysterica passio.*

SUFFOCATIO UTERINA, vide *Hysterica passio.*

SUFFRUTICES sunt plantae perennes, durae, frutice humiliore, non gemmiparae, quae compluribus ramulis

surculisque lignosis scatent, sed minutis constant foliis. Ge. *Gesträuch.* Ga. *Sousarbrisseau.*

SUFFUMIGABULUM est instrumentum, [s. potius vasculum], quo utimur in suffimentis accendendis. [Vox maxime barbara. Cicero *or. IV. in Verrem*, *c.* 46. thuribulum eiusmodi vasculum appellat.] Ge. *Rauchfass.* Ga. *Encensoir.* A. *A censer, smoaking vessel.* B. *Een rook-tuig.*

SUFFUMIGIUM, vide *Suffitus.*

SUFFUSIO, vide *Hypochyma* et *Cataracta.*

SUGILLATA, vide *Enchymoma.*

SUGILLATIO, vide *Enchymoma.*

SULCUS proprie est vestigium oblongum, quod arando in terra excavatur. — Anatomicis vero denotat segmentum cylindri, scilicet angustam et oblongam foveam, quae in quibusdam partibus, tam duris, quam mollibus, reperitur. Sic botanicis dicitur *truncus*, vel *folium sulcatum*, quod lineis profundis exaratum est. Ge. *Furche, Rinne.* Ga. *Sillon.* B. *Sleuf.*

SULPHUR est substantia mineralis, sive terrae pinguedo vitriolica, aciditate gravida, in frigore dura, moderato igne liquescens, et in aëre aperto inflammabilis, tota deflagrans cum flamma caerulea, et vapore volatili, animalibus letali, in vase clauso totum et immutatum ab igne elevatur sulphur, aquae non miscibile, nentiquam malleabile, et in forma sicca friabile, nec in menstruis spirituosis, nec acidis, sed accedente calore in oleosis aliquantum solubile. *Nativum*, seu *vivum*, prostat in officinis, et *factitium*. *Nativum* ex terra effoditur, purum, solidum, flavum instar succini, vel rubini instar rubens, quod *sulphur auri* vocant, et est sulphur nativum purum flavum *Wall.* *Pyrites nativus* nudus diaphanus *Linn.* *Factitium* vel ex vivo sulphure impuriori vi ignis educitur, vel ex aquis sulphureis, vel ex minera sulphuris, (quae est sulphur ferro mineralisatum, minera difformi, pallide flava, nitente *Wall.* *Pyrites ferri* mineralisatus amorphus, scintillans *Linn.*) excoquitur, et in magdaleonibus ad nos adfertur. *Sulphur caballinum* faeces sunt e coctione sulphuris vivi impurioris relictae, et in urceos, admixtis nonnunquam squamis martis transfusae, quae veterinariis in usu sunt. Adhaerescunt quoque interdum quaedam striae sulphureae camino, ubi vitriolum ex sua vena excoquitur, quae nihil aliud sunt, quam sulphuris flores ex vitriolo, dum excoquitur, elevati. Horum copiam exhibet Suecia sat magnam. Exhibet chymia et artificialia sulphura, ex *antimonio, cinnabari* etc., educta, quae tamen a vulgari sulphure non differunt. Praeter usum largissimum oeconomicum, mechanicum et chymicum, sulphuri in medicina eximiae vires expectorantes, diaphoreticae et eccoproticae attribuuntur; hinc in affectibus pectoris, scabie etc., praecipue commendatur.

Praeparantur in officinis hepar sulphuris per fusionem cum sale alcalino, flores, spiritus, lac, tinctura, balsamum sulphuris anisatum, foeniculatum, iuniperinum, terebinthinatum, succinatum etc., (sulphur scilicet in his oleis accedente calore digestum et ex parte solutum), trochisci, unguentum etc. Eligatur colore optime flavescens, facile inflammabile, luculenter ardens, fumumque magis caeruleum halans. Gr. *θεῖον*. Arab. *Cibut, Chybut, Crybtit,* Chym. *Akiboth, Abusal, An, Anerit, Anerick, Alnerick, Kirbrith, Kaprili, Lamare, Tifasum, Tin, Usifur.* Ge. *Schwefel.* Ga. *Soufre.* A. *Brimstone, sulphur.* B. *Zwavel, solpher.* — Omnia etiam olea, resinae, adipes et pinguedines chymicis sub nomine *sulphuris* veniunt, sive ex vegetabilibus, sive ex animalibus; imo omne, quidquid est phlogiston, vel inflammabile, *sulphur* dicitur.

SULPHUR COELESTE est alcohol vini.

SULPHUR LYCOPODII est semen lycopodii: vide *Lycopodium.*

[**SULPHURIS ACIDUM** est sulphuris cum oxygenio coniunctio. Cum autem utriusque affinitas admodum exigua sit, pro diversa oxygenii sulphuri nupti, quantitate varia oriuntur acida. Acquales fere sulphuris et oxygenii partes constituunt *acidum hyposulphurosum*, Ga. *Acide hyposulfureux.* Ge. *Schwefeloxyd, geschwefelte schwefelige Säure.* Si una sulphuris pars cum duabus oxygenii coniungitur, *acidum sulphurosum* s. *acidum vitrioli phlogisticum* generatur, Ga. *Acide sulfureux.* Ge. *Unvollkommene Schwefelsäure, flüchtige phlogistisirte Vitriolsäure.* E coniunctione duarum partium sulphuris cum quinque oxygenii partibus oritur *acidum hyposulphuricum*, Ga. *Acide hyposulfurique,* Ge. *Unterschwefelsäure.* Si denique unam sulphuris partem cum tribus oxygenii combinamus, obtinemus perfectum *acidum sulphuricum,* s. *acidum vitriolicum,* Ga. *Acide sulfurique, acide vitriolique.* Ge. *Vitriolsäure, vollkommene Schwefelsäure.*]

[**SULPHURIS BALSAMUM SIMPLEX** seu *oleum sulphuratum* paratur, si olei lini unciae octo cum sulphuris depurati unciis duabus lenissimo igne caute ad perfectam sulphuris solutionem coquantur. Cautione autem magna ob gasis hydrogenii vividam evolutionem opus est. Quare sulphur partitis vicibus oleo ferventi adiiciendum est. A. *Sulphurated oil.* Ga. *Baume de soufre.* Ge. *Schwefelbalsam.*]

[**SULPHURIS BALSAMUM TEREBINTHINATUM** conficitur, si olei lini sulphurati unciis duabus sex unciae olei terebinthinae admiscentur. Vocatur quoque *balsamus vitae Rulandi.*]

[**SULPHURIS CARBURETUM LIQUIDUM**, seu *bisulphuretum carbonicum,* a Lampadio casu detectum, est con-

iunctio sulphuris cum carbonio, et obtinetur, si sulphuris vapores per tubum porcellanum, pulvere carbonum probe perustarum repletum, traducuntur. Odorem nauseosum, foetidum, acido hydrothionico similem spirat, saporem acrem, pungentem, paulisper aromaticum producit, aqua non solubile est, flammamque facile concipit. Vires medicas cum intus, tum extus adhibito tribuit Lampadius *üb. d. Schwefelalcohol.* etc. Freib. 1826. 8. Interne contra rheumaticos et arthriticos dolores, extus contra leves adustiones, animi deliquia, et partium gelu vehementi laesionem commendatur.]

SULPHURIS SPIRITUS paratur sulphur liquefactum in aëre aperto accendendo, et fumum adscendentem colligendo ope vitreae campanae, in aëre suspensae, qui repercussus, et in guttas condensatus, in patinam subpositam descendit, hinc etiam *spiritus sulphuris per campanam* dicitur. Inservit usibus chymicis, et iulapiis, et potionibus additur, ut acido imbuantur sapore, ad sitim et calorem nimium temperandum. Ge. *Schwefelgeist.* Ga. *Esprit de soufre.* B. *Zwavel-geest.*

SULPHUR VEGETABILE, vide *Anthera, Pollen.*

SUMACH est vox Arabica, i. q. *rhus coriaria.*

SUMMITATES, seu **COMAE**, aut **CORYMBI** sunt cacuminula herbarum, et dicuntur de herbis foliorum minutiorum, ut absinthii, centaurii etc. Ge. *Der Gipfel, das Oberste an den Kräutern, Spitzen.* Ga. *Le sommet.* A. *The tops.* B. *De toppen der planten.*

SUPERBUS MUSCULUS est is, qui oculum attollit, superius locatus, et ex quatuor rectis unus. Oritur iuxta foramen, ubi nervus opticus oculi orbitam intrat, venter ei carnosus est et teres: finis tendo tenuissimus est ad corneam porrectus. Dicitur etiam *rectus superior.* Ge. *Der hoffärtige Muskel.* Ga. *Muscle superbe, seu releveur.* B. *De hovaardige spier.*

SUPERCILIUM dicitur, quod *super cilium* sit, Gr. *ἐπισκύνιον* et *ὀφρὺς*. *Supercilia* sunt duo arcus circa oculi orbitam superiorem, compositi ex pilis conicis, rigidissimis, radices habentibus versus nares, apices versus tempora. Radices eorum inhaerent glandulis sub cute sitis bulbosis. Excipiunt quaecunque corpora, quae a capite defluunt, ne in oculos delabantur, et umbrae speciem faciunt, ne oculus a nimis forti lumine laedatur, hinc etiam peculiari strato fibrarum, quod *musculus corrugator superciliorum* dicitur, constringuntur. Ge. *Augenbraunen.* Ga. *Les sourcils.* A. *The eyebrows.* B. *Wynbraauwen, wenkbraauwen.* — Partes ad sinuum orbem instar labrorum circa ossa prominentes, et sinus cavitatem augentes, *supercilia* quoque dicuntur et *labra.*

SUPERFLUA, vide *Polygamia.*

SUPERFOETATIO, seu **EPICYEMA**, [a Gr. *κύημα*,

foetus, quod a *κυέω, in utero gesto*, descendit, et praepos. *ἐπὶ*, quae in compositione additionem significat.] Dicitur, cum post conceptum foetum, intercurrente aliquo tempore, ex congressu iterum novus concipitur, unde partus quoque non uno, sed diverso tempore horum duorum evenit, cuius exempla passim referuntur. Ge. *Ueberschwängerung.* Ga. A. *Superfoetation.* B. *Over-bevrugting.*

SUPERGEMINALIS, i. q. *epididymis.*

SUPERHUMERALIS, i. q. *epomis.*

SUPERIMPRAEGNATIO, i. q. *superfoetatio.*

SUPERLIGAMEN, i. q. *epidesmus.*

SUPERLIGULA, i. q. *epiglottis.*

SUPERPURGATIO, vide *Hypercatharsis.*

SUPERSCAPULARIS INFERIOR, i. q. *infraspinatus.*

SUPERSCAPULARIS SUPERIOR, i. q. *supraspinatus.*

SUPERUS botanicis dicitur *calyx*, vel *corolla* germini insidens, vel *germen superum* corollae inclusum.

SUPINATOR MUSCULUS est duplex, amboque movent radium. Primus est *supinator longus*, qui a spina humeri eiusque condylo externo oriens, iuxta superficiem externam radii decurrens, extremitati anguli externi superioris radii inseritur. Alter *brevis* est *supinator*, qui a condylo externo humeri et parte superiori et exteriori ulnae oriens, oblique decurrens, superiori et interiori parti radii inseritur, eamque quasi involvit. Hi ambo musculi actione sua sic radium extrorsum movent, ut dorsum manus deorsum, vola sursum directa sit. Ge. *Der zurückbeugende Muskel.* Ga. *Muscle supinateur.* B. *De achteromkeerende spieren.*

SUPPLANTALIA, SUPPEDANEA, sive **HYPOPEDIA** sunt medicamenta externa, quae in forma cataplasmatis, vel emplastri, pedibus alligantur: componuntur ut plurimum ex fermento acido, sinapi, raphano sylvestri, sale, sapone, pulvere pyrio etc. Ge. *Fusspappen.* Ga. *Supplantales.* A. *Feet poultices.* B. *Voet-pappen.*

SUPPOSITORIUM a *supponendo*, dicitur et *glans* et *balanus*, est medicamentum rotundum, oblongum, conicum, longitudine digiti medii in adultis, in pueris digiti minimi, aut paulo minus, ex melle, sale, et speciebus purgantibus ut plurimum confectum, quod ano inseritur, ad languentem motum peristalticum resuscitandum, alvumque sollicitandam, quandoque etiam ad tenesmum intestini recti leniendum, ascarides necandas, aliosve in usus. Ge. *Stuhlzäpfchen.* Ga. *Suppositoire.* A. *Suppository.* B. *Een zetpil.*

SUPPOSITORIUM UTERINUM, i. q. *pessarium.*

SUPPRESSIONIS IGNIS est terminus chemicus, quando vas destillatorium in arena positum, non tantum excipit ignem inferne, sed maioris effectus ergo ponitur quoque ignis supra

arenam, sicque vapores rursus ad fundum descendere coguntur. Ga. *Feu de suppression.*

SUPPRESSIO MENSIUM est, quando mulierum menstrua expurgatio cessat, sive a sanguinis inopia, vel morbosa constitutione, sive ab impraegnatione, aut lactatione, sive ab ingravescente aetate, et haec naturalis est cessatio plerumque post nonum et quadragesimum annum. Ge. *Verhaltene monatliche Reinigung.* Ga. *Suppression des mois.* A. *A stopping of the menstrual fluxe.* B. *Opstopping der maandstonden.*

SUPPRESSIO URINAE, i. q. *ischuria.*

SUPPURANTIA sunt ea, quae alicuius loci vascula, a suo liquido obstructa, rumpunt, liquidum effundunt, idque cum solidis fractis miscent, liquidissimum dissipant, reliquum movent et coquunt in materiam albam, crassiusculam, pus dictam. Ge. *Eitermachende Arzneien.* Ga. *Suppuratifs.* B. *Rypmaakende middelen.*

SUPPURATIO, s. **PYOSIS**, [a Gr. *πυόω, suppuro.*] vocatur canalium obstructorum, et materiae obstruentis vi vitae reductio et commolitio in album, blandum, spissum, aequale liquidum, pus dictum. Vide *Pyon* et *Abscessus.* Ge. *Vereiterung.* Ga. *Suppuration.*

SUPRASCAPULARIS, i. q. *infraspinatus.*

SUPRASPINATUS MUSCULUS, sive **SUPERSCAPULARIS SUPERIOR** supra axillam carnosus et oblongus implet cavitatem inter costam scapulae superiorem, et eiusdem spinam, e qua nascitur. Inseritur vero tendine lato et valido sub acromio transeunte tuberculo maiori humeri ad articuli ligamentum. Brachium elevare et ad exteriora circumagere retrorsum videtur. Ge. *Der obere Schulterblattmuskel.* Ga. *Muscle sous-épineux.* B. *Bovengraat-spier.*

SURA est posterior, intra genu et pedem infimum, maxime carnosa et extuberans pars, e musculis gastrocnemiis et soleo constans. Gr. *γαστροκνήμιον*, [quod Poll. *onom. II.* 190. per *τὸ ὄπισθεν (τῆς κνήμης) εἰς μῦν ἐπηρμένον* explicat.] Ge. *Die Waden.* Ga. *Le gras de la jambe.* A. *The calf of the leg.* B. *De braaie, de kuit.* — Item os significat *fibulae.* Vide *Fibulae os.*

SURCULUS est, quod ex ramis simplex ac individuum oritur, estque velut germen quoddam, ex ipso trunco, vel caudice productum. Ge. *Sprosse.* Ga. *Bourgeon.*

SURDASTRI, vide *Dysecoia.*

SURDITAS, i. q. *cophosis.*

SUSPENSORIUM SCROTI species est fasciae chirurgicae, quae in testium tumoribus et inflammationibus scroto applicatur, ad retinenda cataplasmata, vel ad sustinendum scrotum et testiculos tumidos. Ge. *Tragbinde.* Ga. *Suspensoire.*

SUSPIRIUM est, cum magno nixu profunda respiratio fit,

rursumque cum sonitu efflatur susceptus aër. Hoc evenit tristibus, et iis, qui saepe contristantur, in consuetudinem transit, ut etiam inscii, et sine tristitia suspirent, in morbo quoque melancholico, in cachexia, in debili valetudine, et maxime, cum quis ab animi deliquio revertitur, vel a quocunque obice pulmonum alternae dilatationi et constrictioni opposito; foeminae quoque magis suspiriis afficiuntur, quam viri. Gr. *στεναγμὸς*, [*στέναγμα*], et *στεναχή*. Ge. *Seufzer.* Ga. *Soupir.* A. *Sigh.* B. *Zugting.*

SUSTENTANTIA vocantur, quae partibus flaccidis, laxatis, prolongatis, vel naturali fulcimento privatis, tale auxilium adferunt, ut neque sponte, neque ab alia causa, removeri possint. Ad hunc titulum referuntur quaedam chirurgica auxilia, veluti splenia, fasciae, ligaturae etc.

SUSURRUS, i. q. *tinnitus.*

SUTORIUM ATRAMENTUM, i. q. *vitriolum.*

SUTURA est operatio chirurgica, scilicet connexio labiorum vulneris, aut aliarum partium mollium, quae duplex est; scilicet primo *actualis, vera* vel *cruenta*, quae fit acu triangulari, cannula et filo cerato. In medio vulneris acu, duplex filum trahente, vulneris labia transfiguntur, et facto nodo filum paulo supra nodum resecatur, deinde in mediis utrinque spatiis alii punctus simplici filo fiunt, et facto nodo, similiter filum abscinditur, idque continuandum, donec labia vulneris recte consuta sint. Haec *sutura nodosa* s. *interscissa* [A. *The interrupted suture.* Ga. *La suture entrecoupée.* Ge. *Die Knopf- oder unterbrochene Naht.*] vocatur, quod post singulos punctus, facto nodo, filum abscinditur. Prospiciendum, ne nimis rara, nec nimis densa fiat; monendum, suturas ita faciendas esse, ne ore ipsae extorto se contingant, ut, si quid intus humoris concreverit, sit, qua emanet. Unde chirurgi turundas, vel penicilla, unguentis illita, immittere solent. Est et alius suturae cruentae modus, quae prorsus ea ratione perficitur, qua pelliones pelles consuere solent, hinc *pellionum sutura*, [A. *The glovers suture.* Ga. *Suture des pelliers.* Ge. *Die Darm-* oder *Kirschnernaht.*] vulneratis intestinis et venis, et arteriis dissectis accommodata, quae *enterorhaphia* dicitur. Aliam cruentam describit *Celsus*, quae fit duabus acubus. [Ea inprimis in operatione labii leporini locum habere solet. Acus duae per vulneratas partes traiiciuntur, filoque cerato in forma numeri arabici 8 circa acus circumvoluto vulneris labia sibi propius adducuntur. A. *The twisted suture, the circumvoluted suture.* Ga. *La suture intortilée.* Ge. *Die umwundene* oder *umschlungene Naht.*] Sutura cruenta rarius hodie a peritis chirurgis, ob dolores et cicatricem deformem, in usum vocatur, nec in iactura substantiae locum habet. Altera species est *potentialis,* quae fit emplastro firmiter conglutinante, atque vocatur su-

tura *spuria*, s. *sicca*, fit ope frustulorum emplastri glutinantis, quibus vulnerum labia ad se adducuntur. In universum suturae cruentae hodie rarius et in paucissimis tantum morbis adhibentur. Ge. *Eine Naht.* Ga. A. *Suture.* B. *Hegting.*

SUTURA OSSIUM est connexionis species, qua ossa invicem coniunguntur, imitans compagem duarum serrarum, vel vestium ex plurimis pannis laceris compositionem. — In cranio praecipuae suturae sunt *coronalis*, Ge. *Die Kranznaht.* B. *Kroon-naad*, tum *sagittalis*, Ge. *Pfeilnaht.* B. *Pyl naad*, et *lambdoides*, *Winkelnaht.* Hae verae vocantur, quoniam ossium extremitates prominentiis acutis correspondentes cavitates ingrediuntur. Alia est *mendosa*, vel *spuria*, vel *squamosa*, in qua ossium margines unguium ad instar in orbem extenuantur, et alterum alteri foris quasi agglutinatur. Hae suturae *commissurae cranii* etiam vocantur. [Praeter allatos in nova editione Hildebrandtii *Handb. der Anat. des Mensch.* B. II. p. 27. scriptores cons. Ca. F. Rottböll. in *Neu. Samml. d. Schr. d. kön. Daen. Ges. d. Wiss.* Th. I. No. 10.] Gr. *ῥαφαὶ*, *συμβολαὶ*, *γραμμαί*. Ge. *Eine Fuge*, *Naht*, *Knochennaht.* Ga. *Suture*, *jointure.* A. *Suture.* B. *Een naad.*

SYCAMINOS, et **SYCAMINEA** est Morus; volunt dici, quasi *συκῶν ἀμείνω*, quod fructum ferat, *qui ficubus melius sapiat.* Sed alii *παρὰ τὸ σύειν*, sive *σεύειν* et *κάμινον*, et *movendo*, *expellendo*, et *colore:* quod lignum, cum sit validissimum et firmissimum, una nocte, magno cum impetu expellat germina, florem, fructumque, adeo ut sonitum etiam excitet. Vide *Morus.* [Spreng. ad Diosc. I. c. 179.]

SYCE, Gr. *συκῆ*, *συκέη*, Ficus arbor, *σῦκον* ficus fructus, a *σείω*, quod celeriter crescat. Alii a *σεύεσθαι*, *concitari*, et *κύειν*, *osculari* et *uterum gerere.* Vide *Ficus.*

SYCOMA, i. q. *sycosis.*

SYCOMORUS est Ficus folio Mori, fructum in caudice ferens *Bauh.* *Ficus sycomorus* foliis cordatis, subrotundis, integerrimis *Linn.* (Polygam. Polyoec.). In eo ab aliis speciebus sui generis differt, quod fructus raro, nisi vulneratus, maturescat, paucissimaque grana contineat. Viribus eccoproticis, et succus lacteus trunci aperitivis et vulnerariis pollet. Habitat in Aegypto. Sic dicitur, quod cum Ficu et Moro similitudinem habeat. [De qua exposuit pluribus Sprengel. ad Diosc. I. c. 180. A. *Sycomore*, *mulberry leaved figtree.* B. *Vygen van Pharao*, *adamsvygen.*] Ge. *Pharaofeige*, *Maulbeer-* sive *aegyptische Feige.* Ga. *Sycomore.*

SYCOSIS, **SYCOMA**, **MARISCA**, seu **FICUS** est carnis excrescentia circa anum, vel labia pudendi muliebris, a ficus similitudine appellata, idem quod *condyloma.* — „Est etiam ulcus, quod a fici similitudine *σύκωσις* a Gr. nominatur, quia caro in eo excrescit: et id quidem generale est.

Sub eo vero duae species sunt. Altera ulcus durum et rotundum est, altera humidum et aequale. Ex duro exiguum quiddam et glutinosum exit: ex humido plus et mali odoris. Fit utrumque in iis partibus, quae pilis conteguntur: sed id, quod callosum et rotundum est, maxime in barba; id vero, quod humidum, praecipue in capillo." [Eius mentionem iniecit Celsus VI. c. 5. ipsis a Blancardo allatis verbis. Caeterum conferendus est de hoc morbo Bateman *Hautkrankh. p.* 419] A συκῆ, *ficus.* Ge. *Feigwarzen.* Ga. *Fic, sarcome, fungus, champignon, le mal de St. Fiacre.* A. *Fig, tumor.* B. *Een vyg-gezwel.*

SYDERATIO, vide *Apoplexia* et *Asphyxia.*

SYLVAE MATER, vide *Matrisylva.*

SYMBEBECOTA, [Gr. *συμβεβηκότα*], sunt accidentia sanis contingentia; nam *symptomata* aegris obvenire dicuntur. A *συμβαίνω, accido.*

[**SYMBLEPHARON** s. **SYMBLEPHAROSIS** est ea concretionis palpebrarum forma, qua bulbus oculi cum membrana coniunctiva vel unius, vel utriusque palpebrae coaluit. Quomodo ab ancyloblepharo differat, vide suo loco p. 104. A *σὺν, cum,* et *βλέφαρον, palpebra.*]

SYMMETRIA est bona temperies, sive pars sanitatis, in conveniente qualitatum constitutione respectu fluidorum et solidorum consistens. Ex *σὺν, cum,* et *μέτρον, mensura.* Ge. *Gleichmässigkeit.* Ga. *Tempérament.* A. *Temperance, temper.* B. *Gematigdheid.*

SYMPASMA, i. q. *catapasma, phoenigmus.* [A Gr. *συμπάσσειν, conspergere.* Krausius reprehendit synonymum *phoenigmus.* Sed omnino Blancardus defendi potest. Cum enim Coelius Aurel., qui solus hac voce usus est, tardar. III. 7. adiecerit *acriora,* et in duobus aliis locis, quibus diapasmata occurrunt, v. c. *Acut.* II. 38. et *Tardar.* V. 2. acria atque irritantia remedia externa nominata sint, potest omnino *σύμπασμα* synonymon esse *τοῦ φοινιγμοῦ.* Nolimus autem voce *aspergines,* qua Coelius graecum *σύμπασμα* vertit, induci credere, sympasmata pulveres fuisse, qui partibus cuticula orbatis adspergerentur. Huic opinioni repugnat Acut. II. 38. Cataplasmant praeterea ex lasere et bulbis, sympasmatibus utentes. Phoenigmum Galenus *method. med. VII. c.* 4. *p.* 466. *to. X.* e thaspia vel sinapi vel similibus parat.]

SYMPATHETICUS PULVIS dicitur vitriolum solis aestu calcinatum, donec in pulverem fatiscat, qui sanguini inspersus et haemorrhagias sistere, et vulnera sanare dicitur, quemve in peculiari tractatu ideo summopere laudat *Kenelmus Digbaeus.* Usneam cranii humani addere suasit superstitiosa credulitas. Ge. *Sympathetisches Pulver.* Ga. *Poudre de sympathie.*

SYMPATHIA, sive *condolentia partium,* est, quando, una

parte corporis aegrotante, etiam simul alia adficitur, hicque morbus *sympathicus* vocatur. Pendet hic consensus vel a communione nervorum, vel a communione vasorum, vel a communione functionis, vel a situ et vicinitate, vel denique a morbosa debilitate partis, ob quam, corporis sanitate universali laesa, ea pars statim afficitur. — Hinc si quis nephritide laborat, per consensum saepe vomitus est. A *συμπάσχω*, *compatior*. Ge. *Uebereinstimmung der Theile, Sympathie*. Ga. *Sympathie, accord, convenance*. A. *Consent, sympathy*. B. *Medelyding*.

SYMPATHICI NERVI dicuntur quidam nervi corporis nostri, qui distributione et communicatione sua peculiarem inter plures partes consensum efficiunt. Tales potissimum tres ab anatomicis enumerantur. Scilicet *sympathicus magnus*, qui est *nervus intercostalis*, *sympathicus medius*, qui est *octavus*, vel *vagus*, et *sympathicus parvus*, qui est portio dura paris septimi. Vide *Pes anserinus*. Ge. *Sympathische Nerven*. Ga. *Nerfs sympathiques*.

[**SYMPATHICUS MORBUS** s. **CONSENSUALIS** vocatur, cuius causa in alia corporis parte, quam quae affecta est, residet, et in quo illud organon, in quo morbi symptomata sese exserunt, non suo ipsius vitio, sed non nisi per consensum cum affecto laborat.]

SYMPEPSIS est humorum in abscessum abeuntium coctio. A *συμπέπτω*, *concoquo*. [Galen. in *Hipp. progn. III.* 23. *p.* 273. *to.* XVIII. *pa.* 2. docet crudos crassosque humores a natura aut per abscessum, aut per concoctionem curari.]

SYMPHONIA, i. q. *harmonia*.

SYMPHYSIS, quae opponitur articulo, est ossium coalitio, quae fit absque motu, in qua duo tamen ossa se invicem tangunt, vel ad se mutuo appropinquant et cohaerent; estque vel absque medio, ut *rhaphe*, *harmonia*, *gomphosis*: vel per medium, v. c. per cartilaginem, ligamentum, carnem. A *συμφύω*, *concresco*. Ge. *Zusammenwachsung*, *Zusammenfügung*. Ga. *Symphyse*. A. *Joining*. B. *Aangroeying*. — *Symphysis* est etiam morbi species, in qua partes naturaliter disiunctae simul coalescunt.

[**SYMPHYSIS** *cardiaca* a Jos. Frankio (*prax. med. praec. Pa. II. Vo.* 2. *Sect.* 2. *p.* 156.) ille pericarditidis effectus vocatur, qui in concretione pericardii cum corde consistit et morbum efficit cum dyspnoea, oppressione pectoris, dolore et pulsatione epigastrii, pulsu frequenti, parvo, irregulari, et proclivitate denique ad hydropem coniunctum.]

SYMPHYTON, vide *Emphyton*.

SYMPHYTUM est plantae genus ad Gymnotetraspermas asperifolias pertinens, (Pentandr. Monogyn.) cuius species officinalis est *Symphytum consolida maior Officin*. *Symphytum officinale* foliis ovato-lanceolatis decurrentibus *Linn.*

Habet haec caules, duos vel tres pedes altos, digiti crassitie, villosos, asperos, excavatos. Folia quaedam ex radice crumpunt, alia iuxta caules sunt ampla, longa, acuta, aspera, lanuginosa, coloris viridis obscuri. Flos monopetalus, quinquedentatus, infundibuliformis, oblongus, et quasi campaniformis. Ex calyce quinquepartito, erecto, pentagono surgit pistillum, quatuor veluti stipatum embryonibus, qui abeunt in totidem semina, capitis viperini aemula, splendentia, nigra, in calyce ampliato maturescentia. Radix pollicem crassa, oblonga, nigra, intus alba, surculosa, fragilis, succum glutinosum continet, atque in aqua decocta contra mictum cruentum, stranguriam, dysenteriam, haemoptysin egregias praestat vires. Saporis subdulcis, mucilaginosi et viscidi est; odoris nullius. Commendatur quoque externe in luxationibus et fracturis; neque minus in herniis infantum. Prostant in officinis conserva, syrupus, et varia emplastra. Haec planta crescit in locis humidis. Dicitur a *συμφύω*, *concresco*, *conglutino*, quia vulnera citissime consolidat. *Solidago* et *Consolida* a consolidando etiam appellatur. Vide *Consolida*. Ge. *Schwarzwurz*, *Wallwurz*, *Beinwelle*. Ga. *Grande consoude*, *confière*, *oreille d'ane*, [*langue de vache*, *herbe à coupure*.] A. *Confrey*. B. *Waal-wortel*, *smeer-wortel*, *heel-wortel*.

SYMPTOMA, sive **ACCIDENS** est, [secundum Friedlaenderum, quidquid morbi naturam internam extrinsecus manifestat, et, a morbo profectum, tanquam a causa in medici conspectum prodit. Distingui possunt in *necessaria*, h. e. talia, quae cum ipso morbo fiunt desinuntque, veram ipsius naturam indicant, eumque tanquam umbra comitantur, et *accidentalia*, quae ex aegroti conditione varioque statu pendent. Priora cum ad morbi formam cognoscendam plurimum valeant, pathognomonica quoque vocantur. Olim et in symptomata morbi, causae et symptomatum dividebantur. Morbi symptomata eadem sunt, quae necessaria paulo ante vocabantur. Causae symptomata habentur ea, quae simul ab eadem noxa, a qua morbus ipse, proficiscuntur. Symptomata denique symptomatum e sola partium sympathia originem ducunt.] Pars pathologiae, quae de symptomatibus agit, *symptomatologia* dicitur. *Ασυμπίπτω*, *accido*. Ge. *Ein Zufall*. Ga. *Symptome*, *accident*. A. *An accident*, *symptom*. B. *Een toeval*, *een accident*.

SYMPTOMATICA FEBRIS dicitur talis, quae ex aliquo morbo generali, vel particulari concitata, priorem morbum non minuit, vel tollit, sed potius auget. Tales sunt febres hecticae, colliquativae etc.

SYMPTOMATOLOGIA est pars *pathologiae universalis*, quae de morborum symptomatibus agit. Ge. *Die Lehre von den Zufällen der Krankheiten*. Ga. *Symptomatologie*.

SYNACTICA medicamenta sunt idem, quod contrahentia. A *συνάγω, contraho,* quae aut a se invicem distant, aut aperta sunt. Ge. *Zusammenziehende Mittel.*

SYNAITIA, vel **SYNAETIA**, vide *Continens causa.* Ex *σὺν, cum,* et *αἰτία, causa.*

SYNANCHE est anginae species, quae dicitur vel a suspendii similitudine, quod non secus, quam laqueus, praefocans enecet (Gr. *ἀγχόνη* enim *laqueus* est), vel a *συνέχειν,* quod spiritum continendo respirationem inhibeat, ut *Aurelianus* [*morb. acut. III. c.* 1.] inquit. Est anginae species, sive inflammatio p. n. in musculis pharyngis interioribus, hinc absque conspicuo rubore et tumore, cum summa deglutiendi difficultate, fauciumque dolore coniuncta; quodsi enim musculi exteriores laborant, *Parasynanche* dicitur. Vide *Angina.* A *συνάγχω, coarcto.* Ge. *Bräune, Halsweh, Halsentzündung.* Ga. *Esquinancie.* A. *The quinsy.* B. *Kwaade keel, keel-ontsteeking.*

SYNARTHROSIS est [immobilis duorum ossium iunctura, quae vel per suturas, vel ita perficitur, ut unum os ab altero excipiatur, cuius coniunctionis unum tantum in dentibus prostat exemplum. Ga. *La synarthrose.* Ge. *Die unbewegliche Knochenverbindung.*] A *συναρθρόω, articulationem compingo.* B. *T'zamen-leding, naauw in malkander gesloten leding.* Vide *Articulatio.*

SYNCAMPE est flexura, sive locus, ubi pars brachii inferior committitur cum superiore, et ad hanc inflectitur. A *συγκάμπτω, inflecto.*

SYNCAUSIS est combustionis species, quando excrementa, aestu quasi febrili, indurata sunt. A *συγκαίω, comburo.*

SYNCHONDROSIS est ossium, interveniente cartilagine, concretio, uti in ossibus pubis ad anteriora connexis et vertebris observatur. Ex *σὺν, cum,* et *χόνδρος, cartilago.* Ge. *Knorpliche Verbindung.* Ga. *Synchondrose,* sive *symphyse cartilagineuse.* B. *Kraak beens vereeniging, kraak beens binding.*

SYNCHYSIS est sanguinis, aut humorum confusio p. n. in oculo, eorumque in pus viscosum et serum luteum immutatio. A *συγχύω, confundo.* [Benedict in diss. in. *de morb. humor. vitr. in oculo hum.* Lips. 1809. 4. dissolutionem humoris vitrei per hanc denominationem intelligit. Idem fusius adhuc de hoc morbo exposuit in *Handb. d. prakt. Augenheilk. Th. V. p.* 163. ss. Beer *Augenheilk. II. p.* 257. Fabini *de morb. ocul.* Pesth. 1823. §. 653. ss.]

SYNCIPUT, vide *Sinciput.*

SYNCOMISTUS, vide *Autopyrus.* [Galen. in *exeges. voc. Hipp.* de pane exponit, ad quem conficiendum omnis generis farina adhibetur.] Item est cataplasma ex pane cibario paratum. A *συγκομίζω, conveho.*

SYNCOPALIS FEBRIS vocatur, quae toties, quoties redit paroxysmus, animi deliquium inducit.

SYNCOPE est magna omnium virium vitalium et animalium cum pulsu debili, aut deficiente, pallore, sudore frigido, saepe etiam respiratione fere abolita, et motus sensusque privatione coniuncta prostratio, adeo ut aeger per aliquod tempus sui conscius non sit, et instar cadaveris iaceat. A *συγκόπτω, concido. Defectio animae Celso. Deliquium animi. Praeceps virium lapsus.* Vide *Deliquium animi.* Ge. *Eine schnelle und grosse Ohnmacht.* Ga. *Defaillance.* A. *Feebleness, fainting.* B. *Onmacht, zwymeling, flaauwte.*

SYNCRITICA [non sunt medicamenta relaxantia, uti Blancardus Castellum secutus voluit, sed potius medicamenta, quae partes solutas coniungunt, et coagmentant; seu concrescere faciunt. A *σύγκρισις, concretio.* — Fuerunt *σύγκρισις, συγκρίνεσθαι, συγκριτικὰ* termini technici, quibus saepe utebatur Thessalus, methodicae sectae addictus, impudentissimus gloriator, qui ad Neronem scribebat, se novam condidisse sectam, quae sola vera sit, quoniam qui ante ipsum medicinam exercuissent, nihil utile prodiderint, vel ad sanitatem tuendam, vel ad morbos curandos. (Nonne credas audire celebratissimum auctorem organi artis medicae?) Galen. *meth. med. I. c. 2. p.* 8. *to. X.* et IV. c. 4. p. 268. Scripsit Thessalus de syncriticis.]

SYNDESMOLOGIA est doctrina de ligamentis. A *δεσμὸς, vinculum.*

SYNDESMOSIS, i. q. *synneurosis.*

SYNDESMUS, i. q. *ligamentum.*

SYNDROME est congressus variorum symptomatum in uno morbo concurrentium. Gr. *συνδρομὴ, concursus.*

[**SYNECHIA** (penultima longa: nam Gr. *συνέχεια, connexio*), vocatur illud oculi vitium, quo iris aut cum cornea, aut cum capsula lentis concreta est. Illud vitium synechia anterior, hoc synechia posterior nuncupatur.]

SYNEDREVONTA sunt signa communia, quae una cum morbo invadunt. Haec cum morbis necessario non cohaerent, nec fluunt ab eorum essentia, declarant tamen aliquid circa morbum: magnitudinem scilicet, durationem, morem etc. A *συνεδρεύω, consideo.*

SYNGENESIA est classis plantarum, flores compositos, flosculosos, semiflosculosos et radiatos comprehendens, in quorum corollis monopetalis filamenta quinque continentur, totidemque antherae lineares, erectae, lateribus coalitae in cylindrum tubulatum, quinquedentatum, longitudine limbi. *Linn.* Vide *Polygamia.*

SYNYMENESIS est talis connexio, quae fit ope membranarum, uti in recens natis ossa sincipitis iunguntur cum osse frontis. Ex *σὺν, cum,* et *ὑμὴν, membrana.*

SYNIZESIS, [nam *synysesis* est prava vocis graecae pronuntiatio], est plenaria obturatio pupillae a coalitis uveae labris, quae pupillae imperforatio vel est nativa, vel acquisita, ut ab hypopyo, empyesi, cataracta purulenta, cephalaea, ophthalmia choroideae. *Sauv.* A συνίζω, *subsideo.* Ge. *Verschliessung des Augensterns.*

SYNNEUROSIS, rectius *Syntenosis*, vel *Syndesmosis*, est ossium nexus, seu alligatio, quae fit interventu ligamentorum, ut os femoris cum tibia, patella etc. Ex *σὺν*, *cum*, et *νεῦρον*, *nervus.* Ge. *Verbindung der Beine durch Knochenbänder.* Ga. *Synneurose*, sive *symphyse ligamenteuse.* B. *Bandhegting*, *bandige t'zamenvoeging.*

SYNOCHA est febris remittens, quae stato, vel incerto tempore, periodice intenditur et remittitur, et ad septimanam usque extenditur, cum insigni ardore et nonnunquam putredine coniuncta. [Krausius bene animadvertit, a quibusdam excogitatam, et hucusque defensam differentiam inter *synocham* et *synochum* linguae graecae usu non satis firmari, et multorum errorum causam fuisse. Poterat addere, illam ex ignorantia graecae linguae ortam esse. Nam συνοχὴν graeca lingua non novit, cum σύνοχος sit generis communis. Multis id probavit Ill. Clarus in *Ann. d. klin. Inst. in Leipz.* I. 1. p. 38. ss. Galen. *de differ. febr. I.* c. 1. σύνοχον opponit πυρετῷ συνεχεῖ.] A συνέχω, *contineo.* Ge. *Anhaltendes Fieber.* Ga. *La synoque.* B. *Een geduurige verminderende en verheffende koorts.*

SYNOCHUS est febris continens, nullas remissiones habens, quae ad duas et tres septimanas extenditur, et in qua pulsus sanum, in morbi saltem statu, notabiliter superat. Estque *simplex*, vel *putrida*, prout intensius, vel mitius saevit. A *συνέχω*, *contineo.* Latinis vocatur febris continens, vel diaria plurium dierum, quia sola diuturnitate ab ephemera differt. Ge. *Ein anhaltendes Fieber.* Ga. *Fièvre continue.* B. *Een geduurige koorts zonder vermindering.*

SYNOVIA proprie est liquor glutinosus intra articulorum commissuras maiori copia collectus haerens, lubricationi et facilitando motui inserviens, secretus in glandulis, Haversianis dictis, quae illis in locis reperiuntur. [Recentioribus temporibus cum ex humano corpore, tum ex equo desumta, chemice disquisita est. Lassaigne et Boissel enim humanam constare repererunt e flava pinguedine atque albumine, quae principem liquoris partem efficiunt, e materia animali non coagulabili, natro, kalioque et natrio chlorico: Johnius autem, qui equinam synoviam experimentis subiecit, in quingentis eius partibus deprehendit albuminis ad siccitatem redacti 32,00, calcis phosphoricae 0,50, usque ad 0,75, materiae animalis combustibilis, natri muriatici, (phosphorici non nisi vestigia) et carbonici, calcis denique phos-

phoricae in universum, 3,00, l aquae 4,64.] — Ita vero liquor praecipue vocatur, si hic gelatinosus e vulneribus tendinum et ligamentorum effluit, cuius effluxum facile aridura, vel contractura sequitur. Gc. *Gelenkschmiere, Gliedwasser.* Ga. *Synovie.* B. *Lid-water.*

SYNTASIS est partium, a tumore, vel ex alia causa, distensio. A *συντείνω, distendo.*

SYNTENOSIS, i. q. *synneurosis.* [Spigelium atque Bartholinum patellae cum vicinis partibus coniunctionem syntenosin vocasse, observavit Krausius.]

SYNTERETICA est pars *hygieinae,* quae praesentem sanitatem tuetur. [A Gr. *συντηρέω, conservo, συντηρητικὸς, conservandi vim habens.*]

SYNTEXIS, a *Plin.* [*hist.* nat. XXII. c. 25. s. 61. retentum sine explicatione, uti et *syntecticus,*] *a Cicerone consummatio* vocata est contabescentia et colliquatio corporis, qua mollis primum caro tabescit, mox etiam solidarum partium substantia. A *συντήκω, colliquo.* Vide *Marasmus.*

SYNTHESIS est totius corporis structura et compages; sed stricte pro ossium compositione anatomica accipitur. Ge. *Zusammenfügung.* Ga. *La charpente osseuse du corps humain.* B. *Zamenvoeging der beenderen.* — Chirurgis denotat partium divisarum, vel dissitarum unionem, vel repositionem, sicque partem chirurgiae constituit. A *συντίθημι, compono.*

SYNULOTICA, vide *Cicatrisantia.* A *συνουλόω, cicatricem infero.*

SYPHILIS idem quod *lues venerea.* Ex *σῦς, porcus,* et *φιλέω, amo,* vel, ut alii, ex *σὺν, cum,* et *φιλία, amor.* Alii id nomen deducunt a *Siphylo*, qui regis Alcithoi greges pascens, illorum numero et pulchritudine superbus soli insultavit, ad cuius superbiam puniendam immissa est in terram dira lues. [Vid Fracastori *Syphil. p. m.* 153.] Ge. *Lustseuche.* Ga. *Vérole.* A. *Pox, venereal disease.* B. *Venus ziekte.*

SYPHON, i. q. *syringa.*

[**SYPHONIA** elastica. Vid. *Resina elastica.*]

[**SYRIGMA** a Danicle (*Syst. nosol. Pa. II.* p. 437.) inter loquelae vitia refertur, quando verba cum sibilo proferuntur. Morbum hunc rheumatis, pleurodynes, asthmatis atque anginae comitem esse asserit. Swediaur *l. c. II. p.* 334. hoc loquelae vitium psellismi speciem fecit sub nomine *syrigmi.* Sed hac denominatione insignivit idem auditus organi morbum, de quo paulo post erit actum. Quamobrem ob duorum morborum, eorumque diversissimorum, facilem confusionem duo quoque, eaque diversa, nomina rectius adhiberi putaverim. A *συρίσσω, sibilum edo.*]

[**SYRIGMUS** a Swediaur *l. c. p.* 316. synonymon pseudo-

coïae esse statuitur. Sub hoc autem nomine intelligit auditum erroneum seu depravatum cum perceptione tinnitus, susurri, strepitus in aure una aut utraque vel transitorium, vel permanentem. In prolus. II. *de inepta cognit. gr. serm. simulat.* (*Opusc. to. II. p.* 283.) Dioscoridem laudavi, *I. c.* 39. *p.* 50. ed. Spr. coniungentem ὤτων πόνους καὶ ἤχους καὶ συριγμοὺς. — A. *Noise in the ear, ringing in the ear, false* sive *faulty hearing.* Ga. *Tintonin, sifflement, brouissement des oreilles, fausse ouie.* Ge. *Ohrensingen, Ohrensausen, Gehörtäuschung.*]

SYRINGA est instrumentum, ex embolo et tubo compositum, quo liquores in anum, uterum et aures etc., iniiciuntur. — Item, vas fistulosum, ut arteria aspera. Ge. *Eine Spriitze.* Ga. *Syringue.* A. *A spout,* seu *syringe.* B. *Een spuyt, syring.*

SYRINGA arbuscula est pulchra, olim ex Persia ad nos adlata, in latum se valde extendens. Caules et rami sunt nodosi, et cortice rubicundo obtecti, vel cinereo, medulla fungosa alba repleti. Folia sunt oblonga, lata, venosa, in margine leviter dentata, acuta, Pyri foliis fere similia, sed asperiora, sibi mutuo opposita, saporis aliquantum acris. Calyx est monophyllus, quadrifidus, segmentis magnis expansis. Flos est rosaceus, tetrapetalus, staminibus plurimis foetus. Ovarium in fundo calycis instructum quatuor tubis erectis, apiculatis, fit fructus turbinatus, quadrilocularis, niger, quadrifariam dehiscens, foetus seminibus exiguis, et oblongis. Radix in multos ramos est divisa. Colitur haec arbuscula in hortis. Est haec *Philadelphus coronarius Linn.* (Icosandr. Monogyn.) flore plerumque albo. Ge. *Wilder Jasmin.* Ga. *Syringe à fleurs blanches.* A. *White Syringa,* sive *mock orange.* — Alia est *Syringa vulgaris Linn.* flore caeruleo, calyce monophyllo, quadridentato, corolla monopetala, capsula oblonga, biloculari, bivalvi, polysperma, (Diandr. Monogyn.) quae pariter ob florum fragrantiam in hortis nostris frequenter colitur. Nomen habere creditur, a σύριγξ, *fistula,* quod ex illa arbuscula fistulae fiant, vel quod fistulis utilis sit, vel quod caulis inanis sit et totus concavus, fistulae instar, minimumque habeat carnis et ligni. Ge. *Spanischer* oder *Türkischer Hollunder, Pfeifenstrauch.* Ga. *Lilas commun, queue de renard de jardin.* A. *Common lilac, pipe tree.* B. *Fluit-boom, pyp-boom, gemeene syring.*

SYRINGITES, i. q. *dentalium.*

[**SYRINGITIS** Eustachiana vocatur a Ca. Jos. Beckio (*die Krankh. d. Gehörorg.* 1827. p. 140.) inflammatio membranae, tubam Eustachianam investientis. Incongruam autem hanc denominationem propterea, quod cognomen magis ad inflammationem, quam ad tubam spectat (*die Eustachische Röhrenentzündung*), iudicavit V. D. in *Leipz. Liter. Zeit.* 1828.

No. 198. p. 1581. Ge. *Entzündung der Eustachischen Trompete.*]

SYRINGMOS, vide *Syrigmus.*

SYRINGOTOMI sunt cultelli chirurgici, quibus fistulae inciduntur, quibus variae sunt formae. [Cons. Schreger *Grundr. d. chir. Oper. p.* 63. ed. 2.] Ge. *Ein Fistelmesser.* Ga. A. *Syringotome.* B. *Fistelmesjes, pyp-snyders, fistelsnyders.*

SYRINGOTOMIA est fistularum incisio. Ex σύριγξ, *fistula*, et τέμνω, *seco.*

SYRONES, vide in *Phthiriasis.*

SYRUPUS, SERAPIUM, Gr. δρόσατον. *Nic.* σεράπιον *Actuario.* Aliis συρουπὸς, quasi κύριος ὀπὸς, ut cuidam placuit. Aliis a σύρω, *traho*, et ὀπὸς, *succus*, vel a *Sirab* voce Arabica, significante potionem. *Serapium* fortassis a *Sirapa*, quam vocem adulta Latinae linguae aetas, quae *Columellam* [*de r. r.* XII. c. 49. ubi olim in initio orationis tanquam lemma adscriptum erat aut *Sirapa quomodo fiat,* aut *Sarosa quomodo fiant,*] tulit, agnovisse videtur, pro usitato quodam conditurae olivarum genere: unde ad similes condituras translata est vox. Est medicamentum internum fluidum, ex decoctis, succis, vel infusione, cum addito saccharo, vel melle, in eam consistentiam coctum, ut gutta in marmore non diffluat, aliis medicamentis gratiam, saepe consistentiam et durationem largiendis inserviens. [Cel. Krausius non *syrupum,* sed *sirupum,* aut sirobum scribendum esse, supra p. 1366. monitum est. Derivat enim vocem ab Arab. شربة seu شربت (*scherbeth* seu *soherbet*) i. q. succus saccharo conditus, quos Nicol. Myrepsicus *zulapia* vocavit, remedium liquidum.] Ge. *Syrup.* Ga. *Syrop.* A. *Syrup.* B. *Een syroop.*

SYSIRINCHIUM, vide *Sisyrinchium.*

SYSSARCOSIS est connexus ossium mediante carne, ut in hyoide osse et basi scapulae conspicitur. Ex σὺν, *cum*, et σαρκόω, *incarno.* [Galen. *de ossib. prooem. p.* 738. *to.* II. ed. Lips.] Ge. *Befestigung der Knochen durch Muskeln.* Ga. *Syssarcose,* seu *symphyse charnue.* B. *Vlees-band,* seu *vleeshegting.*

SYSTEMA in historia naturali dicitur constitutio characterum, per quos corpora naturalia in classes, ordines, genera et species distribuenda sunt. Anatomicis est complexus quarundam partium similarium, eoque sensu systema vasorum, nervorum dicitur. A συνίστημι, *constituo.*

SYSTOLE est fibrarum muscularium cordis contractio, eiusque ventriculorum commissio, qua ab influente sanguine irritatae ita constringuntur et cava angustantur, ut sanguis in diastole receptus magno cum impetu in arterias, pulmona-

lem atque aortam, protrudatur. Sic etiam arteriae ab impulso sanguine distentae, ope [elasticitatis] constringuntur, sanguinemque propellunt, quae mutatio etiam systole vocatur. A *συστέλλω*, *committo*. Ge. *Zusammenziehen des Herzens und der Pulsadern*. Ga. *Systole, contraction du coeur, et des artères*. A. *Contraction of the heart, and arteries*. B. *Toesluiting des herts*.

SYZYGIA est debita temperies. Ex *σὺν*, *cum*, et *ζεῦγος*, *iugum*.

T.

T FASCIA, i. q. *fascia Heliodori*, s. fascia pro fistula ani et laesionibus perinaei. Ge. *Die* T *Binde*. Ga. *Le T*.

TABACUM est petum; nomen habet ab insula Tabago. Vide *Nicotiana*. Ge. *Taback*. Ga. *Tabac, nicotiane, petum*. A. *Tobacco*. B. *Tabak*.

TABAXIR est *saccharum* naturale veterum et Arabum, scilicet succus dulcissimi saporis, exstillans ex surculis Arundinis Indicae, Tabaxiferae, vel Bambou. Substantia est fragilis, sicca, apud nos rarissima. [Erronea est Blancardi sententia. Nam tabaxir non dulcem, sed salinum et subadstringentem habet saporem, et in nodis geniculatis arundinis tabaxiferae reperitur. Constat e silicio, calce et kali. An iodium quoque contineat, quaesitum est. Cons. *Philos. Transact. vol. LXXX. LXXXI. p.* 273. sq. M. S. I. Lüdgers d. i. *de medicamento nov-antiquo Tebaschir*. Gott. 1791. 8. cuius libelli notitiam debeo Exc. Kunzeo, qui de hoc corpore et alia attulit notatu digna ad Richardi *med. Bot. II. p.* 1243. et Brewster in Philos. Transact. 1819. p. 283—299. A. *Tabasher*.]

TABELLA est medicamentum internum, solidum, ex pulvere, et triplo vel quadruplo sacchari, in liquore accommodato soluti, ad spissam syrupi consistentiam cocti, et supra lapidem marmoreum in orbiculos effusi, confectum. Vide *Morsuli* et *Tabella*. Ge. *Küchelchen, Morsellen*. Ga. *Tablette*. A. *A morsel*. B. *Koeckjes*.

TABES est totius corporis macilentia, cum febre habituali, citra tussim et puris sputum. Differt ab atrophia, quae febre habituali caret; nec non a phthisi, quae tussi et puris sputo, vel alterutro, stipatur. Alia est primaria, seu morbi praecipuum symptoma, alia secundaria, quae morbo alterius generis, iam degeneris, supervenit aut succedit, eaque frequentissima est. *Sauv*. Ge. *Mit Fieber begleitete Auszehrung*. Ga. *Etisie, consomption*. A. *Consumption*.

TABES DORSALIS est species tabis, quae praecipue libidinosos, qui coitu abutuntur, vel manustuprationi dediti sunt, corripit. Hi aegri in initio febris sunt expertes, bene

comedunt et colliquantur. Quod si ita affectos percuncteris, asserent, sibi videri ex superioribus partibus a capite velut formicas in spinam demitti, cumque urinam, aut stercus reddunt, semen genitale copiosum et liquidum eis nonnunquam effluit, neque generatio fit, et inter dormiendum veneris ludibria patiuntur. Cumque alias, tum praecipue, cum per locum arduum iter fecerunt, aut cucurrerunt, anhelosi et imbecilles evadunt, caput gravatur et aures sonant. Sic temporis progressu, vel vehementibus febribus correpti, ex lipyria febre vel lente pereunt. Ge. *Rückendarre.* Ga. *Consomption.* A. *A consumption in te spinal marrow.* B. *Rugge teering.*

TABULA, vide *Tabella* et *Morsuli.*

TABUM est sanies tenuis, varii saepe coloris, aliquando subsanguinei, e malo ulcere exiens. Ge. *Wässericht-blutiger Eiter.* Ga. *Sanie.* A. *Watery* sive *ichorous blood.* B. *Waterig bloed.*

TACAMAHACA est substantia resinosa, arida, flavescens, vel rufa, quae vel in granis, vel in glebas et massas compacta ad nos adfertur, saporis subaromatici, odoris suavis et fragrantis, ad Lavandulam accedentis. Haec resina stillat vel sponte, vel praevia corticis incisione, ex arbore, quae creditur quidem esse Tacamahaca foliis crenatis *Pluk.* *Populus balsamifera* foliis ovatis, serratis, subtus albidis, stipulis resinosis *Linn.* (Dioec. Octandr.). A. *The balsamtree.* Ge. *Die Balsampappel, Balsamespe.* B. *Balsam popelier.* Ga. *Baumier.* Verum illa arbor, quae, teste Hernandio, veram Tacamahacam fundit, appellatur ab Ill. *Iacquino* Hist. stirp. Americ. p. 105. t. 71. f. 1. 2. 3. *Elaphrium tomentosum,* (Octandr. Monogyn.) corolla tetrapetala, calyce quadripartito, infero, capsula monosperma, bivalvi, semine semibaccato. Species, unde Tacamahaca desumitur, differt ab altera non officinali, foliis tomentosis. Species vero Tacamahacae magis fluida stillat ex arbore, quae est *Fagara octandra Iacquin.* Arbor in Hispania nova habitat, caeterum Populo similis, fructus fert exiguos rotundos, nucleum unicum recondentes. Resina viribus lenientibus, vulnerariis, maturantibus et nervinis gaudet. Interne rarius adhibetur. Frequentior usus externus in suffimigiis et emplastris. Commendatur in odontalgia, gastrodynia, cephalalgia, cophosi, hysteria, et ad resolvendas lupias nondum inveteratas. [Vrolik in *Catal. plant. med. in pharmac. Bat. memor.* Ed. 3. Amst. 1813. 8. contendit, non Fagaram octandram, sed potius Burseram gummiferam arborem esse, e qua proveniat resina Tacamahacae.] Arbor huic satis similis, resinamque sat similem, sed magis viridescentem fundens, crescit in insula Madagascar. [Haec arbor, Lamarkio iudice, vocatur Calophyllum Tacamahaca W.

Fundit ea incisa optimum tacamabacae orientalis genus, coloris ex albo flavescentis seu viridis, translucens, molle atque viscidum. Odorem florum lavendulae spirat, ab oleo volatili, quod destillatione inde obtineri potest, pendentem, saporem habet amariusculum.] Ge. *Tacamahac.* Ga. *Tacamaque.* A. B. *Tacamahac.*

TACTUS est sensus externus, quo tactiles quorumvis corporum tactilium qualitates, per functionem nervorum, per totum corpus diffusorum, (et praecipue eorum, qui ad digitorum apices, tum manus, et pedis, cutem transeuntes, retis in modum expanduntur, et suis villis prominentibus in theculis cuticulae defenduntur, qui, ut ubi copiosissimi ob accuratiorem sensum, sic alibi per totum corpus pauciores sic dispositi sunt) communi sensorio offeruntur, ibique percipiuntur. Vel tactus est rei tactae, mediante cute, per nervos sensorio communi oblatae, ibique perceptae, sensus, quo nunquam penitus caremus ad ultimum fere vitae momentum, quo alii sensus iam deficere incipiunt. Ge. *Das Gefühl.* Ga. *Le toucher.* A. *The sense of touching.* B. *'T gevoel.*

TAENIAE sunt *lumbrici lati* quorundam auctorum, scil. animalia quasi ex pluribus aliis concatenatis composita, in intestinis hominum, et aliorum fere omnium animalium hospitantia, et ad multarum saepe ulnarum longitudinem excrescentia. *Solitarii vermes* dicuntur, quod singuli tantum, vel unici, in uno animali habitare, minus tamen recte, credebantur. Plures huius generis dantur species. 1) *Taenia solium* osculis marginalibus solitariis, Taenia articulata teres *Linn.* Vermis cucurbitinus *Plat.* Taenia longa, articulis quadrangulis, osculis marginalibus solitariis, *Pallas.* Est hoc animal lineare, niveum, compressum, articulatum, striatum, antice truncatum, apice sensim in acumen attenuatum, constans innumeris fere articulis: articuli singuli sunt ovati, compressi, striis circiter duodecim longitudinalibus exarati, angulo altero in medio perforati; apex articuli singuli coronatus est margine prominulo, basis vero singuli articuli truncata, in medio parum prominula sunt. Videtur esse proliferum, eiusque formae est, ac si scyphi, uno scilicet ab altero recepto, essent intra sese repositi, facie et more Madreporae. Hinc *vermes cucurbitini* nihil aliud sunt, quam articuli ab hoc animali separati, qui tamen facilius circa extremitatem crassiorem a se invicem secedunt. 2) *Taenia vulgaris* osculis lateralibus geminis, taenia articulata plana *Linn.* Lumbricus latus *Spigel. Plat.* Corpus album, planum, lineare, et fere membranaceum, articulatum, latitudine vix pollicis, angulis acutis et mediantibus articulationibus quasi serratis; altera extremitate plerumque truncatum, altera vero sensim attenuatum: articuli

singuli sunt plani, quadrangulares, latiores plerumque, quam longi; osculo subtus in latere plano singuli segmenti gemino; altero scilicet versus basin articuli constante foramine minime marginato, aut prominulo, et alio foramine minus conspicuo, ante priorem obvio, in centro fere articuli, longitudinali; rima dehiscente. Haec species proprie dicitur *lumbricus latus,* et saepe in longitudinem plurium ulnarum excrescit, faciem vittae gerens, vulgatissima inter taenias, homines infestantes. 3) *Taenia lata* osculis lateralibus solitariis *Linn.* Taenia articulis brevioribus *Bonnet.* Taenia articulos non dimittens *Dion.* Taenia lata, candida, articulis brevissimis, nodosis, uniosculatis *Pallas.* Corpus longissimum, candidum, latum, planum, altera extremitate attenuatum in filum longissimum; articuli multoties breviores latitudine corporis, transversim striati, media glandula tumidi, et corpus sulcis utrinque ad glandulas circiter tribus, vel quinque longitudinalibus exaratum: oscula ab altero latere corporis, in media glandula in idem latus tumidiore, solitaria. (Caput in extremitate fili, ex quatuor papillis cavis compositum *Bonnet.*). Rarissime haec species in hominibus, frequentissime in canibus passim observari dicitur. — Plures adhuc innotuere taeniarum species, ut Taenia canina, Taenia hydatigena *Pall.* vel Hydra hydatula *Linn.* Taenia piscium etc. in canibus, equis, ruminantibus, piscibus et ranis, vix in hominibus reperiundae. Licet quidem admodum verosimile sit, ova huius animalis in corpora animalium delata, ibidem evolvi, nutriri et increscere, plura tamen circa eius generationem adhuc latent. Taeniae praesentia in homine cognoscitur ex cardialgia, orexi, anima foetente, ructu nidoroso, sputatione, nausea, facie pallida, amblyopia, pondere et dolore abdominis, diarrhoea mucosa, certissime vero ex portionibus animalis excretis. Plura passim contra taeniam celebrantur specifica, inter quae nostris temporibus renovatus est usus radicis Filicis maris. (Filix non ramosa dentata *Bauh.* *Polypodium filix mas Linn.*) cuius tres drachmae adulto propinantur, subiuncto paucas post horas purgante valido ex panacea mercuriali, resina scammonii et gummi guttae. Observatum tamen est, hanc methodum longe efficaciorem esse ad expellendam taeniam latam et vulgarem, quam ad abigendos vermes cucurbitinos. Alii drastica purgantia et usum aquae frigidae summopere commendant. [Cons. classicum Ca. Asm. Rudolphi opus: *Entozoorum* s. *vermium intestin. hist. nat.* Amstel. 1810. 8. Vol. II. Pa. 2. p. 70—214. ubi huius generis 115. species describuntur. De Taenia solium, quae primam in armatarum familia speciem offert, actum est p. 160—165. Scriptoribus allatis addi potest Müllerus, regi Dan. a consil. status, qui in *Nye Samling af det Kongel.-Danske Witenskab. Selsk.*

Skrifter. Th. 1. Hafn. 1781. commentationem de taenia publici iuris fecit. A. *The tape worm, jointed worm.* B. *Lintworm.* Ga. *Le taenia, le vers plat.* Ge. *Bandwurm, Nestelwurm, Kettenwurm.*]

TAGETES est plantae genus flore composito, radiato, (Syngénes. Polygam. Superfl.) cuius plures dantur species. Habent caulem plus minusve altum et crassum, nodosum, ramosum, plurima medulla alba repletum. Folia sunt Tanaceti foliis satis similia, oblonga, acuta, in margine dentata, viridia, plura supra unam costam disposita terminatam per unum foliolum. Odoris est nec valde gravis, nec grati. Calyx est simplicissimus, monophyllus, erectus, oblongus, pentagonus, quinquedentatus. Flores radiati, quorum scilicet discus ex plurimis flosculis multifariam incisis, corona vero ex semiflosculis componitur, embryonibus insidentibus et calyce monophyllo et tubulato comprehensis. Embryones autem deinde abeunt in semina longa, angulata, nigra, capitulo foliato instructa, et thalamo affixa. Radix ex multis fibris tenuibus et mollibus constat. Ob florum elegantiam passim in hortis coluntur. Decocto foliorum vis diuretica, emmenagoga et abstergens tribuitur, aliis suspecta. Rarissimi in medicina usus. Ge. *Afrikanische Reinfarren, Sammet-* oder *Studentenblumen, Türkische Nelke, Schreiberrose, Tuniserblume.* Ga. *Oeillet d'Inde, rose d'Inde, fleur de Rome, l'Africaine.* A. *African marygold.* B. *St. Anthonys-bloem, Afrikaan, Fluweel-* seu *Tunisbloem.*

TALCUM est lapis apyrus, ad contactum subpinguis, friabilis, gravitatis specificae ad aquam ut 3 ad 1. Talcum albicans, lamellis subpellucidis *Wall. Mica talcosa,* lamellis flexuosis friabilibus, virescenti albidis diaphanis *Linn.* Praefertur talcum Venetum. Refertur inter cosmetica. Ge. *Talk.* Ga. *Talc.* A. *Talk.* — *Talcum fibrosum* est Gypsum striatum.

TALEOLI sunt segmenta cylindri ad eius axin perpendiculariter facta. Sic varii fructus, vel radices exsiccandae in taleolos discinduntur. Ge. *Scheiben.*

TALPA est animal quadrupes ad mammalia bestias pertinens, cui dentes primores superiores sex, inferiores octo, laniarii, maior unus, et minores quatuor; molares acuminati. Vulgaris species est *Talpa caudata Linn.* pedibus pentadactylis. Habitat in Europae humosis sub terra, victitans e lumbricis, non plantis, noctu praedatur. Penis omnium animalium longissimus. Pellis delicatula. Nonnulli veterum talpam combustam cum melle et albumine ovi contra gangraenam, lepram et strumam commendant. Sanguis contra alopeciam laudabatur. Ge. *Maulwurf, Moltwurf, Mollmaus, Schur-* seu *Scharrmaus.* Ga. *Taupe.* A. *Mole, mole warp, want.* B. *Mol, aard-mol.*

TALPA est tumor, ita dictus, quod, sicut talpa sub terra repit, hic sub cute cranium depascit, plerumque materiam albam in se continet. Referri potest ad species atheromatis. Ge. *Speckbeule am Kopfe.* Ga. *La taupe.* B. *Een blind gezwel.*

TALPARIA, i. q. *talpa.*

TALUS, vide *Astragalus.*

TAMARINDUS s. **THAMARINDUS**, Balam pulli *Rheed.* est arbor Fraxini, aut Iuglandis, Castaneaeve amplitudine. Folia sunt solsequia, noctu se contrahentia, interdiu se explicantia, minutim incisa, vere forma et virore Ciceris arietini, palmae magnitudine. Calyx est tetraphyllus, planus, foliolis ovatis, aequalibus. Corolla constat e petalis tribus, ovatis, planiusculis, plicatis aequalibus, patentibus, calyce minoribus, calycis divisuris insertis, spatium pro quarto et infimo vacuum relinquentibus. (Triandr. Monogyn.). Legumen est longum, compressum, vestitum duplici cortice, inter utrumque pulpa interiecta, uniloculare; semina tria, aut plura, angulata, compressa. Habitat arbor [*Tamarindus indica Linn.*] in India utraque, Aegypto et Arabia. Adferuntur ad nos fructus, vel siliquae conquassatae et compressae, e quibus pulpa extrahitur. Haec qualitatis est acidulae, insignibusque viribus eccoproticis et refrigerantibus gaudet. Hinc, praecipue cum sero lactis ad unam alteramque unciam data, in febribus phlogisticis, putridis et biliosis summopere conducit. E pulpa facile sal acidum essentiale extrahitur. *Tamar* Arabibus et *Tamar-Indi* idem vult, ac *Dactylus* Indi, quamvis dactylum, vel glandem non, sed siliquam referat. [Secundum Vauquelini experimenta unciae sedecim pulpae tamarindorum constant e tartari drachm. 1, gr. 12, gummi dr. 6, sacchari unciis 2, gelatinae unc. 1, acidi citrici unc. 1, dr. 4, acidi tartarici liberi dr. 2, acidi malici gr. 40, materiae parenchymatosae unc. 5, aquae unc. 5, dr. 6, gr. 52.] Gr. *Ὀξυφοίνιξ, palmula acida.* Ge. *Sauerdatteln, Tamarinden.* Ga. *Tamarins, tamarinier.* A. *The tamarind-tree.* B. *Tamarinden-boom, tamaryn.*

TAMARISCUS, TAMARICE, TAMARIX et **AMARIX** est arbor mediocriter alta. Cortex eius est asper, extus griseus, intus rubicundus: lignum album. Folia parva, longa, rotunda, tenuissima, Cupressi foliis fere similia, coloris viridis pallescentis. Calyx exiguus, quinquepartitus. Flores in summitate ramorum crescentes, exigui, rosacei, pentapetali, albi et purpurei. Ovarium est capsula oblonga, triquetra, unilocularis, membranacea, trivalvis, seminibus papposis et nigris plena. Radix crassa, lignosa, in multos ramos divisa. Est Tamarix altera, sive folio tenuiore, Gallica *Bauh.* *Tamarix gallica,* floribus pentandris *Linn.* (Pentandr. Trigyn.). Ex hac arbore sal lixiviosum extrahitur,

maxime cum sale mirabili Glauberi conveniens, et eximiis viribus aperitivis pollens. Crescit haec arbor in Europa australi circa flumina. Huius fruticis radices et cortices ad usum medicum olim commendabantur, vi adstringendi maxime pollentes, hinc in diarrhoeis et morbis a laxitate utiles. Nomen ex Graeco factum volunt a *μυρίκη*, praeposita syllaba *τα*, et *υ* littera mutata in *α*, *Tamarica*. Ge. *Französischer Tamariskenbaum*. Ga. *Tamaris commun*. A. *Tamarisk-wood*. B. *Fransche tamarisch-boom*.

TAMNUS, vel **TAMUS** est Vitis sylvestris Bryoniae similis; planta scilicet, quae habet sarmenta exigua sine capreolis serpentia, quo a Bryonia differt, et plantas vicinas amplectentia. Folia caulibus longis adhaerentia, et alternatim disposita, Cyclaminis folia figura fere referunt, coloris viridis splendentis, saporis viscosi. Flores ex alis foliorum erumpentes, hexapetaloidei, nudi, stellati, sex parvis staminibus praediti, e latere interno flosculi enatis ad intermedia segmentorum, coloris flavi, viridescentis, aut pallidi, in racemos digesti. Horum florum alii sunt steriles, nulli scilicet embryoni adhaerescentes, seu mares, alii foecundi, seu foeminae, embryoni insidentes, qui deinde abit in fructum, qui est bacca trilocularis oblonga, ovata, pulposa, rubicunda, aut nigricans, continens tubam longam, membranaceam, cylindricam, in fastigio trifidam, segmenta iterum bifida, incurva, villosa, foetam seminibus binis subrotundis. Radix est magna, crassa, tuberosa, fere rotunda, extus nigra, intus alba, profunde in terra depressa, quae viridis adhuc saporem acrem linguae imprimit. Dantur autem duae species Tamni. Tamnus racemosa flore minore luteo pallescente. *Tamus communis* foliis cordatis indivisis *Linn.* (Dioec. Hexandr.). Bryonia sylvestris baccifera *Bauh.* quae inter sepes Europae australis provenit, et cui haec descriptio inprimis convenit. [Ga. *Sceau de la vierge* seu *de notre-dame.* Ge. *Schwarze Zaunrebe*, *gemeine Schmeerwurz.*] Altera est Tamnus baccifera flore maiori albo. *Tamus cretica* foliis trilobis *Linn.* quae in Creta habitat. Haec planta ad usum medicum vix interne adhibetur. Contusa externe sanguinem discutere et dolores podagricos lenire dicitur. Eius baccae sunt rubicunde coccineo colore, et *uvae taminiae* dictae. An a minio? vel an a *Yanus*, [potius Hypanus] qui est in Peloponneso fluvius per Argiam fluens? vel, an a monte Siciliae eius nominis? Dicitur et *Bryonia nigra*. Ge. *Schwarze Stickwurzel*, *Schmeerwurzel*. Ga. *Racine vierge*, *couleuvre sauvage*. A. *Black briony*. B. *Wilde wyngaart*.

TANACETUM est plantae genus flore composito flosculoso, (Syngenes. Polygam. Superfl.) quod crescit ad altitudinem duorum, vel trium pedum. Caules sunt rotundi, radiati, medullosi. Folia magna, longa, instar alarum ex-

tensa, et in margine dentata, coloris viridi-flavescentis. Flores sunt flosculosi, in summitate caulium crescentes, et in capitulum quoddam congesti; coloris aurei splendentis, raro albi, calyce squamoso et quasi hemisphaerico comprehensi. His succedunt semina parva, oblonga, per maturitatem nigra, pappo nequaquam instructa. Radix longa, lignosa, divisa in multas fibras repentes. Tota planta est odoris ingrati, et saporis amaricantis. Huius generis praecipue duae species in usum medicum adhibentur; scilicet Tanacetum vulgare luteum et foliis crispis *Bauh.* *Tanacetum vulgare* foliis bipinnatis, incisis, serratis *Linn.* in marginibus pratorum Europae proveniens, ad quam praecedens descriptio praecipue pertinet. Qualitatis est amarae, aromaticae, nidoroso-halituosae, viribusque carminativis, anthelminthicis, antiputredinosis atque balsamicis gaudet; hinc in cachexia, scorbuto, hydrope et hysteria commendatur; usus quoque est luteo-tinctorius. [Anno 1824. Frommherzius folia, flores atque semina huius plantae analysi chemicae subiecit, et sedecim diversas partes constituentes in iis reperit. Olei aetherei praesentia odore forti balsamico, camphoraceo, et sapore aromatico amaro probatur. Dolendum est, illam analysin qualitativam tantum esse, et quantitativam adhuc deesse. Vis medica plantae in oleo aethereo et principio amaro, a quo virtus anthelminthica pendere videtur, residet.] Ge. *Gemeiner Reinfarrn, Wurmkraut, Rheinfallkraut, Revierblume.* Ga. *Tanésie vulgaire, herbe aux vers.* A. *Common tansey, tansy.* B. *Gemeen worm-kruid, rein-vaar.* — Altera est *Tanacetum balsamita* foliis ovatis, integris, serratis *Linn.* Mentha hortensis corymbifera *Bauh.* in Europa australi habitans; qualitatis pariter amarae, nidoroso-halituosae, viribusque stomachicis, pellentibus et emmenagogis gaudens. In hysteria et melancholia commendatur. Externe in pernionibus, herpete et tinea conducit. Ge. *Frauenkraut, Frauen-Marienwurzel.* Ga. *Coq, herbe du coq, paté.* A. *Costmary.* B. *Bak-kruid.*

[TAPETUM appellatur pars posterior laminae interioris membranae choroidis, seu Ruyschianae, in variis animalibus vario modo colorata, quae vividiore colore, et metallico splendore insignita est. Tapetum, quod feris, ruminantibus etc. datum est, in illis atque cetaceis albi, in ruminantibus autem coerulei, viridis e. s. p. coloris est. Cons. G. Cuvier's *Vorles. üb. vergleichende Anatom.* Th. II. p. 386. sq. et Gfr. R. Treviranus *Beitr. zur Anat. u. Physiol. der Sinnwerkz.* p. 73.]

TAPSUS BARBATUS est *Verbascum.* Putatur dici a voce *Taxus,* quia animal Taxus a serpentibus morsus illa planta se restituere creditur, et *barbatus* a lanugine. Vide *Verbascum.*

TARANTISMUS est morbus in Apulia endemius, cuius praecipuum symptoma est inexplebilis saltandi, aut choreas agendi cupiditas, qua sub concentu musico plures, peracta saltatione, sudoreque erumpente, aegri convalescere dicuntur. Nomen gerit a Tarantula, aranea Apuliae, quippe cuius ictu calore caniculari excitari dictum est. Ab aliis vero nunc rectius aut ad vesanias, aut saepe ad morbos simulatos refertur. Ge. *Tanzkrankheit.* Ga. *Tarantisme.*

TARAXACUM s. *Dens leonis,* Dens leonis latiore folio *Bauh. Leontodon taraxacum* calyce squamis inferne reflexis, foliis runcinatis, denticulatis, laevibus *Linn.* (Syngenes. Polygam. Aequal.) est planta humilis, quae ex radice habet folia erumpentia longa, mediocriter ampla, repentia, utroque margine profundis incisuris, veluti per lacinias, divisis, Cichorei sylvestris aemula, sed laeviora, cuspidata, saporis amaricantis. Flos pedunculo fistuloso innixus est semiflosculosus, plurimis scilicet semiflosculis constans embryoni insidentibus, et calyce comprehensis. Embryo autem abit deinde in semen pappis instructum, in capitulum globosum collectum, et thalamo affixum. Radix est in plures ramos divisa, minimi digiti crassitie, tenues, lacteo succo turgentes, amaricantes. Haec planta in omni parte habet succum amarum et lacteum, qualitatis saponaceae, eximiisque viribus diluentibus, aperientibus, humectantibus et diureticis pollentem. Commendatur in infarctu viscerum, ictero, aliisque morbis congeneribus. Adhibetur vel planta recens, vel aqua, cum, vel sine vino destillata. Planta haec crescit ubivis in campis, pratis, hortis et agrorum marginibus. [Mirum est, hanc plantam, quamvis efficacem, et frequenter a medicis adhibitam, tamen nondum chemicorum industriam exercuisse. Unus Iohnius quidem succum plantae lactescentem chemice disquisivit, sed eius labor arbitrorum idoneorum exspectationi non satisfecit. Quam ob rem optandum est, ut accuratior succi huius plantae disquisitio instituatur.] A *ταράσσω, altero,* quia sanguinem alterat. [Melius placet Kransii explicatio quoniam magnae eiusdem doses alvum cieant turbentque.] Ge. *Pfaffenblatt, Löwenzahn, Hundsblume, Pfaffenröhrchen.* Ga. *Pisse en lit, dent de lion.* A. *Dandelion, lyon's tooth.* B. *Paarde-bloemen, hengste-bloemen, paapen-kruid, kanker-bloemen, honds-rozen, schurft-bloemen.*

TARAXIS est humorum oculi, ventriculi aut alvi perturbatio. A *ταράσσω, turbo.* Nonnullis etiam ita vocatur levis tunicae adnatae inflammatio, quae inprimis oritur a pulvere, aliisque rebus, quae oculum extrinsecus laedunt. [Fabini in *Doct. de morb. ocul.* §. 129. solet, ait, in taraxi levis tantum coniunctivae et scleroticae rubor adesse cum

exigua photophobia, mediocriter tantum aucta lacrymarum secretione et dolore oculi pungente mitiori.]

TARSUS est palpebrarum extremitas cartilaginosa, ex qua pili crumpunt. Est segmentum circuli cartilaginei positum in extremo margine palpebrarum: ab angulo minori, seu temporali procedit usque ad angulum maiorem, quem non absolvit: tegitur membrana tenuissima. A Latinis *Cilium* dictum. — Item septem ossa pedis posteriora, nimirum astragalus, calcaneum, os naviculare, cuboides, et tria cuneiformia, cratium more ordinata, et per synarthrosin inter se coniuncta, tarsus vocantur. Gr. *στῆθος*, *Rufo*, [Eph. *p.* 33. et Poll. *onom.* II. 144.] *προστηθὶς*, [Poll. *on. II.* 198. *τοῦτον* (*τυλώματος*) *τὸ μὲν προῦχον ὑπὸ τοὺς δακτύλους, στῆθος ποδὸς, ἢ προστηθίς,*] Ge. *Der Riess auf dem Fuss, Fusswurzel.* Ga. *Le devant du pied, tarse, le cou du pied.* A. *Instep.* B. *Voor-voet, de bal van de voet.*

TARTARUS et **TARTARUM** non est naturae lapidescentis, quoniam in aqua, licet difficulter, solvi potest; sed significat illum salem, qui rubri, vel albi coloris, vini doliis instar lapidis accrescit, et verus sal essentialis plantae est. Eligitur ad usum medicum albus, ponderosus, solidus, ab ea, qua vinum tangit, parte pluribus apicibus, adamantis instar acuminatis, splendens. Tartarus quidem in se, ut etiam cremor eius et crystalli, qualitatis sunt acidae, viribusque refrigerantibus et eccoproticis gaudent: tamen per se, licet acidum in eo exsuperet, magis ad indolem salis medii accedit, et constat ex alcali nativo, haud ita pridem *Marggravi* experimentis demonstrato, et ex acido vegetabili. Variis operationibus pharmaceuticis varia exinde praeparantur medicamenta salina, pro diversa mixtione varios effectus exserentia, ut tartarus stibiatus, vel emeticus, solubilis, chalybeatus, tartarisatus, vitriolatus, regeneratus, sal tartari, tinctura tartari etc. Chemicis etiam operationibus quamplurimis inservit. — [Nunc chemici sub tartaro intelligunt bitartratem calcis, qui una cum partibus colorantibus et faece e vino ad doliorum latera deponitur. Purior repetita solutione et crystallisatione, atque cum argilla tractatione redditus in *tartarum depuratum*, *cremorem tartari*, *crystallos tartari* mutatur. Si crystalli tartari cum kali carbonico ad saturationem usque coniunguntur, *tartarus tartarisatus* oritur. Si loco kali carbonici ammoniaca carbonica adhibetur, *tartarum solubilem ammoniacalem* accipimus. — Oxyduli stibii grisei drachmas novem, tartritidis acidulae potassae uncias duas cum semisse, et aquae purae libras quinque invicem mixtas coque, donec omnia fuerint soluta: liquor colatus ad pelliculam evaporetur, dein in digestionis calore reponatur, ut crystalli oriantur, quae probe siccatae in pulverem subtilem comminutae et vase clauso servatae, exhibent *tartritidem potas-*

sae stibiatam (tartarum stibiatum) exhibent.] Vocabulum quoque hoc latius extenditur ad quodvis sabulum in rebus fermentantibus, imo ad crassamentum sabulosum in corpore humano, et circa dentes genitum. Ge. *Weinstein.* Ga. *Tartre.* A. *Tartar.* B. *Wyn-steen.*

TATURA, vide *Datura.*

[**TAXIDERMIA**, a Graec. *τάξις*, *ordinatio, compositio*, et *δέρμα, corium,* dicitur significare institutionem, qua integumenta animalium omnis generis facillime distendi possint. Hunc sensum enim illi pessime formatae voci graecae tribuit Neumannus libro suo, cuius epigraphe est *Taxidermie od. die Lehre Thiere aller Klassen am einfachsten auszustopfen.* Halle 1825. 8.]

TAXIS, sive reductio, est proprie operatio illa, qua intestinum, aut omentum elapsum in hernia restituitur.

TAXUS est arbor, quae Abietem refert; lignum est valde durum, rubicundum. Folia Abietis foliis similia. Flos est amentaceus, plurimis nempe apicibus, plerumque fungiformibus, constans, sed sterilis; (Dioec. Monadelph.) embryo autem deinde abit in baccam concavam, seu campaniformem, succi plenam, e receptaculo elongato in globum superne et inferne tunica propria tectum, apice dehiscentem, coloratum, tandem exsiccatione contabescentem, foetam semine unico ovato-oblongo, apice extra baccam prominente. Bacca haec stricte loquendo pericarpium dici non debet, et in toto regno vegetabili noto sine pari est. Arbor frequenter in hortis nostris obvia. Sunt, qui venenatam, sunt, qui innoxiam dicant, experientiae innixi ambo. Credibile hinc pro diversitate climatis qualitatem immutari, interim tamen plurimae observationes folia et fructus venenatam vim habere probant. [Folia taxi baccatae ob principium acre narcoticum vires nunc salutares, nunc venenatas in corpus animale exserunt. Contra nervorum, uteri, renum et vesicae urinariae morbos, contra rebelles rheumatismos, arthritidem, rhachitidem, scrophulas aliosque morbos a multis laudata sunt. Venenatos effectus saepe produxerunt. Buchnerus tale exemplum nuper publicavit in I. Andr. Buchner (*Toxicolog.* Nürnb. 1822. 8. p. 314.) — Orfila (*Allgem. Toxikol. herausgeg.* v. O. B. Kühn. Leipz. 1830. Th. II. p. 166. ss. experimenta, et Grognieri in schola veterinaria Lugdunensi instituta, et sua ipsius hac de re experimenta descripsit. Effectuum diversitas a soli, climatum et inprimis anni temporum diversitate pendere videtur.] Nomen videtur derivari a *τοξικὸν, venenum,* quia creditur arbor venenata, vel a *τάσσω, ordino,* quod folia eius in ordinem sunt disposita. Ge. *Eibenbaum.* Ga. *If.* A. *Yew tree.* B. *Iben boom.*

TEA, vide *Thea.*

TECMARSIS est morborum coniectura, cum ob intrica-

tas causas, mira et anomala symptomata medicus morbi genium ignorat, adeoque de dignotione, prognosi et cura coniecturas suas probabilissimas format. — [Cognitio rei, quae coniectura acquiritur, τέκμαρσις est.] A τεκμαίρω, coniicio.

[**TELANGIECTASIA**, ab aliis aneurysma anastomoticum vocata, a Brescheto ultima species angiectasium appellata est. A graec. τέλος, *finis*, *extremitas*, ἀγγεῖον, *vas*, et ἔκτασις, *extensio*. Exp. de Ammon praefert huic, minus recte formatae voci in Heckeri *Ann.* 1829. Ian. p. 83. Angiotelectasin. Breschetus sub hoc nomine intelligi vult vasorum capillarium seu extremitatum vasorum ampliationem praeter naturalem. Ge. *Haargefäss-Erweiterung*, *Gefässenden-Erweiterung*.]

TELEPHIUM est ulcus malignum, inveteratum, cicatricem vix recipiens, idemque cum *chironio*; ita a *Telepho* dicitur, qui tali ulcere longo tempore afflictus fuit. Vide *Dysepuloticum*.

TELEPHIUM, sive **CRASSULA**, aut **FABARIA** est Anacampseros, vulgo Faba crassa *Bauh.* *Sedum telephium* foliis planiusculis serratis, corymbo folioso, caule erecto *Linn.* (Decandr. Pentagyn.). Habet caules crassos, rotundos, politos, in parte inferiori rubicundos. Folia Portulacae foliis similia, sed maiora, carnosa, succulenta, plurima in margine leviter incisa. Flores in summitate caulium crescunt in umbellas, sunt polypetali, rosacei, coloris flavi, pallidi. Post florem sequitur fructus triangularis, semina fere rotunda includens. Radix in plurima tubercula alba dividitur. Planta est qualitatis mucilaginosae, subacidae, viribusque refrigerantibus gaudet. Folia contusa in varice ani et paronychia commendantur. Crescit in locis arenosis, et vocata sic fuit, quod ulceribus malignis et deploratis, quibus Telephus, Mysiae Rex, ab Achille vulneratus consenuit, (quam etiam ob rem *Telephia* dicuntur), auxilietur. Ge. *Wundkraut*, *Knabenkraut*, *Donnerbohnen*, *fette Henne*, *Schmeerwurzel*. Ga. *Ioubarbe des vignes*, *orpin*, *reprise*, *grasette*, *feve epaisse*, *herbe magique*. A. *Orpyne*, *livelong*. B. *Smeerwortel*, *hemel-sleutel*, *donderboonen*, *wolfsboonen*.

TEMPERAMENTUM est qualitas ex unione et mistione fluidorum, eorumque debita ratione ad solida resultans. Distincta a veteribus in phlegmaticum, sanguineum, cholericum et melancholicum. [Cons. J. C. A. Heinrothi, Viri Ill. *Lehrb. d. Anthropologie.* Leipz. 1822. p. 134. J. F. T. Mallinkrodt *d. d. temperamento*, *quod medicor. est.* Marb. 1789. H. N. Dirksen *die Lehre v. d. Temperamenten.* Nürnb. 1804. Vide *Crasis*. Ge. *Temperament*. Ga. *Complexion*. A. *Temperament*.

TEMPERANTIA sunt ea, quae acria praedominantia in corpore nostro immutando, diluendo vel obtundendo, tem

perant, aut aestum nimium sanguinis minuunt. Vide *Absorbentia.*

TEMPERATA sunt, quae nec nimis calida, nec nimis frigida sunt, nec sua acrimonia nocere possunt, hinc minus sensibilem in corpore effectum producunt.

TEMPERIES, i. q. *crasis.*

TEMPLINUM OLEUM est oleum destillatum e recentibus conis abietis, [seu pini turionibus, seu, uti Dulkius I. p. 848. asserit, e ramis *Pini pumilionis* Waldst. aut *Pini Mughi* Jacqu. Utraque arbor in Ungaria, Tyrolia et Helvetia copiosissime crescit, et praeter oleum templinum *balsamum* quoque *hungaricum* largiuntur.]

TEMPORALIS MUSCULUS, Gr. *κροταφίτης* dictus. Nomen sortitur a situ; nam temporum cavitatem occupat. Eius exortus circularis est in utroque latere, e temporum regione ab omni illa amplitudine lateris calvariae, quae fit a processu superiore ossis iugalis, a finitimo latere ossis frontis, a processu maximo ossis multiformis, ab osse verticis et squamoso; utrinque laminis pericranii et membrana aponeurotica obductus, infra os iugale descendens, sensimque suis fibris veluti radiis coëuntibus ad centrum attenuatus in tendinem brevem atquo validissimum, maxillae inferioris acuto processui coronoideo inseritur, sicque actione sua valida, in morsu, maxillam inferiorem superiori apprimit. Musculus hic levissimo negotio in varios ac multiplices secundum longitudinem, id est, a circumscriptione ad tendinum punctum vergentes findi potest. Secundum latitudinem in duos, sive biventralem, non solum respectu intermediae tendinosae membranae, sed et carnearum fibrarum apparentiae dividendus est. Horum enim tendinosae et motrices fibrae membranoso septo ab invicem distinguuntur. Ge. *Der Schläfenmuskel.* Ga. *Muscle crotaphite, muscle temporal.* A. *The temporal muscle.* B. *De hoofds slaap-spier.*

TEMPORUM OSSA in parte laterali et inferiori cranii sita, superius rotunda et tenuia, a parte exteriori uteunque convexa, e duabus portionibus constant, squamosa scilicet et petrosa, quae organum auditus recondit, et quatuor gaudent apophysibus, iugali, mammillari, styloide et petrosa. Ge. *Schlafbeine.* Ga. *Les os des tempes.* A. *Temple-bones.* B. *Slaap-beenen.*

TEMPUS, Gr. *κρόταφος*, [seu potius *κρόταφοι*, Galen. *de ossib. p.* 748. *to. II. ed. Lips.*], est pars cranii lateralis inter oculos et aures media, ossis temporum magnitudine definita: in qua emplastra cephalica ad odontalgiam et cephalaeam applicantur. Ge. *Die Schläfe.* Ga. *Les tempes.* A. *Temples.* B. *De slaap, slag van 't hoofd.*

TENACITAS, vide *Lentor.*

TENACULUM, i. q. *forceps.*

TENDO est musculorum continuata pars, coloris albi, durior, tenuior, parti movendae annexa, constans ex fibris tenuioribus et magis compactis, nec contractilibus, nec irritabilibus, nec sensibilibus, hinc non tam continuatis fibris muscularibus, quam fibris alterius substantiae, maxime cellulosae stipatae, ipsi musculo intertextis. Si teretes fuerint, proprie dicuntur *tendines;* si in latum expansi sint tendines, *aponeuroses* vocari solent. Vide *Aponeurosis.* Usus eorum praecipue est, musculis in actione se contrahentibus partem annexam trahere. Gr. *τένων*, a *τείνειν*, *tendere.* Ge. *Eine Spannader, Flechse, Sehne.* Ga. *Tendon.* A. *A tendon.* B. *Een pees.*

TENESMUS, TENASMUS, Gr. *τεινεσμὸς,* est continua alvum exonerandi cupiditas, qua tamen nihil praeter pauca cruenta, mucosa aut purulenta excernitur. Oritur ab omni causa, quae intestinum rectum ad excretionem stimulat. Aliquando vermes, et praesertim ascarides, interdum haemorrhoides, vel ulcera intestini recti in causa sunt. Plerumque vero dysenteriae comes est, quoniam intestinum rectum ex continua materiae acris deiectione exulceratur: vel fit per consensum, hinc familiaris est in partu propinquo, iisque, qui calculo vesicae laborant. Hic morbus saepe diuturnus esse solet, et in gravidis non raro abortus est causa. Tenesmus dicitur *ἀπὸ τάσεως,* id est *contentione* et *nisu,* qui tum fit cum vehementi cupiditate egerendi, unde lassi crebro exsurgere coguntur. [Scaliger ad Celsi IV. c. 18. p. 639 potius *τείνεσμὸν*, quam *την*. scribi mavult, sed unde vox sit derivanda, se nescire fatetur. Galen. in *Hipp. aph. VII.* 27. *p.* 126. *to. XVIII. Pa.* 1. *ὠνομάσθαι τὸ πάθος ἀπὸ τῆς τάσεός φασι τῆς γινομένης κατ᾽ ἀυτὴν* (scil. *δυσεντερίαν*), *δι᾽ ἥν καὶ προθυμούμενοι σφοδρῶς ἀποπατεῖν ἐξανίστανται συνεχῶς.* Cp. Hofmannus *τεινασμὸν* scribendum esse contendit.] Ge. *Der Stuhlzwang.* Ga. *Tenesme.* A. *Tenesmus.* Lusit. *Pucho.* B. *Perssing, drukking, waanstoelgang, dwang tot stoelgang.*

TENSIO HYPOCHONDRIORUM est symptoma variis morbis, praecipue hypochondriasi superveniens, constans in molesta extensione intestini coli eiusque flexurae dextrae et sinistrae, vel etiam ventriculi, oriens aut a faecibus retentis, aut a flatibus incarceratis. Ge. *Spannen unter den kurzen Rippen.*

TENTA idem quod *mela*, vel quod *turunda*, aut *penicillus.*

TENTIGO, i. q. *priapismus*, vel *nymphomania.*

TENTIPELLUM est medicamentum, quod cutim explanat, rugasque; videtur ex tendere, sive extendere, et pellis, sive cutis, derivari.

[**TENTORIUM CEREBELLI** s. *septum encephali* secundus durae matris processus appellatur, qui inter lobum ce-

rebri posteriorem et cerebellum expansus est, ut huius compressio vitetur. Ge. *Die Querscheidewand, das Hirngezelt.*]

TEPHRION est collyrii nomen, descripti ab *Aetio.* [*Tetrab. II. serm.* 3. *c.* 10. qui nomen remedio ab Hera impositum esse narrat. Ad libiana collyria, quomodo Galeno *d. rem. loc. comp. IV. c.* 1. p. 708. to. XII. aut libania, ut Aetio dicuntur, relatum est. Ex eodem p. 115. b. apparet, non *tephrion*, sed *tephron* scribendum esse.]

TEREBELLUM, i. q. *modiolus.*

TEREBINTHINA: eius triplex prostat species, quae e variis arboribus vulneratis exstillans colligitur: *Terebinthina communis* est substantia resinosa, melleae consistentiae, coloris e brunneo albicantis, odoris et saporis resinosi, stillans e Pinu sylvestri *Bauh. Pinus sylvestris,* foliis geminis, primordialibus solitariis glabris *Linn.* (Monoec. Adelph.) — *Terebinthina veneta,* eiusdem cum priori substantiae, consistentiae tamen minus spissae, coloris magis albidi, saporis acris calidi, odoris aliquantum graveolentis, profluit ex arbore, quae est Larix *Bauh. Pinus larix* foliis fasciculatis obtusis *Linn.* Habitat haec arbor in alpibus Helveticis aliisque. — *Terebinthina Chia,* vel *Cypria,* resina scilicet spissa, sensim in consistentiam fragilem abiens, pallide flava, subdiaphana, saporis acris, amari, odoris suaveolentis. Eius arbor est Terebinthus vulgaris *Bauh. Pistacia terebinthus* foliis impari-pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis *Linn.* (Dioec. Pentandr.). Habitat haec arbor in India, Africa, Assyria, China, Cypro, Italia et Hispania, unde haec resina ad nos adfertur. Omnes hae substantiae in spiritu vini solubiles sunt, menstruis aquosis resistunt, cum vitello ovi, aut mucilaginibus aquae miscibiles in emulsionem abeunt. Gaudent viribus resolventibus, emollientibus, vulnerariis, diureticis, urinam odore violaceo inficientibus, et eccoproticis. Hinc frequentissimus earum tum internus, tum in unguentis et emplastris usus est. Terebinthina cum aqua destillata oleum aethereum acre et calidum largitur, sequente oleo spissiori magisque rufo, quod *Balsamum terebinthinae Pharm.* vocatur, et remanente *Resina nigra,* vel *Colophonio.* Oleum aethereum viribus summe calidis, diureticis et stimulantibus pollet, hinc in adfectibus renum, vesicae et gonorrhoea, vix, si metus inflammationis adsit, adhibendum. Prostat quoque in officinis Terebinthina cum aqua ad spissitudinem cocta, cuius tutior est usus. Datur in pilulis et emulsione. *Gluten Albotini* est *Terebinthina Avicennae. Paracelsus Lorchet* appellat. — *Terebinthina Argentoratensis* est substantia gummoso-resinosa, satis liquida, coloris flavi, collecta ex vesiculis, quae sponte per corticem abietis albae efflorescunt; hinc etiam *lacryma abiegna,* vel *oleum abietinum* dicitur. Qualitatis est fragrantis, amarae et balsamicae; vix tamen in

officinis prostat. [Terebinthina Canadensis, quae et *balsamum Canadense* vocatur, optima censetur. E *Pinu balsamea* et *Canadensi* obtinetur. Est lenta, spissa, pellucida, coloris e rubro flavi, odoris grati, aromatici, saporis denique balsamici amaricantis. In centum eius partibus Bonastre olei aetherei 18,6, resinae 40,0, subresinae 33,4, fibrosae, cautschuck similis resinae 4, vestigia acidi acetici, et extracti amari saliumque 4,0 reperit. — Si terebinthina cum aqua destillationi subiicitur, transit oleum aethereum, admodum fluidum limpidum, odoris penetrantis et ingrati, saporisque acris atque terebinthinacei, quod secundum Saussurei analysin e carbonici partibus 87, 788, et hydrogenii 11, 646 constat: principio igitur oxygenetico prorsus caret.] Gr. *τερέβινθος* et *τέρμινθος*. An nomen a serpente, quod eius corniculum in modum serpentis contortum sit? Ge. *Terpentin*. Ga. *Terebinthine*. A. *Turpentine*. B. *Terpentyn, termentyn*.

TEREBRA, s. **TEREBRUM**, idem quod *modiolus*.

TEREDO, sive **CARIES OSSIS** vocatur et *teredum*, Gr. *παιδαρθροκάκη* (*paedarthrocace*), et ab Arabibus *spina ventosa*. Item quod *caries ossis*. [Unde *τηρεδόνος* nomen morbo venerit, exponit Galen. *de caus. morb. p.* 38. *to. VII.*] Ge. *Beinfrass, Beinfäule*. Ga. *Carie, vermoulissure des os*. A. *Caries*. B. *Been-vreter*.

TEREDUM, i. q. *caries*.

TERENIABIN, vide *Thereniabin*.

TERES botanicis dicitur *truncus* plantarum, aut *pedunculus*, angulis destitutus, vel *folium* fere cylindricum.

TERES RADII MUSCULUS, vide *Pronator rotundus*.

TERETRUM idem, quod *modiolus*.

TERGEMINUM botanicis est *folium*, triplicato-geminatum: scilicet petiolus bifidus utroque apice foliola duo ferens, et insuper foliola duo ad divaricationem petioli communis.

TERGUM, vide *Dorsum*.

TERMINALIS dicitur in plantis *spina*, vel *pedunculus*, ad apicem plantae posita, vel arista apici glumae adfixa.

TERMINTHUS est tumor in cruribus et brachiis, supra quem pustula nigra eminet, in ambitu rubra et inflammata, ardore molesta, fructus terebinthini magnitudine. [Swediaur *l. c. to. II. p.* 222. epinyctidis synonymon *terminthum* et *albotin* esse putat; et hanc eius descriptionem adiungit: „esse pustulam plerumque unam, albam (unde albotis vocetur), sublividam, vel subnigram, maxime noctu in cute erumpentem, cum dolore intensissimo, instar ignis urente, humore tenui et acri refertam; post paucos dies in ulcus ichorosum sordidum abeuntem, et materiam viscosam, agglutinantem fundentem. Quandoque pustulas eiusmodi plures in trunco vel etiam in extremitatibus corporis, saepe aegritudinis uni-

versalis sensu praecedente, simul erumpere fabae magnitudine." Galenus *comm.* 3. *in Hipp. epidem. VI. to. XVII. Pa.* 2. *p.* 108. τὸ τῶν τερμίνθων ὄνομα μελάνων τινῶν ἐκφυμάτων ἐν ταῖς κνήμαις μάλιστα γινομένων ἐστὶ δηλωτικὸν, ἀπὸ τῆς κατὰ σχῆμα καὶ χρόαν καὶ μέγεθος ὁμοιότητος τῷ καρπῷ τῶν τερμίνθων γεγονός. Eustach. ad *Erot. gloss. praef. p.* 18 — 20. et Gorraei *defin. med. p.* 454.] Ge. *Die braunen Blattern, Hundsblattern.* Ga. *Terminthe.* B. *Hondsblaartjes.*

TERRA chymicis est elementum, vel substantia ultima, e minimis particulis vix cohaerentibus constans, nec menstruis, nec igne amplius mutabilis, quae soliditatem et siccitatem corporibus largitur. Mineralogis vero omnia fossilia ita vocantur, quae ex partibus minimis, vix inter se cohaerentibus constant. Ge. *Erde.* Ga. *Terre.* A. *Earth.* B. *Aarde.*

TERRA CIMOLIA, vide *Smectis.*

TERRA DAMNATA, i. q. *terra mortua*, et *caput mortuum.*

TERRA FOLIATA NITRI, i. q. *magnesia nitri.*

TERRA FOLIATA TARTARI, ARCANUM TARTARI est sal medium quasi lamellosum, vel foliatum, quod constat ex sale tartari aceto vini saturato. Eximiis viribus incidentibus, resolventibus et diureticis pollet. In aqua et spiritu vini solubile, aut sponte loco humido liquescens, *liquorem terrae foliatae tartari* largitur, iisdem viribus gaudentem, hinc usus frequentissimi. Ge. *Blätterichte Weinsteinerde,* [*wiederhergestellter Weinstein.*] Ga. *Terre de tartre feuilletée*, sive *végétal.*

TERRA FULLONUM, SAPONARIA, vide *Smectis.*

TERRA IAPONICA, vide *Catechu.*

TERRA LEMNIA, vide *Bolus.*

TERRA MERITA, i. q. *curcuma.*

TERRA MORTUA post destillationem, vel combustionem in igne aperto, dein saepe repetitam elixivationem residua, omnibus salibus, oleis, et facultatibus efficacibus destituta, simplex, homogenea et insipida est, ab igne vulgari vix amplius mutabilis, plerumque tamen in omnibus organicis corporibus calcareae indolis est, atque in vitrum album semipellucidum vi summa ignis tandem abit, omnibus corporibus consistentiam et firmitatem conciliians. Ge. *Todte Erde.* Ga. *Terre morte.* A. *Dead earth.* B. *Doode aarde.*

TERRA SIGILLATA, vide *Bolus.*

TERRAE PANIS, vide *Cyclamen.*

TERRAE TUBER, vide *Cyclamen.*

TERTIANA CONTINUA, vide *Hemitritaeus.*

TERTIANA FEBRIS INTERMITTENS est febris, quae tertio quovis die (id est, uno tantum die vacuo inter

duas exacerbationes) cum rigore et horrore aegrum invadit, subsequente dein calore, primum sicco, dein mitescentibus symptomatis humido, et detinet per duodecim plerumque horas, tum plane intermittit, et post diem liberum unicum rursus invadit. Distinguitur a medicis in *vernales* et *autumnales*, quod hae plerumque diu durent, et vix nisi arte curentur; illae brevi, et saepe sponte cessent; suntque vel *exquisitae*, quae acerbioribus quidem stipatae sunt symptomatis, sed vix ultra duodecim horas aegrum detinent; vel *nothae*, quae paroxysmum quidem mitiorem habent, sed per plures horas excurrunt, et vacuo die maiorem languorem relinquunt. Gr. *τριταῖος*. Ge. *Dreitägiges Fieber*. Ga. *Fièvre tierce*. A. *A tertian fever, tertian ague*. B. *De anderendaagse koorts.*

TESSELLAE, i. q. *rotulae*, aut *tabellae*, [quam vocem vide. Hoc loco addam Gaubii (de meth. concinn. formul. medic. p. 105.) de electuario solido, seu *morsulo*, seu *tabella* animadversionem. Esse scilicet illud medicamentum internum, siccum, variae figurae, ex varia materie, interventu sacchari soluti et cocti, in formam solidam, fragilem coacta constans, unde eius a trochisco pateat discrepantia. Nonnisi levem inter *morsulos* et *rotulas* seu *orbiculos* intercedere differentiam. Hos enim e materie saltem subtiliore aut solubiliore, saccharo itidem excepta, componi.]

TESSERAE, vide *Cuboides*.

TESTES CEREBRI sunt prominentiae duae posteriores cerebri, substantiae medullaris, ob similitudinem testes dictae, prope glandulam pinealem, supra et pone ventriculum tertium sitae, et adhaerentes duabus maioribus protuberantiis, quae nates vocantur. Quatuor hae *protuberantiae* communi nomine *quadrigeminae* dicuntur.

TESTES MULIEBRES dicuntur *ovaria*. Vide *Orchis*.

TESTES SUCCESSORII epididymides vocantur. Ge. *Nebenhoden*.

TESTES VIRILES sunt duo ovalia corpuscula, scroto inclusa, in viris extra abdomen pendula, multis vasis congregatis, vasorum spermaticorum propaginibus, constantia, in quibus semen generatur. Exterius variis tunicis obducuntur, nempe albuginea, vaginali, aliaque tenui et rubra, a cremastere dilatato oriunda. Vulgo ita vocari dicuntur, quia virilitatis testimonium praebent. *Colei Cic.* [Fam. IX, 22.] et *Mart.* [XII. 84.] *Vasa Plauto, ὄρχεις, δίδυμοι, μέζεα, Hesiodo, μήδεα Hom. ὀρχείδια, ὄλκοὶ, Oppiano.* Vide *Orchis*. Ge. *Männliche Hoden*. Ga. *Testicles, stones*. B. *Zaad-ballen, teelballen, ballen.*

TESTICULUS, vide *Testis* et *Orchis*.

TESTICULUS CANINUS, i. q. *satyrion*.

TESTICULUS VENEREUS est, quando testis post con-

tagiosam veneream, praecipue post gonorrhoeam suppressam, valde intumescit, indurescit, non sine doloris sensu. Ge. *Sandballen, Venusballen, Venushoden.* Ga. *Testicule venerien, chaudepisse tombée dans les bourses.* A. *Venereal swelling of the stones.* B. *Zand-kloot, venus-kloot.*

TESTUDO est tumor magnus, mollis, vel non valde durus, in capite, latiore forma in modum testudinis extensus, a cuius similitudine accepit nomen. In principio in castaneae, postea vero in formam ovi excrescit, in eoque mollis materia, tunica quadam obducta, continetur, (unde ab auctoribus ad meliceridis refertur) atque calvariae ita inhaeret, ut ipsam plerumque vitiet, ipsique cariem inducat. [Vocatur et *natta*, de quo supra p. 1001. seu *talpa.* Cons. Morgagni *de sed. et caus. morb.* ep. 50. art. 19. sq.] Ge. *Eine Schildkrötengeschwulst.* B. *Een Schildpad-gezwel.*

TESTUDO *fasciae* quoque est species in genu usitata. Ge. *Knieschildkrötenbinde.*

TETANUS est spasmus, sive constrictio simultanea musculorum extensorum et flexorum corporis, ita ut corpus rigidum efficiatur et inflexile, cum respiratione laboriosa et sensuum integritate, quo ipso patet, tetanum a catalepsi, in qua corpus flexile manet, et a communi rigore vehementia differre et duratione, nec non alterum illum febrilem rigorem plus affligere fibras in cute, tetanum vero musculos utrinque, ita tamen, ut plerumque vel emprosthòtonus, vel opisthotonus nonnihil excedat. Aliquando quoque *particularis* est, qui membrum quoddam vel articulum privatum, e. g. maxillam inferiorem, immobilem reddit. A *τείνω, extendo.* Ge. *Der Todtenkrampf, Starrkrampf.* Ga. *Spasme tetanus.* A. *Constant contraction.* B. *Kramptrekking, regt-styvigheid, spanning, hals-styfte.*

TETARTAEUS, i. q. *quartana.* [Gr. *τεταρταῖος* sc. *πυρετὸς, febris, quarto quovis die rediens.*]

TETARTOPHYIA est genus febris remittentis, cuius paroxysmi similes sibi mutuo quarta quavis die respondent, seu quartanae typum imitantur. Rarissimum est febris genus, quod producitur a causis synochi et quartanae coniunctis, et utplurimum letalis est. [Cel. Krausius has argutias sensim oblivioni tradi animadvertit. A gr. *τέταρτος, quartus,* et *φύω, genero.*] Ge. *Viertägig anhaltendes Fieber.* Ga. *Fièvre quarte continue.*

[**TETRADACTYLUM** in descriptione Stromborum (generis testaceorum *Linn.*, molluscorum apud recentiores) est epitheton labri. Sic Strombo pedi Pelicani tribuitur labrum 4 dactylum, Str. chiragrae autem labrum 5 dentatum. Dactyli tunc significant cuspides longas in margine labri testae.]

[**TETRADYNAMIA** appellatur in systemate sexuali clas-

sis decima quinta, qua plantae continentur sex staminibus insignes, quorum duo reliquis quatuor breviora sunt.]

[**TETRAGONUM**, penultima longa, corpus est quatuor parietibus planis instructum. A gr. τετρὰς, *quaternio*, et γῶνος, *angulus*. Ge. *Vierkantig*.]

[**TETRAGYNIA**, a Gr. τετρὰς et γυνὴ, *femina*, vocatur variarum classium systematis sexualis subdivisio in ordines, quatuor stylis conspicuos.]

[**TETRANDRIA** vocata est a Linnaeo quarta in systemate sexuali classis, quae quatuor staminibus aequaliter longis distinguitur.]

TETRAPETALA botanicis dicitur florum *corolla*, e quatuor petalis, sive aequalibus, sive inaequalibus, constans.

TETRAPHARMACUM est medicamentum ex quatuor ingredientibus constans, ut est unguentum basilicum. Ex τετρὰς, *quatuor*, et φάρμακον, *medicamentum*. [Tetrapharmacum, a Galeno aliisque saepe memoratum, ex cera, resina, pice et adipe componebatur. Vid. *de medicam. simpl. lib. XI. p.* 328. *to. XII.*] Ge. *Basilicumsalbe*. Ga. *Onguent basilic*.

TETRAPHYLLUS dicitur florum *calyx* e quatuor foliis compositus.

TETRASPERMAE dicuntur plantae, quatuor semina ferentes; si semina absque capsula in calyce maturescant, dicuntur *gymnotetraspermae*, suntque hae vel asperifoliae, ut *Borrago, Buglossum* etc. vel verticillatae, ut *Salvia, Melissa* etc.

TETROBOLON est pondus quatuor drachmarum.

TEUCRIUM est plantae genus, quam plurimas species comprehendens, (Didynam. Gymnosperm.) calyce monophyllo, semiquinquefido, campanulato, corolla monopetala, ringente, vel unilabiata, scilicet labio superiori ultra basin profunde bipartito, labio inferiori patente, trifido, laciniis lateralibus figura labii superioris, erectiusculis, media maxima, subrotundata, seminibus quatuor subrotundatis in calyce maturescentibus. Huius species est *Teucrium fruticans Linn.* foliis integerrimis oblongo-ovatis petiolatis, supra glabris subtus tomentosis, pedunculis unifloris. Est arbuscula utplurimum satis parva et humilis, aliquando ad hominis altitudinem crescens. Caulis est minimi digiti crassitiei, cortice albo obtectus, et in ramos albos divisus, quorum duo sibi invicem oppositi. Folia oblonga, aut obrotunda, in margine incisa, Chamaedryos foliis paulo maiora, quae vero virgularum fastigia ornant, ad Hormini folia quodammodo accedunt, nequaquam per ambitum incisa, et circa basin latiora, in acumen desinunt: saporis acriusculi, cum amarore non ingrato. Flores sunt labiati, albi, calyce albo comprehensi. His succedunt quatuor semina obrotunda.

Haec planta semper est viridis, et crescit in regionibus calidis, ut in Italia circa mare. Aliis *Chamaedrys* vocatur. Teucrium vero a Graecis pariter ac Latinis dicitur, quod Teucer, Aiacis frater, hanc herbam invenerit. Asserunt enim, cum exta in sacrificio super eam proiecta essent, lieni adhaesisse, eumque exinanisse, illudque a Teucro primum observatum fuisse. *Teucrium verum* est *Veronica latifolia Linn.* racemis lateralibus, foliis cordatis, rugosis, dentatis, caule stricto: Chamaedrys spuria latifolia maior *Bauh.* Ge. *Bergbathengel.* Sed *Teucrium officin.* est *Teucrium chamaedrys* foliis cuneiformi - ovatis incisis, crenatis, petiolatis, floribus subverticillatis ternis petiolatis *Linn.* Qualitatis est amarae, viribusque roborantibus et antarthriticis gaudet. Ge. *Gamanderlein, Bathengel, Bergscordium, Frauenbiss.* Ga. *Germandrée officinale, petit chêne, chêneau, chenette, herbe des fièvres.* A. *The creeping* sive *common gamander, gamanderlin.* B. *Gamander.*

TEUTLON, Gr. *σεῦτλον*, et attice *τεῦτλον*, est beta, a *σείω, concutio, agito*, ab impulsu nempe, quod facile excrescat. [Descripsit plantam Diosc. II. c. 149.] Vide *Beta.*

TEXTURA significat organicam partium corporis humani structuram.

THALAMUS botanicis dicitur fundus calycis, quem embryones, vel teneri fructus occupant. — *Thalami cordis,* vide *Cor.*

THALAMI NERVORUM OPTICORUM sunt duae prominentiae substantiae corticalis et medullaris, quae in posteriori parte ventriculorum lateralium cerebri sitae, fere ovatae, in cadavere, quod ab arte mutatum non est, contiguae, rectilineo, plano, non rotundo colle, et frequentissime in parte superiori, confusa parte corticis connatae, inde extrorsum atque retrorsum tendentes, versus basin cerebri descendentes, et e ventriculis exeuntes, utrinque *Nervos opticos* generant. Ge. *Die Hügel der Sehnerven.* Ga. *Les couches des nerfs optiques.*

[**THALAMIUM** Friesio est lichenum quorundam fructus, qui diversus seu separatus est a fronte, seu reliquo corpore lichenis et corpus proprium sistit, semina continens. Hac voce ipse Friesius non nisi in *Lichenographiae* prooemio, minime autem in descriptionibus utitur.]

[**THALAMOSTEMON**, penultima producta, a Gr. *θάλαμος, thalamus*, et *στήμων, stamen*, a Moenchio appellatur planta, cuius stamina basi floris, non calyci (quod in calycostemone locum habet,) innata sunt.]

[**THALAMOSTEMONIS**, penult. brevi, vocatur a Gleditschio ea plantarum classis, quarum antherae thalamo insistunt.]

[**THALAMUS** seu **RECEPTACULUM** est basis, cui innascuntur partes floris aut fructus.]

THALASSIA, i. q. *depressio cranii.* [Delenda sunt haec verba. Nam *thalassia* haud dubie a graeci sermonis ignaro pro *thlasis* aut *thlasma* posita est. *Θλάσμα* definit Galen. (*def. med. to. XIX. p.* 434. per *ὑποχώρησιν τοῦ ὀστοῦ τοῦ κρανίου εἰς τὸ βάθος δίχα κατάγματος*, adfectionemque in puerili inprimis aetate accidere observat.]

THALICTRUM seu **THALIETRUM** est plantae genus, (Polyandr. Polygyn.) cuius species officinalis est *Thalictrum flavum Linn.* Habet ea caules ad hominis altitudinem crescentes, rigidos, striatos, ramosos, quasi angulosos, intus excavatos, coloris utplurimum rubicundi purpurascentis, et aliquando viridis. Calyx nullus. Flos est rosaceus, quatuor scilicet petalis in orbem positis constans, ex cuius meditullio surgit numerosa staminum congeries pistilla cingens, quae deinde abeunt in fructum carinatum, in quo velut in capitulum colliguntur capsulae modo alatae, modo alis carentes, seminibus foctae singularibus, ut plurimum oblongis. Radix fibrosa est, repens, coloris flavescentis, saporis amaricantis, ingrati. Planta haec pollere dicitur viribus emollientibus, eccoproticis, aperitivis et antictericis. Radix salivam et urinam luteo colore inficit. In balneis infantum laudatur. Rarioris est in medicina usus. [Eius mentionem iam iniecit Diosc. IV. c. 96. et eius foliis contritis et ulceribus chronicis impositis tribuit virtutem ulcera sanandi.] Thalictrum dictum volunt *ἀπὸ τοῦ θάλλειν*, *virere*, quod, dum germina protrudit, eleganter vireat: cum tamen sint punicei purpurei coloris. Hinc forte de foliis hoc valet, quae, cum primum expanduntur, ac praesertim minora, eleganter virent. Aut *ἀπὸ τοῦ θάλλον*, vel *θάλον*, *surculo*, *ramulo*, et *ἦτρον*, *geniculo*, quod cauliculos, seu surculos geniculatos proferat. Ge. *Wiesenraute*, *Krötendill*, *Heilblatt.* Ga. *Rue des près*, *thalitron.* A. *Meadow-rue.* B. *Water-ruit*, *poel-ruit.*

THAMAR, Arabibus *dactylum*, palmae arboris fructum significat; unde confectio quaedam *Diathamaron*, corrupte *Diacamaron.*

THAMARINDUS, vide *Tamarindus.*

THAMNOS, *Thamnion*, *Thamniscos*, *Thamnoides* est *frutex.* Videtur dici, quasi creber ramis, a *θαμινὸς*, *creber* et quasi *densus.*

THAPSIA est planta Ferulae similis, foliis tenuiter dissectis, (Pentandr. Digyn.). Flos est rosaceus et umbellatus, plurimis scilicet petalis constans, in orbem positis, et calyci insidentibus: is autem abit in fructum, ex duobus seminibus compositum, longis, striatis, ala cinctis amplissima, foliacea, utrinque introrsum plerumque emarginata.

Thapsia officinalis est *Thapsia asclepium* foliis digitatis, foliolis bipinnatis, setacco-multifidis *Linn.* Panax asclepium, semine folioso *Bauh.* de qua in usu medico adhibetur radix, rarius tamen, ob qualitatem drasticam, qua violenter purgat. Commendatur in unguentis contra scabiem. Vocatur a Thapso insula, in qua primum creditur inventa. Ga. *Tapsie, turbith batard.* A. *Deadly carrots.*

THAPSIA *Foeniculi folio Bauh.* est *Seseli turbith,* vel *Turbith vegetabile spurium* nonnullorum. Vide *Turbith.*

THAPSUS, vide *Tapsus barbatus*, s. *Verbascum.*

THEE frutex est Chinensibus, Iaponensibus et Tartaris indigena; dicitur et *Cha,* vel *Chia.* Folliculum amygdali foliis fere similem, obscure viridem, profert. Estque virgultum, quod in ramulos varios, aut virgulas, sese diffundit. Evonymo affinis arbor orientalis nucifera, flore rosco *Pluk.* *Thea bohea* floribus hexapetalis *Linn.* (Polyandr. Monogyn. aut forte rectius Trigyn.). Calyx est sexpartitus, minimus, saepe etiam pentaphyllus. Flores fert Cisti foeminae et Gossipii mediam faciem referentis, sex, vel novem petalis albicantibus, aut pallidis, constantes staminulis multis medium florem occupantibus. His demum succedunt fructus, dum adhuc vigent, virides, resiccati autem cortice magis rugoso, ex spadiceo fusco vestiti; figura saepe globosa est, magnitudine globuli lusorii, semen tantum unicum continentes. Alii contra geminati, sive in duos loculos, seu scrotum caninum, dispertiti. Alii vero trigoni, et tria semina contiuent. Folia porro huius fruticis colligunt, et ignis calore in sartaginibus resiccant, quae postea aquae fervidae iniiciuntur, eorumque tinctura tunc ex vasculis myrrhinis sorbillando ebibitur. Folia masticata leviter adstringunt, et non ingratum saporem relinquunt. Varietates, quae ad nos adferuntur, et frequentissime in *boheam* et *viridem* distinguuntur, non nisi tum a foliorum teneritudine, tum a tempore colligendi et modo praeparandi pendent. Qualitatis sunt plus, vel minus fragrantis, herbaceo-stypticae; infusum cum vitriolo martis in nigredinem abit. [Frank, qui utriusque generis analysin instituit, in Thea bohea principii scytodepsici 40,6, gummi 6,3, fibrae ligneae 44,8, glutinis 6,3, materiae volatilis et iacturae 2,0, in Thea viridi autem principii scytodepsici 34,6, gummi 5,9, fibrae ligneae 51,3, glutinis 5,7, materiae volatilis et iacturae 2,5 reperit. Cons. *Berl. Jahrb.* 1798. p. 161.] Gaudet viribus roborantibus et anodynis; hinc in somnolentia, polysarcia et calculo commendatur. Usus diaeteticus frequentissimus. Nocet abusus potus calidi in laxitate solidorum, et ob principium narcoticum nervis inimicum. [Exemplum, quo huius narcotici principii noxia in sanitatem vis luculenter probari potest, legitur in *Neue Samml. auserl. Abh. f. pract. Aerzte. Th. III.*

p. 700 sq.] Ex China extractum aliquod siccum adfertur, quod in aqua solutum non adeo nocivum effectum exserit. — Ad similitudinem huius plantae infusa omnium plantarum medicinalium vocantur *theiformia.* — *Thee Germanorum.* Vide *Oreoselinum*, *Veronica* etc. Ge. Ga. B. *The.*

THEION, Gr. *θεῖον,* sive *divinum*, *Hippocrati* est in morbis specificum quid, valde efficax, ad singulares effectus producendos, sed cuius vera indoles tamen latet, nec detegi potest. Tale quid in morbis epidemiis et contagiosis praecipue observari creditur. Idem forte quod *vis vitae,* aut *vis naturae* aliis dicitur. [Vide supra p. 520.]

THELIGONIA, vide *Nymphomania.* [Perversam huius vocis formationem e *θῆλυς, femineus,* et *γονὴ*, *genitura, foetus,* recte notavit Krausius.]

[**THELYCA** s. **THELYCE** a Winterlo appellatur principium debilius adeoque femineum, quod ad corporum constitutionem confert. Opponitur *androniae.* A Gr. *θηλυκὸς, femineus.*]

THELYGONOS dicuntur plantae, quae sunt ex foeminino sexu. Gr. *Θῆλυς* est *foemineus,* et *γόνος*, *soboles,* generatio.

THELYPTERIS, vide *Filix.*

THENAR est unus ex musculis pollicem manus abducentibus, qui oritur a ligamento carpi interno et osse multangulari maiori, et inseritur in totam superficiem primae phalangis, et parti superiori secundae. *Thenar,* seu abductor pollicis *pedis,* est etiam musculus oriens a parte interna ossis calcanei, navicularis et primi cuneiformis, et parti internae et posteriori primae phalangis pollicis insertus. — *Thenar* quoque habetur pro cavitate omni interiore manuum, quae dicitur *vola,* item pro *planta*, sed stricte sumitur pro *vola manus*, sive *palma.* [Poll. *onom. II.* 143. *τὸ μὲν ἔνδοθεν τῆς χειρὸς σαρκῶδες, ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου μεχρὶ τοῦ λιχανοῦ καλεῖται θέναρ.* Ruf. Ephes. p. 30.] Ge. *Die flache Hand.* Ga. *Le thenar*, *la paume de la main,* ou *la plante du pied.* A. *The palm of the hand.* B. *De hand-palm.*

THEOBROMA, vide *Cacao.*

THEODORETOS, quod et *διανακαρδίον* vocatur, est antidotus, ad frigidas capitis affectiones. [A *θεὸς,* et *δωρητὸς, donatus.* Occurrit in Paul. Aeg. Aetio atque Nicol. Myrepsico.]

THEOPHILION est collyrium quoddam, [ab Alex. Trall. II. p. 131. ed. Bas. memoratum, e cadmia, croco, myrrha, nardo indica, acacia, gummi, acre cumbusto et opio constans.]

THEOPHRASTICI sunt sectatores *Paracelsi.*

THEOREMA, vide *Theoria.*

THEORIA est pars medicinae, quae ratiocinando agit de

fabrica partium corporis humani, tam solidarum, quam fluidarum; de earum naturali constitutione, usibus vel publicis, vel privatis, effectibusque solidorum in fluida, horumque in illa; de omnibus iis, quae corpori mutationem quandam, vel morbos inferre valent, de signis sanitatis et morborum, de morborum exitu, viribusque et modo agendi medicamentorum, eaque omnia ad praxin applicare docet. Hunc in finem adhibet regulas quasdam in aliis scientiis demonstratas, et huc assumtas, quo inprimis spectant mechanica, chemia, et anatomia. A *θεωρέω, contemplor,* unde *Theorema*, seu propositio ad hanc partem pertinens, [Galen. *defin. med. p.* 354. *to. XIX.* varias theorematis notiones attulit.] *Theoretica*, quae ad medicinam speculativam pertinent; et *Theoreticus*, id est medicus, qui theoriam callet, eamque pro fundamento praxeos suae habet. Ge. *Theorie der Arzeneikunst.* Ga. *Théorie de la medecine.* B. *Bespiegelende deel der medicynen.*

THERAPEUTICA s. THERAPIA est pars medicinae, quae medicum docet, quibus auxiliis hominem aegrotantem in pristinam sanitatem restituere, vitam eius conservare, morbos profligare, eorumque symptomata abigere debeat; hinc materiam medicam instruit ex variis medicis, vario tempore et observatione notatis, quarum quoque ritam praeparandi methodum, ut scopo proposito satisfaciant, edocet: diaetae observandae regulas tradit: tandemque indicationes suppeditat, et veram medendi methodum demonstrat, sive manuum operam, sive remedia pharmaceutica requirat. A *θεραπεύω, sano.* Ge. *Heilkunst, Therapie.* Ga. *Thérapie.* B. *Geneezende deel der medicynen, geneeskunde.*

THERENIABIN sive TERENIABIN est *Manna orientalis*, quae *drosomeli* et *aëromeli* Gr. dicitur. Ge. *Manne liquide.* Conf. *Manna.*

THERIACA est medicamentum electuarii forma, venenum, ut credunt, expellens. A *θὴρ, fera,* quia ferarum morsibus medetur, vel quia viperinae carnes eius compositionem ingrediuntur, atque ab *ἀκέομαι, sano.* [Recte ineptam Blancardi derivationem reprehendit Krausius. A *θηρίον* enim, quod *animal venenatum* apud medicos significat, *θηριακὸς* formatur, i. e. *ad animalia venenata pertinens,* v. c. *λόγος θηριακὸς,* sermo de animalibus venenatis; Galen. *de ther. ad Pis. c.* 19. *to. XIII. p.* 958. *ὁ περὶ ἁλῶν θηριακῶν λόγος,* liber de salibus viperinis: *ἡ θηριακὴ* scil. *ἀντίδοτος,* remedium contra venenati animalis morsus ictusve. — Varia sub *theriacae* nomine exstant medicamenta, a Galeno commemorata, inter quae omnium celebratissimum est Andromachi. — Extat adhuc Nicandri carmen, *Theriaca* inscriptum, de bestiis venenatis et adversus illas remediis.] Ge. *Theriak.* Ga. *Theriaque, antidote.* A. *Treacle.* B.

Theriakel. — Varia prostat: *Andromachi*, archiatri imperatoris Neronis, quae magnam ingredientium farraginem continet; [Auctor carmine elegiaco descripsit theriacae suae conficiendae rationem, a Galeno libro *de antidot. I.* inserto. Seorsim editum est carmen a Frc. Tidicaeo, Toruni 1607. 4. et ab anonymo Norimb. 1754. 4. De medicamento hoc, cuius compositio, sub magistratuum inspectione multis cum ceremoniis, anno adhuc 1787. Parisiis perficiebatur, vid. Baldingeri *med. Journ. St.* 18. *p.* 42.] et *Diatessaron,* quod ex quatuor tantum simplicibus calidis, gentiana, baccis lauri, myrrha, et aristolochia rotunda, melle exceptis, componitur. *Theriaca coelestis* anodyna est, ob magnam, quam continet, opii quantitatem. *Theriaca smaragdina* roborans et nervina est.

THERIOMA est ulcus ferum, carcinomati simile. A *θηριόω, in ferinam indolem degenero.*

THERMAE sunt balnea, vide *Balneum.* A *θερμὸς, calidus.* Oritur praecipue calor ex actione et reactione reciproca principii sulphurei et martialis, quod hae aquae continent, dum ob acidi sulphurei, vel vitriolici, nisum in ferrum pars inflammabilis sulphuris liberatur, suaque actione aquam calidam reddit. Pro varia principiorum proportione varius est, isque latissimus et saepe saluberrimus harum aquarum usus. [Causae, unde Blancardus originem caloris thermarum derivat, nos meliora edocti locum concedere non possumus. Nunc enim calorem illarum aut decompositioni pyritarum, aëris et aquae contactu effectae, aut lithanthracum, et argillae aluminaris schistosae incendiis rectius adscribimus. Cons. E. Osann *Darstell. d. bekannt. Heilquell. d. vorzügl. Länd. Europas.* Berl. 1829. 8. Th. I.] Ge. *Warme Bäder.* Ga. *Bains chauds, thermes.* — *Thermae artificiales* sunt, quae interdum, si naturales deficiant, ex aqua cum sulphure, calce viva, marte etc. praeparantur. [Nostra aetate haec balneorum omninoque omnium aquarum medicatarum conficiendarum ars ad magnum perfectionis gradum perducta est. Excelluit inprimis hac in re Exper. Fr. Adph. Aug. Struve, cuius liber: *üb. d. Nachbild. d. natürl. Heilquell.* Dresd. u. Leipz. 1824. 26. 8. Fasc. II. lectu dignissimus est. Vid. et Herz *die künstl. Mineralw. in ihr. Verhältn. z. den natürl.* Berl. 1830. 8.]

THERMANTICA sunt medicamenta calefacientia. A *θερμαίνω, calefacio.* Ge. *Erwärmende Mittel.* Ga. *Echauffans.*

THERMINTHUS, vide *Terminthus.*

THERMOMETRON est calor debitus, qui ex pulsibus deprehenditur. A *τὸ θερμὸν*, [aut secundum Krausium a *θέρμη,*] *calor*, et *μέτρον*, *mensura.* Ge. *Die natürliche Wärme.* Ga. *Chaleur naturelle.* A. *Natural heat.* B. *De natuurlyke warmte.* — [Quam h. l. proposuit Blancardus

vocis *thermometrum* notionem, linguae graecae rationi adversatur.] Ita quoque vocatur fistula vitrea cum vitreo globo, vini spiritu, vel etiam mercurio plena, qui calore et frigore rarefactus, vel condensatus, gradus quoque eorum docet; hinc utilissima est machina, etiam corpori humano applicanda in calore febrium ardentium etc. dimetiendo. Ge. *Ein Wetterglas*, [*Wärmemesser*], *Thermometer*. Ga. A. *Termomètre*. B. *Een weer-glas*. — Instrumentum hoc vocatur etiam *Thermoscopion*. [A *ϑερμὸν* s. *ϑέρμη*, *calor*, et *σκοπέω*, *considero*. Inventi huius instrumenti honor a plerisque Corn. Drebbelio tributus est, qui seculo decimo septimo vixit. Scalae, quae caloris gradui metiendo inserviunt, plures inventae sunt, quarum hac usitatissimae sunt: *Fahrenheitiana*, quae spatium inter frigoris artcficialis, nivis et salis ammoniaci miscela producti, punctum fixum et illud, ad quod mercurius aquae ferventis calore adscendit, in 212 partes aequales dividit; *Reaumuriana*, quae inferius punctum fixum finiebat instrumenti globulo in glaciem liquescentem immisso, summum autem cum Fahrenheitio illud statuebat, quo aqua ebullit. Spatium, inter utrumque punctum intermedium, in 80 partes aequales dividebat; *centesimalis* denique, quae spatium interiacens in 100 partes aequales dividit. — Maiores caloris gradus, qui ebullientem aut aquam, aut mercurium superant, Wedgwoodius suo thermometro metiri docuit.]

[**THLABIAS.** Vid. **THLADIAS.**]

[**THLADIAS** vocatur is, qui compressione testiculorum eviratus est, eunuchus. Sic Zonaras p. 1046. vocem explicat. Wildberg male tales homines (*Handb. f. Physik*. II. 35.) *Thlibias* et *Thlabias* vocari putat. Prior vox recte a *ϑλίβειν*, *comprimere*, derivanda: posteriorem autem ignorat graeca lingua. Thladias, a *ϑλάζω*, *comprimo*, descendit.]

THLASPI est planta, quae habet caules rotundos, ramosos, villosos; folia habentes sine pediculis, instar minimi digiti longa, ad basin ampla, et sensim ad apicem acuta facta, dentata, coloris viridis, saporis acris. Flores sunt exigui, albi, bursam pastoris referentes, cruciformes, quatuor scilicet petalis constantes. Post florem sequitur fructus, seu capsula seminalis orbiculata, compressa, ora plerumque foliacea et suprema fissa, in quo loculamenta divisa septo intermedio, respectu valvarum, ad perpendiculum oblique posito; seminibus foeta parvis, oblongis, compressis, rufis, saporis acris et fervidi. Radix est satis crassa et fibrosa, lignosa, alba, aliquantulum acris. Haec planta crescit in locis desertis. Huius generis (Tetr. Silicul.) plures dantur species. Maxime vulgaris, de qua hic sermo est, et quae interdum in usum medicum adhibetur, est Thlaspi arvense siliquis latis *Bauh*. *Thlaspi arvense* siliculis orbiculatis, foliis oblongis, dentatis, glabris *Linn*. Qualitatis est fra-

grantis, alliaceae. Semen, quod fere solum in usu est, et etiam theriacam ingreditur, acre est, viribusque abstergentibus, aperitivis et emmenagogis pollet. Est etiam masticatorium et apophlegmatizans. Gr. *θλασπίδιον, σίνηπι ἄγριον*, item *Capsella* et *Scandulaceum.* Nonnulli herbarii *Nasturtium tectorum*, et *Sinapi rusticum*, quod digitis fricatum sinapim suboleat, appellant. Graeci a fructus forma dictum volunt, qui nasturtio similis est, sed latior, velut infractus et contusus. *Θλᾶσθαι* enim iis *contundi* est et *infringi*, infringendoque, quod globosum tumidumve erat, malleo, lapide, pedeve cum dilatatione exaequare. Ge. *Wilder Senf*, *Pfennigkraut*, *Klaffer*, *Bauernsenf.* Ga. *Thlaspi, taraspic.* A. *Treacle mustard, pennycress.* B. *Wilde kors, schilt-kruid.*

[**THLIBIAS** vid. **THLADIAS.**]

THLIPSIS est vasorum compressio, a causa extra vasa posita, qua eorum interna cavitas tollitur, ac proin liquidi transmittendi fluxus impeditur. A *θλίβω, comprimo.*

THOLUS DIOCLIS est fasciarum species, quae vulneribus circa aurium regiones applicatur. [Describitur haec fascia, *ὁ θόλος Διοκλέους*, a Galeno *de fasciis* in Nicetae *collect. chir. vet.* c. 397. et in Kühn. ed. Gal. to. XVIII. P. I p. 788.] Ge. *Ohrenbinde.* Ga. *Tolus de Dioclete.* A. *Sluitbalks-zwagtel, oor-zwagtel.*

THORA est Napelli species, dicitur et [rectius] *Phthora.* Vide *Phthora.*

THORACICA sunt medicamenta adversus pectoris mala. Ge. *Brustmittel.*

THORACICUS DUCTUS, vide *Sacculus chyliferus.*

THORAX sive medius venter est totum id cavum, quod circumscribitur superiore parte a costis superioribus; inferiore a diaphragmate; parte antica a sterno, postica a vertebris dorsi; lateribus a costis. Ovalis et fere parabolicae figurae est, exterius convexa, ut iniuriis externis eo melius resistere posset; continet cor et pulmones, atque intus membrana pleurae circumtenditur. Ab *Hippocrate* et *Aristotele* pro thorace sumebatur totum id, quod a claviculis ad pudenda usque excurrit, hoc est, medius et infimus venter. A *θορέω, salio*, quia in eo cor continuo salit. [Difficile fore explicatu, unde ω in *θώραξ* veniat, si haec derivatio locum habuerit. Etym. M. *θώραξ παρὰ τὸ θῶ τὸ ἀπολαύω· οὗ μέλλων, θώσω· θῶρος καὶ θώραξ· οἷον εἰ τὸ ἀπολαυστικὸν μέρος τοῦ σώματος.*] Ge. *Die Brust.* Ga. *La poitrine.* A. *The breast.* B. *De borsthollligheid.* — *Thoraces* quoque vocantur machinae illae ex ossibus balaenae plerumque confectae, quibus thoraces foeminarum et puerorum saepe maiori cum detrimento, quam usu, includuntur. Ge. *Schnürbrüste, Schnürleiber.* Ga. *Corps de baleine.* A. *Stays.* B. *Ryglyf*

keurslyf. — *Thorax* tandem est idem, quod *quadriga,* seu *cataphracta,* fascia scilicet, quae pectori applicatur. Ge. *Harnischbinde.* Ga. *Plastron, cataphracte.*

THOREXIS est [proprie loricatio, dein] vini generosioris potus, pectus calefaciens et quasi loricis circumdans. [Hippocrates τῷ θωρήσσειν et θώρηξις saepius, sed simpliciter aut pro *vinum bibere* et *vini potione,* aut pro *nimiam vini quantitatem assumere* et *ebrietate* usus est. Sic Erotian. p. 178. θωρῆξαι· οἰνοποτῆσαι. Ἐπεὶ καὶ οἰνοποσία ὑπ' αὐτοῦ θώρηξις λέγεται. Vid. Comment. ad Aristoph. Pac. vs. 1284.] A θωρήσσω, *lorico.*

[**THRAUSIS** est secundum *auctor. defin. med. Galen. to. XIX. p.* 430 casus inaequalis pilorum haud absimilis iis, qui forfice abscissi sunt. A θραύω, *frango.*]

[**THREPSOLOGIA** est ea physiologiae corporis animalis pars, quae de nutritione exponit. A Graec. θρέψις, *nutritio,* et λέγω, *dico, tracto.* Scripsit sub hoc titulo librum Ch. H. Aug. Osthoff: *Rhapsodieen a. d. Lehre v. der assimilativen u. reproductiven Function des Organischen, als Material. f. e. künftiges Syst. d. Threpsologie.* Erlang. 1806. 8. Voll. 2.]

[**THRIDACIUM** est succus, e conquassatis lactucae sativae caulibus expressus, et in vase porcellaneo leni calore ad syrupi consistentiam inspissatus. Differt a *lactucario,* quod vide. A θρίδαξ, gen. θρίδακος, *lactuca.* De eius virtutibus medicis vid. Magendie (*Vorschr. z. Bereit. v. neu. Arzn. VI. Ausg. p.* 153.]

THROMBOSIS est coagulatio lactis, vel sanguinis in corpore humano. Thrombosis tamen lactea potius videtur inflammatio lactea, seu in vasis lacteis et glandulis oborta, ab infarctu et impetu illius humoris et sanguinis affluentis. Vide *Coagulatio.* Ga. *Le poil.*

THROMBUS est sanguinis, aut lactis, [aut alius cuiuscunque rei] in grumos coagulatio. A θρωμβόω, *in grumos concresco.* Ge. *Geronnen Blut.* Ga. *Grumeaux de sang, sang caillé,* sive *coagulé.* A. *Clodded blood.* B. *Geronne bloed.*

THRYALLIS est *Verbasci* species, ex qua ellychnia solebant fieri. Θρυαλλὶς enim est ellychnion, a θέρω et ἅλλομαι, quod *caleat* et *surgat,* quod convenit ellychnio accenso. [Hanc vocis, de qua videatur Christ. ad Aristoph. Vesp., etymologiam habet Etym. M. p. 456. Θρυαλλὶς ἄνθος λιχνίδος, ἀκτίς· ἤγουν τὸ περικαιόμενον τοῦ ἐλλυχνίου. ἔστι δὲ καὶ βοτάνη πρὸς λύχνον ἁρμόζουσα. παρὰ τὸ θέρω καὶ ἅλλω τὸ πηδῶ, γίνεται θεραλλὶς καὶ τροπῇ τοῦ ε εἰς υ, καὶ ὑπερθέσει θρυαλλίς.]

THUS, sive **OLIBANUM,** Gr. λίβανος et λιβανωτὸν. Resina est duriuscula, obscure pellucida, extus farinosa, intus e flavo pallescens, in grana variae magnitudinis et formae

concreta, saporis resinosi, amaricantis, odoris, dum accenditur, fragrantissimi. Stillat partim sponte, partim e sauciata arbore, quae est Cedrus folio Cupressi maior, fructu flavescente *Bauh. Iuniperus phoenicea* foliis ternis obliteratis, imbricatis, obtusis *Linn.* (Dioec. Monadelph.) vel e *Iunipero thurifera eiusd.* Habitat in Aethiopia et Arabia. Thus, quod ad nos adfertur, variis, nec adeo concinnis nominibus distinguitur. Est scilicet *masculinum*, quod proprie *olibanum* vocatur, seu *Melax*, Arab. *Melason*, et *foemininum*. *Masculinum* ex albo flavescit, et ob grana compacta testiculorum instar rotundum est, guttarumque formam referens, candidum intus et pingue. *Foemininum* magis resinosum est ac molle, cito ardens et flavum. Praefertur *masculinum*, ut quod ex arboribus montanis colligitur, et magis purum est; igni inspersum valde fumat, et odorem aromaticum spargit. — *Cortex* etiam huius arboris, qui *Thymiama* et *Thus Iudaeorum* vocatur, in usu est, debet esse crassus, pinguis, odoratus, recens, minime scaber. — *Manna thuris* sunt micae fragmenta, pollen ac farina thuris, quae ex collisione, dum in saccis vehitur, colliguntur. Thus eximiis viribus vulnerariis et abstergentibus pollet; hinc eius usus internus in morbis pectoris, uteri, intestinorum et sanguinis sputo commendatur. Emplastra varia ingreditur. Suffimigium in catarrhis et rheumatismis prodest. [Duplex genus olibani prostat, quorum aliud, idque praestantius ex India orientali, aliud ex Arabia et Africa septentrionali ad nos adfertur. De arbore, quae prius genus fundit, non inter omnes constat. Alii enim olibanum e Iunipero Lycia seu thurifera, alii e Boswellia serrata Roxb. seu B. thurifera Colebrokii stillare putant; de qua lite cons. Fechnerus in *Repertor.* I. 3. p. 1415. Ex Amyride Kafal Forsk. olibanum Africanum, hodie vix adhuc venale, Adansonus provenire putavit. — Chemica analysi Braconnotus invenit, centum olibani indici partes continere resinae e rubro flavae, valde fragilis insipidaeque 56, olei aetherei flavescentis, et olei citri odorem spirantis 5, et gummi 30. — Interne vix adhuc adhibetur, et Pharmac. Bor. unum tantum emplastrum commemorat *aromaticum*, quod olibanum ingrediatur. Ob gratum odorem, quem carbonibus candentibus inspersum diffundit, frequentissime ad suffimigia adhibetur.] Dicitur secundum non nullos *tus*, a tusis glebis: sed potius a graeco verbo *θύω, sacrifico*, nomen habere videtur, quod veteres thure sacrificabant et supplicabant. Gr. *λίβανος καὶ δενδρολίβανος*, quemadmodum lacryma *λιβανωτὸς*, quae *Hippocrati λιβανωτοῦ καρπὸς* dicitur, *λίβανος*, a *λείβω, stillo:* licet Graeci fabulentur, a iuvene Assyrio huius nominis, quod deos studiose coleret, ab invidis occiso et in hunc fruticem converso, dici; atque hinc diis thure gratius nihil esse. Ge. *Weihrauch*, *Arabi-*

scher, *oder ächter Weihrauch.* Ga. *De l'encens.* A. *Frankincense.* B. *Wierook.* Arab. *Lovan*, *Conder.*

THUS IUDAEORUM, vide *Thymiama* et *Thus.*

THUS SYLVESTRE, vel **VULGARE** est resina purissima e Pino exstillans, cuius grana in formicarum acervis reperiuntur. Qualitatis resinoso-balsamicae passim emplastris additur, et inter euporista commendatur. Ge. *Falscher Weihrauch*, *deutscher Weihrauch.*

THUYA, vide *Arbor vitae.*

THYMA, i. q. *ecthyma*, [*ἔκθυμα*, *efflorescentia cutanea*, *pustula.*]

THYMBRA est herba, charactere, qualitate et viribus cum Thymo, Satureia et Calamintha conveniens, et ab iis tantum floribus verticillatim positis differens. Forte *ἀπὸ τοῦ θύειν*, *odores accendere*, idque ob fragrantiam, vel a *thymus*, ob similem forte odorem. Est *Satureia thymbra Linn.*

THYMELAEA, *Daphne mezereum* floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis, sessilibus *Linn.* (Octandr. Monogyn.) est arbuscula, cuius truncus saepe instar pollicis crassus est, plures habens virgulas, vel ramos, sesquipedem circiter longos, pulchros, rectos, foliis lini fere similibus instructos, sed maioribus, latioribus, semper viridibus, viscosi quidquam, si dentibus atterantur, praebentibus. Flos monopetalus, utcunque infundibuliformis, quadrifidus. Ovarium in centro floris fit fructus ovatus, succi plenus, foetus semine oblongo, habente pelliculam nigram, splendentem, fragilem, sub qua invenitur medulla alba fervidi saporis. Radix longa, crassa, dura, lignosa, externe grisea, aut rubicunda, interne alba; in initio dulcis, sed postea acris et caustica. Huius plantae folia, cortex et semina qualitatis sunt acris et drasticae, rarissimeque interne adhibentur; a quibusdam tamen cortex externe, ut vesicatorium, vel rubefaciens, in variis morbis applicatur, conf. *Exutorium*, et radici in decocto adhibitae eximiae vires resolventes in tophis venereis attribuuntur. Vide *Mezereum*, *Laureola*, *Coccus gnidius.* Haec planta crescit in locis incultis: quibusdam *Chamelaea*: dictam volunt quasi Tithymelaeam, ex Tithymali et Oleae mixta facie. Malunt tamen alii nomen esse compositum ex Thymo et Olea. Sed dicitur potius quod oleae fert folia, et Tithymali instar alvum solvat; vel quod foliis sit oleaceis, angustis, admodum viscidis, pinguibus, et Tithymali foliis similibus. [In cortice cum Daphnes alpinae, tum D. Mezerei a Vauquelino materia peculiaris detecta, et *daphnine* appellata est. Extracto, e cortice Daphnes alcoholis ope parato, infunditur aqua, quae resinam intactam relinquit. In liquore, ad certum usque punctum evaporato, post aliquot dierum spatium crystalli comparent, columellas tenues, pellucidas, fasciculatim positas referentes,

quae repetita solutione in aqua fervida, et succedente crystallisatione puriores redditae saporem, Vauquelino judice, admodum amarum, secundum Gmelinum autem modice amarum atque austerum habent, et neque acidorum, neque alcalium in modum reagunt. Cons. Gmelini et Baerii analysin Daphnes alpinae, in diss. inaug. Tub. 1822. publicatam, et Schweiggeri *Journ. neu. Reihe.* V. 25. insertam.] Ge. *Kellerhals, Seidelbast.* Ga. *Garou, bois gentil.* A. *Spurge olive.*

THYMIAMA, [graec. *θυμίαμα*] idem quod latinorum *suffitus.* — Prostat etiam *Cortex thymiamatis*, quem *Hofmannus* habet pro cortice arboris storacis, ex qua liquida storax exprimitur, vel pro cortice arboris thuriferae, intermixtis granulis thuris. Vide *Thus.*

THYMION, THYMUS est verruca minor super corpus in cute eminens, ut acrochordon, tenuis, supra latior, subdura et in summo aspera. Colorem thymi repraesentat floris, a quo denominatur. Habet magnitudinem fabae Aegyptiacae. Modo una, modo plures nascuntur in palmis, talis et plantis pedum; pessimae sunt in obscoenis locis, maxime ubi sanguinem fundunt. Ge. *Harte Warzen.* B. *Harde wratten.*

[**THYMIOSIS** a Swediaur *l. c.* II. p. 179. vocatus est morbus peculiaris, qui hactenus barbaro nomine *framboesiae* s. *yaws* insigniebatur. Excrescentiis tuberculosis, praecipue in facie, capite, aut etiam circa genitalia fungosis vel duris, fructus mori rubive idaei formam saepe referentibus, dolentibus, ichorem viscosum, foetidum exsudantibus, frequenter cum ulceribus oris et faucium serpentibus ac tumoribus et doloribus ossium iunctis sese prodit. Synon. *Elephantiasis indica, Scrophula moluccana, Variola amboinensis,* Bont. — Cel. Krausius morbo nomen potius *θυμίωμα* imponendum esse recte statuit, cum substantiva verbalia, in *σις* desinentia, formationis actum, non autem rem formatam significent.]

THYMUM, THYMUS est plantae genus flore labiato, (Didynam. Gymnosperm.). Species officinalis est Thymus vulgaris, folio tenuiore *Bauh.* *Thymus vulgaris* erectus, foliis revolutis, ovatis, floribus verticillato-spicatis. Habet haec caulem tenuem, lignosum, album. Folia sunt parva, opposita, tenuia, angusta, albescentia, vel viride-obscura, saporis acris. Calyx est monophyllus, tubulatus, semibifidus in duo labia, fauce villis clausa. Flores sunt in capitula collecti, minimi, purpurei, galea surrecta, plerumque bifida, barba tripartita. Semina quatuor obrotunda his succedunt, in capsula, quae floris calyx fuit, inclusa. Qualitatis est aromaticae et spirantis, hinc viribus nervinis, diureticis, anticatarrhalibus et roborantibus, externe adhibita, resolventibus gaudet. — *Thymus creticus Pharm.* est *Satureia capitata.* Vide *Satureia.* Ge. *Kretischer Thymian.* — Thymus

ab odore dici videtur, a *θύω*, *suffio*, quod eo veteres primum usi sint in sacris, quae accenso igne fiebant, vel a *θυμὸς*, *animus*, quia eius odor corroborat, quodque iis adhibetur, qui animi deliquium patiuntur. Ge. *Thymian, Welscher Quendel.* Ga. *Thym commun.* B. *Gemeen thym.* A. *The garden thyme.*

THYMUS, s. *Glandula thymus* est glandula conglomerata, deorsum quasi bifida, sita in superiore parte thoracis, anterius immediate sub iugulo, et extensa secundum longitudinem aortae et venae cavae usque ad pericardium, eiusdem fere coloris et substantiae, quam pancreas; quae, quo animal est magis origini proximum, eo maior est, quo animal adultius, eo minus conspicua. In recens natis saepe lacteo succo turget. Ductus excretorius nullus hucusque certus repertus est; hinc huius glandulae functio non immerito eadem habetur cum functione reliquarum glandularum lymphaticarum, scilicet eo maiorem lymphae nutritiae quantitatem ad celerius corporis incrementum elaborare. Ge. *Brustdrüse.* Ga. *Thyme.* A. *The breast glandula.* B. *De borstklier.*

THYREOARYTAENOIDES est par musculorum, ortum habens a cartilagine scutiformi, anterius in latera cartilaginum arytaenoidearum conscendens; laryngis rimulam constringit. Ex *θυρεὸς*, *scutum*, *ἀρύταινα*, *haustrum*, et *εἶδος*, *forma.* Ge. *Seitenmuskel der Luftröhre.* Ga. *Muscles thyroarytenoidiens.*

THYROIDEA s. potius **THYREOIDES GLANDULA** est glandula maxima colli, plerumque unica in homine, raro duplex, lunae cornutae utplurimum similitudinem referens, cornibus ex utroque latere sursum exporrectis, eisque tam cartilagini thyreoideae et cricoideae, quam oesophago, utrinque adhaerens; pars vero media, quae isthmus appellatur, superioribus asperae arteriae cartilaginibus iungitur. Insignibus gaudet vasis arteriosis et venosis, quae *thyreoidea* vocantur. Cum tamen ductus excretorius in hac glandula nondum repertus sit, quem proprie succum, et in quem usum secernat, vix adhucdum satis constat. Ge. *Schilddrüse, Halsdrüse.* Ga. *La glande thyroidienne.* B. *Strotklieren.*

THYREOIDES s. **THYROIDES**, *scutiformis*, vel *clypealis cartilago* est laryngis omnium maxima, et antice in collo prominens, quasi e duobus planis ad angulum sibi iunctis constans, quatuor processibus praedita, quorum duo superiores longioresque ossis hyoidis lateribus iunguntur, duo inferiores cum cartilagine cricoide committuntur. — Item foramen ossis pubis sic vocatur. Ex *θυρεὸς*, *scutum*, et *εἶδος*, *forma.* Ge. *Der schildförmige Knorpel.* Ga. *Le*

cartilage thyroide. A. *Shieldlike gristle.* B. *Het schild gelyke kraak - been.*

[**THYREOITIS** est Ios. Frankio (*pr. med. praec. II.* 2. 1. *p.* 222.) inflammatio acuta corporis thyreoidis, vel cellulosae annexae, stipata cum partis affectae, attactum respuentis tumore, respiratione difficili, deglutitione dolorifica ac febre. *Corporis* thyreoidis denominationem vulgatae *glandulae* praefert Frank, quoniam, partem illam revera ad glandulas pertinere, nondum extra omnem dubitationem positum sit. Ge. *Schilddrüsen - Entzündung.*]

THYREOPHARYNGAEUS musculus est pars oesophagaei musculi, s. sphincteris gulae.

[**THYREOPHYMA** a Pt. Frankio *epitom. VI.* 2. §. 797. definitur per tumorem topicum, inter cutem et asperam arteriam huiusque confinia, in glandula thyreoide potissimum, rarius vel tardius in eiusdem contextu celluloso externo, intercutaneo, vel utrinque increscentem — plerumque cuti concolorem, indolentem, sub initio spongiosum, elasticum, successu temporis saepe inaequalem, quasi cartilagineum, aut osseum, aut fere lapideum. Swediaur *l. c. to. II. p.* 483. et 503. thyronci et deironci nominibus tanquam synonymis utitur. Utrumque nomen parum idoneum videtur, cum prius *thyreoncus* potius formari debeat, posterius autem propterea ferri nequeat, quod *δέρη* seu *δείρη* totum collum potius, quam eius anteriorem partem solam significet. A. *Wen, Dervyshire - neck.* Ga. *Goitre.* Ge. *Kropf, dicker Hals.*]

THYRSUS est caulis, idque nomen sibi vindicavit, quod virgulae in modum, vel teli in rectitudinem assurgat. — *Thyrsus* proprie botanicis est panicula coarctata in formam ovatam.

TIBIAE OS, Gr. *κνήμη* est in universum pars inter genu et talum: ossibus duobus constat; unum exterius, quod *focile minus*, vel *fibula,* alterum interius et maius, totius nomine donatur, et *tibia* proprie dicitur, *κνήμη* aliis *focile maius, canna maior* etc. Superius processum habet a femoris cavitate exceptum et sinus binos oblongos, pro femoris capitibus, quorum sinuum profunditatem auget annexa per ligamenta cartilago duplex, mobilis, mollis, lubrica et humore unctuoso imbuta, in ambitu crassa, centrum versus attenuata, unde *lunata* dicitur, anterius aspera veniunt ligamenta, quae cartilagines lunares augent. Anterior pars acuta et longa *spina* dicitur, inferius adest processus ex interno latere gibbus, talo vel astragalo insistens, sicque totum corpus fulciens et alter deorsum prominens iuxta pedem, qui *malleolus internus* vocatur. Anterior pars *crea* et *ocrea* quibusdam dicitur. Ge. *Das Schienbein.* Ga. *Le tibia, un des os de la jambe.* A. *Shin, shin - bone.* B. *Het scheen - been.*

TIBIAEUS MUSCULUS, i. q. *tibialis musculus.*

TIBIALIS MUSCULUS *anticus* dicitur et *posticus. Tibialis*, vel *tibiaeus anticus*, oritur a condylo tibiae externo, eiusque superficie externa et iuxta tibiam decurrens, tendine valido sub ligamento tarsi transverso transit, et tum superficiei internae ossis cuneiformis primi, tum basi primi ossis metatarsi inseritur, sicque actione sua pedem extremum flectit. *Tibiaeus posticus* procedit a parte superiori et posteriori tibiae et fibulae et iuxta has decurrens tendine suo sub malleolo interno transit et superficiei ovali ossis navicularis inseritur. Actione sua pedem extremum extendit et oblique adducit. Ge. *Der Schienbeinmuskel.* Ga. *Le jambier antérieur et postérieur, muscles de la jambe.* A. *The shin muscle.* B. *Scheen-spieren.*

TIGILLUM, i. q. *crucibulum.*

TIGLIA GRANA, vide *Ricinus.*

TILIA, Tilia foemina, folio maiori *Bauh. Tilia Europaea* floribus nectario destitutis *Linn.* (Polyandr. Monogyn.) est arbor apud nos satis frequens, procera, foliis subrotundis, serratis, petiolatis, alternis. Calyx est quinquepartitus, concavus, coloratus, deciduus; corolla pentapetala, rosacea; capsula coriacea, globosa, quinquelocularis, quinquevalvis, basi dehiscens; semina solitaria, subrotunda, quorum tamen communiter unicum tantum adolescit et reliqua ad latus pellit, ut capsula unilocularis videatur. Lignum Tiliae, praeter insignem usum mechanicum, carbonem suppeditat, a nonnullis contra epilepsiam laudatum. Sed frequentissimus in medicina florum usus est, e quibus conserva, aqua et spiritus prostant. Pollent flores qualitate fragrante, viribusque nervinis, antispasmodicis et anodynis, hinc in cephalalgia, vertigine, apoplexia, epilepsia, dentitione plerumque in infuso adhibentur. Et aqua e trunco arboris sauciato exstillans iisdem viribus gaudere dicitur. Semina contusa haemorrhagiam narium sistunt. Ge. *Lindenbaum.* Ga. *Tilleul.* A. *Lime-tree, linden-tree.* B. *Linde-boom.*

TILLICHERRY CORTEX, i. q. *conessi*, seu *profluvii cortex.* Ab oppido Malabariae eius nominis.

TINCAE OS idem est, quod orificium uteri, a figura sic dictum.

TINCTURA, ELIXIR ESSENTIA est extractum perfecte liquidum, paratum infusione atque digestione variorum corporum mineralium, animalium vel vegetabilium, cum menstruis, vel spirituosis, vel aqueo-spirituosis, vel aquosis. Nulla singularis enim, quoad formam externam, indolem, principia et praeparandi modum, hasce medicaminum species genericas differentia intercedit, praeterquam quod *tincturae* plerumque colore grato et eminenti flavescente, aureo, rubro etc. *essentiae* et *elixiria* autem colore obscu-

riori ac minus eleganti, nigricante, brunneo, obscure viridi, etc. gaudent. In officinis tincturae quam plurimae, tum simplices, tum compositae, [in Pharmac. Boruss. 83.] prostant. Ge. *Eine Tinctur.* Ga. *Teinture.* A. *A tincture.* B. *Verwsel afverwsel, uittreksel.*

TINEA est scabies partis capillatae capitis, cutem erodens cum squamis et crustis, pilorumque evulsione, colore cineritio, odore foetido, orta ab acrimonia sanguinis in glandulis sebaceis subcutaneis haerente. Triplex eius datur species: 1) squamosa, vel porriginosa: dum enim scalpitur, multas furfuraceas squamas de se remittit; 2) ficosa, dum haec crusta sua flava denudatur, apparent vivae rubraeque carnis grana ficuum interioribus granis similia, cruentam materiem ex se emittentia, et 3) est *achor,* quem vide supra. Plures adhuc ab auctoribus species recensentur, ut *tinea lactea, volatica, favosa, humida, crustacea, lupina, syphilitica* etc. malignitate, vel corruptae materiae indole, inter se differentes. Morbus hic infantes, sed plerumque adultiores invadit. Dicitur *tinea,* quia haud raro in eo latent vermiculi copiosi, vel pediculi, vel quia proserpit erodendo, ut tinea in vestibus. [Tineam, ut genus, a pityriasi distinctam esse iudicat Swediaur *l. c. to. II. p.* 226., quod illa nunquam aliam, quam capitis partem capillatam afficiat; quod semper contagiosa sit, et quod non nisi iuniores maxime a quarto usque ad decimum quartum aetatis annum, vix unquam ultra hanc aetatem, invadat.] Ge. *Der Grind, Erbgrind.* Ga. *Teigne, la rache.* A. *Scald-head.* B. *Quaad-zeer, droogeschurft, erfschurft.*

TINEARIA dicitur etiam *Ageratum,* et *Stichas citrina.* Ita vocatur, quod eius flores vestes cistis asservatas a tineis arceant conserventque.

TINUS, TINNUS et **TYNNUS** est arbuscula, quae habet virgas longas, quadratas, ramosas. Folia sunt magna, ampla, bina, iuxta ramos sibi invicem opposita, nigra, splendentia, aliquantulum lanuginosa, semper virentia, inodora, saporis amari cum aliqua adstrictione. Calyculus est geminus, inferior trifidus, superior quinquefidus, uterque monophyllus. Flos est monopetalus, rotatus, quinquefidus, infra breviter tubulatus, quinque staminibus ex pariete interno tubuli floris ortis. Ovarium in fundo calycis, tuba longa, triquetra, scabra instructum, fit fructus olivae similis, umbilicatus, foetus semine unico pyriformi. Fructus hic viribus valide purgantibus gaudet, vix tamen in usum adhibetur. Haec arbuscula crescit in locis saxosis. Ob similitudinem foliorum a quibusdam dicitur *Laurus sylvestris.* Gr. *Δάφνη ἀγρία.* Ge. *Wilder Lorbeerbaum, Laurus Tinus.* Ga. *Laurier-tein.* B. *Wilde laurier.*

TINNITUS AURIUM, sive **SIBILUS** est susurrus qui-

dam aurium, vel perceptio soni, absque causa externa, quae oritur ab omni causa, celeriorem sanguinis circuitum per arterias aurium producente, hinc comitatur inflammationem arteriarum membranam tympani, aut expansionem portionis mollis paris nervorum septimi perreptantium; vel fit, ubi stimuli quidam intus, vel extus aurem irritant, qua aër in auris cavo ab arteriis pulsantibus continuo movetur, et expansio nervea leviter verberatur, unde susurrus et bombus percipitur. Ge. *Das Sausen, Brausen, das Klingen der Ohren.* Ga. *Bruit dans l'oreille, tintement.* A. *The noise of the ears.* B. *Ruisching in het oor, oortuiting, oorsuizing.*

TINTINABULUM TERRAE est *Pyrola;* dictum a floribus eius tintinabulo similibus.

TIPHA, vide *Typha.*

TITHYMALUS, EUPHORBIA *Linn.* est plantae genus, calyce monophyllo, ventricoso, rugoso, quadridentato, colorato; corolla constat e petalis quatuor, in paucis quinque, turbinatis, gibbis, crassis, truncatis, cum dentibus calycis alternis (Dodecandr. Trigyn.). Capsula est subrotunda, tricocca, trilocularis, stylo elongato pendens, elastice dissiliens. Semina sunt solitaria, subrotunda. Caulis est foliosus. Huius generis quam plurimae dantur species, tum indigenae, tum exoticae, in omnibus suis partibus lactescentes. Qualitas huius succi plus, vel minus acris et caustica est. Species apud nos indigenae vix interne ad usum medicum adhibentur. Succus illitus verrucas tollit. Vide *Esula, Euphorbia, Cataputia* etc. Tithymalus nomen habet a τιτθὸς, *mamma,* quia lac fundit, et μαλακὸς, *tener,* quasi tenera mamma [!]; vocatur etiam *Characias* Dioscoridi [IV. c. 162.], id est vallaris, a χάραξ, *vallum, palum.* Ge. *Wolfsmilch.* Ga. *Tithymale.* A. *Great spurge.* B. *Groote spurge, groote wolfs-melk, groote duivels-melk.*

TITHYMELAEA, i. q. *thymelaea.*

TITILLATIO est in voluptatis sensu gradus, prope dolorem proximus: nam ut voluptatem percipiamus, cum organum sensus ita concutitur, vires uti sint ad resistendum maiores; ita, si concussio fiat aliquantulum maior, minor vero vis, quae resistat, oritur *titillationis sensus,* qui cum habet aliquam coniunctam molestiam, proxime ad dolorem gradum struit, quare ad morbos referri debet. Solet autem maxime sentiri in latere, et sub planta pedum, ubi plurimae sunt papillae nerveae, et in iis, quibus cutis tenera est et qui non assuevere titillationi. Gr. *Γάργαλος, γαργαλισμός.* Ge. *Das Kitzeln.* Ga. *Chatouillement.* A. *Tickling.* B. *Kitteling.*

TMETICA, [ita enim pro **TOETICA** lego, ab inusitato *τμάω, τμητικὸς, incidendi vim habens,*] i. q. *attenuantia.*

TOLUTANUS BALSAMUS succus est resinosus, tenax, coloris ex spadiceo ad aureum vergentis, aut fusco-virescentis, odoris fragrantissimi, ad illum benzoini et citri accedentis, saporis dulcis, grati, nec nauseosi, ut aliorum balsamorum; stillat ex inciso cortice arboris Toluiferae, vel balsami Tolutani, foliis ceratiae similibus, *C. B. P. Toluifera balsamum Linn.* [seu *Myroxylon toluiferum* Spr.] (Decandr. Monogyn.). Crescit haec arbor potissimum in provincia Tolu prope Carthagenam Americae. [Ex inciso cortice profluit succus resinosus, qui vasis exceptus et siccatus in massas coit diversae magnitudinis colorisque rubicundi, facile liquescit, saporem acrem quidem, sed non ingratum exserit, odoremque admodum suavem spirat.] Quoad vires, hae ipsi tribuuntur eaedem, ac balsamo Peruviano, et frequentissimo in usu est apud Anglos, qui inde conficiunt syrupum balsamicum, in pharmacopoea Lond. descriptum. [Cons. A. T. Thomson's *verein. Pharmacop. d. Lond. Edinb. u. Dubl. Med. Coll.* übers. v. A. Braune. Leipz. 1827. p. 328. ubi duplex syrupi conficiendi formula allata est, quarum altera balsami tolutani unc. 1. in octario (Pinte) aquae fontanae in vase clauso, quod subinde movendum est, coqui, et liquori refrigerato colato sacchari purificati libras duas adiici iubet; altera praecipit, ut syrupi simplicis recens parati et pene refrigerati libris duab. paulatim tincturae balsami tolutani sub assidua agitatione admisceatur. Haec posterior formula in Pharm. Lond. exstat, et non nisi acidum benzoicum e balsamo solutum continet.] Ge. *Balsam von Tolu.* Ga. *Baume de Tolu.* A. *Balsam of Tolu.* B. *Balsem van Tolu.*

[**TOMELINE** vocata est a Parmentiero et Deyeux peculiaris quaedam substantia, quam in globulis sanguinis per experimenta sua detexisse sibi videbantur. Sed nullus alius recentiorum chemicorum, repetitis experimentis, eandem materiam invenire potuit.]

TOMENTUM Latinis omne id, quod culcitrae ad molliorem et calidiorem quietem infarcitur, dicitur, sive id lana sit, sive pluma, sive aliud quid, excipiendis molliter et fovendis calore corporibus nostris aptum. — Sic botanicis *tomentum* dicitur pubes, seu villi intertexti vix conspicui, et *caules*, vel *folia tomentosa*, quae huiusmodi villis obducta sunt. Ge. *Wolle.* Ga. *Duvet.* A. *Down.* B. *Wol.*

TOMICI DENTES, vide *Dentes.*

TOMOTOCIA, idem quod *hysterotomia.* Ex *τέμνω, seco,* et *τόκος, partus,* a *τίκτω, pario.*

TONICA sunt, quae intus assumta flaccidis fibris, vasis et visceribus eam tensionem restituunt, ut naturales suos motus redintegrent; vel quae membris foris illinita, nervis et tendinibus robur conciliant. A *τείνω, intendo.* Ge. *Stärkende Mittel.* Ga. *Toniques.*

TONICUS, i. q. *tetanus*, vide *Spasmus*.

TONOTICA, i. q. *tonica*. [Gr. τονωτικὰ, a τονόω, *roboro, ad roborandum apta, roborantia*.]

TONSILLAE, vide *Paristhmia* et *Antias*.

[**TONSILLITIS**, denominatio inflammationis tonsillarum damnanda, cum voci latinae terminatio graeca affixa sit. Rectius *antiaditis*, quod vide.]

TONUS dicitur talis partium solidarum status, qui ex debita proportione partium fluidarum ad firmas emergit, easque elasticas, et ad contractionem pronas reddit. Gr. τόνος, a verbo τείνω, *tendo*. Ge. *Spannung*, [*natürliche Spannkraft*.]

TOPASIUS est gemma pellucidissima, duritie quarta, colore aureo, in igne permanente *Wall*. *Borax topasius* gemma nobilis, lapidosus, prismaticus, pellucidus, pyramidibus truncatis *Linn*. Est vel orientalis, vel occidentalis. Prior in Arabia [et Brasilia], posterior in Bohemia et Saxonia reperitur; praefertur orientalis occidentali. [A Klaprotho, Vauquelino et Berzelio institutae analyses docuerunt, hanc gemmam e silicea, alumine, fluorine et oxydo ferrico componi.] Vires medicae suspectae sunt; tamen species et confectionem de hyacintho ingreditur. A quibusdam inter fragmenta lapidum pretiosorum refertur. Verum topasius hodie *chrysolithus* dicitur. Ge. *Topas*. Ga. *Topaze*. A. *Topaas*.

TOPHUS, Gr. πῶρος, est concretio quaedam lapidosa, seu gypsea, calci non absimilis, in quacunque parte, praesertim ossibus, eorumque articulis, v. c. in arthriticis, excitata. Ita quoque vocatur tumor, ex ipsa ossis substantia excrescens, duritiem habens inter gummi et exostosin mediam. Ge. *Knoten an den Gelenken und Beinfugen*. Ga. *Tuf*. B. *Kalkbuilen, kalk-knobbels*.

TOPIARIUM opus est, quod ex arbore, frutice vel herba, ad decorem componitur in testudines, aut cameras fornicatum. Hinc *topiariae* dici merentur *arbores*, vel *herbae*, quae nimirum huic operi, quod flexiles sunt, ac suo lentore sequaces, accommodantur. [Difficile est intellectu, quomodo topiarium ad medicinam pertineat. Est enim illud artificiosa formatio funetorum, ex herbis, fruticibus et arboribus compositorum. Vitruv. *de architect. VII. c.* 5, ubi de ratione moenia pingendi exposuit, topiorum quoque mentionem injecit; ad q. l. consulenda est longa Schneideri de τοπείῳ disputatio, cuius summa tandem eo redit, ut per illud funeta herbarum, fruticum et arborum arte iunctarum et varie ductarum sint intelligenda.]

TOPICA sunt medicamenta externa, quae applicantur et medentur singulari corporis parti, actione quadam illi parti propria, v. gr. emplastra vulneribus, epicarpia febribus etc.

— *Topica venaesectio* etc. est evacuatio, quae in ipsa parte affecta fit. A *τόπος*, *locus*. Ge. *Aeusserliche Mittel.* Ga *Remèdes topiques.* A. *A topic.* B. *Plaats-middelen.*

TOPINARIA, i. q. *talpa*.

TORCULAR, vel **TORCULUM** est praelum, quo olea vel succi exprimuntur. Ge. *Eine Kelter, Presse.* Ga. *Un pressoir.* A. *Press.* B. *Een pers.*

TORCULAR est instrumentum, quo chorda uno, vel duobus bacillis circumagitur, et adhibetur in gravioribus sanguinis profusionibus, sed praecipue in exstirpandis membris, ut vasa sanguinea comprimantur. Verum aptius nunc hoc instrumentum constructum est, constans e segmento circuli ligneo, vel chalybeo, quod loris circa membrum applicatur, et traiecta cochlea laminam ferream subiecto pulvinari arteriae apprimit. [Varias torcularium formas commemoravit atque descripsit Benedictus (*Lehre v. d. Verbänd. u. Werkzeug. der Wundärzte.* Leipzig 1827. p. 32—40.)] Ge. *Ein Drehstock, Aderpresse.* Ga. *Un tourniquet.* B. *Draajer.*

TORCULAR HEROPHILI est ille locus, ubi quatuor sinus crassae meningis cerebri coniunguntur. Ge. *Die Presse des Herophilus.* Ga. *Le pressoir d'Herophile.* A. *Press of Herophil.* B. *De pers van Herophilus, herssenpersbak.*

TORDYLIUM, Seseli creticum minus *Bauh.* *Tordylium officinale* involucris partialibus longitudine florum, foliolis ovatis laciniatis *Linn.* (Pentandr. Digyn.) est planta, quae habet caulem pedem circiter altum, striatum, villosum. Folia sunt oblonga, obrotunda, aspera, villosa, dentata, plura uni costae adnata et disposita. Flos est rosaceus et umbellatus, plurimis scilicet petalis constans inaequalibus, cordiformibus, in orbem positis et calyci insidentibus. Is autem abit in fructum fere orbicularem, ex duobus seminibus compositum, planis, margine elato, ut plurimum denticulato, involucrum facile deponentibus. Radix tenuis, lignescens, alba, simplex et annua. Haec planta habitat in Europa australi, viribusque expectorantibus, diureticis, emmenagogis et carminativis pollet. Rarioris usus. Theriacam ingreditur. Nomen ei impositum, quod semen ferat copiosum, circinatum, quasi toreumatis elaboratum, orbiculatum compressum, geminisque valvulis conflatum, clypeoli speciem referens. Dicitur etiam *torgylium, tordilium* et *tordylon.* [Utrumque nomen, una cum *σέσελι κρητικὸν* memorat Diosc. III. 56.] Ge. *Hirschwurz,* [*Drehkraut*]. Ga. *Fenouil tortu,* [*seseli de Crete.*] A. *The* [*officinal*] *hartwort.* [B. *Gemeen krielzaad.*]

TORI sunt in vegetabilibus prominentes partium calli, et in se pulparum modo collecti. Gr. *κονδύλους* vocant. Hinc

κονδυλώδης, id est *torosus*, quod idem Latinis est, ac nodi formam prae se ferens.

TORMENTILLA, Gr. *ἐπτάφυλλον*, sive **SEPTIFOLIUM**, quia eius folia ex septem constant incisuris: sic dictum volunt, quod tormentum cruciatumque dentium saevissimum placet, atque venenatarum quarundam rerum compescat furorem et cruciatum. Tormentilla sylvestris *Bauh.* *Tormentilla erecta*, caule erectiusculo, foliis sessilibus *Linn.* (Icosandr. Polygyn.) est planta flore rosacco, cuius calyx monophyllus, planus, semioctofidus; corolla e petalis quatuor obcordatis constans; receptaculum calyce inclusum, ferens semina octo, oblonga, obtuse acuminata. Radicem habet tuberosam, duram, nodosam, pollicem crassam, coloris ex fusco rubescentis, saporis austeriusculi. Radix praecipue in usu est, viribus pollens admodum stypticis et adstringentibus, hinc in diarrhoea, et, minus tamen recte, in dysenteria commendatur. Ulceribus inspersa ea ad cicatricem perducit. Decoctum odontalgiae mederi dicitur. [Ex infuso radicis acidum gallarum eadem via, qua Braconnotus idem ex infuso gallarum exhibuit, nuper obtentum est.] Ge. *Birkwurzel*, *Rothheilwurzel*, *Siebenfingerkraut*, *Ruhrwurzel*. Ga. *Tormentille*. **A.** *Tormentill*, *septfoil*. **B.** *Zeven-blad*, *meerwortel*.

TORMINA, vide *Dysenteria*.

TORMINA ALVI, i. q. *colica passio*.

TORMINA HYSTERICA sunt *hystericae passiones*. Vide *Hysterica passio*.

TORMINA INFANTIUM sunt dolores infantum ventris, plerumque a meconio retento, vel lacte acescente orientes.

TORMINA POST PARTUM sunt dolores, quos puerperae post partum patiuntur, ex constrictione uteri nunc evacuati, quando nempe lochia rite non procedunt, qui torminibus partus sunt nonnunquam plane similes; post laboriosissimos partus etiam saepe dolores aliqui remanent. Ge. *Nachwehen*. Ga. *Douleurs après l'accouchement*, seu *l'enfantement*. A. *Afterpains*. **B.** *Naweeen*.

TORNA SOLIS RUBRA et **COERULEA**, **BEZETTA**, est substantia, constans vel e linteolis tinctis, vel e pasta, vel placentulis, quarum prior e Coccinella, posterior e Heliotropio tricocco, addita calce et urina, praeparatur. Usus est ad gelatinas, condita et liquores tingendos. Tinctura quoque caerulea experimentis chymicis inservit, dum varia coloris mutatione salis iniecti indolem indicat. Ge. *Tornesol*, *Schminkfleckchen*. Ga. *Tournesol en drapeau*, *en pain*.

TORPOR est diminuta movendi potentia cum quodam quasi formicationis sensu.

TORREFACTIO, i. q. *tostio*.

[**TORSIO** est nova sive Thierryo, sive ab Amusato anno

1829 inventa methodus sistendarum absque praevia ligation haemorrhagiarum, e discissa arteria provenientium. Feli cissimo cum successu in usum a Frickio, Diefenbachio aliis que vocata est. Torsione interiores vasis vulnerati tunica dilacerantur atque cum externa intime coniunguntur, ita, u sanguinis irruentis vis hanc coniunctionem solvere non va leat. Egit de hac operatione Lieberus in Heckeri *Anna* 1830. mense Febr. Ga. *La torsion.* Ge. *Die Drehung.*]

TORTURA dicitur convulsiva oris ad latus flexio. Ge *Krummes Maul.* Ga. *Torture.*

TORULOSA botanicis dicitur *siliqua* prominentiis hin inde gibba.

TOSTIO est calcinationis quasi species, quae circa vege tabilia et animalia tantum obtinet, et quibus substantiis hi alius sapor et odor conciliatur, imo vires nonnunquam mu tantur. Sic v. c. Rhabarbarum tostum adstringens fit. Ge *Rösten.*

TOTA BONA est *Bonus Henricus.*

TOXICA sunt medicamenta venenata, quibus barbaro rum sagittae illinicbantur. Saepe hoc sub nomine omni venena interna intelliguntur. [A gr. *τόξον*, *arcus*, *τοξικὸ* *sagittarius*, et *τὸ τοξικὸν*, *venenum*, quoniam, sagittae in star, hominem, ut primum haustum fuerit, statim perima Schol. Nicandri *Alexiph. vs.* 207. teste.]

TRACHEA, i. q. *aspera arteria.*

TRACHEAE: ita botanici appellant vasa plantarum aërea fibris circumposita, aërem elasticum continentia, qui ab ex terno aëre, nunc calido nunc frigido, affectus, similes pati tur caloris et frigoris vicissitudines, et sic motum humoru per plantas promovet. Ge. *Luftgefässe.* Ga. *Trachées, vais seaux aëriens.*

TRACHEAE IN INSECTIS, vide *Stigmata.*

[**TRACHEALE** (*os*) a Geoffroy St. Hilaire rudiment cartilaginum bronchialium vocata sunt, quae in piscibus com parent. Debebat, monente Krausio, rectius dici: *trachea lia ossa.*]

[**TRACHEITIS** idem, quod *bronchitis,* i. e. inflammati membranae mucosae, saepe etiam fibrosae tracheae, au bronchiorum, quae cum respiratione maximopere difficili anhelosa, sibilosa, ac summa anxietate et suffocationis sens stipata; aphonia, paraphonia, pyrexia, plerumque sine ull vitio in faucibus comparente. Swediaur *to. I. p.* 129. ubi e plura synonyma huius morbi leguntur. A. *Croup, hives.* Ga *Le croup.* Ge. *Die häutige Bräune.* Vide supra *Cynanch strepitosa p.* 477.]

TRACHELAGRA est arthritis cervicis. [A gr. *τράχηλο* et *ἄγρα*, *praeda.*

TRACHELIUM est Campanulae species, Lat. *Cer*

icaria. Campanula petraea et *Americana Linn.* — *Tra-helium* etiam est plantae genus, (Pentandr. Monogyn.) ca-yce quinquepartito, minimo, corolla infundibuliformi, cap-ula subrotunda, obtuse triloba, triloculari, trivalvi, poly-perma. Eius plures species ob florum elegantiam in hortis oluntur. Nomen forte habet, quod cervicis et colli malis iedeatur. [— *Trachelia* [Gr. τραχήλια] Krausius dici pu-at carnis de cervice bovina desumtae frustum, quod ob du-itiem comedi nequeat. Aliam sententiam hac de voce schol. d Aristoph. *Vesp. vs.* 962. habet, qui τὰ ἄκρα καὶ ἐντελῆ κρέα, uin et τὰ κεφάλαια τῶν ἰχθύων ὡς ἀκανθώδη per τραχή-ια intelligi testatur. Vid. ad h. l. Flor. Christ.] Gr. τρά-ηλος est *collum.* Ge. *Halskraut.* Ga. *Gantelet.* A. *Throat-vort.* B. *Hals-kruid.*

TRACHELO-MASTOIDEUS, vel *complexus minor,* vel *iastoideus lateralis,* est musculus, qui oritur septem ad ummum capitibus ex transversis vertebrarum colli dorsique rocessibus, quae adscendentia, et inter se unita musculum onstituunt brevem, tenuem, angustum, sensim latiorem et rassiorem, qui splenio adhaerens supra eum pergit ad mar-inem posteriorem processus mammillaris, ibique desinit et ctione sua caput oblique retrorsum flectit.

[**TRACHELODIAPHRAGMATICUS**, i. e. qui simul d collum et diaphragma pertinet. Sic Chaussier, qui sibi n novis terminis anatomicis cudendis admodum placuit, quar-um par nervorum cervicalium appellavit.]

[**TRACHELOPANUS**, penult. longa, est tumor glan-lulosus, in collo obveniens. A τράχηλος et *Panus,* quod ide.]

[**TRACHELOPHYMA** est tumor, in collo conspicuus. Plerumque de obturatis et magnitudine praeter modum auctis olli glandulis adhibetur, sed latior patet vocis notio de mni omnino tumore colli, cuiuscunque tandem eius na-ura sit. A τράχηλος, *collum,* et φῦμα, *tumor.*]

[**TRACHEOBLENNORRHOEA** est nimia muci secretio e glandulis muciparis membranae mucosae asperae arteriae. A τραχεῖα, *fistula spiritalis,* βλέννα, *mucus,* et ῥέω, *fluo.*]

TRACHEOCELE appellatur ab Heistero (*instit. pract.* p. 678.) struma. A τραχὺς, fem. τραχεῖα, *asper,* et κήλη, *ramex.* Krausius Heistero non accedit, sub Tracheoceles denominatione potius abnormem asperae arteriae dilatatio-nem intelligendam esse ratus. Lexici sui supplementum, ad quod lectores suos ablegat, post quadriennii moram non-dum prodiit.]

TRACHEOTOMIA est operatio chirurgica, qua in metu suffocationis arteria aspera inter duos annulos inciditur ad respirationem conservandam. Sic rectius haec operatio vo-catur, quam *bronchotomia,* vel *laryngotomia.*

TRACHOMA morbus est oculorum, in quo palpebrae invertuntur, densiores et inaequales factae; vel cum asperitate etiam rubent cum pruritu et pustulis, instar milii granorum, vel cum, inveterato malo, insuper a parte interiore exulcerantur cum fissuris et callis. A *τραχόω, aspero.* Ge. *Inwendige Rauhigkeit der Augenlieder.* Ga. *Dartre des paupiéres.* B. *Raauwe oogscheelen.*

TRACHOMATICUM est collyrii species, quae olim in usu erat. [Galen. *meth. med. XIV. c.* 19.]

TRAGACANTHA, seu **TRAGACANTHUM** est *gummi* pellucidum, album, tenax, subdulce, leve ac sincerum, in granis plerumque fragmentisve contortis. Frutex, e quo vel vulnerato, vel sponte exsudat hoc gummi, est Astragalus aculeatus fruticosus, massiliensis *Pluk. Astragalus tragacantha* caudice arborescente, petiolis spinescentibus *Linn.* (Diadelph. Decandr.) Est hic frutex pumilus admodum, habetque ramos lanuginosos, spinisque instructos, rigidos, firmos. Lentis fere folia fert, pallida, pinnata, velut coniugata, costae adhaerentia, abeunti in mucronem albescentem. Flos est papilionaceus, ex cuius calyce surgit pistillum, quod deinde abit in siliquam secundum longitudinem divisam, bicapsularem, brevem et quasi ovatam, continentem semina reniformia. Frutex hirsutus est, unde nomen; *τράγος, hircus,* et *ἄκανθα, spina,* hinc dicitur *spina hirci.* [A. *The goat's thorn.*] Ge. *Bocksdorn,* [*Tragant.*] Ga. *Barbe renard,* ou *epine de bouc,* [*barbe de renard de Crete.*] B. *Bocks-doorn.* — Crescit copiose in Aleppo et Candia, et in Gallia circa Massiliam frequenter quidem reperitur, [sed nullum inde gummi obtinetur.] Gummi hoc qualitatis est mucilaginosae, viribusque inviscantibus, demulcentibus et lubricantibus gaudet; hinc in tussi, raucedine, nephritide, stranguria et colica commendatur. Plures praeterea medicinas compositas ingreditur. Praestat pellucens, gracile, leve, sincerum et subdulce. [Exc. G. Kunze in eruditis ad A. Richardi *botanic. medic. to. II. p.* 896. animadversionibus, Olivieri, quem Sieberus (*Reise nach Creta. To. II. p.* 68. ss.) secutus est, sententiam amplectitur, gummi illud non ab *Astragalo Tragacantha,* sed ab *A. vero* provenire. De peculiari, quod continet, principio vide sub *Adragantine.*] Ge. *Gummi Tragant.* Ga. *Gomme adragant.* A. *Gum dragant, tragacanth.* B. *Gom dragant.*

TRAGANOS et **TRAGOS** est uva marina. [A *τράγος, hircus.* Hanc autem vocem Etym. M. p. 763,33. derivavit a] *τρώγω, comedo,* [Putat autem Blancardus, traganon propterea a *τρώγω* deductum esse], quia fructum edulem fert. [Tragi meminit Diosc. I. c. 115.]

TRAGEAE non differunt a pulveribus, nisi quod tenuis-

sine adeo simplicia vegetabilia haud terantur, et vel externe adhibentur, corpori appositae, aut in fumum resolutae; vel sacculo linteo inclusac in vino, aut alio liquore, detinentur, ut vires suas liquori communicent. Aliquando tamen componuntur etiam ex speciebus antidotorum, odoratisque aliis rebus et medicamentis simplicibus in pulverem redactis, saccharo addito. In his conficiendis communiter capitur uncia una sacchari, ad singulas drachmas specierum, praesertim amariorum et minus gratarum. [In Trilleri *dispensatorio univers. to.* II. tredecim leguntur Tragearum formulae.] Gr. *τράγημα*, a *τρώγω*, *rodo*, *comedo*. Ge. *Pfaffenfutter, Küchlein, Trisenet.* Ga. *Dragées.* A. *Cake.* B. *Koekjes.*

TRAGEMA, i. q. *trageae.* [Per *τραλήματα* Graeci *bellaria* seu omne secundae mensae genus, v. c. ficus, nuces, myrti baccas al. intelligunt. Sic in Aristoph. *Plut. vs.* 768.]

TRAGI, TRASI, vel **TRASSI** vocatur et *Dulcichinum,* et *Cyperus,* est nomen origine Italica.

TRAGIUM vocatur *Fraxinella.* A *τράγος*, *hircus,* quia hircum olet.

TRAGOCEROS est *aloë,* ob folia cornuformia, hirci cornibus similia. A *τράγος*, *hircus*, et *κέρας*, *cornu.*

TRAGOPOGON est planta flore composito, (Syngenes. Polygam. Aequal.) quae habet caulem sesquipedem circiter altum, rotundum, solidum, in plures ramos divisum. Folia sunt longa, angusta, acuta, Croci folia referentia, sed breviora et latiora. Calyx corolla longior. Flos est semiflosculosus, plurimis scilicet semiflosculis constans, embryoni insidentibus et calyce comprehensis multifido, sed nequaquam squamoso, in multas lacinias diviso, quae ita longae sunt, ut ipsum florem recondant: embryo autem deinde abit in semen rectum, membrana, seu involucro, obvolutum, pappis instructum, thalamoque affixum. Crescit in paludibus et locis aquosis. At etiam in hortis colitur. Radix lactescens eximiis viribus aperientibus et pectoralibus pollet. Usus cibarius plerumque in acetariis est. Foliis virtus vulneraria est. Dicitur etiam *barba hirci.* Ex *τράγος*, *hircus*, et *πώγων*, *barba.* Nomen sibi adscivit, quod e calycis summo, floribus evanescentibus, papposa prodeat caesaries, seu comosa lanugo, cui cum hirci barba nonnulla similitudo. Vel ita vocarunt propter ramulos florum foetura racemosa amictos, in praelongas quasi comantes barbulas effigiatos, aruncos spirillosque caprarum imitantes, candore niveo, puniceo, roseoque colore intermixto, visu et odoratu periucundo. Ge. *Bocksbart.* Ga. *Sersifi, salsifie commun, barbe de bouc.* A. *Buks-beard, goats-beard.* B. *Bocks-baard, Josephs-bloemen, morgen-ster.* — Datur et alia species,

cui cognomen *Artifi.* Est ea *Tragopogon porrifolium Linn.* atque priori praefertur.

TRAGOPYRUM: sic aliquando vocatur *Fagopyrum,* quasi hirci frumentum. Ex τράγος, *hircus,* et πυρὸς, *frumentum.* Vide *Fagopyrum.*

TRAGORCHIS est Satyrion hircinum, vel caprinum. *Orchis coriophora Linn.* (Gynandr. Diandr.) bulbis indivisis, nectarii labio trifido, reflexo, crenato, cornu brevi, petalis conniventibus. Habitat in Europae australis et orientis pascuis. Nomen habet a τράγος, *hircus*, *caper,* et ὄρχις, *testiculus.* Vide *Orchis.* [A. *The lizard orchis*, *goat stones.* B. *Wantsdraagend standelkruid.* Ga. *L'orchis punais.* Ge. *Die stinkende Orchis.*]

TRAGORIGANUM, *Thymus cephalotos Linn.* (Didynam. Gymnosperm.) capitulis imbricatis magnis, bracteis ovatis, foliis lanceolatis. Habitat in Hispania et Lusitania. Qualitatis est calidae, subaromaticae, viribusque cephalicis, nervinis et carminativis gaudet. Rarior tamen eius in medicina usus. Dicitur quasi origanum hircinum, non alia forsitan ratione sic dictum, quam quod eius pabuli voluptate animal hoc caperetur. Ex τράγος, *hircus* et *origanum.* Ge. *Bockswohlgemuth.* B. *Bocksorega.*

TRAGOS est *Caprificus.* A τράγος, *caper.* Vide *Caprificus.*

TRAGUS, seu **HIRCUS** est auris eminentia, elastica, cartilaginea, quae tempora spectat, posita sub helicis exortu, erecta, formae triangularis, pilis aliquot hispida, in quibusdam densam hirci barbulam exprimens. Proprium habet musculum, *tragicum* dictum, primo a *Valsalva* descriptum, qui trago extrinsecus incumbit, eumque paulum introrsum versus concham premere potest. Ga. *Der Bock.* Ga. *Le tragus, le petit bouton antérieur, qui est au dessous des l'extrémité antérieure du pli de l'oreille.* B. *De bok.*

TRAIECTIO est species colationis, in qua spissiora, quoad consistentiam, cum impulsu maiori per setaceum transprimuntur.

[**TRAMIS** seu **TRAME** quid sit, clarius, quam Ruf. Ephes. p. 31., explicat Poll. *onom. II.* 173. τὸ δὲ ῥαφῇ μὲν προςεοικὸς, ὑπὸ δὲ τὸν καυλὸν διὰ τοῦ ὀσχεοῦ μέσου ὑπὸ τὸν ὀνομαζόμενον ταῦρον εἰς τὸν δακτύλιον καταλῆγον, περίναιον ὀνομάζεται, καὶ τράμις, καὶ ὄῤῥος. Erotian. *gloss. Hipp. p.* 360. τράμιν exponit per τὸν ὄῤῥον· ὅνπερ καὶ ἱππόταυρον καλοῦμεν, in quibus verbis mendosum ἱππόταυρον Valckenarius ad *Ammon. p.* 30. ed. Lips. in ὑποταύριον mutari cupit. Quamquam autem ἵππος quoque de membro virili dicitur, tamen inde vulgatae lectionis nulla commendatio peti posse videtur.]

TRANSFUSIO, Gr. διάχυσις, in genere est transmissio

liquoris ex uno vase in alterum, sed in specie dicta fuit *chirurgia transfusoria* Anglis olim tentata, iamque ab *Andrea Libavio* Germano antea proposita, scilicet deductio sanguinis vivi et in vasis animalis fluentis, ope tubulorum sibi continuatorum in vasa alterius animalis vivi; in scopum vasa inanita languentis animalis replendi, sanguinem mutandi, morbos curandi, vitamque longiorem ducendi; quod in maioribus animalibus et ipsis hominibus, postquam circulatio sanguinis inventa fuit, saepe tentatum est; aliquando felici, saepe infortunato successu. Vasa enim in uno animali suae capacitati proportionatum liquidum continentia, non respondent robori, magnitudini etc. vasorum in alio animali; liquida pariter vel sunt nimis solida, crassa et alterius indolis, vel nimis fluida, facilius resolvenda in uno, quam alio animali, adeoque, quod uni animali conveniebat salubre liquidum, in alio est letiferum, atque haerens in vasis minimis, obstructiones irresolubiles excitat, vel si liquidum tenuius fuit, ex vasculis omnibus excretoriis effluit, neque viribus vitae sustinendis par est; unde haec medicinae methodus iure exolevit. [In Gallia iam 1668. hanc operationem instituere lege interdictum fuit. Cons. Pa. Scheel, *die Transfusion des Blutes und Einspritz. d. Arzn. in die Adern.* Copenh. 1802. et continuatio huius libri a Diefenbachio, Berol. 1827. edita, Schreger *chirurg. Operation. p.* 643.] Ge. *Ueberleiten des Blutes aus einem Thier in das andere.* Ga. A. *Transfusion.* B. *Bloedbrenging uit het eene dier in het andere.*

TRANSPIRATIO, i. q. *diaphoresis.*

TRANSVERSALES MUSCULI ABDOMINIS: primum par exhibet sese membranoso principio, ab ipsis transversis lumbalium vertebrarum processibus, a labio interno marginis superioris et anterioris ossis ilei et ossis pubis, et a superficie interna costarum spuriarum et duarum verarum infimarum, atque cartilagine ensiformi, tum lata aponeurosi, quae exacte laminae inferiori aponeuroseos musculi oblique adscendentis adnata est, utrinque ad lineam albam iungitur, sicque actione sua cavum abdominis angustius reddit et exspirationi, ut et faecum, urinae et foetus exclusioni inservit. Alterum par, scilicet *transversales colli,* cervici extendendae, vel in posteriora flectendae, destinati, oriuntur a sex, aut septem primarum vertebrarum processibus externis, et inseruntur exterius in omnes vertebrarum cervicis transversos processus. *Transversalis pedis,* vel *quadratus,* est musculus in planta pedis, qui ab extremitate anteriori quatuor ossium metatarsi oriens transversim ad primam phalangem pollicis tendit, eiusque parti posteriori et externae inseritur et actione sua pollicem adducit, plantamque pedis angustiorem reddit. Ge. *Die Queermuskeln.* Ga. *Mu-*

scles transverses, seu *transversaires*, seu *transversaux*. B. *Dwers-spieren.*

TRANSVERSUS MUSCULUS HUMERI, i. q. *rotundus minor.*

TRAPEZIUS MUSCULUS sic dictus a figura geometrica. Vide *Cucullaris musculi* descriptionem.

TRAULISMUS et **TRAULOTES** est blaesitas, sive vitium in L et R pronunciando. [De hoc loquelae vitio, quo qui correpti sunt, τραυλοὶ vocantur, (de qua voce vide Eustach. ad Erot. *gloss.* p. 366.) optime exposuit Fournier in *Dict. des scienc. med. to. XIX. p.* 310.] A τραυλίζω, *balbutio.* Ge. *Lispelung, Lispeler.* Ga. *Begayer.* A. *Lisp.* B. *Lisping, een lisper* seu *lisperaar.*

TRAUMA, vide *Troma.*

TRAUMATICA sunt medicamenta, cum interna, tum externa, quae vulnerum atque laesionum consolidationem promovent, hinc lapsis, contusis et vulneratis conducentia, *vulneraria* nuncupantur. A τραῦμα, *vulnus.* Ge. *Wundarzneien.* Ga. *Remèdes vulneraires.* A. *Wound remedy.* B. *Wond middelen.*

TREMOR, Gr. τρόμος, a τρέμω, *tremo*, est motus depravatus artuum, capitisve, in quo per brevissima spatia eunt atque redeunt, involuntarius, non impedito tamen omnino motu libero eorundem artuum, sine sensu acuto frigoris. Oritur vel a debilitate, vel a senio, temulentia, abusu coffeae, vertigine, plethora, pathemate etc. Ge. *Das Zittern, Schaudern, Beben.* Ge. *Frisson, tremblement.* A. *Trembling, quaking.* B. *Schudding, beeving.*

TREPANATIO est operatio chirurgica, qua trepano, sive modiolo, hominis viventis cranium perterebratur, atque frustum orbiculare exscinditur, cum vel fractum et intropressum fuerit cranium, vel spinae osseae abruptae pungunt cerebrum, vel extravasatus sanguis ex vasis ruptis, comprimit cerebrum et stagnando putrescens magis nocet etc. ut haec cuncta ex foramine facto educi possint. [Varias methodos, quibus trepanatio peragitur, enumerarunt paulo post citati auctores. Krausius rectius hanc operationem τρύπησιν vocari censet. Equidem autem puto, eam latino vocabulo, quod in universum facilius intelligi potest, appellari posse *terebrationem.*] Ge. *Trepanirung.* Ga. *Trepan.* A. *Trepanation.* B. *Trepaneering.*

TREPANUM, i. q. *modiolus.* [Gr. τρύπανον, penultima brevi, a τρυπάω, *perforo.* De *trepani* voce in proba latinitate non toleranda egit Vossius in libro *de vitiis latin. serm. p.* 628. Celsus, et qui eum strenue imitatus est Jo. Zach. Platnerus in *Instit. chir.* Trepanum *modiolum*, et trepanationem *ossis mediolo excisionem* vocavit. De variis instrumentis, quibus trepanatio perficitur, egit Benedict. *Lehre v. d.*

Verbänd. u. Werkzeug. d. Wundärzte p. 167—185. et Schreger *Grundr. d. chir. Operat. Zw. Ausg. p.* 238—248.]

TRIANDRIA botanicis est classis plantarum, quarum flores tria stamina, vel organa masculina, continent.

TRIANGULARE OSSICULUM est illud os, quod in cranio inter suturam lambdoidem et sagittalem situm est, atque ad ossa sic dicta Wormiana pertinet. Ga. *Os triangulaire.*

TRIANGULARES MUSCULI: plures in corpore humano musculi hoc sub nomine deprehenduntur. *Triangularis labii inferioris* oritur utrinque lato principio a labio externo baseos maxillae inferioris, tum fibris in triangulum convergentibus apice in angulum labiorum inseritur, et actione sua hunc angulum deprimit. — *Triangularis sterni*, a parte interna inferiori et media sterni oriens, atque oblique adscendens, cartilaginibus quinque costarum verarum inferiorum, variis portionibus, quae *musculi sternocostales* dicuntur, inseritur, suaque actione costas aliquantum deorsum et introrsum movet. — *Triangulares urethrae*, qui etiam *transversi* dicuntur, et utrinque a tuberositate ischii ante erectores orientes et ad apicem glandulae prostatae tendentes, parti laterali bulbi urethrae inseruntur, huncque deorsum trahentes urethram dilatant. Ge. *Dreieckichte Muskeln.* Ga. *Muscle triangulaire, les muscles sterno-costaux communement le triangulaire du sternum.* B. *Borst-beens-spier, driekantige spier.*

[**TRIBULCON** est instrumentum, a Percyo (*Ueb. das Auszieh. fremd. Körp. aus Schusswund.* Strasb. 1789.) descriptum, et tab. I. et II. depictum. Constat e forcipe, ad globulos sclopetorum e vulneribus extrahendos apto et terebra, cuius ope globulus, a forcipe iam comprehensus, fortius adhuc in situ suo retinetur. A gr. τρίβος, (a τρίβω, *tero, via multum trita*, dein *ipsa terendi actio, frictio*, denique et id, *quod terendo seu frictione perficitur, cavitas* v. c. ap. Hippocr., cuius loca collegit Foës. *oecon. p.* 622.) et ἕλκω, *traho*, uti βελουλκὸν, πυουλκὸν etc. Haec ipsa vocis compositio ostendit instrumenti denominationem minus feliciter excogitatem esse. Alia instrumenta, huic ipsi fini inservientia, vid. ap. Benedictum *Lehre von d. Verbänd. p.* 133—142.]

TRIBULUS: hoc sub nomine duae plantae diversi generis vulgo denotantur, scilicet 1) *Tribulus terrestris Lob.* Tribulus terrestris Ciceris folio, fructu aculeato *Bauh. Tribulus terrestris* foliis sexiugatis, subaequalibus, seminibus quadricornibus *Linn.* (Decandr. Monogyn.) Habet caules semipedem circiter longos, repentes, rotundos, nodosos, villosos, rubicundos, in ramos divisos. Folia coniugata Lenticulae, incana, pilosa. Calyx quinquepartitus, corolla brevior. Flores sunt rosacei, quinque scilicet petalis in orbem

positis constantes, lutei; ex horum calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum, quodammodo cruciformem, vel turbinatum, ex quinque capsulis plerumque compositum, muricatis, in capitulum collectis et seminibus foetis, ut plurimum oblongis, in loculis nidulantibus. Radix fibrosa. Haec planta crescit in pratis, praesertim in regionibus calidis. Fructui vires abstergentes et roborantes tribuuntur. Decoctum effusum pulices abigere creditur. 2) *Tribulus aquaticus Bauh.* est *Trapa natans* petiolis foliorum natantium ventricosis *Linn.* (Tetrandr. Monogyn.). Tribuloides *Tournef.* Radix est longa, fibrosa, partim natans, partim limo immersa, e qua emergunt folia ampla, nervosa crenata, petiolis longis et ventricosis affixa, natantia. Calyx est monophyllus, quadripartitus; corolla tetrapetala; capsula ovato-oblonga, ossea, unilocularis, spinis quatuor in medio latere oppositis, patentibus, (quae calycis folia fuere) acutis, crassis armata; nucleus ovatus, tectus. Habitat haec planta in stagnis limosis, praecipue Europae australis. Fructus subdulcis, amygdalae instar, edulis atque nutriens est, et diarrhoeas sedare creditur. In quibusdam regionibus ad panificium adhibetur; in aliis cum aqua in pulticulam coctus infantibus propinatur. [Utriusque speciei mentionem iam iniecit Dioscor. IV. c. 15. *τρίβολος χερσαῖος* et *ἔνυδρος*, quarum specierum prior cum iterum bifariam divisa fuerit, Sprengel. disquirit, quaenam sub his plantae sint intelligendae, et alteram Tribulum terrestrem vulgarem, alteram Fagoniam creticam esse contendit.] *Tribuli* nomen derivari volunt *ἀπὸ τοῦ τρίβειν*, a *terendo*, *tundendo*, quod attritum tactumque non admittat; laedit enim ac pertundit: vel *παρὰ τὸ τείρειν*, quod molestus ac infestus sit; affligit enim et vulnerat tangentem. Malunt alii a seminis triquetra figura tribulo, bellico instrumento, simili. Prima planta est Ga. *Tribule terrestre*, *herse*, *croix de chevalier*, *saligot terrestre.* Ge. *Burzeldorn*, [*Teufelsdorn.*] A. *Caltrop.* B. *Steenende aardnooten*, [*voetangel.* — Altera Ge. *Wassernuss*, *schwimmende Stachelnuss*, *Weihernuss.* Ga. *Tribule aquatique*, *macre flottante*, *macle*, *cornuelle*, *corniole*, *châtaigne d'eau*, *saligot* et *truffe d'eau.* A. [*Floating*, *water caltrops.* B. *Waternoot.*

TRICA INCUBORUM est plicae Polonicae species. Ge. *Wichtelzopf*, *Weichselzopf.* B. *Meervlecht.* Vide *Plica*, *Trichoma.*

TRICEPS est nomen musculi tam in brachio, quam in femore: prior, sive *triceps brachii*, tribus oritur distinctis capitibus, nimirum musculo extensore longo, brevi et brachiali externo, quorum primus a cervice scapulae, alter vero a superiori parte ossis humeri orti, in descensu per exteriora brachii coalescunt, et communi tendine affigunt se processui olecrano; quum ergo se contrahunt, cubitum ex-

tendunt. Posterior, sive *triceps femoris*, pariter e tribus distinctis musculis constat, quorum superior valido tendine a margine anteriori ossis pubis iuxta symphysin oritur, indeque descendens medio lineae asperae femoris inseritur: alter, vel medius, sub primo a parte anteriori ossis pubis prodiens, supra priorem lineae asperae inseritur; tertius, vel inferior a tuberositate et superficie anteriori ossis ischii procedens, pariter lineae asperae innascitur. E tribus his musculis oritur quoque tendo communis, qui iuxta lineam asperam descendens condylo interno femoris inseritur. Hi tres musculi actione sua femur adducunt. Ge. *Der dreiköpfichte Muskel.* Ga. *Le triceps,* seu *triple.*

[**TRICHECHUS**, non *Trichecus*, quoniam a *θρὶξ,* gen. *τριχὸς*, *pilus,* et *ἔχειν*, *habere*, descendit, pertinet ad ordinem mammalium palmatorum, eiusque familiam tertiam brutorum. Trichechus rosmarus dentibus laniariis exsertis distinguitur a Trich. manato, qui inclusos habet: prior vocatur A. *Wallrus, sea-cow.* B. *Wallrus.* Ga. *Morse, vache marine.* Ge. *Wallross, Rossmaul, Morse, Seepferd, Seekuh:* posterior A. *Manati, manatee.* B. *Zeekoe.* Ga. *Lamantin, poisson boeuf, veau marin.*]

TRICHIASIS est ciliorum inflexio versus interiora, ita ut pili oculum pungant; quod fit vel phalangosi, vel cum alia pilorum succrescit series, in palpebrae superficie interna, qui morbus proprie *distichiasis* vocatur. [Galen. *def. med. to. XIX. p.* 437.] — Item sic vocatur urina pilosa, cui ab humoribus pituitosis pili innatare videntur. [Cons. Galen. *comm. in Hipp. aphor. IV.* 76. *p.*768. *to.XVII. Pa.*2. *καλοῦσι δ᾽οἱ νεώτεροι τριχίασιν τὸ πάθος, ἐπειδὴ θριξὶν ὅμοια — φαίνεται ἐν τοῖς οὔροις ἐνφαινόμενα.*] A *θρὶξ*, *pilus*, gen. *τριχὸς*. Ge. *Einwärtskehrung der Haare an den Augenliedern.* Ga. *Trichiase.* B. *Winkbraauwen omkrulling.*

TRICHISMUS est fracturae osseae quaedam species tenuissima, et veluti pilaris, plerumque iuxta ossis longitudinem excurrens, rimae tenuis instar, ita ut sensum fere effugiat, hinc etiam mortis aliquando causa existit, quia se non facile prodit, admodum tamen est dolorifica, et magnis cum symptomatibus. [Descripsit hanc calvariae fracturam Paul. Aeg. VI. 90. p. 211.] A *θρὶξ, pilus.* Ge. *Haarspalt.* Ga. *Fente capillaire.* A. *Hair-cleft.* B. *Hair-scheur.*

[**TRICHOCEPHALUS** vermium genus, quod parte antica capillari ab omnibus Nematoideis differt, a Goetzio nomen aptius accepit, cum antea trichuris vocaretur. A gr. *θρὶξ*, non a *τρὶξ*, uti Erudit. Rudolphi *entozoorum historia.* Vol. 2. Pa. 1. p. 15. scripsit.]

TRICHOMA est morbus contagiosus, chronicus, Polonis endemius, cuius praecipuum symptoma est capillorum conspurcatio, ac in cirros et funiculos diversae figurae ac lon-

gitudinis conglutinatio ac concretio, qui nonnisi cum summo periculo abscinduntur. Hic morbus circa finem elapsi saeculi ex India orientali in Poloniam et vicina loca translatus dicitur. [Krausio iudice trichoma non recte pro trichiasi, multo peius autem pro plica Polonica adhibetur. *Τρίχωμα* est capillamentum seu capillitium humanum, minime autem implicatio et conglutinatio capillorum, a neglectu munditiei vel ab achoribus orta. Vid. Lafontaine (*chir. medic. Abh. verschied. Inh. Polen betr.* Bresl. 1792. 8.) et Th. Imm. Chromy de Rumfeld (*Neueste Ansicht des Weichselzopfs.* Freib. 1813. 8.)] Vide *Plica.* Ge. *Wichtelzopf, Weichselzopf, Judenzopf.* Ga. *Plie, plique.* B. *Meer-vlecht.*

TRICHOMANES, Polytrichum officinarum *Bauh. Asplenium trichomanes* frondibus pinnatis, pinnis subrotundis crenatis *Linn.* (Cryptogam. Filic.) planta est epiphyllosperma, vel dorsifera, quae plures parvos caules habet rotundos, fragiles, nigricantes, quibus adhaerent folia minima obrotunda, leviter crenata, tenera, ordinatim disposita, in dorso habentia multa corpuscula minima, lineis rectis ordinata. Ea microscopii ope apparent esse fructus huius plantae, in iisque occurrunt capsulae sphaericae, funiculo vi elastica donato instructae, qui contractione sua has capsulas, semina minutissima includentes, aperit. Radix est filamentosa et nigra. Haec planta crescit in petris et muris iuxta fontes et rivos. Tota hyeme viret. Qualitatis est siccae, subadstringentis, viribusque demulcentibus et pectoralibus gaudet; usus praecipuus in infusis et decoctis. Dici volunt, quod fluentem capillum expleat, et subnasci faciat: *μανὸν* enim rarum vocant, et *θρὶξ, capillus.* Hinc quoque *Capillaris* vocatur. Ge. *Güldener Widerthon, Aberthon, Abthon, Widerstoss, rother Steinbrech.* Ga. *Politric des boutiques, capillaire ordinaire.* A. *The common maiden hair, venus golden locks.* B. *Weder-dood, vrouwen-hair, roode steen-breek.* Conf. *Polytrichum.*

TRICHOPHYLLAE sunt plantae, quarum folia capillorum similitudinem habent, ut Foeniculum etc. Ex *θρὶξ,* gen. *τριχὸς, capillus,* et *φύλλον, folium.*

[**TRICHOSCHISIS**. v. *Schizotrichia.*

TRICHOSIS, i. q. *trichiasis.* [Krausius hanc vocem non recte pro *τριχίασις* sumi putat. Sed Actuar. *med. meth. II. c.* 7. eo sensu vocem adhibuit: *ἐνίοτε καὶ τὰς βλεφαρίδας τριχὰς διαφθείρει. Τοῦ πάθους δὲ θεραπευομένου, καὶ ἄνται αὖθις ἀναφύονται, ὀχληρὸν δὲ πάθος ἡ τρίχωσις.*]

TRICHURIDES sunt vermes tenues, et pro ratione longi in intestinis inprimis coeco, hominum aliorumque mammalium interdum habitantes, quorum corpus teres, longa proboscis, filiformis, genitale curvorum eminens, rectorum apertura lateralis. A *θρὶξ,* gen. *τριχὸς, capillus,* et *οὐρὰ,*

cauda. Ge. *Haarschwänze*, *Haarwürmer.* Vid. TRICHOCEPHALUS.

TRICOCCOS est Mespili fructus, sic vocatus a tribus nucleis, quos continet. A *τρεῖς, tres,* et *κόκκος, nux, bacca, granum.* [In Linnaei systemate naturali ordo tricesimus octavus *tricoccas* plantas continet.] Sic botanicis dicitur in genere *capsula* seminalis *tricocca*, tribus nodis protuberans, intusque in tria loculamenta divisa. [V. c. in Thea, Euphorbia al.]

TRICONGIUS est mensura octodecim sextariorum.

TRICUSPIDALES VALVULAE vocantur tres membranulae, figura tricuspidis, latiori sua parte auriculari cordis orificio adnascentes, reliqua in apicem satis obtusum abeuntes, variis lacertulis praeditae, ante ostium venae cavae in corde dextro locatae, sic sitae, ut sanguinem ex vena cava quidem admittant in ventriculum dextrum, non vero remittant; sed a sanguine ex corde contracto egredi conante explicantur, viam omnem intercipiunt, unde in arteriam pulmonalem solam impellitur. Proprie annulum membranaceum sistunt in tres lacinias divisum. Ge. *Dreispitzige Herzklappen.* Ga. *Valvules triglochines,* sive *tricuspides du ventricule droit du coeur.* B. *Driepuntige klapvliezen.*

[**TRIENCEPHALUS** a Geoffroy St. Hilaire (vid. supra sub *Coccycephalus*) tam artificiose composita denominatio monstrosae capitis conformationis, ut ad eruendum sensum, qui cum hac voce coniungi debeat, Oedipo opus habeamus. Designat autem hac denominatione auctor eam capitis monstrositatem, qua tribus organis sensoriis, gustus, olfactus et visus, penitus deficientibus, nullum faciei adest vestigium, utraque autem auris inferius ita invicem coadunatae, ut in media coniunctionis parte non nisi unus meatus auditorius, ad unam solummodo cavitatem tympani ducens, compareat. A *τρὶς*, *ter*, et *ἐγκέφαλος*, *cerebrum.*]

TRIENS est tertia pars librae medicinalis, continens uncias quatuor. Continet quatuor cyathos.

TRIFOLIUM est plantae genus flore papilionaceo, (Diad. Dec.) cuius species officinalis est *Trifolium arvense Linn.* Ea caules habet sesquipedem circiter altos, tenues, rotundos, aliquando parum lanuginosos, quosdam rectos, alios repentes. Folia terna, raro quaterna, aut quina, nunc rotunda, nunc oblonga, acuta, villosa, interdum spiculatis lineis albis notata, nonnunquam obliquis candicantibus striis virgata. Calyx est monophyllus, tubulatus, quinquedentatus, persistens. Flores sunt exigui, albi, papilionacei, simul cum ovario vagina fimbriata obvoluti, in spicam congesti. Ovarium fit capsula calyce recondita, et foeta semine ut plurimum reniformi, rubicundo, per maturitatem arcte adhaerente capsulae. Radix parva, fibrosa, tortuosa, lignosa,

alba. Huius generis aliae etiam plurimae dantur species, quae passim sponte nascuntur, passim in pascuis seruntur. Qualitatis omnes sunt suaveolentis; et praeter usum oeconomicum etiam infusum in arthritide laudatur. Gr. *τρίφυλλον* planta vocatur, a tribus, quae habet, foliis. Gc. *Klee, Kleber, Dreiblatt.* Ga. *Trefle des prés.* A. *Trefoil, clover.* B. *Klavèr.* — Datur etiam *Trifolium palustre*, s. *fibrinum*, folia habens maiora, sapore acri gaudentia instar Nasturtii. Vide *Menyanthes.*

TRIFOLIUM ODORATUM, vide *Melilotus.*

[**TRIGLOCHINES** *valvulae* idem, quod tricuspidales. A graeco *γλωχὶν*, *cuspis*, et *τρεῖς*, *tres.*]

TRIGYNIA. [Hoc nomine in systemate plantarum sexuali ordo tertius classis secundae, tertiae, quintae, sextae, octavae, nonae, decimae, undecimae, duodecimae et decimae tertiae insignitur, quarum flores tria organa foeminina, scilicet pistilla, vel stigmata continent.]

TRINERVIUM botanicis dicitur *folium* nervosum, tribus nervis *in basi* folii concurrentibus; *Triplinervium*, tribus nervis *supra basin* concurrentibus; *trinervatum*, tribus nervis *pone basin* folii concurrentibus.

TRINITAS idem quod *Trifolium.* A tribus nempe foliis. *Viola tricolor* etiam vocatur *Trinitatis flos*, ob tres diversos colores.

TRIOBOLON est pondus drachmae dimidiae, sive trium obolorum.

TRIORCHIS est Satyrionis species, quae non duabus, sed tribus testiculatis radicibus in terra nitatur. Triorchis alba odorata *Bauh.* est *Ophris spiralis Linn.* (Gynandr. Diandr.) bulbis aggregatis oblongis, caule subfolioso, floribus secundis, nectarii labio indiviso crenato. [Sic etiam vocantur homines, quibus tres natura dedit testiculos, et qui ob hanc ipsam causam in coitu celebrando nimium potentes sunt. Hallerus, et cum illo auctores *Onomatol. med. pract.* s. Eunuchus, quominus unquam tres simul testiculi adfuerint, dubitant, et tumores tunicatos pro testiculis veris habitos fuisse adserunt. Vide tamen Voigtel *pathol. Anat.* 3. p. 392. sq.] Ex *τρεῖς*, *tres*, et *ὄρχις*, *testiculus.* Gc. *Herumdrath, spiralförmige Ophris, das wohlriechende spiralförmig gewundene Knabenkraut.* A. *The triple ophris* or *ladies-traces.* B. *Spiraal tweeblad, welriekende kulletjes.* Ga. *Ophrise, double-feuille.*]

TRIPELA, vide *Tripolis.*

TRIPHARMACUM est cognomen medicamenti e tribus ingredientibus compositi.

TRIPHYLLON est *Trifolium*, a tribus foliis sic dictum. Ex *τρία*, *tria*, et *φύλλον*, *folium.*

TRIPINNATUM botanicis dicitur *folium* triplicato-pinnatum.

TRIPLOIDES est instrumentum chirurgicum, et quidem elevatorium, sic ob triplicem basin, *triopides* dictum; in usu fuit, si cranii depressio tam magna est, ut caeteri vectes, ob infirmitatem, non sufficiant. Ge. *Dreifüssiges Hebezeug.* Ga. *Triploïde.* B. *Drievoetig hef-tuig.*

TRIPOLIS vel *terra Tripolitana*, est substantia terrea, facile friabilis, coloris citrini intensi, saporis adstringentis, eruta ex fodinis Mauritaniae. Est glarea indurata cohaerens aspera *Wall.* *Argilla tripolitana* scabra, nitidula, flavescens, inquinans *Linn.* Sunt, qui pro ligno fossili habuere. Qualitas est absorbens. Usus mechanicus. Commendatur tamen etiam ad intertriginem. [Invenitur etiam Ronneburgi in terris Altenburgicis.] Ge. *Tripolistein, Trippel.* Ga. *Tripoli.* A. *Tripela.* B. *Trypel-steen.*

TRIPOLIUM est Asteris species, et quidem Aster maritimus Tripolium dictus *Rai.* *Aster tripolium* foliis lanceolatis integerrimis, carnosis, glabris, ramis inaequatis, floribus corymbosis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.). Habitat in Europae littoribus et ad Sibiriae lacus salsos. Tripolium dicitur, quod eius flos ter de die colorem mutare perhibetur: ita ut mane candidus, meridie purpureus, vesperi puniceus adspiciatur: idque forte, cum flores omnes non simul, sed particulatim et sensim floreant, et perficiantur, facile contingit, tres florum colores conspici, incipientium, completorum et deficientium. Ex τρὶς, *ter*, et πολέω, *muto*, *verso.* Sed secundum alios dicitur quasi ter canescens, a πολιὸς, *canus.* Ge. *Meersternkraut, Turbithkraut, Meerster.* Ga. *Espargoute de mer*, [*l'astere maritime.*] A. *Seastar-wort.* B. *Zee-sterrekruid, blaauwe kamille, blaauwe madelieven, zoutwaters sterre-bloem.*

TRIPSIS est contritio, sive contusio. A τρίβω, *tero.*

TRIQUETER botanicis dicitur *caulis*, vel *petiolus*, vel *pedunculus*, lateribus tribus exacte planis. *Triquetrum folium*, tribus lateribus longitudinalibus in folio subulato.

TRIQUETRA OSSA sunt triangularia ossicula, quae nonnunquam intra suturam sagittalem et lambdoidem cranii inveniuntur. Etiam *Wormiana* dicuntur. — Unum quoque ex carpi ossiculis *triquetrum* a figura vocatur.

TRISMUS est dentium stridor, sive convulsio tonica, vel clonica maxillae inferioris, cum impedito eius motu naturali, scilicet constrictio violenta et invita musculi temporalis et masseteris, qua dentes tam valide contra se invicem contrahuntur, ut ad minimum motum obliquum, supra se invicem exterius, vel interius per musculos pterygoides factum, sonus acutissimus oriatur et ingratus auribus, qui stridor vocatur. Tetanus est maxillae, s. symptoma pluribus

morbis, aut vulneribus gravioribus superveniens. A τρίζω, *strido.* Ge. *Das Zähnklappern.* Ga. *Grincement des dents.* A. *Grinding of the teeths, locked jaw.* B. *Knersing der tanden.*

TRISSAGO, et **TRIXAGO** vocatur *Chamaedrys.* — — *Scordium* quoque *Trixago palustris* dicitur.

TRITAEOPHYES, **TRITAEUS**, [τριταιοφυὴς πυρετὸς ap. Hipp.] est febris continua remittens, plerumque maligna, quae altero quoque die quidem exacerbatur, sed cum rigore inordinato atque erratico. Differt a tertiana eo, quod in apyrexiam non desinat alternis diebus; ab amphimerina et hemitritaeo, quod singulis diebus non patiatur paroxysmum, sed tantum alternis, aut, si singulis sint paroxysmi tertianarii, saepius vero excepta invasione, paroxysmi a frigore non exordiantur. *Sauv.* [et Swediaur *to. I. p.* 29. sq.] Ex τριταῖος, *triduanus,* et φύω, *cresco.* Ge. *Ein anhaltendes dreitägiges Fieber.* Ga. *Tierce continue.* B. *Een geduurige anderendaagsche koorts.*

TRITERNATUM botanicis vocatur *folium* triplicatoternatum.

TRITICUM est planta cerealis, quae plures habet caules, vel culmos, quatuor vel quinque pedes altos, satis crassos, rectos, per intervalla nodosos, excavatos, foliolis quibusdam longis, angustis, instar graminis instructos. Flores sunt hermaphroditi, apetali, constantes staminibus masculinis, simplicibus, ferentibus antheras tenues gracilesque; intra haec positum est ovarium binis recurvis tubis instructum. (Triandr. Digyn.) Utraque haec defenduntur binis valvis, saepe aristatis, per appendicem longam, acutam, gracilem, iam pilosam, alias glabram; cinguntur rursum duobus foliolis cavis carinatis calycis vicem praestantibus: gluma saepius triflora est. Sustentantur haec uno pedunculo, qui cum aliis accretis uni axi facit spicam densam. Semina sunt magna, oblonga, gibba, una parte sulcata, extus coloris flavescentis, intus albi, farinosa, nutrimenti optimi, ex quibus per molendinam in farinam contritis, post debitam eius subactionem, fermentationem, et in clibano coctionem, optimus panis conficitur. Radix tenuis, filamentosa. Farina tritici duplicem continet materiam, alteram pulveream amylaceam, alteram glutinosam, aquae non miscibilem; amylacea illa, vegetabilis naturae tenacior, acidum elementum continet, et cum aqua vinosam naturam induit, pars glutinosa vero magis ad animalem indolem accedit. Triticum forte dicitur, quod ex spicis fit tritum, vel quod triturae destinatur. Gr. πυρὸς, et πυρὸν, quasi σπυρὸν, vel ἀπὸ τοῦ σπείρειν, *seminando,* dictum volunt, vel nomen habet al acutie, aut a similitudine, quam cum nonnullorum fructuum granis, vel gygartis habet, quae πυρίναι dicuntur, vel πυ-

ῥὸς, a flavo rutilantique igneo colore ac fulgore. Dicitur et σῖτος, *cibus*, quae vox omnibus cerealibus convenit. Ge. *Weizen*. Ga. *Froment, blé*. A. *Wheat*. B. *Tarw, terwe, weit*.

TRITORIUM, i. q. *infundibulum*.

TRITURATIO est contusio, qua medicamenta terendo in pulverem rediguntur, ut eo aptius cum aliis misceri, vel virtus eorum extrahi possit; ad quam etiam pertinent laevigatio et praeparatio, de quibus suo loco. Ge. *Zerstossung, Zerreibung*. Ga. *Broyer*. A. *Trituration, grinding*. B. *Stooting, kleinwryving*.

TROCHANTER, i. q. *rotator*. [A τροχάζω, *celeriter curro, moveo*. Poll. *onom. II*. 187. ἡ δὲ τῇ κεφαλῇ τοῦ μηροῦ τῶν ὀστῶν ἔκφυσις, τροχαντὴρ ὀνομάζεται. Nomen hoc huic parti propterea datum esse, sunt qui velint, quod musculi ad currendum necessarii huic protuberantiae adfixi sint.]

TROCHISCI sunt medicamenti interni et sicci genus, nempe sunt rotulae, seu orbiculi signati. Fiunt ex pulveribus cum mucilagine exceptis, et in pastam redactis, ex qua orbiculi in umbra siccandi formantur, quorum variae compositiones in officinis prostant. A τρόχος, *rota*, vocantur item *pastilli*, δακτύλιοι *Hippocr*. ab annuli specie, ἀρτίσκος, quod panem referat, κυκλίσκος a circuli figura. Ge. *Küchlein, Trochisken*. Ga. *Trochisques*. A. *Troches*. B. *Koekjes*.

TROCHLEA, vide *Bathmis*, [Poll. *onom*. II. 147.] et *Trochlearis musculus*.

TROCHLEARIS MUSCULUS est musculus oculi obliquus superior, sive maior, et omnium oculi musculorum tenuissimus, habens tendinem longissimum. Nam communi principio, cum primis quatuor ortus, ad internum angulum recta fertur, ibi per trochleam cartilagineam transit, quae in margine superiori orbitae versus canthum oculi maiorem sita est, inde reflexus versus posteriorem bulbi partem recurrit, ibique tunicae scleroticae inseritur. Ab hac trochlea *trochlearis* dicitur, et actione sua bulbum oculi oblique deorsum ad angulum externum vertit, et cum obliquo inferiori simul agens bulbum a quatuor musculis rectis retractum, aliquantum antrorsum ex orbita protrahit, ut in attento obiecti intuitu fieri solet. Etiam *amatorius* appellatur. *Trochlea* venit non a τροχίζω, *torqueo*, [uti Blanc. censuit, sed a τροχηλέα, *rota*.] Ge. *Der obere schräge Augenmuskel*. Ga. *Muscle supérieur de l'oeil*, sive *le muscle trochleateur*. A. *The pully muscle*. B. *Katrol spier*.

TROCHOIDES est species articulationis, in qua unum os ingreditur in cavitatem alterius eodem modo, quo axis committitur rotae; cuius exemplum est in articulo primae cum secunda vertebra colli.

TROGLODITICA MYRRHA est ea, quae optima est, et in Troglodıti patria nata. Vide *Myrrha.*

TROMA, [ion. pro τραῦμα], est vulnus, a causa externa inflictum. A τιτρώσκω, *vulnero.*

TROMOS, i. q. *tremor.*

TRUNCATUM botanicis dicitur *folium* terminatum linea transversa.

TRUNCUS dicitur illa pars arteriae magnae et venae cavae, quae descendit a corde ad vasa iliaca, verum in genere anatomici truncum vocant partem corporis, quae in ramos dividitur, quippe quorum respectu truncus dicitur. Sic dantur trunci arteriarum, venarum, nervorum etc. Ge. *Ein Stamm.* Ga. *Le tronc.* A. *The trunc.* B. *De stam.* — *Truncus* etiam vocatur totum animalis corpus, exceptis capite et artubus adhaerentibus. — Est etiam caudex arboris, ramis et frondibus destitutus, vel in genere organum multiplicans plantam, estque vel *caulis,* vel *scapus,* vel *stipes.* Ge. *Rumpf, oder Stamm.* B. *'T lyf, romp.*

TRYPANUM, i. q. *modiolus.*

TRYPHERA, [penult. longa] est electuarium, vel compositio antiqua, a τρυφηρὸς, *delicatus,* dicta, quod totius corporis orisque colorem odoremque commendet, et nativum membris succum restituat. Varia passim adhuc prostat, ut Persica, Saracenica, Nicolai etc. [Cons. Nic. Myreps. I. 209—211. et 221.]

TRYSMUS, vide *Trismus.*

TUBAE FALLOPIANAE sunt duo canales fere conici, tortuosi, membranosi, ex binis superioribus foraminibus uteri exeuntes, utrinque unus, ex angustata capacitate circa matricem sensim dilatati, in hemicyclos cellulosos flexi, sex, septem vel quandoque octo circiter digitos longi; horum amplitudo circa medium fere parvum digitum aequat. Pervii sunt. Extremitas utero iuncta et in eius cavum hians minima est: setam enim tantum, aut stylum tenuem transmittit, at in progressu sensim dilatatur, et circa medium latissima: altera vero extremitas in abdomine fluctuans quartam solummodo digiti auricularis crassitiei partem admittit, fimbriisque multis muscularibus ornata est, ovario, quando opus est, se applicantibus. Tubarum substantia membranacea est; duplicique constant membrana, quarum interna communis est originis cum illa, quae internam substantiam uteri cingit; haec glandulosa est, intusque rugosa, et lubrico humore imbuta. Externa vero membrana oritur ab ea, quae externam uteri substantiam obvelat, estque prope uterum crassior. Vasa habent copiosissima, corpus cavernosum intra membranas earum efficientia, ut erigi, sive rigidae reddi, queant, quando ovario applicandae; a quibus etiam humectantur. Usus est, ut in momento conceptionis turgentes, extremita-

tem liberam eiusque fimbrias ovario applicent, ovulumque foecundatum turgens et ab ovario abruptum recipiant et in uterum deferant. In tubis substitisse ovula, embryonesque evolutos esse, qui *partus tubarii* vocantur, exempla prostant. Ge. *Muttertrompete.* Ga. *Trompette de Fallope.* A. *The Fallopian tubes.* B. *Trompetten van de baar-moeder, eyerleiders.*

TUBA EUSTACHIANA est canalis amplus, tenuiorem calamum scriptorium admittens, ad palati extrema, vel narium posteriora, tendens, ortus a tympani parte anteriori et inferiori, prope tympani membranam, principio ampliori, patente, elliptico: mox iterum sensim coarctatur perfecte tubae instar, sic conum ellipticam basin habentem referens, oblique deorsum versus interiora, inferiora, anteriora delatus, ante canalem osseum arteriam carotidem internam continentem situs, post trium circiter, vel quatuor, linearum progressum in plures partes inaequales, rupta quasi spatia efficientes, desinit. Hactenus osseus est, et ossi petroso insculptus, sensim interim in circulum mutata ellipsi. Apponitur vero huic dein canalis alius, priori continuatus et similis, sed eo duplo longior, angustus admodum in suo principio, multoque angustior, quam est canalis osseus, sensim dilatatus, hinc etiam conicus, inversus, tandem ad finem multo rursus, quam est ossea pars, amplior, constans partim substantia cartilaginea, respiciente occiput, et constituente partem superiorem, lateralem, posteriorem pro maiori, lateralem anteriorem pro minori parte, et maximam partem laborum orificii: partim membranacea et musculosa, respiciente foramen auris, constituente et absolvente reliquam tubae partem, sic supplente cartilaginis defectum. Denique cartilaginea haec pars, ad extremum tubae finem, praecipue vero ad posteriora, latescens, efficit marginem semilunarem, cartilagineum, robustum, extuberantem, qui format labra orificii ampli, elliptici conniventis, quo tuba desinit ad latus internum alae internae pterygoidei processus ossis sphenoidalis, a latere foraminis postici narium, supra palatum mobile, ubi supra uvulae basin terminatur. Usus praecipue in eo consistere videtur, tum ut humores in cavum tympani exhalantes in os defluere possint, tum ut aër externus cavum tympani subintrare, sicque liberum membranae tympani et ossiculorum motum pro mutatione sua conservare possit. Nomine a similitudine inventorisque cognomine desumto, et a *Valsalva* excogitato, *tuba Eustachiana* appellatur. Gr. *σάλπιγξ*, hinc musculi exigui ab hac tuba ad uvulam et pharyngem tendentes *salpingo-staphylini, salpingo-pharyngei* dicuntur. Ge. *Die Trompete im Ohr.* Ga. *La trompe d'Eustachius.* B. *De trompet van Eustachius.*

TUBAE UTERI, i. q. *tubae Fallopianae.*

[**TUBER** *cinereum* est illa eminentia grisea, quae sellae turcicae superiacet, atque a duobus cerebri lobis formatam fissuram ab inferiore parte claudit.]

TUBERCULUM quandoque naturalem quamvis eminentiam, praecipue in ossibus, denotat, vel idem est, quod *phyma.*

TUBEROSA est Hyacinthus Indicus tuberosus, flore Hyacinthi orientalis *Tournef. Polyanthes tuberosa* floribus alternis *Linn.* (Hexandr. Monogyn.) Nomen a tuberosa radice ab Italis datum. Ge. *Tuberose.* Ga. *Tuberose,* [*iacinthe des Indes.*] — *Tuberosa* etiam dicitur *radix*, quotiescunque verae radici, quae in medio est, multa undique et magna satis adnascuntur tubera, vel partes quasi carnosae, filo annexae, quae perperam vulgo pro radicis partibus habentur, quum potius gemmarum species dicendae sint: novam enim (ut certis constat experimentis) plantam in se continent, imo propriis fibrosis, unde nutriuntur, gaudent radicibus ab inferiori parte sibi oppositis, ut in Asphodelo et Paeonia observatum fuit. Hyeme vero perit omne plantae capillitium, et remanent sola cum crassioribus radicibus tubera, quae sequenti anno germinant. Sic ratio in promtu est, quare radices officinales, quae eo modo constructae sunt, hyeme, saltem antequam vigere incipiant, effodi et colligi debeant, quia tunc scilicet radix totam iam futuram plantam, omnesque eius vires concentratas et collectas continet, quae radicem deinceps pro maxima parte destituunt, et per omnes plantae partes disperguntur.

[**TUBEROSITAS** est aspera prominentia in variis ossibus, v. c. ilium, maxillari, radio et tibia conspicua.]

TUBULI LACTEI, vide *Mammae.*

TUBULI URINARII, vel **BELLINI**, vide *Renes.*

TUBULOSUM dicitur *folium*, vel perianthium, interne concavum, vel inane; *corolla tubulosa*, in qua corollulae flosculorum omnes tubulosae et subaequales sunt.

TUBUS botanicis dicitur corollae monopetalae pars inferior.

TULIPA est plantae genus, (Hexandr. Monogyn.) quod habet caulem unicum, rotundum, medullosum, duobus vel tribus foliis longis, latis, crassis, duris, in margine undosis, acutis instructum. Flos est liliaceus, hexapetalus, forma quodammodo urcei, absque calyce, in fastigio caulis, unicus, erectus, sex staminibus praeditus. Ovarium, quod fit fructus oblongus, trifariam dehiscens, in tria loculamenta divisus, seminibusque foetus planis bino ordine sibi incumbentibus. Radix est bulbosa, interdum brevior, nonnunquam oblongior, crassa, foris flavescente, vel magna ex parte nigricante membrana obducta, quae interna parte lanuginosa est, castanearum corticis instar, aliquando autem adeo denso

tomento plena, ut mollissime recubet bulbus, qui solidus est, firmus et velut albumen ovi coctum candidus, gustanti dulcis, saltem non ingratus. Numerosae admodum huius generis dantur species, quarum plures ob florum elegantiam in hortis nostris coluntur. Nomen datum creditur a pilei Sclavonici similitudine, qui Turcis dicitur *tulipant, dulpant, dublent.* [Ex Cappadocia ad nos translata esse dicitur planta. Gesnerus ipsam Augustae Vindelicorum in horto Herwarti 1559. prima conspexit vice, unde etiam Tulipa Gesneriana cognominata est.] Ge. *Die Tulpe, Tulipane.* Ga. *Tulipe.* A. *Tulip.* B. *Tulp.*

TULUS, i. q. *callus.* [Gr. *τύλος.*]

TUMOR, Gr. *ὄγκος, οἴδημα*, est morbus magnitudinis auctae, quo partes humani corporis praeter solitum modum ampliantur et extenduntur, per affluxum et accumulationem plurium liquidorum, vel concretionem solidorum, ita ut destinatam operationem perficere, ut par est, nequeant. Ge. *Eine Geschwulst.* Ga. *Enflure, tumeur.* A. *A swelling.* B. *Een gezwel.*

TUNETANUS FLOS est *flos Africanus* aurei coloris, *Tagetes Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) sic dictus, quod in regione Africae Tunetensi crescat. Hinc Belgis *Tunisbloem* et *S. Anthonis-bloem.* Vide *Tagetes.*

TUNICA inter vegetabilia est tenuis cortex et veluti membranaceus, quo vel arbor, vel radix investitur. Sic radix huiusmodi, vel *bulbus, tunicatus* dicitur, e tunicis sibi supraimpositis constans.

TUNICA, FLORES TUNICAE in officinis dicuntur corollae Caryophylli hortensis simplicis, flore maiore rubro *Bauh.* *Dianthi caryophylli* floribus solitariis, squamis calycinis subovatis, brevissimis, corollis crenatis *Linn.* (Decandr. Digyn.) Qualitatis sunt admodum fragrantis, viribusque cordialibus, sudoriferis et alexipharmacis gaudent; hinc in debilitate, contagio et exanthematibus commendantur. Prostant in officinis aqua, acetum, conserva et syrupus. Ge. *Gartennelken, Nägelchen.* Ga. *Oeillet, giroflée.* A. *Clove pink, clove Juli-flower.* B. *Nagel-bloemen, [tuinanjelier, giroffel.]*

TUNICA, i. q. *membrana.*

TUNICA CORNEA, vide *Cornea tunica.*

TUNICA DECIDUA, s. **FILAMENTOSA** est membrana interior uteri cum ovo in eo contento connexa, eique adhaerens, eiusque nexum cum utero efficiens, quae vel cum ovo secedit, vel post partum expellitur et iterum regeneratur.

TUNICA RETIFORMIS, vide *Retina* et *Amphiblestroides.*

TUNICATI TUMORES sunt idem, quod *cystici,* seu

tumores saccati, quorsum steatomata, atheromata etc. pertinent.

TURBINATA OSSA, SPONGIOSA OSSA, quorum alii quatuor, alii sex, alii octo numerant, habito scilicet vario respectu lamellarum intercedentium, sunt lamellae osseae, ab osse cribriformi, plano, sphenoideo et maxillari productae, in cavo narium utrimque sitae, mytuli fere instar concavae et convolutae, tenerrimae, multis foraminibus pertusae, propaginibus nervorum olfactoriorum et membrana pituitaria vestitae, quarum maximus usus in augenda superficie cavitatis narium consistere videtur. Vulgo *duo ossa spongiosa superiora* ad ethmoideum os referuntur, *duo inferiora* vero ut separata ossa considerantur. Ge. *Gewundene Nasenbeine.* Ga. *Coquilles, conques, cornets des narines.*

TURBITH, seu TURPETUM VEGETABILE est radix Convolvuli Zeylanici alati maximi *Herm. Convolvuli turpethi,* foliis cordatis, angulatis, caule membranaceo quadrangulari *Linn.* (Pentandr. Monogyn.) Haec radix vario longoque reptatu ad tres quatuorve cubitos adscendit, pollicem et amplius crassa, lignosa, in aliquot ramos divisa, crasso fuscoque cortice tecta, qui ruptus stillat succum lacteum, glutinosum, et pallide flavescentem resinam, illico concrescentem. Folia habet Althaeae, floremque monopetalum Convolvuli vulgaris magnitudine, et forma candidum. Radix qualitatis est gummosae subinsipidae, acris, nauseosae, viribusque valide quidem, sed tardiuscule purgantibus pollet. In arthritide, hydrope aliisque morbis chronicis commendatur, variasque antiquiores compositiones ingreditur. Adfertur ex Zeylona, Malabaria etc. in officinis eligitur non cariosa, intus alba et resinosa. Nomen aliqui a turbando deducunt, quod propter magnam violentiam purgando corpus turbet. [Secundum analysin chemicam, a Boutron-Charlard factam, radix sicca continet oleum volatile, gravem et nauseosum odorem spirans, flavam pinguedinosam materiam, nullis viribus purgantibus praeditam, resinam aethere non solubilem, purgantem, flavum principium extractivum, amylnm, fibram vegetabilem, albumen, acidum malicum liberum, salia kalina et calcaria, denique oxydum ferri.] Ge. *Turbithwurzel.* Ga. *Turbith.* B. *Turbitwortel.*

TURBITH MINERALE, seu TURPETHUM MINERALE dicitur etiam *mercurius praecipitatus flavus*, et praeparatur e mercurio vivo in oleo vitrioli soluto et ad siccitatem cocto, tum affusa aqua edulcorato. [Braamkamp et Siqueira Oliva turpethum minerale flavum s. oxydum mercurii sulphuricum in centum partibus continere mercurii oxydati 63,8, acidi sulphurici 31,8, aquae et iacturae 4,4, suis experimentis repererunt. Praeter hoc turpethum olim etiam

turpethi nigri mentionem fecerunt chemici. Hoc autem nihil aliud est, quam Hahnemanni mercurius solubilis sive hydrargyrum oxydulatum nigrum Pharm. Bor.] Olim ad tria grana ad excitandam salivationem propinabatur. At ob vires admodum drasticas rarius hodie adhibetur, cum securiora mercurialia prostent. Noviter ut specificum contra hydrophobiam commendatur. Ga. *Turbith mineral.*

TURBO inter vegetabilia dicitur quidquid ex acumine tendens in amplius spatiatur. Hinc *turbinatum*, quod ex angusto continenter in latius prodit. Sic turbinata conspicitur pyrorum forma. Permulta etiam herbarum folia in mucronem turbinantur. — *Turbinatum* dicitur *perianthium* obverse conicum. [A. *Turbinate, topshaped.* B. *Tolagtig, getopt.* Ga. *Turbiné, tourné en spirale.* Ge. *Kräuselförmig.* — *Turbo* quoque genus conchyliorum, testa univalvi, spirali, solida: apertura coarctata, orbiculata, integra praeditum appellatur. A. *Whirl, wreath.* B. *Maanhooren, maansoog, rondmond.* Ga. *Limaçon à bouche ronde, burgaux.* Ge. *Mondschnecke*].

TURGESCENTIA HUMORUM, i. q. *orgasmus.*

TURIONES sunt tenerae summitates plantarum primo propullulantes, foliis et floribus nondum evolutis. Quarundam plantarum turiones in usum cibarium cedunt, ut *Asparagi, Lupuli* etc. Ge. *Keime.*

TURPETHUM, vide *Turbith.*

TURRITIS, TURRITA est plantae genus, (Tetradyn. Siliquos.), quod habet folia ex radice erumpentia, oblonga, villosa, vel glabra, sinuosa, repentia. Caulis ex his nascitur solidus, rotundus, habens folia exigua, acuta, instar Acetosae, sine pediculis amplexicaulia. Calyx tetraphyllus deciduus. Flores in fastigium turris instar assurgentes exigui sunt, albi, quadrifidi, cruciformes. Flori succedit siliqua compressa, longissima, tetragona, bilocularis, bivalvis, continens semina exigua, rubicunda, saporis acris. Radix est fibrosa, alba. Haec planta crescit in pratis, sic dicta, quod caulis eius se turris in modum erigat. Qualitatis est acris, viresque ei antiscorbuticae tribuuntur; rarior tamen in medicina usus est. Ge. *Thurmsenf,* [*Bergkresse, Waldkohl.*] Ga. *Tourrette,* [*tournelle.*] A. *Tower-mustard.* B. *Turren-kruid,* [*tooren-kruid.*]

TURUNDA, i. q. *turundula.*

TURUNDULA, TURUNDA *Varr. linamentum Celso. pannus Colum.* μοτὸς, ἔμμοτον, est vulgo linteum concerptum et in cylindrum contortum, quod unguento illitum, ulceribus imponitur. Ge. *Meissel, Wieke.* Ga. *Turonde, charpie, tente.* B. *Een wieke.* — Aliae tamen *turundae*, quae etiam *tumentes* vocantur, ad dilatanda orificia vulnerum adhibentur.

Eae ex spongia compressa (Ge. *Pressschwamm.*) vel radice Gentianae etc. conficiuntur. Ge. *Quellmeissel.*

TUS, i. q. *thus.*

TUSSEDO, i. q. *tussis.*

TUSSILAGO est plantae genus flore composito radiato, (Syngenes. Polygam. Superfl.), cuius species maxime frequens et officinalis est Tussilago vulgaris *Bauh. Tussilago farfara* scapo unifloro imbricato, foliis subcordatis, angulatis, denticulatis *Linn.* Habet haec caules tenues, qui in summitate habent florem radiatum, citissime caducum, cuius discus ex flosculis, corona ex semiflosculis componitur, embryonibus insidentibus et calyce comprehensis. Embryones postea abeunt in semina pappis instructa. Flos ante folia mense Martio, vel Aprili, erumpit. Hinc etiam *filius ante patrem* vocatur. — Radix est saporis subacris cum leni lentore, odoris nullius. Folia ex radice erumpunt magna, ampla, angulosa, circularia fere, superne viridia, inferne alba. Crescit in locis humidis; quod haec planta tussientibus medeatur, appellationem habet, et propter hanc vim in omnibus fere pectoris affectibus adhibetur. Radix in officinis *radix farfarae* dicitur. Prostat e floribus conserva et syrupus et e radice looc. Folia frequenter in infusis pectoralibus adhibentur. Ge. *Rosshuf, Brandlattig, Huflattig.* Ga. *Pas d'âne,* [*taconnet, herbe de St. Quirin,*] *tussilage, pied de cheval.* A. *Colts foot.* B. *Hoef-blad, paards-klauw, hoef-latouw.*

TUSSIS, Gr. *βὴξ*, a *βήττω*, *tussio.* Est motus violentus et plerumque involuntarius musculorum, quibus respiratio peragitur, ita ut exspiratio variis vicibus interrupta, iterumque repetens, aërem expellendo e pulmonibus, et repellendo contra latera ramorum asperae arteriae, tandem post aliquot ictus et nisus cum sonitu graviore, vel acutiore, non sine vi et saepe humoris, vel phlegmatis excretione, peragitur. Hinc ex tussi perinde, ut in sternutatione, concussio corporis fit, adeo ut in vehementiore tussi non levis labor sit et metus suffocationis, quoniam impedita respiratione sanguis e capite rediens se in cor dextrum exonerare non potest; ideoque facies et oculi rubore et livore afficiuntur, atque a tussi aliquot horas durante identidem repente vires admodum franguntur, et venter, pectus atque caput dolore affliguntur, praesertim in *sicca tussi.* Aliquando etiam vomitus subsequitur, aut haemoptysis, inprimis in tenerioribus, a ruptis in pulmone vasis sanguiferis, vel ex illa concussione viscerum hernia in inguine, vel umbilico fit. Verum tussis necessario inducitur per quamcunque irritationem, vel idiopathicam vel symptomaticam, per vasorum pulmonalium quorumcunque obstructionem, sive per compressionem, oppletionem vel contractionem ea fiat; hinc comi-

tem agit in asthmate, pleuritide, hydrope, empyemate, vulneribus pectoris, malo hypochondriaco, haemoptoë, gravedine, phthisi, vermibus etc. Dividitur in *tussim siccam,* in qua nihil, vel parum, excernitur, uti omnis tussis in principio est: et in *humidam,* in qua mucus viscidus, pulmonum bronchiis inhaerens, respirationisque libertatem turbans, cum levamine eliminatur; vel sanguis, pus, pituita, aut tenuis liquor excernitur. — *Tussis convulsiva infantum,* s. *ferina,* est saeva et violenta tussis, quam acuta quaedam et sonora inspiratio, galli cantui similis, una cum vomendi nisu comitatur. Ge. *Keichhusten.* Ga. *Coqueluche.* A. *Hooping-cough, chin-cough.* B. *Kink-hoest.* — [De variis tussis formis, pulmonali, gutturali, gastrica, intestinali, hepatica et splenica, vid. Swediaur l. c. to. I. p. 488 —493.] Ge. *Der Husten.* Ga. *La toux.* A. *Cough.* B. *De hoest.*

TUTIA, TUTIA ALEXANDRINA, sive **CADMIA FACTITIA** est corpus densum, ex fuligine, ut vulgo asserunt, aëris, dum in fornice conficitur, concretum, adhaerens lateribus, camerisque fornacum, vel et in partem infimam delabens. Triplicis id secundum veteres auctores est generis, nominibus a re, quam repraesentare videtur, sumtis. *Botritem* appellant, quae uvae speciem refert: *ostracitem,* quae testis similis est: *placitem,* quae crustis. *Botritis* secundum eos reperitur in fornacis parte media; *ostracitis* in infima; *placitis* in editiore. Sunt, qui *capnitem* et *calamitem* addant. *Capnitem* dicunt, quae in ipso fornacum ore reperitur, tenuissima, exusta et nimia tenuitate similis favillae. Verum haec a *pompholyge* et *nihilo albo* vix, vel parum, differre videtur. *Calamitem* vocant a figura calami, quam a pertica ferrea aquirit. Nimirum decutitur haec a ferreis perticis, quibus cadmia, dum aës fusum iis agitatur, adhaerescit. Optima est *botritis* densa, modice gravis et in laevitatem magis inclinans, racemosa facie, quae fracta cinerulenta est. Rectius tamen hodie putatur, *tutiam* esse mineram zinci argillaceam, in Persia reperiundam, quae super cylindros fusa et modice usta cortici similis evadit, intus laevis, extus aspera, coloris e flavo albescentis, vel plerumque grisei. Tutia in pulverem impalpabilem trita, *praeparata* dicitur; viribus gaudet, ut zincum, exsiccantibus, hinc in intertrigine, maxime vero in ophthalmia, commendatur. Adhibetur sub forma collyrii, vel unguenti. Gr. *καδμεία.* Arab. *Climia,* vel *Chlimia.* Ge. *Ofenbruch, Tutie.* Ga. *Tutie.* A. *Tutty.* B. *Tuti, niet, kleimei, oogniet.*

TYLOMA, CONDYLOMA TYLUS est excrescentia epidermidis in manibus pedibusque, minime adhaerens tendinibus, aut periosteo; accedit pedibus, si pedibus nudis incedere adsuescamus, manibus vero accrescit ab instrumento-

rum duriorum assidua tractatione: tactum tollit. Ge. *Schwiele.* Ga. *Durillon, callosité.*

TYLOSIS, TRACHOMA TYLOSIS est asperitudo callosa palpebrae a parte interna. [Sic Galen. in *medico c.* 16. *p.* 767. *to. XIV.* censet: *περὶ δὲ τὰ ἐντὸς μὲν βλεφάρων — σύκωσις, τύλωσις.* Benedict. in *Handb. d. pract. Augenheilk. I. p.* 191. reprehendit eos, qui marginis palpebrarum callositatem cum ciliorum casu *tilosin* s. *tylosin* vocant. Quos in animo habeat, nescio; Blancardum autem ad illos referri non posse, certum est. Id enim e definitione tylosis luculenter patet. Vid. *Ptilosis.* Sed et tylosis interdum pro tylomate sumitur. Swediaur *to. II. p.* 595. duritiem callosam, siccam, duram, lamellatam, mobilem vel immobilem, plerumque lentis magnitudine *tylosin* seu *clavum* appellavit. A. *A corn.* Ga. *Clous, cors aux pieds.* Ge. *Hühnerauge, Leichdorn.* Vide *Clavus.*]

TYMPANIAS, i. q. *tympanites.*

TYMPANI MEMBRANA ita dicta, quia subiectae cavitati, tympani nomine insignitae, superinducta est, sita ad finem meatus auditorii, quem a tympano separat, et sic aërem internum ab externo hic loci secludit, et corpuscula quaecunque per aërem volitantia, insecta et similia ab interioribus arcet. Situs eius non perpendicularis, sed valde obliquus est, ita ut ad superiora meatus inclinet, ab inferioribus excurrat, hinc ad superiora et posteriora obtusum, ad inferiora et anteriora acutum cum meatu angulum format; ita nempe in adulto homine; nam foetui, uti rotundior membrana, ita magis plana et horizontalis est. Sic auget superficiem plus, quam si ad perpendiculum apponeretur, hinc locum facit ampliorem pluribus radiis sonoris incurrentibus, inprimis autem efficit, ut incurrant radii praecipue in huius membranae centrum, ut sic facilius et validius tremat. Accipit sic etiam figuram ellipticam, quae alias esset circularis, ut in leone et fele, estque sua circumferentia elliptica infixa sulco cuidam paris figurae, parietibus meatus ossei ad marginem interiorem insculpto, non integram ellipsin absolventi, et in suprema suae peripheriae regione paululum deficienti, qui idem est cum crena, parti interiori annuli, iam descripti, in foetu et iunioribus incisa, satis profunda, ampla, tympani membranam excipiente, quae cava est a parte meatus auditorii, convexa a parte ossis petrosi. Est haec membrana in omnibus iunioribus, adultis, senibus, etiam brutis quibuscunque, semper integra, nunquam, ut nonnulli, v. c. *Rivinus,* voluerunt, aperta et naturaliter patente foramine pertusa. [Nostra aetate non solum huius foraminis in statu naturali praesentiam novis observationibus probare studuit Wittmannus, sed praeterea valvulam adesse adseruit, quae ab obliqua foraminis directione simili modo

formetur, quo valvula, quae orificium ductus thoracici in vena subclavia sinistra obtegit. Ill. Rudolphi argumenta, a Wittmanno prolata, non ita comparata esse contendit, ut rem extra omnem dubitationem ponant. Novi virum, qui herbae Nicotianae fumum per aurem externam eliminare poterat, nec unquam morbo huius partis laboraverat, unde fortasse destructio partialis membranae tympani derivari potuisset. Memini autem, fumum per aliquod tempus ore concludendum fuisse, donec per aurem externam sine omni ingrato sensu prodiret. Num inde fortasse rarus experimenti successus derivari potest, quod de illo, nisi fumi exitus ex aure statim cum experimenti initio locum haberet, desperabatur? Vid. Vest. in *medic. Jahrb. d. Oesterreich. Staates.* B. V. 1819. p. 123—133.] Membrana haec est tenuissima, hinc pellucida, etiam laevis, polita, ex tribus, vel potius quatuor, distinctis lamellis, sibi invicem applicatis, unitis, connexis, ut in foetu optime patet, constans; dum epidermis et cutis meatum auditorium investiens, sensim tenuior facta, ad finem meatus tenuissima, interiecta cellulosa, det lamellam externam attenuatissimam, meatus cavum respicientem; cui interne similiter applicatur lamina admodum tenuis, tympani cavitatem spectans, quae periostei tympani cavam obvestientis propago est; inter quas binas rursus intercepta est cellulosa quaedam substantia, nullam unquam pinguedinem continens, a membrana cellulosa, meatum investiente, et sub cute haerente oriunda, vasculosa admodum, dum extremae lamellae vix vasa habent. Inter tertiam et quartam membranam situs est processus mallei maior, sive manubrium. Vide *Chorda tympani.* Usus membranae est radios sonoros excipere, eorumque motum per annexa ossicula auditus in labyrinthum promovere, sicque auditui inservire. Ge. *Das Trommelfell im Ohr.* Ga. *Le tympan de l'oreille.* A. *The drum of the ear.* B. *Het trommelvlies, oorvliesje.*

TYMPANITES, **TYMPANIAS** est tumor abdominis fixus et constans, aequabilis, durus, renitens et a percussione sonitum edens, plerumque in fastigium assurgens, absque gravitatis multo sensu, cum ructibus, borborygmis, constipatione et dolore; oriundus ex paralysi partis intestini, et a flatu intercepto summopere dilatati, vel ab emphysemate intestinorum, vel a laesione vesiculae felleae et effusione bilis, vel ab humoribus in abdomen exhalantibus, non resorptis, sed putrescentibus, et aërem sic ex se veluti generantibus: vel a vermibus peredentibus intestinorum tunicas, unde aër tum abdomen intrat, calore expanditur et tumorem excitat; vel ab inordinato spirituum influxu in nervos intestinorum. Dicitur quoque *hydrops siccus.* [Hippocr. in *Coac. praen. to. I. p.* 281 et 310. ed. Lips. meminit iam eius sub nomine

ὑδρωπιώδους ξηροῦ.] A *τυμπανίζω, tympani instar sono.* Ge. *Trommelsucht, Windsucht.* Ga. *Hydropisie, Tympanite.* A. *Tympany.* B. *Trommel-water, wind-water, wind-zucht.*

TYMPANUM est cavitas pone tympani membranam versus interiora, temporalis ossis parti petrosae insculpta: ampla, lata, caeteris cavitatibus, in eodem osse petroso etiam reperiundis, maior; habens superficiem asperam et inaequalem admodum, cavernulis, eminentiis, sinubus, foraminibusque maxime interruptam. Hinc sortita figuram valde irregularem, ad ellipticam tamen optime accedentem. Parte sua anteriori clausa est membrana tympani; per sinuositatem mastoideam, in parte posteriori et superiori tympani sitam, communicat cum mammillaris ossis temporum processus cellulis multis, magnis, in se invicem patulis, in infante recenter nato non inveniendis, sensim cum tempore formatis, tympani cavo unitis, illudque quam maxime augentibus, ampliantibus, complentibus, hinc ab eo non distinguendis, praesertim cum in iis animalibus, in quibus hi cancelli non adsunt, ipsa tympani cavitas multo amplior observetur. Huius autem cavi interna facies tota obducta est membrana quadam tenui, a dura matre, per commissuram inter os temporale et partem petrosam occurentem tympanum ingrediente, ibique sese expandente, suppeditata; cavernulas mastoideas etiam ingrediente et investiente, sic verum periosteum hic efficiente; ditata interim vasculis arteriosis quam plurimis a carotide duram matrem perreptante oriundis, mirabili et prorsus singulari reptatu hic distributis. Haec vascula videntur ex ultimis suis ramulis exhalare liquidum tenuissimum, aqueum, ad membranam omnia investientem humectandam. In hoc cavo reconduntur ossicula auditus; vide *Malleus, Incus, Stapes, Os orbiculare*, it. *Fenestra* etc. — Tympanum dicitur haec cavitas ob aliqualem cum bellico hoc instrumento similitudinem. Ge. *Trommelhöhle im Ohr.* Ga. *La caisse du tambour, le tympan.* B. *De trommel.*

TYPHA, seu **TIPHA** est planta palustris, quae habet plerumque caulem unicum, rectum, politum. Folia sunt longa, angusta, crassa, spongiosa, subdulcia, quaedam ex radice, alia ex nodis caulium erumpentia (Monoec. Triandr.). Flos mas, solis staminibus nudis tribus, valde pulverulentis, constans; flores in gracilem dense compacti congeruntur spicam. Ovaria in spicam densissimam composita haerent sub spica priori; sunt tenuia, multisque instructa filamentis, et abeunt singula in semen unicum, ovatum, stylo instructum, setae insidens: pappus capillaris, setae seminiferae quasi affixus, longitudine pistilli. Utraeque spicae in formam clavae per eandem continuatam longitudinem porriguntur. Radix repens, interne albissima, saporis insulsi.

Olim plantae spicis purgandi, refrigerandi, alvique deiectiones sistendi vires tribuebantur; et assatae cum adipe adustis partibus imponebantur. Iuniores radices a Calmuccis coctae non sine voluptate comeduntur, aut aceto conditae servantur. Diosc. III. c. 123. typham testatur in paludibus aquisque nasci stagnantibus.] A *τῖφος*, *palus*, *locus uliginosus*. Ge. *Kolbenrohr*, *Narrenkolben*, *Teichkolben*, *Lischkolben* u. a. m. Ga. *Masse d'eau*, *roseau des étangs*. A. *Catstail*, *reedmace*. B. *Lischdodde*, *donsen*, *dullen*, *polsen*, *papen-kul*, *zots-kap*, *duivelskop*, *raboord*.

TYPHODES, [gr. *τυφώδης*, proprie *typho similis*. Hoc nomine insigniri solet] febris symptomatica continua et ardens, in qua primo statim die aegri copiose sudant, sudore ipso parum, aut nihil allevante; hinc *sudorifera* quoque vocatur. Dicitur velut ab inflammatione viscerum. Aliis *typhodes*, vel *typhus* est genus febris continuae, quae ultra duas septimanas, saepius tres, extendi consuevit cum calore et urina sanorum similibus, pulsuque, quoad frequentiam, sano fere simili, et quoad robur non maiori, artubus interea maxime prostratis. *Sauv*. Hoc genus plures sub se species comprehendit. Ge. *Ein bösartiges anhaltendes Fieber*. Ga. *Fièvre nerveuse*, *fièvre continue maligne*. A. *Nervous-fever*.

[**TYPHOMANIA**, Galeno in *gloss*. *Hipp*. docente, est mixtus e phrenitide et lethargo morbus. Componitur vox e *τῦφος*, *stupor attonitus*, et *μανία*, *furor*. Delirium cum stupore coniunctum, quale in febre typhode obvenire solet.]

[**TYPHONIA** i. q. typhomania. Quicunque primus hac voce usus est, aut scribendi errorem commisit, aut ignorantiae specimen edidit.]

[**TYPHUS** est morbus acutus, epidemicus, saepe a contagio ortus, cum magna virium prostratione et symptomatibus sibi invicem repugnantibus stipatus, admodum periculosus.]

[**TYPUS** vocatur a pathologis certus et constans ordo, quo symptomata morbi sibi invicem succedunt, et vicissitudines in corpore aegroti eveniunt. Ii morbi, in quibus hic typus manifestus non est, vocantur *atypici* (*ἄτακτοι τὸν τύπον νοσοι*). Synon. *periodus*, *circuitus*. Descendit a *τύπτω*, *percutio*, *pulso*, atque significat proprie notam, quae pulsando impressa est.]

TYRIA apud Latino-barbaros i. q. *ophiasis*. [Nomen morbi non ab urbe Tyro, sed a serpentum specie, nunc adhuc in Italia *tire* nuncupata, derivandum, neque antiquiorem ipsi originem tribuendam esse, quam aetatem Constantini Africani, probat Ill. Sprengel in not. ad Batemani *Hautkrankh*. p. 254.]

TYRIASIS, i. q. *elephantiasis* et *satyriasis*.

TYROIDES, vide *Thyroides*.

TYROSIS est, quando lac comestum in ventriculo in ma-

teriam caseosam coagulatur. A τυρόω, *in caseum cogo, coagulo.* Ge. *Gerinnung der Milch im Magen.* B. *Kaasachtigheid.*

V.

VACCARIA est Lychnis segetum rubra, foliis perfoliatis, *Bauh. Saponaria vaccaria* calycibus pyramidatis quinquangularibus, foliis ovatis, acuminatis, sessilibus *Linn.* (Decandr. Digyn.). Planta in pratis et inter segetes proveniens; vix ad usum medicum adhibetur. Forte nomen habet a vacca, quod a vaccis adametur. Ge. *Kornbasilien, Kuhbasilien, wilder Waid, Erdweich.* Ga. *Lychnis des bleds, la savonniere rouge.* A. *Cowbasil, the perfoliate soapwort.* B. *Koorn lychnis, deuswas.*

[**VACCINA** est pustula, in uberibus vaccarum, lac praebentium, inprimis in papillis erumpens, coloris e coeruleo albidi, aut coerulei, aut e coeruleo in lividum vergentis, aut plerumque sordide flavo-coerulei seu plumbei, quae areola s. circulo lato, ex inflammatione erysipelacea rubicundo circumdata est, et liquorem glaucum aut fuscum continet, quem intra breve tempus disrupta effundit; quo facto exsiccata crustam format, aliquot diebus post sponte sua decidentem. Hoc ipsum exanthema superiori seculo ad finem properante omnium totius terrarum orbis medicorum attentionem propterea maximopere movit, quod omnes, qui variolas nondum perpessi fuerint, contra huius morbi vim redderet tutos. Ed. Ienneri opera hoc variolas, nisi penitus exstirpandi, certe earum furorem mitigandi remedium maxime vulgatum est. Egi de hoc argumento disputatione: *De morbo vaccino-varioloso collectanea* quaedam. Lips. 1802. in *Opusc. acad. to. I. p.* 128. ss. Cons. praeterea Jo. Frank. *Prax. med. praec. Pa. I. vol.* 3. *sect.* 1. *p.* 251—297.]

[**VACCINATIO** est insitio liquoris, e pustulis vaccinae desumti, in vulnuscula aliquot, brachiis hominis, qui variolis nondum laboravit, inflicta, eo consilio, ut talis homo a contagii periculo tutus reddatur.]

VACCINIA, VACCINIUM est plantae genus fruticosum, flore monopetalo, (Octandr. Monogyn.) calyce quadrifido, minimo; corolla monopetala, campanulata, quadrifida, laciniis revolutis; bacca globosa, umbilicata, quadriloculari, seminibus paucis. Species huius generis plures dantur. Maxime frequens apud nos est *Myrtillus germanica* et *Vitis idaea Dalech.* Vitis idaea foliis oblongis, crenatis, fructu nigricante *Bauh. Vaccinium myrtillus* pedunculis unifloris, foliis serratis, ovatis, deciduis, caule angulato *Linn.* Habitat in sylvis nostris umbrosis. Fructus qualitatis est acidulae, refrigerantis, subadstringentis, hinc succus inspissa-

us in febribus, fauciumque affectibus saepe potionibus et ;argarismatibus additur. Sunt, qui infusum foliorum Theae ;inensium comparent. Conf. *Oxycoccus*, *Vitis idaea*. Ge. *Heidelbeer*, *Schwarzbeer*, *Myrtenbeere*, *schwarze Preiselbeere* l. plura. Ga. *Airelle*, *raisin des bois*, *lucett*, *morets*, *myr-ille*. A. *Blackwhorts*, *whortle-berries*, *billberries*, *com-ıon blea-berry*. B. *Kraakbessen*, *woudbezien*, *blaauwbessen*, *oschbessen*, *postelbessen*. — Aliis *Vaccinium officin.* est Vitis laca foliis subrotundis exalbidis *Bauh.* *Vaccinium uligino-ım*, pedunculis unifloris, foliis integerrimis ovalibus, basi iliatis. *Linn.* Ge. *Trunkelbeeren*, *Sumpf-Preiselbeere*, *Moor-ıere*, *grosse Kuthecken* etc. Ga. *Vaciet*, *airelle veinée*. A. *'reat billberry*, *marsh-billberry*, *whortle-berry*. B. *Groote ;warte kraak bessen*, *water bessen*.

VACUATIO, vide *Evacuatio*.

VACUI DIES sunt, quibus iuxta *Hippocratem* rarissima : imperfecta ac mala crisis plerumque contingit. Iique sunt . 8. 10. 12. 16. 18. quibus addunt 22. 23. 25. 29. 30. 32. 33. ;. 38. 39. hi *medicinales* appellantur, quod in iis medica-enta exhiberi possint, verum hi dies in nostris regionibus ɔn observantur tam exacte.

VAGA ARTHRITIS, vide *Arthritis vaga*.

VAGI NERVI, VAGUM PAR sive decimum nervorum ;rebri, pluribus surculis oritur ex lateribus medullae oblon-atae, et quidem a corporibus olivaribus, qui surculi con-ncti per foramen iugulare ad marginem ossis magni occi-talis, una cum nervo spinali, vel accessorio transeun-s, et e cavo cranii egressi, utrinque truncum formant, qui, ıarsis pluribus ad partes vicinas ramulis, in iugulo inter teriam carotidem et venam iugularem internam descendit. triusque lateris truncus, thoracem ingressus, *nervos re-rrentes*, aliosque plures ramulos ad plexum cardiacum et ılmonalem cum ramis nervi *sympathici magni* constituen-ım edit, tum ante et pone oesophagum decurrens, cum hoc aphragma transit, et utrinque ramis insignibus cardiam et ntriculum cingit, quorum ramorum propagines ad ramu-s nervi intercostalis, vel *sympathici magni*, accedunt, et m his plexus abdominales ad viscera distributos formant. :. *Das zehnte oder herumschweifende Nervenpaar*. Ga. *Nerfs mpathiques moyens*. B. *Dwaalend zenuw-paar*.

VAGINA HEPATICA idem quod *capsula communis Glis-ıii*.

VAGINA PORTAE, i. q. *capsula Glissonii*.

VAGINALIS TUNICA, vide *Elythroides*.

VAGINA UTERI, *αιδοῖον γυναικεῖον*, *κόλπος γυναικεῖος*, [eu *κοίλωμα*, quod utrumque Poll. *onom. II.* 222. habet], t canalis, sine distractione, aliquot transversos digitos ıgus, vesicae urinariae subiacens, intestino recto super-

iacens, quibus substantia cellulosa adnexus est, ab orificio, vel pudendo externo, ad ostium uteri extensus, contractilis et in partu valde dilatabilis. Constat praeter externam membranam, particulam scilicet non magnam peritonaei, ex tela crassa, cellulosa, stipata et extensili, simulque valde vasculosa, interstratis fibris quibusdam longitudinalibus, et transversalibus, vel circularibus, quae tamen anterius, propius finem, a sphinctere ani ortae, magis conspicuae *sphincterem* vel *constrictorem vaginae*, constituunt. Vagina interior epidermide pudendi externi producta vestita atque rugosa est, et propter papillas nervosas, quarum magna copia gaudet, valde sensilis. Perforatur plurimis porulis, praesertim in inferiori parte circa meatus urinarii exitum, quae orificia glandularum mucosarum sunt; maiores etiam lacunae, u circa urethram, ita et in tota vagina, uterique cervice hinc inde reperiuntur, setas saepe admittentes, et liquorem mucosum, has partes lubricantem et defendentem, excernentes. Usus vaginae est penem et genituram virilem admittere; foetum vero, secundinas, menstrua et lochia ex utero emittere. Ge. *Die Mutterscheide.* Ga. *Le vagin, le grand conduit d l'uterus.* A. *The sheath of the womb.* B. *De scheede de lyfmoeder.*

VAGINANS botanicis dicitur *folium* basi formante tubum caulem vestientem.

VAGINATUS dicitur *caulis* foliorum vaginis cinctus.

VALERIANA est plantae genus flore monopetalo, (Triandr. Monogyn.) quod habet caules tenues, rotundos, excavatos, ramosos. Folia sunt coniugata, quaedam integra alia profunde laciniata. Flores monopetali, infundibuliformes, multifidi, in summitate caulium, in umbellas vel spicas congesti sunt. Post singulum florem unicum semen nascitur, ut plurimum oblongum, fere planum, pappo instructum. Radix est oblonga, rugosa, digitum crassa, superficie geniculata, foris ex cinericeo fusca, intus pallida numerosis fibris dotata, saporis acris, aromatici, odoris fragrantis et gravis. Huius generis duae praecipue species in usum medicum adhibentur, scilicet: *Valeriana sylvestris maior Bauh. Valeriana officinalis* floribus triandris, foliis omnibus pinnatis *Linn.* quae in Europae pratis paludosis habitat; et *Valeriana hortensis Bauh.* [In sedecim unciis radicis Valerianae officinalis reperit Trommsdorffius duas drachmas amyli, materiae extractivae resinosae uncias duas, materiae extractivae gummosae unciam cum semisse, resinae unciam, olei aetherei drachmam cum scrupulo, fibrae denique vegetabilis uncias undecim cum scrupulis duobus. A. *The officinal valerian.* B. *Wilde valeriaan, groote moeras valerian.* Ga. *La valeriane sauvage et des bois, valeriane commune.* Ge. *Officineller* oder *gewöhnlicher Baldrian, B*

nedictenkraut, *Augentheriak.*] *Valeriana phu* floribus triandris, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indivisis *Linn.* Utriusque radix, quae in usum medicum adhibetur, eximiis viribus diaphoreticis, diureticis, resolventibus et praecipue nervinis pollet; hinc in epilepsia, aliisque nervorum adfectibus, amblyopia et incipiente suffusione commendatur. — *Valeriana Celtica*, vide *Spica celtica.* Gr. φοῦ et νάρδος ἀγρία. Utrumque nomen eidem plantae tribuit Dioscor. I. c. 10. ad quem locum Sprengel observavit, descriptionem plantae non illi Valerianae speciei, quae nostra aetate Val. *phu* appellatur, convenire, sed esse Valer. *officinalem.*] A *valere* sibi nomen adscivisse videtur: quia ea utentes se a venenis defendunt. *Nardus* dicitur ab odore radicis. Ge. *Gartenbaldrian, Katzenwurzel, Theriakwurzel.* Ga. *Valeriane franche, grande valeriane.* A. *Garten-valerian, setwell.* B. *Speerkruid, St. Joris-kruid, tamme valeriaan.*

VALERIANELLA: hoc quidem sub nomine variae plantae diversi generis denotantur: frequentissime vero intelligitur Valeriana campestris inodora maior *Bauh.* Lactuca agnina *Raii.* Locusta herba I. B. *Valeriana Locusta olitoria* floribus triandris, caule dichotomo, foliis lanceolatis integris, fructu simplici *Linn.* (Triandr. Monogyn.). Habet haec caulem debilem, rotundum, versus terram repandum, rubicundum, striatum, excavatum, nodosum, ad singulos nodos utplurimum in duos ramos divisum, et hi rursus in alios minores ramusculos dichotomos. Folia sunt oblonga, tenera, delicata, colore herbaceo, nullo pediculo appensa, interdum serrata superiora, sapore subdulci et insipido. Flos est monopetalus, infundibuliformis, quinquefidus, et calyci insidens; qui abit in fructum monospermum, linearem, apice tridentatum, dente maiore exteriore recurvo, semina continentem compressa parumper, in summo acuta, et per obliquum rugis quibusdam exornata, albicantia, satis magna pro plantulae modo. Radix parva, fibrosa, alba. Crescit haec planta in regionibus calidis, et apud nos in hortis umbrosis passim colitur. Folia ineunte vere frequenter in acetariis adhibentur. Est diminutivum a *Valeriana.* Ge. *Rapünzchen, Erdlattig, Lämmerlattig, Acker-* sive *Nüsschensalat, Winterrapunzeln.* Ga. *Mâche, doucette, boursette, clairette, poule grasse.* A. *Lams lettuce, corn-sallet, corn valerian.* B. *Vette koe, koorn-salaad, sprinkhaan kruid.*

VALETUDINARIUS est is, qui optima et constante sanitate non fruitur, verum continuo morbis obnoxius est. Gr. νοσώδης, νοσηματικός. Ge. *Kränklich.* Ga. *Maladif, valetudinaire, infirme, sujet à être malade, mal sain.* A. *Sickly, subiect to sickness.* B. *Ziekelyk mensch.*

VALETUDO est partium nostri corporis qualiscunque, sive bona, sive mala, agendi dispositio. Ge. *Gesundheits-*

zustand. Ga. *Etat de santé.* A. *Health.* B. *Welvaarendheid, gezondheid.*

VALGUS est is, cui tibiae sunt non rectae, sed extrorsum convexae, pedibus femoribusque approximatis. Vide *Blaesus.*

VALVULA botanicis est pars pericarpii, scilicet paries quo tegitur fructus externe.

VALVULAE sunt membranulae tenues, in vasis au corde sitae, valvam referentes; a varia figuratione variam denominationem accepere, ut *sigmoides, semilunares, tricuspides, mitrales* etc., reperiuntur in venis, arteriis, ductu thoracico, vasis lymphaticis, lacteis etc. Usus est sanguinem et alios liquores impedire, ne retrorsum urgeri queant. Ge. *Klappen.* Ga. A. *Valvules.* B. *Klap-vliezen.* — *Valvulae* etiam reperiuntur *in intestinis*, in tenuibus et crassis, praesertim in ieiuno et circa initium intestini ilei, quae a figura *semicirculares* et a situ et functione *conniventes* vocantur. Hae valvulae, non, uti priores, in corde integrum canalem claudunt, sed sunt modo eminentes plicae, tunicae internae productae, quae quo propius accedunt ad ileum, paulatim incipiunt magis magisque obliquari, et in principio ilei minus obliquantur, quam in progressu eiusdem. Similiter prope finem ieiuni plicae sensim longius ab invicem distant: et in ileo similiter, quo ulterius descendit, adhuc longius. In principio et medio ieiuni vix semipollicem distant; in ileo pollicem integrum et amplius. Digito impulsae aliquantulum cedunt, et huc atque illuc mobiles sunt. In fine ilei et ad principium coli praecipue insignis huiusmodi valvula adest a productione tunicae internae ilei nata, in colon aperta, discissis fibris muscularibus disparens, regressum faecum e colo in ileum multum impediens. Dicitur quoque *Valvula coli, coeci, Bauhini, Tulpii* etc. Vide *Colon.* — — — — *Usus* harum valvularum est cibos nonnihil remorari, ut melius misceantur cum succo pancreatico, bile, liquore gastrico, muco intestinali, itaque ut ulterius assimilentur humoribus nostris, et attenuentur, chylus in lactea distribuatur, et superficies interna intestinorum, numerusque orificiorum resorbentium augeatur. Ge. *Darmklappen.* Ga. *Valvules des intestines.* B. *Val-vliezen, klap-vliezen.* — *Valvula magna cerebri* est tenuis medullaris lamina retro ventriculum quartum, quae processus a testibus cerebri ad cerebellum unit, et ventriculum quartum posterius perficit, minime tamen eius coniunctionem cum tertio ventriculo impedit.

[**VANADIUM** novi metalli, in ferro a Sefströmio detecti denominatio, quae Berzelium auctorem habet. Cum oxygenio coniunctum format acidum rubri coloris et oxydum fuscum, quod ad rubedinem usque calefactum massam continuam praebet, leni nitore metallico praeditam. Ferro, cu

inest, maximam contrahit mollitiem. Plenior eiusdem disquisitio nondum instituta est. Nomen a *Vanadis,* cognomine Freijae, pulchritudinis Deae Scandinavorum, deductum est. Vid. *Pharmac. Centr. Bl.* I. 183. p. 273. et *Neu. Jahrb. d. Chem. u. Phys.* 1831. B. II. H. 3.]

VANILLA, VANILIA, VAINIGLIA, BAINILLA sunt siliquae compressae, semipedem fere longae, calami scriptorii crassitie, coloris atro fusci, sub cortice rugosa medullam pinguem cum minutissimis acinis continentes. Arbor, quae hos fructus fert, est: Volubilis siliquosa Mexicana, foliis Plantaginis, floribus nigricantibus *Rai.* Angurek, *Kaempfer.* Tlilxochitl, *Americ.* Vanilla piperis arbori Iamaicensi innascens *Pluk. Epidendron vanilla* scandens, foliis ovato-oblongis, nervosis, sessilibus caulinis, cirrhis spiralibus *Linn.* [Vanilla aromatica Sw.] (Gynandr. Diandr.). Frutex est parasiticus. Habitat praecipue in India occidentali. Qualitas siliquarum est pinguis, aromatica, acris et ambrosiaca, viribusque calefacientibus, roborantibus, nervinis, cephalicis et aphrodisiacis gaudent. Frequentissimus in chocolada usus est. Rarior in medicina. Tinctura tamen spiritu vini extracta ut singulare et specificum remedium in melancholia et phrenesi praedicatur. [Vox *Vanillae,* ex hispanica lingua depromta, siliquam longam teneramque denotat. Chemicum harum siliquarum examen instituit Bucholz in *Buchn. Repert. II.* 253.] Ge. *Vanille.* Ga. *Vanilles.* A. *Vanelloes, baniles.* B. *Vanille.*

VAPORARIUM, sive **AESTUARIUM** est, cum non in balneo humido sedet aeger, sed vapor ex sella perforata, aut alia machina, admittitur corpori, olla subdita, ex fluido morbo curando convenienti. Ge. *Schweissbad, Dampfbad.* Ga. *Bain de vapeur.* A. *Vapour-bath.* B. *Zweetstoof, bad-stoof.*

VAPPA vocatur humor, qui neque dolorem, neque calorem, neque corrosionem infert, et omni virtute insita, quam antea habuit, coctione, vel exhalatione privatus est.

[**VARICELLA** a Jos. Frankio (*Prax. med. praec. Pa. I. vol.* 3. *sect.* 1. *ed. alt. p.* 298.) definitur per adulterinum variolarum genus quoddam, motibus febrilibus ingruens, post nychthemerum unum alterumque, socio plerumque pruritu, super universam corporis superficiem, parte capillata capitis non excepta, repetitis vicibus erumpens, idque modo sub pustularum forma, iam ab initio halone rubro circumdatarum, sero vel limpido, vel albo, quin aëre etiam repletarum, modo sub illa tuberculorum solidescentium, generatim irregulariter decurrens, in squamas aut crustas desinens, et unius circiter hebdomadis spatio, cicatricibus quandoque relictis, evanescens. *Synon.* Variola Petrea, aut ab H. Petreo, qui primus eas descripsit, aut, quod Frankio vero si-

milius videtur, a nomine Germanico vulgari: *Steinpocken,* Variolae aut spuriae, aut lymphaticae, aut halituosae, aut simplices crystallinae, aut pemphygus [potius pemphix] variolodes. A. *Chiken-pox, swine-pox, hives.* Ga. *La petite vérole volante, vérolette.* Ge. *Wind,-Maser,-unächte, falsche, fliegende Blattern, Stein-, Spitz-, Schaaf-, Schweins- u. Hühnerpocken.* — E lingua hispanica derivat nomen Mason-Good in *Transact. of the med. soc. of. Lond.* I. 1. *p.* 16. Hispani enim prominentias parvas *varizellas* s. *variçellas* nominant, diminutivo τοῦ *variz.*]

VARICIFORMES PARASTATAE: ita a *Galeno* plexus venarum spermaticarum ad testem vocatur, quem alii et ipse *Galenus* quoque aliis locis *varicosum corpus* nominant. Vide *Varicosum corpus.*

VARICOCELE, RAMEX VARICOSUS est tumor scroti, ortus a varicibus venarum [scrotalium, quae hoc in statu duras nodosasque inaequalitates formant.] Disparet plerumque aegro in dorso recumbente et [praeter molestiam, a magnitudine mali ortam,] parum periculi infert. Ge. *Aderbruch, Krampfaderbruch.* Ga. *Varicocéle.*

VARICOSUM CORPUS dicitur ille plexus vasorum sanguineorum, qui testiculos ingreditur. Dicitur et *Corpus pampiniforme,* ut et *Corpus pyramidale.* Conf. *Variciformes parastatae.*

VARIEGATIO botanicis est diversorum colorum varietas, quae in foliis floribusque plantarum observatur. Ge. *Buntfarbig.* B. *Bont.*

[**VARIETAS.** Hanc vocem et historiae naturalis scriptores, et anatomici in usu habent. Illi sub ea intelligunt diversitates specierum, a magnitudine, colore similibusque ortas, nec adeo constantes, ut semper adsint, quemadmodum illae, quae speciem unam ab altera distinguunt. Anatomici autem partium corporis animalis a naturali sive magnitudine, sive forma, sive situ, sive numero aberrationem varietatum nomine designant. Ge. *Abart.*]

VARIOLAE sunt genus phlegmasiae exanthematicae, scilicet morbus contagiosus, plerumque epidemius, infantes inprimis corripiens, febre acuta continua incipiens, cum dolore capitis et lumborum, anxietate et inquietudine coniunctus: succedentibus tertio vel quarto die punctis parvis rubris instar morsus pulicum, quae faciem, manus et brachia, tum totum corpus deturpant, quae suppurantur deinde post tres quatuorve dies, et sub epidermide cutem exedentes, non raro foedissimas profundas foveas in facie relinquunt. Hic morbus veteribus sine dubio ignotus, ab Arabibus primum descriptus, iam vario tempore, epidemice atque latissime grassatur, et, vix praeter vigesimam hominum partem, omnes invadit. Sunt *variolae* vel *spuriae,* s. *nothae,* vid. seq. art.

vel *verae;* caeque iterum vel *benignae* et *discretae,* vel *malignae* et *confluentes*, diris symptomatibus magnoque periculo stipatae et maximam saepe stragem edentes. Oritur hic morbus ex contagio infecti communicato, vel ex aëris contagioso et ignoto statu, vel peculiari sanguinis, iamque nunc connata dispositione, qua nunc mitius, nunc ferocius saevit; vel etiam communicatur per inoculationem, transplantationem, sive insitionem, qua multum eius ferociae subtrahitur. [Nominis originem e lingua hispanica, ab antiquo scilicet *vario* deducendam vocem esse adserit Mason-Good *l. c. p.* 14. inde enim diminutivum *variola* formari.] Ge. *Pocken, Kinderblattern.* Arab. *Bothor.* Lusit. *Besigas.* Ga. *La petite vérole.* A. *Small pox.* B. *Kinder-pokjes.*

VARIOLARUM INOCULATIO est operatio chirurgica, qua pus variolosum sic corpori applicatur, ut illico per vascula minima resorptum in sanguinem deferatur, ibique ipsas variolas producat. Hanc Asiaticis quibusdam gentibus, a vetustissimis etiam temporibus, usitatam fuisse, memoriae proditum est. Postmodum in Europam, primo in Angliam, dein Galliam, Helvetiam et reliquas provincias, nunc frequentissime et felicissimo cum eventu introducta est. Quoniam enim hic morbus valde periculosus est et ex sex, vel septem aegrotantibus unum fere e medio tollere dicitur; et artificialis eam communicandi methodus omnibus fere ad miraculum usque salutaris invenitur, ita ut ex centenis, immo mille, vix unus moriatur; eum debitis cum cautelis institui debere, graves viri affirmant. In eum finem filum quoddam imbuitur pure variolosi iuvenis, discreto genere laborantis, sana constitutione ante invadentem morbum praediti. Aeger eligitur quatuor annis maior, et plerumque pubertatis tempus nondum praegressus, illique ante operationem vena secatur, et laxans quoddam exhibetur: victus tenuis et decoctum antiphlogisticum ipsi praescribitur, et in cubiculo locatur moderate calido; unde etiam vernum tempus praefertur, quia tunc aër nec frigore, nec caliditate peccat. Infligitur ipsi parvum vulnusculum, plerumque in brachio, vel femore, aut nunc in manu, cui fomes variolosus inseritur. Alii lenis vesicatorii ope epidermidem tollunt, et denudatae cuti linteum, puri varioloso intinctum, imponunt. Alii et recentiores inprimis saltem vulnusculum cuti infligunt lanceola recenter pure benigno infecta, nulla fere praeparatione praegressa, atque ut aeger in aëre frigidiore semper versetur, iubent. Quocunque modo fiat insitio, vulnuscula plerumque primum consolidari visa, sensim sponte mirum ampliantur, et ingentem copiam puris fundunt. Paucis post insitionem diebus variolae efflorescunt, quas fere semper distinctas et mites esse auctores notant; ita ut aegri, modo aëre frigidiore et diaeta antiphlogistica utantur, sine gravio-

ribus symptomatis hunc morbum ferant. [Nunc haec variolas inscrendi methodus minus frequenter in usum duci solet, quoniam lenius adhuc simulque securius remedium variolarum pericula avertendi in vaccinatione nuper inventum est. Vide *Vaccinatio.*] Ge. *Einpfropfung der Pocken.* Ga. A. *Inoculation.*

VARIOLAE SPURIAE, vel **NOTHAE** sunt efflorescentiae variolis veris sat saepe similes, et interdum cicatrices relinquentes, verum in eo a *veris* differentes, quod vix ulla, aut lenissima, febre stipatae, neque materia purulenta, sed sero pellucido, sensim exhalante repletae sint, et longe breviori periodo, plerumque intra octiduum, absolvant, nec ab invasione verarum variolarum, aut spuriarum iterata, aegrum securum praestent. Ge. *Spitzpocken, Windpocken, Steinpocken, Schaafpocken.* Ga. *Vérole volante.* A. *Swinepox, chicken-pox.*

[**VARIOLARIA AMARA** est lichen amari saporis, quo inductus Cassebeerius, pharmacopola Gelnhausensis, 1825. experimenta de virtutibus medicis huius plantae instituit, easque viribus Cinchonae officinalis *L.* similes reperit.]

[**VARIOLOIS VACCINICA** est exanthema variolis simile, quod in iis comparere solet, qui vaccinam rite superarunt. Jul. Val. Tischendorf (*Additam. quaed. ad varioloidis vaccinicae notitiam.* Lips. 1829. 8.) varioloidem a variola differre eo docuit, quod multo breviore tempore crustae formentur, atque, cum usque ad maturitatis pustulae stadium satis lente processerit, nunc rapido cursu ad finem properet, quippe cum vera suppuratio non, febris secundaria raro observetur. Porro uterque morbus hanc differentiam offert, quod variolois cicatrices, variolis proprias, non relinquat, sed earum loco cutem in peculiare tuberculum elevet, denique quod plerumque nullam vitae noxam inferat.]

VARIX, vide *Cirsos.*

VARUS, vide *Ionthus* p. 803. *Varus* quoque sumitur pro *arthritide vaga;* vide suo loco; [Cum supra p. 168. hac de re nihil omnino monitum sit, addam hoc loco ea, quae de hac notione Castellus monuit. Scilicet varum notare adserit idem, quod *varenum,* et esse symptoma scorbuticum, quod alias *arthritis vaga* vocetur, consistens in dolore vago, partes nervosas circa articulos affligens.] Item pro eo, cui pedes introrsum flexi sunt, et valgis oppositi. [Swediaur *to. II. p.* 742. hoc deformitatis genus *kyllosin varorum* appellavit, illud definivit per tibiarum (saepe et genuum simul) distorsionem, qua versus interiora convexae sint, suris aut genubus convergentibus et sibi approximatis, pedibus vero a se invicem mutuo recedentibus.]

VASA sunt canales cavi, ex convolutis in se membranis compositi, conici vel cylindrici, per quos liquores trans-

eunt in nostro corpore ad omnes partes; vel etiam imbibentia aut resorbentia, quae ex superficie, aut etiam cavis, corporis humores quosdam in se recipiunt; ut sunt venae, arteriae, vasa lymphatica, ductus chyliferus, ductus salivales etc. *Vas*. Gr. *ἄγγος*, *ἀγγεῖον*. Ge. *Gefässe*. Ga. *Vaisseaux*, *canaux*. A. *Vessels*. B. *Vaten*.

VASA CAPILLARIA, vide *Capillaria vasa*.

VASA DEFERENTIA dicuntur bina vasa, substantiae admodum densae et firmae, cavitatis exiguae, quae semen ex testiculis et quidem epididymidibus, in vesiculas seminales deferunt. Ex teste singulo emittitur unum, quod coloris albi, instar nervi crassioris, sursum fertur pone peritonaeum cum vasis spermaticis, quae deserit circa abdominis introitum, et reflectitur ad posteriora vesicae urinariae, tandemque vesiculis seminalibus inseritur. Ge. *Saamenabführende Gefässe*. Ga. *Les vaisseaux déférens*. B. *Zaadaanbrengende vaten*.

VASA LACTEA sunt vasa lymphatica mesenterii, scilicet vasa tenuia in mesenterio; ab intestinis praesertim tenuibus eorumque tunica villosa, non tantum in parte mesenterio proxima, sed etiam in opposita, principio minimo orta. Plura minora coëunt ad angulos acutos, creant maiorem fluvium, iterum a se mutuo recedunt, iterumque, facta insula, coëunt in canalem unum, qui mox cum similibus eadem patitur, ut inde fiant maiores fistulae, quae omnes valvulis plurimis ubique fere interstinctae, deinde recta, obliqua, decussata, divisa via tendunt ad glandulas vagas, in mesenterio sparsas, valde molles, eo concurrunt, has intrant, velant, cingunt, sed iterum exeunt, minus ramosae, quae sunt *primi generis*. Eae autem, quae *secundi generis* vocantur, ab istis glandulis ad *sacculum chyliferum* deducuntur. Usus est chylum et lympham ab intestinis ad sacculum chyliferum [(cistam lumbarem)] et ductum thoracicum vehere. Valvulae in his vasis sunt utriculares, geminatae semper, in mesenterio parte convexa versus originem et intestina, parte concava versus receptaculum chyli conversa, in trunco vero, vel ductu thoracico, sua parte convexa receptaculum chyli, parte concava venam subclaviam respicientes. Praeter has valvulas etiam *semilunaris* adest, aperturae ductus thoracici in venam subclaviam apposita, ita ut cornua eius venam subclaviam respiciant, admittens liquidum ex ductu in venam subclaviam, sed regressum ipsi negans. Ge. *Die Milchadern*, *Milchgefässe*. Ga. *Les veines lactées*. A. *Milk-vessels*. B. *De melk-aderen*, *melk-vaten*, *chyl-vaten*.

VASA LYMPHATICA, vide *Venae lymphaticae*.

VASA PRAEPARANTIA, vide *Praeparantia vasa*.

VASA SEMINALIA dicuntur venae et arteriae ad testi-

culos euntes. Vulgo *Praeparantia.* Ge. *Saamengefässe.* Ga. *Vaisseaux spermatiques.* A. *The preparing vessels, seed vessels.* B. *Zaad-vaten.*

VASA SPERMATICA, i. q. *Vasa seminalia.*

VASA UMBILICALIA sunt in homine duae arteriae et una vena: arteriae oriuntur ab hypogastricis, quarum primi rami, vel in foetu potius trunci continuati, sunt; decurrunt primo per latera pelvis; post a lateribus vesicae urinariae, supra peritonaeum: dein oblique umbilicum versus, inter peritonaeum et abdominis musculos. Toto hoc decursu inhaerent substantiae cellulosae, quae exteriori parti peritonaei adhaeret, cuiusque interventu cum peritonaeo partibusque vicinis cohaerent. Procedunt ad umbilicum, et ibi cum vena umbilicali coëunt, et substantia cellulosa connectuntur inter se. Una dein exeunt umbilico; et primo lineam albam quasi perforant. Linea alba, quae ex coniunctione tendinum transversorum et obliquorum abdominis musculorum fit, in umbilico foramen habet rotundum, tendinei marginis, quo vasa exeunt; hoc foramen tam magnum est, ut non stringat vasa, nec tam facile elabi sinat intestina. Cum perforarunt lineam albam, immergunt se funiculo umbilicali, is involucrum proprium firmissimum habet, elasticum, subcartilagineum, non a peritonaeo natum, quod integrum et imperforatum funiculo subest, neque a cute abdominis, quae, et cum ea epidermis, notabili annulo ad funiculum totum distinctum adnascatur: funiculus totus fartus substantia cellulosa, ex peritonaei exteriori celluloso involucro nata, laminosa, fibrosa, spongiosa, muco gelatinoso repleta, cuius firmiores particulae septa constituunt funiculi, versus placentam firmiora, ut sic tres loculi fiant, quorum quisque suum magnum vas continet. Per hanc substantiam decurrunt vasa ad placentam usque, sic, ut eam sibi circumfusam habeant et undique adnexam: unde vasa toto tam longo decursu et coniuncta sunt in unum funiculum, et sustinentur, ne facile collabantur, aut comprimantur: inde et firmior ille funiculus, e quo pendet embryo primis temporibus, quem diversimode premit grandior foetus. Non recta autem per funiculum decurrunt haec vasa, sed se quasi in spirae modum contorquent, tanquam si triplex filum contorqueretur; unde per totum hunc decursum arteriae venam contingunt, pulsuque iuvant sanguinis per venam fluxum. Ubi funiculus ad membranas ovi, amnion et chorion desinit, arteriae penetrant ad superficiem externam chorii, et statim in ramos abeunt, qui in ramos minores minoresque paullatim se spargunt specie radicularum. In chorii autem superficie arteriarum venarumque ramuli mutua implicatione quadam, laxaque cohaesione placentam efficiunt, quae adnexa utero, cuiusque interventu ovum foetus, atque adeo

ipse foetus, cohaerent cum matre; et quo vasa haec propiora illi superficiei placentae, quae utero adnexa, eo ramosiora et subtiliora, ultimoque ad totam illam superficiem in myriades vasorum subtilium desinunt, quae infixa utero. Videntur autem ultimi arteriarum venaeque umbilici ramuli se cum venis et arteriis uterinis, ad superficiem internam uteri desinentibus, coniungere et mutuo immergere, ita quidem, ut ex arteriolis placentae humores penetrare in venas uteri possint; ex arteriolis uteri in venulas placentae. Sed notandum, quod, ubi vasa umbilicalia ad placentam pervenere, primum ab externa superficie funiculi abscedit amnios, post ipsa funiculi substantia se explicat, efficitque chorion, per cuius deinde externam superficiem nudi vasorum rami decurrunt, sic ut minores rami ipsi chorii substantiae adhaereant et quasi inhaereant; maiores autem, qui sensim fiunt ramosiores, efficiant placentam. Vide *Vena umbilicalis*. Ge. *Die Nabelgefässe.* Ga. *Vaisseaux ombilicaux.* A. *Umbilical vessels.* B. *Navels aderen,* sive *vaten.*

VAS BREVE, vide *Breve vas.*

VASA VORTICOSA, vide *Vorticosa vasa.*

VASTI MUSCULI ita dicti, quoniam crassi sunt, et femur fere longitudine aequant. Duo sunt: *externus* oritur a radice tota trochanteris magni, et cruris osse subiecto, *internus* a trochantere parvo et tota superficie interna ossis femoris ad condylum usque internum. Hi musculi aponeurosin validam tendinibus musculi recti et cruralis adiungunt, tumque spinae tibiae, et lateri patellae inseruntur, suaque actione tibiam extendunt. Ge. *Die grossen Muskeln des Schienbeins.* Ga. *Muscles vastes externes et internes.* A. *The great muscles.* B. *De vaste spieren.*

VECTIS est instrumentum chirurgicum, quo in fine perforationis cranii utimur: nam labiis incisi ossis immittitur, ad ossiculum hinc inde movendum, ut vacillet, et volsellae parte dentata auferri possit. — Item sic vocatur instrumentum, quod in depressionibus cranii elevandis usurpatur. Ge. *Beinheber.* Ga. *Levier.* B. *Hef-boom, been-lichter.* — *Vectis Roonhuysii* instrumentum ferreum est, quod vectem satis simplicis fabricae refert, quo caput infantis inclavatum et potissimum ossibus pubis inhaerens solvitur. Ge. *Der Roonhuysische Hebel.* Ga. *Le levier de Roonhuyse.*

VEGETABILE, aut **VEGETANS** dicitur omne *corpus*, quod vivendo crescit. Distinguitur a fossili structura organica, per quam eius vita exercetur; ab animali, quod facultate sensationis et motuum voluntariorum destituatur. Omnia haec corpora iunctim sumta *regnum vegetabile* constituunt. Ge. *Pflanze.* Ga. *Végétal.* A. *Vegetable.*

VEGETATIO est actio vitae plantarum, quae incrementum earum spectat, cum fructificatio propagationem earum

faciat. Fit vero vegetatio radiculis sugentibus tincturam aquosam ambientem, quae calore quotidie addito pellitur per *corticem*, unde nutritio plantae, exhalante superfluo, deponente interiori pariete *librum*, quotannis secedentem in substantiam *ligneam*, sustentaturam *caudicem* adscendentem, intra quam *medulla* multiplicativa, basi deliquescente, apice infinita, quam concipio fasciculum fibrarum isoscelem accrescentem, in quo vis fortior rumpit extimas fibras, extrorsum divergentes, penetrantes in corticem, terminatas gemma similiter multiplicativa; ex obstaculo corticis oritur *folium* expansum, aërem respirans, solem respiciens, motibus venti excitandum, nunquam renasciturum; ubi vero vis minus pellens, medullares fibrae convergunt, protrudendo aperiunt substantiam corticis in *calycem*, libri in *corollam*, ligni in *stamina*, medullae in *pistillum*, terminante vegetationem nova vita, collectis filis in *semina* ultima medullae. *Linn.* Ge. *Wachsthum.* Ga. A. *Végétation.*

VEGETO-MINERALIS LIQUOR GOULARDI est extractum Saturni, vel acetum cum lithargyrio coctum et addito paucissimo spiritu vini, plurima aqua dilutum: frequentissimi hodie et praestantissimi in chirurgia usus. [Compositionis ratio secundum *Pharmacop. Boruss. II. p.* 248 est haec, ut aceti plumbici uncia dimidia cum aquae fontanae libris duabus et spiritus vini rectificati unciis totidem misceatur.] Ge. *Goulardsches Wasser.* Ga. *Eau végéto-mineral.*

VEHICULUM, vide *Ochema.*

VELAMENTUM BOMBICINUM est lanuginosa quaedam substantia, interiorem ventriculi, oesophagi, intestinorum partem, crustae instar, aut musci villosi, succingens. Alii *vermicularem crustam,* frequentius vero *tunicam villosam* vocant. In intestinis si membrana villosa leviter in aqua tepida maceretur, et crebro abluatur, et lubrica visciditas concavae intestinorum parti adhaerens detergatur, atque tunc intestinum invertatur, et in liquore limpido suspendatur, tota interior intimae tunicae facies nitidum quasi holosericum mentitur; dum scilicet microscopio in sole examinata, innumera quasi filamenta pendula totam illam superficiem obsidere videntur. Ex iniectionibus et variis praeparationibus liquet, maximam partem horum villorum esse tantum arteriolas et venulas minimas, ex vasculis, quae per cellulosam internam, sive iuxta alios tendineam, vel nerveam membranam decurrunt, et ad internam tunicam copiose accedunt, oriundas, accepta ab illa vagina, productas intra cavum intestini, ibidemque pendulas; omnibus simul ad extremum finem abscissis quasi et patulis, sicque vel exhalationi, vel resorptioni tenuissimorum humorum inservientibus. Ge. *Das sammtgleiche Darmhäutchen.* Ga. *Tunique,* ou *membrane veloutée.* A. *Veluet membrane of the guts.* B. *De fluweele darmrok.*

[VELOSYNTHESIS, hybrida, adeoque damnanda vox, ex *velum* (palatinum) et *σύνθεσις, compositio, coagmentatio*. Nomen chirurgicae operationis, quae et *cionorrhaphia, staphylorrhaphia, uranorrhaphe* et *uraniscorrhaphe* vocata atque veli palatini laesae integritati restituendae destinata est. Conf. *Die Gaumennaht.* Von Franz Schwerdt. Berlin, 1829. 4.]

VELUM PALATINUM, vide *Palatum.*

VENA ARTERIOSA est veteribus arteria pulmonalis, cuius ope sanguis ex dextro cordis thalamo in pulmones ducitur; tres obtinuit valvulas semilunares, ne sanguis regurgitet, e dextro cordis ventriculo oritur, fere directe sursum adscendit, et ad curvaturam aortae in duos ramos laterales dividitur, quorum unus dexter vocatur arteria pulmonalis dextra, alter vero sinistra. Dextra sub curvatura aortae procedit, hinc maior est sinistra. Ambae toti pulmoni impenduntur, et mire se dividunt. Vide *Pulmo.* Ge. *Die Lungenpulsader.* Ga. *La veine arterieuse,* ou *l'artére pulmonaire.* B. *De long-slagader.*

VENA AZYGOS, vel **SINE PARI, IUGO**, vide *Azygos.*

VENA CAVA, Gr. *φλέψ, ἐπανθισμὸς Eudoxo, δεξαμένη Hesychio*, est truncus ille magnus venosus, in quem omnes venae se exonerant ab iliacis usque ad sinum venosum cordis dextri, dein a venis iugularibus usque ad locum eundem; eius rami superiores vocantur *venae iugulares*, quae ad brachia tendunt *axillares*, in cor, vasa *coronaria*, in pulmones, *pulmonaria; phrenica* in diaphragmate; in cruribus *cruralis;* in renibus *emulgentes*, seu *renales*, et sic a varia ramificatione variam denominationem accepit. Haec format amplum, atque membrana arteriosae simili obductum sinum, qui in cava auris dextrae cordis, et in thalamum dextrum partim desinit, eoque sanguinem e toto corpore revehit. Ge. *Die Hohlader.* Ga. *La veine cave.* A. *The great vein.* B. *De holleader.*

VENA HAEMORRHOIDALIS dicitur, quae per intestinum rectum et vicinas partes distribuitur. Ratione situs distinguitur in externam, venae hypogastricae propaginem, et internam, quae etiam vena mesenterica minor dicitur, et a vena splenica oritur. Ge. *Goldader.* B. *Speen-ader.*

VENA IUGULARIS, vide *Iugularis vena.*

VENA MEDINENSIS, vide *Dracunculus.*

VENA PORTAE est vena ex venis lienis, ventriculi, mesenterii, intestinorum, pancreatis et omenti composita, quae scilicet posteriores in unam venam, nempe mesentericam, coëunt, quae tandem cum vena splenica coniunctim truncum venae portae constituunt. Hic truncus inter duas hepatis eminentias, *porta,* vel *πύλαι, dictas,* hepar ingreditur, et in duos ramos transversos, qui *sinus venae portae* vo-

cantur, abiens, in innumerabiles per hepar distributos ramos, cum extremitatibus venae communicantibus finditur, et sanguinem ad secretionem bilis in hepar defert. Ge. *Die Pfortader.* Ga. *La veine porte.* A. *The port vein.* B. *Poort-ader.*

VENA UMBILICALIS oritur ab uno trium magnorum ramorum, in quos se vena portarum hepar ingressura dividit; decurrit ad umbilicum, exit eo cum arteriis, cum quibus et per umbilicalem funiculum pergit, penetratque ad superficiem chorii externam, inque ramos, earum ad exemplum, ipsis etiam in universum comites, abit. Vena valvulis caret, quibus hic non opus erat, quum a pressione libera est; multo maior est arteriis, unitatemque eius natura compensavit magnitudine; imo maior est utrisque arteriis simul sumtis. Descendit recta petens umbilicum. Cum itaque ramus venae portarum, a quo oritur, in dextra parte abdominis situs sit, umbilicus autem in medio; a dextris descendit oblique sinistrorsum. Primum autem decurrit sub hepate, utpote sub quo oritur; ibique in hepate sinus primum oblongus, per quem decurrit, factus, ne hepatis moles eam comprimeret. Dein pergit per fissuram, quam unam habet hepar hominis, in imo tenui margine suo; atque hoc etiam factum est, ut liberior sit ab omni pressione; post procedit ad umbilicum supra peritonaeum; cum enim, ubi ab hepate recedit, distet aliquantum a partibus continentibus abdominis, ne inde ad umbilicum usque quasi vaga esset, produxit natura substantiam cellulosam peritonaei, eaque ac ipso quoque peritonaeo circumdedit venam, per quam incedit. Ad umbilicum perveniens, una cum arteriis umbilicalibus in funiculo umbilicali decurrit. Vide *Vasa umbilicalia.* Usus huius venae est sanguinem foetus in utero e placenta in corpus foetus revehere. Hinc in homine in lucem edito sensim coalescit, et *ligamentum hepatis teres*, vel *rotundum* constituit. Ge. *Nabelblutader.* Ga. *Veine umbilicale.* B. *Navel-ader.*

VENAE *vegetabilium* sunt costae, quae in plantarum foliis, imo et fructibus, apparent, et ramulos et humorem habentes.

VENAE in *animalibus* sunt canales similes fere arteriis figura et distributione. Sunt amplitudine maiores, membranis omnibus longe tenuiores, inertiores, raris in locis fibris muscularibus, iisque tantum longitudinalibus, praeditae [E variis tunicis, sibi invicem incumbentibus, de quarum numero non inter omnes constat anatomicos, compositae sunt. Walterus enim pater, Berolinensis, unam tantum tunicam venis tribuit, cui sententiae valvularum in multis venis praesentia adversatur. Mascagnius contra ea quatuor tunicas venis tribuit. Reliqui dissectores non nisi duas statuunt, *extimam* et *interiorem.* H. Marx in *Diatribe de struct. et vit*

venar. Carolsr. 1819. 8. fibras transversas, quae longitudinales secent, in venarum tunicis conspexisse sibi visus est. Rudolphius autem eas in venis magnorum adeo animalium, v. c. in vena portae equorum conspicere non potuit.] Valvulas habent solitarias, fere oblongas, digitabuli forma utcunque, ad loca insertorum in truncum maiorem ramorum, et binas ut plurimum iunctas, et minori intervallo a se invicem segregatas, in venarum maiorum truncis rectis, a corde remotioribus; atque perpendiculariter sursum vehentibus cruorem, quae sic factae sunt, et cavis canalium applicatae, ut humorem ex minori ramo in maiorem truncum admittant, retrogressum caveant corde contracto, molemque ferant. Eae tamen valvulae in systemate venae portae et venis capitis absunt. Haec vero vasa ipsa vitae actione non micant, neque saliunt, sed columnas sanguinis per arterias pressas promovent. Habent extrema sua varia, ut in arteriis observatur; initia radicum venularum vel ex bibulis cuticulae osculis, vel a resorbentibus in membrana omni interiore positis, vel ex arteriae fine in venulam porrecto, vel ex similibus quibusdam singularibus, ut in pene, clitoride, liene, vel ex pulpa forte glandulosa. Usus ergo venarum in genere is est, ut sanguinem per arterias ad omnes corporis partes adlatum ex iis ad cor revehant. Ge. *Adern, Blutadern, zurückführende Adern.* Ga. *Veines.* A. *Vein.* B. *Aderen.*

VENAE LACTEAE, vide *Vasa lactea.*

VENAE LYMPHATICAE vascula sunt parva, pellucida, alba, nodosa ubique ob binas valvulas elevatiles, cavitatem exacte claudentes, quae suam lympham a vasculis arteriosis lymphaticis, vel a glandulis conglobatis accipiunt, aut, uti recentiorum experimenta ostendunt, ex tela cellulosa totius corporis resorbent, hanc in venas sanguineas, vel in chyli cisternam exonerant. Cum ductibus etiam excretoriis passim communicant. Ge. *Wassergefässe, lymphatische Gefässe.* Ga. *Veines lymphatiques.* A. *Lymphatic vessels, lymphatik ducts.* B. *Water-vaten.*

VENAE SECTIO est sanguinis, qui in vasis continetur, per venam arte sectam evacuatio, quae ad abundantiam sanguinis imminuendam, vel impetum eius avertendum, aut in alias partes deducendum commodo loco instituitur, hocque respectu vel *depletoria*, vel *revulsoria*, vel *derivatoria* dicitur. Ge. *Das Aderlassen.* Ga. *Saignée.* A. *Opening of a vein, bloodletting.* B. *Aderlaating.*

VENENUM, Gr. *φάρμακον*, est omne illud, quod corpori nostro applicatum illud destruendo, sive solida erodendo, sive fluida circulationi inepta reddendo, mortem adfert; vel etiam, quod parva dosi ingestum omnes actiones turbat, et licet non semper, saepe tamen, letale est. Talia quodvis naturae regnum suppeditat, uti sunt Cicuta, Napellus, So-

lanum etc., ex vegetabilibus; morsus animalium rabie furentium etc., ex regno animali; arsenicum, et pleraque praeparata ex mercurio, antimonio etc., ex regno minerali. Ge. *Gift.* Ga. *Poison*, *venin.* A. *Poison.* B. *Fenyn*, *vergift.*

VENEREA LUES, vide *Lues venerea.*

VENERIS OESTRUM, i. q. *clitoris*, it. *coitus.*

VENOSA ARTERIA, vide *Arteria venosa.*

VENOSUS CANALIS est continuatus truncus venae umbilicalis a sinu venae portae ad venam cavam patens in foetu, in adultis vero sensim coalescens. Ge. *Der zurückführende Adergang.*

VENTER dicitur triplex; *infimus* sumitur pro abdomine et in specie hypogastrio, *medius* pro thorace, et *supremus* pro capite. Vide *Cavitates.* Sed stricte sumitur pro abdomine. Ge. *Bauch.* Ga. *Ventre.* A. *The belly.* B. *Buik.*

VENTER EQUINUS chemicis dicitur fimus equinus, in quo, ob lenem calorem, suas tincturas et essentias, vel alia digerenda, olim frequenter collocabant. Ge. *Ross- oder Pferdemist.* Ga. *Fumier de cheval.* A. *Horse dung.* B. *Paarde-mist.*

VENTER INFIMUS, vide *Hypogastrium.*

[**VENTER MAGNUS** appellatur primus animalium ruminantium ventriculus, de quo plura in antecedentibus sub Ingluvies p. 792. dicta reperiuntur.]

VENTILATOR est machina a Cl. *Sutton* et *Hales* excogitata, quae aëris renovationi et mutationi inservit, et hinc in nosocomiis, navibus, carceribus, aliisque eiusmodi locis maximam utilitatem adfert. Ge. *Ventilator.*

VENTOSA, vide *Cucurbitula.*

VENTRES, vide *Cavitates.*

VENTRICOSA botanicis dicitur *spica* a lateribus gibba.

VENTRICULI CEREBRI sunt quatuor cava in cerebri medulla, vix sine distractione multum conspicua. Duo *anteriores* vel *laterales*, seu *tricornes* siti sunt in medio fere cerebri sub corpore calloso; suntque cavitates satis insignes, figurae fere falciformis curvatae, et a se invicem ope septi lucidi et fornicis distinctae. Tertius sub fornice intra medullae oblongatae crura decumbit. Quartus autem sub cerebello medullae oblongatae insculpitur. In his cavis colligitur continuo lympha, ea humectans, quae forte per infundibulum deducitur partim ad glandulam pituitariam, partim per venas plexus choroidei resorbetur. Ge. *Die Höhlen im Gehirn.* Ga. *Ventricules du cerveau.* A. *The ventricles of the brain.* B. *Holligheden der herssenen*, *herssen-groefjes.*

VENTRICULI CORDIS duo sunt cava magna, connata quidem inter se, tamen mediante septo a se invicem separata, propter columnas carneas et foveas his interceptas, multis veluti cavernulis referta; insignem copiam liquidi

apientia, in medio corde reperiunda. Ventriculus primus, ive *dexter*, vel, ob situm, *anterior* et *inferior* dictus sanguiem e vena cava et auricula sua dextra, dum haec contraitur, recipit et pulmonibus tradit. Alter, sive *sinister*, vel *osterior* et *superior*, a pulmonibus sanguinem refluentem in accum venosum et auriculam sinistram recipit, et per arteiam magnam in totum corpus propellit. In contractione entriculorum, sive *systole*, apex cordis attollitur et accedit d basin eius latiorem, costasque ferit, cor brevius fit et urius, fibrae musculares ventriculorum cava ambientes spialiter in se recedunt, cava imminuunt et sic in iis contenıs sanguis exprimitur. In *diastole* vero, seu expansione t dilatatione, sanguis recipitur et admittitur. Ge. *Die lerzkammern.* Ga. *Ventricules du coeur.* A. *Ventricles of ıe heart.* B. *De holligheden des herts.*

VENTRICULUS est viscus membranosum, situm in abominis regione superiore, epigastrium dicto, statim sub iaphragmate, inter hepar et lienem. Hepar quidem a dextris ısum ad unguem complectitur, lien vero a sinistris sima sua arte adiacet. Os superius connectitur diaphragmati, meiante gula: quae foramine facto superiorem partem musculi ıferioris et sinistri diaphragmatis penetrans ventriculo connuatur, tunicae nerveae suos infigens terminos: os infeus duodeno. Fundo eius adhaeret ala anterior omenti. Posterior est aorta. Subiacet antrorsum colon et retrorsum ancreas, cui tanquam molli pulvinari incumbit. Tibiam tricularem figura eleganter exprimit, praesertim oesophago ıtestinoque adhuc connexus; ab angusto enim ore in latam apedinem sinuatus, rursus in angustum desinit; in sinistro ımen latere multo amplior, quam in dextro; ut et inferne, uam superne. Dividitur in dorsum, fundum et orificia. Dorsum, vel *arcus minor*, vocatur illa pars inter orificia suerior. Fundus, vel *arcus maior*, opposita illa inferior pars ıulto amplior et sinuosa. Orificiorum quidem alterum suerius, alterum inferius nuncupatur. Superius in sinistro ıtere, non quod elatius situm, cum ambo sint in ventriculi uperiore regione, sed eo, quod cibum et potum prius adıittat; vocatur et *stomachus*, nec non *cardia;* inferius alteum in dextro latere situm, ratione officii πυλωρὸς, sive *ınitor*, quoniam portae in modum ea, quae excreturi sumus, mittit. Situs tamen ventriculi in homine vivo alius est, uam in cadavere, in quo pendula omnia sunt. Fundus nim, vel pars inferior, antrorsum, arcus minor retrorsum ı homine vivo vergit. — Ventriculus constat e pluribus tuicis, interiecta cellulosa sibi iunctis, scilicet prima, quae st illa externe laevis membrana, quae totum ambit ventriulum et soboles peritonaei est. Secunda est carnosa, sive ıusculosa, plurimis fibris triplici serie distinctis constans.

Prima series transversarum statim, avulso peritonaeo, se prodit; hae satis numerosae ac invicem contextae a summo orificio incipiunt et in pylorum terminantur. Altera series est orbicularium, quae, interruptae tamen ut segmenta circuli, itidem ab ore summo incipientes ad pylorum progressae, orbiculariter, vel spiraliter, ventriculi cavum ambiunt; tertia constat ex duplici fibrarum ordine, oriuntur iuxta superius orificium, idque ambiunt et sinistra parte dorsi ipsius ventriculi, unde aliquae per idem dorsum recta feruntur ad inferius ostium, quod et ambiunt, sed pleraeque ad fundum versus idem ostium inferius. Haec cingitur et tegitur cellulosa Ruyschiana, quae liquorem suppeditat, fibris musculosis laxandis, lubricandis, necessarium. Tunc sequitur nervea dicta a *Willisio*, vel tendinea, sive potius vasculosa, et in non admodum distento ventriculo rugosa, quae amplior, quam exteriores, plicas format pro varia ventriculi parte mire convolutas. Haec in convexa parte donatur mira textura vasorum, cui adhaerent glandulae, sive potius cryptulae quam plurimae, quarum excretoria in concava parte ceu tot punctula atque meatus se produnt, ex quibus humor quidam, tum aquosus, tum mucosus, in ventriculi cavum exoneratur. Huius concavae parti firmissime adhaeret tunica, villosa dicta, in qua conspiciuntur (praesertim si in aqua calida aliquantisper demersus fuerit ventriculus) innumeri villi penduli, qui videntur tantum esse extremitates arteriarum, venarum et nervorum, qui ultimi forte famis sensum vacuo ventriculo excitant. Officium in genere est cibos accipere, digerere et ad duodenum promovere. Vocatur item *stomachus, aqualiculus.* Gr. *γαστὴρ,* [Oribasius anat. p. 90., Galenum secutus, *γαστρὸς* nomine ventriculum designat.] *ἡ ἄνω κοιλία,* [Sic Ruf. Ephes. p. 60. *κέκληται δ' οὕτως ἡ ἄνω κοιλία, τὴν σύγκρισιν νευρώδης τυγχάνων.* Alii ut Poll. II. 207. simpliciter *κοιλίαν* vocant ventriculum.] *στόμα κοιλίας.* [Minime totus ventriculus, sed superius tantum eius orificium, quod cardia nunc audit, sic appellari solet.] Ge. *Der Magen.* Ga. *Le ventricule, l'estomac.* A. *The stomack.* B. *De maag.* — Ruminantium animalium ventriculus in quatuor quasi alios divisus est, seu quatuor iis sunt ventriculi. Conf. *Abomasus.*

VENUS, vide *Cuprum, aes.* Idem etiam, quod *coitus.*

[**VERATRINE** est materia peculiaris, a Pelletiero et Caventou, eodemque tempore a Meisnero quoque in Veratro albo et V. Sabadilla Retz. uti et in Colchico auctumnali L. detecta. Hinc nunc *Sabadilline,* nunc *Colchicine* quoque appellatur. Pura veratrine album pulverem sistit, qui calore 50° R. liquefactus cerae liquefactae similem liquorem offert, odore caret, cum acidis coniunctus minime salia perfecte neutra format, ab acido nitrico concentrato non rubefit, i

uod omnibus, si picrotoxinen et delphininen exceperis, alcaoidibus vegetabilibus proprium est. Ab aqua plane non solitur, facillime autem ab alcohole et ab aethere, etsi b hoc minore, quam ab illo, quantitate. Igni exposita ı aquam et oleum empyreumaticum resolvitur, relicto arbone tumido et poroso. Vires maxime irritantes, et ıembranis imprimis mucosis infestas possidet, ita, ut liquot eius grana vehementissimum vomitum cieant, et, roducta enteritide, mortem inferant.]

VERATRUM est Helleborus albus. Ita dici volunt, quod ıentem motam in sanitatem convertat. Vide *Elleborus albus* . 557.

VERBASCUM sive *Thapsus barbatus* est plantae genus ore monopetalo, (Pent. Monogyn.) cuius species maxime ulgaris habet caulem satis altum, ramosum, durum, lignoım, crassum, lanuginosum, rotundum. Folia sunt magna, nga, ampla, mollia, villosa, lanuginosa, alba, quaedam epentia, alia caulibus alterne adhaerentia, latiora et hirsuora sunt Blattariae foliis. Flores monopetali, multifidi, otati et tamen profunde incisi, ut ex quinque petalis coutare videantur, in arctiores spicas, quam Blattariae flores, ongesti. Post florem succedit capsula ovato-acuminata, ınuginosa, septo intermedio in duo loculamenta divisa, seıina exigua, nigra et angulosa continentia. Radix est obnga, sat crassa, alba, lignosa. Species huius generis uae in usum medicum abhibentur, scilicet Verbascum mas tifolium luteum *Bauh. Verbascum thapsus* foliis decurrenbus, utrinque tomentosis, caule simplici *Linn.* quod iam escripsimus et verbascum nigrum, ex luteo purpurascente *auh. Verbascum nigrum* foliis cordatis, oblongis, petiolas *Linn.* Crescunt in Europae ruderatis et sylvis arenosis. ualitatis utraque est fatuo-amaricantis, viribusque anoynis, emollientibus et repellentibus pollet. Prostat oleum ıfusum florum, in pleuritide adhiberi solitum. Herbae cum oribus contusae et cum therebinthina in trochiscos subactae, runisque candentibus iniectae, fumus ano admissus tenesmo, roctalgiae aliisque huius generis morbis summopere mederi reditur. Dicitur quasi *herba barbata.* Sunt, qui *candelam egis, candelariam, lanariamque* nominent, quia caulibus eius, dipe, sevo, vel aliquo pingui, illitis, nonnulli pro lucernis tantur. [Flores et folia in usu sunt. Illi, a Morino cheıice disquisiti, praebuerunt flavum et volatile oleum, mateiem acidam, viridem, pinguem, facile in oleis pinguibus eque ac volatilibus solubilem, quae cum acido oleoso-unuinoso multum similitudinis habet, acida libera malicum et hosphoricum, kali aceticum, saccharum in crystallos non ogendum, gummi, chlorophyllum, materiem resinosam avi coloris et varia salia mineralia.] Ge. *Wollkraut, Kö-*

nigskerze, *Himmelbrand.* Ga. *Bouillon blanc*, *mollaine*, *bo*
homme, [*herbe de St. Fiacre.*] A. *Great mullein*, *hightaper*
[*cow's lungwort.*] B. *Wolle-kruid*, [*toorts-kruid.*]

VERBENA est plantae genus flore monopetalo, cuius quae dam species duo, quaedam quatuor stamina habent (Diandr et Tetr. Mon.). Species maxime vulgaris habet caules an gulosos, duros, aliquantulum villosos, interdum rubicundos ramosos. Folia profunde incisa, oblonga, rugosa, sapori ingrati et amari sunt. Calyx est monophyllus, tubulatus linearis, persistens. Flos monopetalus, labiatus, cuius la bium superius surrectum et plerumque bifidum est, inferiu vero tripartitum, sic tamen secantur ambo, ut flos quinque partitus primo adspectu videatur. Ex calyce fit tenuissim vixque manifesta capsula, continens semina tenuia, oblonga sibi invicem iuncta. Radix est fibrosa, oblonga, crassius cula, saporis amaricantis. Crescit in locis incultis. Spe cies, quae in usum medicum adhibetur, est verbena com munis flore caeruleo *Bauh.* *Verbena officinalis* tetrandra spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis caule solitario *Linn.* Qualitatis quidem est subinsipidae inodorae, viribus tamen adstringentibus et vulnerariis pollet hinc in infusis interdum adhibetur. Aqua destillata in ophtha mia commendatur. Ipsa herba capiti imposita cephalaea medetur, aut eam saltem mitigat. *Verbenaca*, *columbari* *columbina:* dicitur quasi *herbena*, ab herba, quia antiqui pro prie non verbenam intellexerunt, sed quaslibet herbas, i sacrum usum destinatas, hinc etiam victi terram ac verbe nam se porrigere dicebant. Vide *Peristeron.* Ge. *Eisen kraut*, *Eisenherz*, *Eisenhort*, *Taubenkraut*, [*Heiligkrau Tausendlieb.*] Ga. *Vervéne*, [*herbe sacrée.*] A. *Vervai* [*holy herb.*] B. *Yzer-kruid*, *yzer-hard.*

VERETRUM, i. q. *penis*, seu *membrum virile.*

VERMES peculiarem classem animalium apud *Linn.* co stituunt. Sunt scil. animalia mollia, pandentia, vivacissim redintegranda, acephala, apoda, androgyna, tentacul dignoscenda, exsanguia, nulli metamorphosi, ut larvae i sectorum, obnoxia. Plurima dantur genera et species, qu rum etiam variae in intestinis animalium habitant. Vi *Ascarides*, *Lumbrici*, *Taenia*, *Trichuris.* [Vid. inter plu alia scripta praeclarum Car. Asmund. Rudolphi *entozooru s. vermium intest. hist. nat.* Vol. I. et II. Pa. 1. et 2. C. tab aen. Amst. 1808—10. 8.] Ge. *Würmer.* Ga. *Vers.* *Worms.*

VERMICULARIS etiam epitheton *pulsus* est, qui inst vermium repere videtur.

VERMICULARIS est *Sedum* minus, teretifolium albu *Bauh.* *Sedum album* foliis oblongis, obtusis, teretiusculi sessilibus patentibus, cyma ramosa *Linn.* (Decandr. Pentag

A similitudine nempe foliorum, quae rotunda sunt et figurae ovalis, ut vermiculos putes, unde et *Crassula minor* appellatur. Ge. *Kleine weisse Hauswurzel, kleiner Donnerbart.* [*weisses Zungenkraut, Tripmadam.* Ga. *Petite joubarbe,* [*trique-madame, trippe-madame, tête de souris, orpin blanc.*] A. *Tripe-madam,* [*the white stone-crop.*] B. *Kleine donderbaart,* [*wite huis-look, klein huis-look.* Conf. *Sedum.*

VERMICULARIS CRUSTA est interior tunica intestinorum, villosa et gyrosa, seu rugosa, reliquis longior. Vide *Velamentum bombycinum* et *Ventriculus.*

VERMICULATUM in plantis est, quod rosae modo, quasi purpurisso, rutilat.

VERMIFORMIS APPENDICULA est canalis parvus, crassitiei instar vermis oblongi, qui hiat et accrevit intestini coeci fundo. Substantia tunicarum est eadem fere, ac intestinorum; supra colon se contorquet, veluti vermis, et peritonaei membranae annectitur, extremitate vero sua reni dextro; proprio mesenteriolo gaudet: longitudinis est quatuor digitorum, latitudinis digiti unius, intus angustissimae capacitatis, secernens copiosissimam lympham et mucum ex suis glandulis, qui obliniendis faecibus inservit. In foetu sine dubio maior huius partis utilitas est, quippe quae et pro ratione maior, multoque capacior et magis cava sit, ac ipsi medio extremitatis intestini coeci adhaereat. Ge. *Wnrmförmiger Fortsatz.* Ga. *Appendice vermiculaire.* B. *Wurmgelyke aanhangsel.*

VERMIFORMIS PROCESSUS CEREBELLI est processus, in quem ducit sulci hemisphaeria cerebelli dividentis finis, et qui perinde, ut corpus callosum cerebri, dextrum cerebelli lobum cum sinistro coniungit, valleculamque replet, quae inter cerebelli lobos intcriacet, ab anteriori fine per posteriorem circumductus ad superiorem. Non tamen is perinde medullaris est, corticeque multo miscetur, et perinde per piam membranam in sulcos fere transversos sibique parallelos dividitur, inque angulum planum faciei similem medius adsurgit. Eius processus duo potissimum fines, nusquam tamen intervallo aliquo separati, a nuperis separantur. Superior tangit totam valvulam cerebelli, et adplicatur ad glandulam pinealem, cumque ea superiorem terminum ventriculi quarti ex calamo nascentis sub natibus perficit. Inferior inferiorem et latiorem finem ventriculi quarti claudit. *Vermiformis* dicitur processus, quod annulos erucae imitetur. *Hall.* Ge. *Wurmförmiger Fortsatz des kleinen Gehirns.* Ga. *Appendices vermiformes.* A. *Wormlike processes.* B. *'t wormwyze uitsteeksel.*

VERMIFUGA, a *verme* et *fuga*, idem, quod *anthelminthica*

VERMIS CEREBELLI, idem quod *vermiformis proces-sus cerebelli.*

VERMIS CEREBRI, vide *Febris ungarica.*

VERMIS DIGITORUM, i. q. *paronychia.*

VERMIS TERRESTRIS, vide *Lumbricus terrestris.*

VERNACULUS MORBUS, i. q. *endemius.*

VERNATIO botanicis dicitur foliorum dispositio intr gemmam.

VERNIX, seu *Vernisium*, a nonnullis *sandarache*, sive *gumm iuniperinum* vocatur. Proprie vero est *vernix* resina quaedam venenatae qualitatis, arboris in Iaponiae et Virginiae paludo sis habitantis, quae est Sits, vel Sitz *Kaempf. Rhus verni* foliis pinnatis integerrimis, petiolo integro aequali *Lin* (Pentandr. Trigyn.) [A. *The vernish-sumach, poison-asl* Ga. *L'arbre du vernis.* Ge. *Der Firnissbaum, Giftbaum Giftesche.*] Sed plerumque *vernix* vocatur compositio quae dam liquida, sensim durescens, inserviens obducendae cru stae aliis rebus, ne corumpantur. Sic ex lacca, mastiche copal, succino, simplicibus vel mixtis, in alcohole vini spiritu acido dulcificato, oleo terebinthinae, aut lini, co ctis et solutis fit proprie *vernix*. Ge. *Verniss, Firniss.* Ga *Vernis.* A. *Varnish.* B. *Vernis.* [Johnius in *Chem. Lex* IV. p. 381. vocem *vernix* e Graeco βερονίκη derivat, qu resina splendens, e nonnullis arboribus stillans, designat fuerit. Inde sensim *berniks, bernix, vernix, vernis* et *firnis* efformata esse putat. Salmasius in homonym. hyl. iatr p. 161. b. F. a recentioribus Graecis electrum βερονίκη vocari retulit.]

VERONICA est plantae genus flore monopetalo, (Di andr. Monogyn.) plurimas sub se comprehendens species Quae in usum medicum adhibetur, est Veronica mas supina et vulgatissima *Bauh. Veronica officinalis* spicis lateralibu pedunculatis, foliis oppositis, caule procumbente *Linn* Habet haec caules exiguos, longos, nodosos, repentes, la nuginosos, rotundos. Folia, sibi invicem opposita, iuxt caulis longitudinem nascuntur, pruni foliis similia, villosa in margine incisa, saporis amari et acris. Calyx est qua dripartitus, persistens. Flores sunt monopetali, rotati, mul tifidi, ex quorum calyce fit fructus membranaceus, obco datus, apice compressus, quadrivalvis, in duo locula menta divisus, plurima semina exigua, rotunda et nigri cantia continens. Radix est fibrosa, hinc inde in terra spars et repens. Haec planta crescit in locis petrosis et arenosis Quamvis haec herba qualitatis saltem amaricantis et subac stringentis videatur, summis tamen in medicina laudibus plerisque celebratur, eiusque infuso eximiae virtutes pecto rales, diureticae, aperientes et roborantes tribuuntur. Pr stat conserva, syrupus et aqua, cum, vel sine vino desti

lata, usus frequentissimi. [Nominis originem e Buchholzii *philos. Betracht. üb. d. Mittelalter* explicat Krausius hoc modo: reduces ex expeditione in Palaestinam eo consilio suscepta, ut Hierosolymas et loca sic dicta sancta infidelibus eriperent, inde Romam attulerant sudarium Christi, in quo imago servatoris, qui sudorem sanguineum exhalaverat, conspici ferebatur. Sudarium hoc in templis venerationis publicae causa expositum fuerat cum epigraphe: *vera icon*, seu *vera unica icon*, quam cum vulgus non intelligeret, in sindone mulieris sanctae, cui nomen Veronicae esset, imaginem depictam esse somniabat.] *Veronica aquatica*, vide *Beccabunga*. Conf. quoque *Teucrium*. Ge. *Officineller Ehrenpreiss, Grundheil*, [*Barthengel, Wundkraut*]. Ga. *Veronique mâle*, *le thé d'Europe*]. A. *Luellin*, *fluellin*, [*the male speedwell.*] B. *Gemeen eeren prys.*

VERRICULARIS TUNICA, idem quod *amphiblestroides tunica.*

VERRUCAE sunt species tuberculorum, Gr. *ἀκροχορδῶνες, acrochordones*, dicuntur, eo quod, si vertices horum tuberculorum inspiciantur, similes sunt resectae chordae. *Celsus* huius appellationis eam causam videtur attulisse, quod in fundo sint angustiores, in summo latiores; adeo ut pendere videantur, ideoque a plerisque etiam *verrucae pensiles* appellantur. Dicuntur *porri*, eo quod, si inspiciantur summitates ipsorum, videntur aemulari brevia illa capillamenta porrorum. Est vero verruca tuberculum durum, eminens, e cute erumpens, callosum, parvum, pisi magnitudinem vix unquam excedens, et in omnibus corporis partibus nascens, inprimis ubi inaequalis pressio et attritus fieri solet. Ortum habet ab excrescentia papillarum nervosarum, aut harum vaginularum, sub cute haerentium, quae degenerascentes cutem elevant et dilatant, sed epidermide adhuc tectae manent. [*Synon.* Acrothymion, thymus s. thymion, myrmecia. Swediaur *l. c. to. II. p.* 593. differentiam inter thymion et myrmecia finire studuit.] Ge. *Warze.* Ga. *Verruë*, [*tannes, poireaux.*] A. *A wart.* B. *Een wrat.*

VERRUCARIA dicitur *Heliotropium*, quia creditur eius foliis contusis verrucas abigi. Sic etiam vocatur *Tithymali* species, cuius succo lacteo verrucae decidunt. [Salmas. in *Homonym. hyl. iatr. p.* 59. b. D. in glossis veteribus legisse testatur, verrucariam herbam helleborum vocari.]

VERTEBRA, i. q. *spondylus.*

VERTEBRALIS ARTERIA oritur utrinque ex arteria subclavia, raro alterutra ex ipso arcu aortae, tum per foramina processuum transversalium vertebrarum cervicalium adscendens, per foramen magnum ossis occipitis cranium intrat, et ad latera medullae oblongatae decurrens, tum cum sua pari, tum cum ramis arteriae carotidis coniungitur,

et singularem arteriam, quae *basilaris* dicitur, constituit. Usus pariter est sanguinem pro secretione fluidi nervei in cerebrum deferre. Ga. *Artère vertébrale.* B. *Wervel-slagader.*

VERTEX est pars capitis inter syncipnt et occiput media, altissima omnium et gibbosa. Gr. *κορυφή*. Ge. *Der Wirbel auf dem Haupte.* Ga. *Le sommet de la tête.* A. *The top of the head.* B. *De kruin.*

VERTIBULUM vocatur globosum caput ossis, quod in articulatione cavum alterius ossis ingreditur. — *Vertibulum* est quoque idem, quod *trepanum.*

VERTICALE botanicis est *folium* paginam superiorem meridiei obvertens.

VERTICILLI, i. q. *cotyledones.*

VERTICILLUM, VERTICILLUS in plantis florum, vel foliorum ambitus annularis, qui cauliculos, aut ramulos herbarum coronat, existit, ab instrumenti muliebris similitudine dictum, quod fuso vertendi gratia solitum est adhiberi. Hinc *verticillati* dicuntur *rami, pedunculi, folia* vel *flores* plures truncum ad genicula circumdantia.

VERTICILLUM in chirurgia idem, quod *torcular*, sive *fascia tortilis.* Ga. *Tourniquet.*

[**VERTICULUM** vocatur prima colli vertebra, quoniam in illa caput vertitur. Utitur voce J. Pt. Frank in *Epitom. lib. II.* §. 141.]

VERTIGO, vide *Scotomia.*

[**VERU MONTANUM**, i. q. *caput gallinaginis*].

VESANIA est furoris species, vel delirium ex nimio amore. — *Vesania* aliis, v. c. *Sauvagesio*, significat classem morborum, omnes illos comprehendentem, quorum character est imaginationis, iudicii, voluntatis etc. depravatio.

VESICA est pars membranacea cava, in qua liquor excernendus colligitur et continetur; ut vesica urinaria, bilaria, seminaria. [Willanus hoc ipso nomine peculiarem morborum cutaneorum formam insignivit, cuius hanc dedit notionem: esse prominentiam cuticulae, magni voluminis basi irregulari, fluido seroso et pellucido repletam.] Gr. *κύστις*. Ge. *Die Blase.* Ga. *Vessie.* A. *A bladder.* B. *Een blaas.*

VESICA BILARIA, CYSTIS FELLEA, FOLLICULUS BILIS, VESICULA FELLEA est vesicula ad figuram pyri accedens, sita ad marginem anteriorem in parte hepatis concava, parvo ovo gallinaceo ut plurimum similis. Fundus nobis erectis deorsum, collum vero inflexum et tortuosum sursum spectat. Incumbit vesicula colo, illudque suo colore tingit. Constat, ut vulgo adsumunt, ex quatuor membranis 1) communi. 2) vasculosa. 3) musculari, ex fibris rectis

obliquis et transversalibus. 4) nervea, vel tendinea, intus rugosa, seu reticulata, humore unctuoso imbuta, in qua subinde minimae glandulae apparent, quae fabrica ductibus biliariis communis esse videtur. Exit in *ductum*, qui *cysticus* vocatur, et cum *ductu hepatico* ad angulum acutum iungitur, et sic uniti faciunt ductum communem, maiorem prioribus, *choledochum* dictum, oblique descendentem, qui ad angulos acutos appositus duodeno, penetrat exteriorem eius tunicam, dein inter hanc et alteram descendens, mox perforata et hac, inter secundam et tertiam longo itinere progressus, foramine rotundo in cavum intestini libere exit. Instructa est arteriis duabus, arteriae hepaticae propaginibus, quae *arteriae cysticae*, vel *gemellae* vocantur. Usus vesiculae felleae est, bilem, in hepate secretam, vacuis ventriculo et intestinis per ductum cysticum recipere, cum vix adhuc satis de ductibus hepatico-cysticis constet, asservare, et debito tempore, pressione ventriculi et intestinorum repletorum, in duodenum effundere. Plura sunt animalia, ex omnibus classibus, hac vesicula carentia, ut elephas, camelus, equus, asinus, cervus, caprea, dama, pavo, psittacus, columba etc. in quibus ductus biliarii ampliati, eius vicem subeunt. Et homines vesica fellea destitutos, aut plures una adfuisse, legitur. Ge. *Gallenblase.* Ga. *Vésicule du fiel.* A. *Gallbladder.* B. *De gal-blaas.*

VESICA DESTILLATORIA est vas aeneum, sive ahenum cupreum, superius capitello cum tubo donatum, qui inseritur tubo serpentinis ductibus incurvato, per quem humores adscendentes in recipiens vas destillant. Inservit destillationibus plantarum aquosis, spirituosis etc. Ge. *Distillirblase, Brennhafen.* Ga. *Vessie à distiller.* B. *Destilleer-blaas.*

VESICA URINARIA, Gr. κύστις, [τὸ οὖρον ὑποδεχομένη ap. Oribas. *anat. p.* 123. κύστις οὐροδόχος] est pars membranacea, cava, pyri fere, vel lagenulae forma, cuius pars angusta deorsum vergens *collum*, media *corpus* et pars sursum vergens *fundus* dicitur. In viris posterius intestinum rectum habet; in foeminis vero uterum, cuius vaginae alligatur. Semper extra abdomen et cavum peritonaei in loco tutissimo a concursu ossium, sacri, ileon, ischion et pubis formato, et mediante supra expansa peritonaei lamella, cui fundus vesicae accretus, a contentis abdominis separato, haeret, qui *pelvis* dicitur. Habet haec vesica quatuor membranas; externa in superiori parte, vel fundo ortum peritonaeo debet, huius officium est vesicam partim investire. Secunda est cellulosa, in qua plerumque subtilis quaedam pinguedo est. Tertia membrana est muscularis, fibris longitudinalibus et spiralibus praedita, quae tenuiores et parciores in ipso corpore vesicae, copiosiores vero et robustiores in collo ap-

parent: huic in toto corpore similis non reperitur, valde explicabilis et magna vi elastica praedita. Intima membrana tendineo-membranacea et glandulosa est, valdeque sensibilis. Si microscopii ope conspicitur, deteguntur infiniti exigui folliculi, rotundi, humore mucoso pleni; unde haec membrana tam lubrica est, ut attrectationes digitorum eludat; quo vesica contractior, et minus stimulatur, eo dicti folliculi magis clauduntur, humorem mucosum colligunt, et ad usum reservant; quo vero magis dilatatur et stimulatur, eo oscula folliculorum patentiora redduntur, et humor ille maiori copia fluens vesicam ab irritante quocunque acri, vel stimulante defendit. Tandem, ne urina continuo efflueret ex vesica, oppositum est cervici vesicae *sphincter,* qui proprie non est distinctus musculus, sed tunicae muscularis condensata pars, quae hic fibras rotundas habet, collum vesicae arcus specie ambientes et claudentes. Accipit urinam ex renibus per *ureteres,* eam asservat, tandemque per *urethram,* quae in viris, quam in foeminis, longior est, excernit. Ge. *Harnblase, die Blase.* Ga. *La vessie.* A. *The urinebladder.* B. *De pis-blaas.*

VESICARIA vocatur *Alcea veneta,* ut et *Alkekengi,* quia eius fructus et semen in vesiculis continetur: vel quoniam vesicae et calculis prodest. Vide *Alcea, Alkekengi, Alyssum.*

VESICATORIA sunt medicamenta, quae externe cuti applicata, acrimonia sua irritante in loco determinato tumorem quendam, ex liquido ibi ante non haerente, excitant: illud liquidum nempe eo hac vi derivando, ut per ultima vascula nimis distenta exeat, communique cavitate sub elevata cuticula colligatur. Plerumque hoc fit per cantharides. Vocantur quoque *attrahentia, derivantia.* Gr. *ἐπισπαστικὰ,* [ab *ἐπισπᾶν, attrahere.*] Ge. *Blasenziehende Mittel, Blasenpflaster.* Ga. *Vésicatoire.* A. *Vesicatory, blister.* B. *Blein,* sive *blaartrekkende dingen, spaanse vliegpleister.*

VESICULAE ADIPOSAE, vide *Sacculi adiposi.*

VESICULA FELLIS, i. q. *vesica biliaria.*

VESICULAE SEMINALES sunt receptacula quaedam, seu intestinula coeca, in gyros, cryptas, recessus complicata, quae in viris collo vesicae a parte posteriori nectuntur per cellulosam telam. Sedem habent inter vesicam urinariam et intestinum rectum. Duae sunt, et constant ex membrana satis tenui, et avium minorum intestinorum instar variis modis contortae sunt, nisi quod hinc inde varicum adinstar mirum in modum dilatatae et interna cavitate magis contractae conspiciantur. In has desinit *vas* eiaculatorium, vel *deferens,* e testiculis utrinque adscendens, sensim latius et sinuosum, rursus angustius, ubi incurvatum ingreditur fere recte itinere in haec intestinula versus horum fundum capacissi-

mum. Quaeque vesicula praedita est alio canale emissorio cum priori ad angulos acutos iuncto, qui bini emissorii per orificia minima ad latera veru montani in urethram patentem desinunt, ut ita per distincta oscula seminalis humor huc expellatur. Interim ambae hae vesiculae membranis atque fibris colligatae sunt, semen asservant, et tempore orgasmi venerei excernunt. Ge. *Saamenbläschen.* Ga. *Vesicules seminales.* B. *Zaad-blaasjes.*

VESPERTILIONUM ALAE sunt ligamenta duo lata et membranosa, utrinque unum, quibus uteri fundus ossibus ilii laxe connectitur. Rectius tamen hoc sub nomine eae tantum partes membranaceae intelliguntur, quae tubis Fallopianis et ovariis interiectae, et, si distendantur, tenuitate et vasis decurrentibus alis vespertilionum similes sunt. Ge. *Die fledermausflügelförmigen Bänder der Mutter, die breiten Mutterbänder.* Ga. *Ailes de chauve souris.* A. *Rats-wings.* B. *De vleer muis gelyke banden.*

VESTIBULUM in aure dicitur pars media labyrinthi inter cochleam et canales semicirculares. Est vero cavitas ossea, superficie inaequalis; huius pars anterior obducitur membrana fenestrae ovalis, opposita pars spectat membranam tympani; in id cavum hiant novem foramina: 1) Fenestra ovalis. 2) Duo foramina nervorum. 3) Quinque foramina canalium trium semicircularium. 4) Superior pars cochleae a parte faciei huc aperitur. Ge. *Vorhof des Irrgangs.* Ga. *Le vestibule.* B. *Het portaal van 't doolhof.*

VETERINARIA MEDICINA est ea ars, quae de medicatione circa iumenta et pecudes agit, vulgo *mulo-medicina.* Ge. *Vieharzneikunst.* Ga. *Art vétérinaire.*

VETERNUS, vide *Lethargus, Coma.*

VETONICA, *Vettonica, Vettonicum,* est planta, sic ab Vetonibus, Hispaniae populis, nominata. Creditur quidem *betonica* nostra, vix tamen recte, cum, quae *Antonius Musa,* Augusti archiater, peculiari carmine de *Vetonica* herba depraedicet, vix in betonicam nostram subinsipidam et subinodoram quadrent. Gr. *κέστρον,* [Diosc. IV. c. 1. qui *κέστρον* a Romanis *οὐεττονικὴν* dici refert. Vid. ad hunc locum C. Sprengelii disputationem de Vettonica et de Britannica herba.] idque a varietate et copia remediorum dicta est. Vide *Betonica.*

VEXILLUM botanicis dicitur in floribus papilionaceis petalum superius, plerumque maximum et concavum.

VIBEX, vide *Enchymoma.*

VIBRANS, vel **VIBRATUS PULSUS** est pulsus cum duritie et celeritate tremens; in aegrotis, qui magnas inflammationes, vel tenacissimas patiuntur obstructiones, itemque nervorum distentionem, naturae cum morbo pugnam ostendit. *Lomm.*

VIBRATIO est agitatio et motio corporis et membrorum involuntaria, ut conquiescere non liceat, etiamsi strenue renitaris. Ge. *Das Erschüttern.* Ga. *Branlement, agitation, secousse.* A. *Shaking, quaking.* B. *Schudding.*

VIBRISSAE dicuntur pili, qui e naribus excrescunt, mucoque, ne iugiter effluat, nec non volitantibus per aërem insectis, ne una cum spiritu intrent, obicem ponere creduntur. Ge. *Die Nasenhärchen.* Ga. *Le poil des narines.* A. *The hairs in the nose.* B. *De neushairen.*

VIBURNUM est arbuscula, *Viburnum lantana, Linn.* (Pentandr. Trigyn.) cuius rami longi, digitum crassi, valde flexiles, corticem albescentem habent. Folia ad Alnum, vel potius Sorbum alpinam accedunt, lata, sublonga, crassiuscula, in ambitu crenata, hirsuta, et pulvisculo albo, maxime inferna parte, quae ob id etiam magis candicat, conspersa, gustu adstringente. Flos est monopetalus, rotatus, quinquefidus, umbellae in formam digestus, staminibus quinque praeditus. Ovarium in ora superiore coronatum calyculo quinquefido, instructum tuba erecta veluti triglobosa, abit in fructum, seu baccam mollem, unilocularem, succi plenam, unico semine osseo, compresso, striato foetam. Haec arbuscula crescit in calidioribus, in locis incultis, saxosis, et montibus, apud nos in hortis colitur. Foliorum et fructuum decoctum in affectibus faucium commendatur: rarioris tamen in medicina usus. A *viendo*, id est *ligando*, dictum, quo rustici utuntur ad colligandos fasciculos. Vulgo *Viorne.* Ge. *Wiedenbaum, Schlingbaum,* [*Pappelstaude, Pabstweide, Tiroler Schwindelbeeren, Waldrebe,* et plura alia] Ga. *Le coudre mainserine, mansienne.* A. *The wayfaring tree, pliant meally tree.* B. *Europische viorne, meel-boom.* — In America *Viburni* species, quae *cassinoides* dicitur, atque in Carolina potissimum crescit, Theae loco adhibetur. Ge. *Der Carolinische Theebaum.* Ga. *Thé de Caroline.* A. *The Hyson tea.*

VICIA est plantae genus flore papilionaceo, (Diad. Dec.) plurimas species comprehendens. *Vicia sativa Linn.* habet caules angulosos, villosos, excavatos. Folia oblonga, angusta, villosa, bina, quasi coniugata, costae innascentia, in claviculas abeunti. Calyx est monophyllus, tubulatus, semiquinquefidus. Flores in pluribus sunt leguminosi, purpurei, aut caerulei. Flori succedit siliqua villosa, foeta seminibus subrotundis, aut angulatis, nigris. Seritur passim in usum oeconomicum, columbis pabulum gratissimum, gallinis vix conveniens. Panis e farina seminis pravae digestionis est; haec vero ob vires roborantes in epithematibus interdum adhibetur. Secundum veri similitudinem a Gr. *βικία*, vel *βικίον*, nomen habet. Dici videtur a vinciendo, quod item, ut vitis, capreolos habeat, quibus sursum versus ser-

pit, vel quod inter frumenta vitium sit. Ge. [*Futterwicke, Feld-,* sive *Korn-,* sive *Saamenwicke.*] Ga. *Vesse cultivée.* A. *The common vetch,* sive *tare.* B. *Wikken, tamme vitsen, krock.*

VICTORIALIS dicitur *Gladiolus,* ut et *Allium montanum,* est Allium foliis caulinis lanceolatis, floribus umbellatis *Roy.* Allium radice oblonga, reticulo obducta *Hall.* Allium montanum latifolium maculatum *Bauh.* *Allium victoriale,* caule planifolio umbellifero, umbella rotundata, staminibus lanceolatis corolla longioribus, foliis ellipticis *Linn.* (Hexandr. Monogyn.). Huic folia in toto genere latissima Colchici. Habitat in Alpibus Helvetiae et Italiae. Viribus et qualitate cum Allio convenit. Multa tamen de singulari contra fascinum virtute fabulatur credula superstitio. Ge. *Die lange Siegwurzel,* [*longa,* ut a Gladiolo discernatur], *Allermannsharnisch, Hülfswurz.* Ga. *Ail serpentin,* [*ail des Alpes, ail à feuilles de plantain.*] A. *Victory root, wild* sive *long rooted broad garlick, spotted ramsons.* B. *Victori wortel, das gevlakte look, alpische look, adderlook.*

VICTORIOLA, vide *Laurus Alexandrina.*

VICTUS RATIO est modus vivendi, quo sanitas per convenientia alimenta, quibus in humano usu vulgo utimur, conservatur et morbus propellitur. Consistit in recto usu rerum non naturalium. Veteribus fuit in morbis triplex, crassa, mediocris, tenuis. Item tenuis simpliciter, tenuior et tenuissima. Vide *Diaeta.*

VIGILIA est status corporis somno oppositus, in quo spirituum animalium in cerebro et per nervos facili agitatione, per organa sensuum nostrorum motus obiectorum sensorio communi facili negotio offeruntur. Si nimis ex quacunque causa hi spiritus agitantur, ideaeque menti impressae sensibus internis quietem non permittunt, vigiliam pervicacem inducunt. Ge. *Das Wachen.* Ga. *Veille.* A. *Watching.* B. *Het waaken.*

VIGILIA NIMIA, i. q. *agrypnia.*

VIGOR MORBI, vide *Acme.*

VILLI sunt proprie parvi pili in holoserico. Anatomicis autem denotantur minimae illae et fluctuantes eminentiae, quae in interiori intestinorum cavitate, aliisque corporis humani partibus, reperiuntur. Ge. *Zotten, Flocken.* Ga. *Tunique veloutée.* B. *Vlokjes.*

VILLOSUS botanicis dicitur *caulis,* aut *folium* pilis mollibus tectum.

VILTRUM, i. q. *filtrum.*

VINACEI grana sunt acinorum, Gr. *γίγαρτα*, nominantur, quae, pressis uvis, cum folliculo abiiciuntur.

VINCA PERVINCA, vide *Clematis daphnoides.*

VINCETOXICUM est Hirundinaria, seu Asclepias: qui-

dam dici putant *νικητοξικὸν*, quod illi adversus venena insignis vis insit. Derivatur a *vincere*, vel *νικᾷν*, quod idem est, et *τοξικὸν*, *venenum*. Vide *Hirundinaria*.

VINCTURA, i. q. *fascia*.

VINUM est liquor, ex fructibus horaeis maturis, inprimis uvis, seu fructibus *Vitis viniferae*, (Pentandr. Monogyn.) expressus, fermentatus, depuratus, cuius multae habentur species et varietates, nomine et viribus diversae. In genere tamen vina in eo conveniunt, quod spiritum inebriantem fermentatione evolutum in se contineant, qui in aliis magis, in aliis minus dilutus est, una cum principio acido et partibus aquosis. Principem inter nobilissima medicamenta locum obtinet, si moderate usurpetur. Etenim grato suo stimulo in fibras partium nervosarum agens, earum contractionem auget, sanguinis circuitum promovet, omnesque universi corporis functiones instaurat. Quodsi vero ultra modum ingeratur, miras in toto corpore facit mutationes, taciturnis loquacitatem, timidis audaciam conciliians, cerebrum tamen etiam gravans, intellectum hebetat, et somnum profundum inducit. Adfertur ex variis regionibus, unde dicitur Gallicum, Rhenanum, Mosellanum, Hispanicum etc., quae omnia inter se pro diversa ratione principii spirituosi et acidi differunt. Gr. *οἶνος*. Ge. *Wein*. Ga. *Vin*. A. *Wine*. B. *Wyn*.

VINUM COS est vinum colore, odore et sapore pollens. Schola Salernitana *nitorem* addit hoc versiculo:

Vina probantur odore, sapore, nitore, colore.

VINUM HIPPOCRATICUM est, cui saccharum et aromata infusa fuerint, quae post per manicam Hippocratis colantur. Vide *Hippocraticum vinum*. Ge. *Hippocras*. Ga. *Hippocras*, *vin d'Hippocrate*. A. *Wine of Hippocrates*. B. *Hippocras-wyn*, *specery-wyn*.

VINUM MEDICATUM est vinum, cui medicamenta, praecipue vegetabilia, infusa sunt in usum aegrotantium. Praesertim quando eum musto ad fermentandum reponuntur. Ge. *Kräuterwein*. Ga. *Vin medicinal*. B. *Genees-wyn*.

VIOLA est plantae genus flore polypetalo anomalo, (Syngenes. Monogam.) cuius folia ex radice erumpentia sunt obrotunda, ampla, in margine incisa, viridia, caulibus longis adhaerentia. Calyx est pentaphyllus, brevis, persistens. Flos est pentapetalus, anomalus, papilionacei floris aemulus: huius enim duo petala superiora vexillum, duo lateralia alas, inferius vero, quod in caudam desinit, carinam quodammodo repraesentant, coloris purpurei, aut caerulei, odoris suavis et grati. Post florem apparet capsula, per maturitatem in tres partes divisa, continens semina exigua, obrotunda, albescentia. Radix est fibrosa. Species, quae frequentissime

in usum medicum adhibetur, est Viola martia purpurea, flore simplici odoro *Bauh.* *Viola odorata,* foliis cordatis, stolonibus reptantibus *Linn.* Habitat in Europa australiori inprimis. Floribus est qualitas fragrans, virtusque cordialis, nervina, anodyna, sed per abusum noxia et stupefactiva. Referuntur inter quatuor flores cordiales. Prostat syrupus, conserva, iulepus, saccharum, mel, tinctura. Usus praecipuus in tussi, raucedine, stranguria. Radix purgans et emetica creditur. Herbae vix alia, quam virtus emolliens, hinc in enematibus adhiberi solitae. Semina vi diuretica pollent. Color florum violarum, addito sale acido, in rubrum, alcalino, in viridem mutatur, hinc tinctura et syrupus violarum examini chymico saepe inserviunt. — Viola putatur dici ab Ion, quod nympha quaedam Ioniae florem illum Iovi primum dederit muneri. Sed alii, quod, cum Io in vaccam a Iove conversa esset, terra florem illum pabulo bovis eius fuderit. Latini quoque, detrita t litera, violam quasi vitulam imitatione Gr. videri possunt appellasse, alii dici volunt *ἀπὸ τοῦ ἰέναι;* quoniam prius caeteris floribus veris tempore proveniat. Hinc eius folia *Violaria* vocantur. [Cons. quae de Violis veterum diligenter collegit C. Sprengel in *antiqu. bot. l. c.* 1. — Infusum florum Violae odoratae chemice a Pagenstechero disquisitum continet pigmentum coeruleum, a plumbi acetici salibus non praecipitandum, pigmentum intense rubrum acidae naturae, et pigmentum purpureum, saccharum et crystallisatum, et mucosum, albumen, denique salia tum kalina, tum calcarea. De peculiari, a Boullayo detecto principio vide sub *Violine.*] Ge. *Violen.* Ga. *Violette.* A. *Violet.* B. *Viole.*

VIOLA MATRONALIS, vide *Matronalis flos.*

VIOLARIA, i. q. *viola.*

[**VIOLINE** vocata est ab eius inventore Boullayo, peculiare principium alcaloides, amarum, acre, similesque cum emetine effectus in corpore animali producens, in omnibus Violae odoratae partibus, radicibus, foliis, floribus et seminibus reperiundum. Ab emetine non nisi hac in re violine differre videtur, quod principium alcaloides in illa cum acido gallarum, in hac cum acido malico coniunctum sit. Mirum, quod nondum accuratior huius principii disquisitio instituta fuerit.]

VIORNA seu Vitis alba, seu *Fuchsio* Vitis nigra, videtur corrupta vox a *Viburno.* Forte sic dicta, quod propter flexibilitatem, Clematis in modum, omnes adstantes plantas circumliget, vinciatque. Est *Clematis viorna,* foliis compositis, decompositisque, foliolis quibusdam trifidis *Linn.* (Polyandr. Polygyn.). Flammula scandens, flore violaceo clauso *Dill.* Clematis purpurea repens, petalis florum coriaceis *Raii.*

VIPERA quasi *Vivipara,* in regionibus calidioribus, in-

primis Italia, reperitur: est in nostris et Europaeis officinis *Coluber berus,* scutis abdominalibus CXLVI. squamis subcaudalibus XXXIX. *Linn.* (Amphib. Serpent.) longitudine pollices viginti, vel triginta, medio suo corpore crassitiem pollicis adaequans, caput habens pollicaris longitudinis, pellem variegatam, squamis tectam, quam bis in anno exuere solet. Integram non esse venenatam, facile probatur, quia iuscula inde parantur et medicamenta. Trochisci viperini alexipharmaci habebantur, et theriacam Andromachi ingrediebantur. Habet tamen binas vesiculas, in ore circa dentes sitas, liquorem continentes, instar olei amygdalini dulcem, qui per se, vel ori assumtus etiam, non est noxius; sed per morsum huius animalis, mediantibus *telis*, seu dentibus in medio cavis, vel per vascula laesa, communicatus, noxios valde et letales producit effectus. Carni singulares virtutes alexipharmacae, purificantes, nutrientes et restaurantes tribuebantur, hinc tum in iusculo viperino, tum in pulvere, contra lepram, scabiem ferinam, ulcera maligna, tabem, marasmum a quibusdam summopere commendabatur. Axungia, vel pinguedo, contra ophthalmiam laudabatur. Prostabat quoque sal volatile viperarum, vix forte ab aliis salibus huius prosapiae diversum. In Aegypto in usum medicum adhibetur *Coluber vipera,* scutis abdominalibus CXVIII. squamis subcaudalibus XXII. *Linn.* Ge. *Viper, Otter.* Ga. *Vipére.* A. *Viper.* B. *Adder, adderslang.*

VIPERARIA, vide *Scorzonera.*

VIPERINA, vide *Echium.*

VIRGA, vide *Penis.*

VIRGA in vegetabilibus est, quae ex radicibus, aut caudicis lateribus exit: a nonnullis virgae appellatae sunt soboles. Hinc *virgatus* dicitur botanicis *caulis* plantarum ramusculis debilibus inaequalibus constans.

VIRGA AUREA, *Solidago virga aurea,* caule subflexuoso angulato, racemis paniculatis erectis confertis *Linn.* (Syngenes. Polygam. Superfl.) est planta, quae habet caules rectos, rotundos, striatos, firmos, et medulla alba repletos. Folia sunt oblonga, acuta, in margine incisa. Calyx oblongus, imbricatus. Flos est compositus, radiatus. Caulium suprema fastigia floribus abundant, qui in spicas colliguntur, quae rursus in adunatam quasi virgam coniici solent. Sunt flores coloris flavi aurei, calyce tubiformi et multifido comprehensi. His succedunt semina ovato-oblonga, pappo capillari instructa. Radix fibrosa, saporis aromatici. Habitat haec planta in Europae pratis sylvaticis. Qualitatis est sub-balsamicae, eximiisque viribus vulnerariis et diureticis gaudet [Hinc nuper ab Hufelando et Heimio contra calculi dolores commendata est.] Hinc infusum eius in calculo atque laesionibus internis summopere laudatur. Ge. *Gülden Wund-*

kraut, Heiden-Wundkraut, Goldruthe, St. Petersstab. **Ga.** *Verge dorée, consolide saracine.* **A.** *Golden rod, Saracens consound.* **B.** *Heidens wond-kruid, gulde roede.*

VIRGA PASTORIS, vide *Dipsacus.*

VIRGINALE CLAUSTRUM, vide *Hymen.*

VIRGINEUS MORBUS, vide *Chlorosis.*

VIRIDE AERIS, vide *Aerugo.*

VIRIDE MONTANUM, vide *Cuprum, Ochra.*

VIRGULTUM surculus is est, qui terrae committitur, ut in arborem insurgat.

VIROSUS est, in quo *virus,* sive *venenum* est; saepe etiam pro teterrimo et graveolente sapore, aut odore sumitur.

VIRUS est humor fluens, et accipitur quoque pro semine. Venenum etiam significat, saepe *miasma,* hocque sensu dicitur *virus venereum, variolosum* etc., nec non ichores ex ulceribus manantes.

VISCARIA est Lychnidis species, et quidem *Lychnis (viscaria)* petalis integris *Linn.* (Decandr. Pentag.). Lychnis sylvestris viscosa rubra angustifolia *Bauh.* Habitat in Europae septentrionalis pratis siccis. Eius vix in medicina usus est. **Ge.** *Pechnelke, Kleblychnis, Mückenfang, Mädchenröschen.* **Ga.** *Atrape mouches, lychnide visqueuse.* **A.** *Viscous* sive *red catchfly.* **B.** *Vliegenet, keikens, lymerige lychnis.* — Etiam *Muscipula* vocatur, muscas ob foliorum viscositatem irretiens.

VISCERA sunt organa, in cavitatibus maioribus contenta, quae elaborant aliquem humorem in usum publicum et toti corpori inservientem; sic ventriculus et intestina elaborant cibos nutrituros universum corpus; sic cor compingit, comminuit, movet sanguinem, unde postea omnes liquores fiunt et secernuntur etc. Vocantur item *exta, interanea.* **Gr.** *σπλάγχνα, ἔγκατα, ἐγκοίλια.* **Ge.** *Eingeweide.* **Ga.** *Viscères, entrailles.* **A.** *Bowels, entrailes.* **B.** *Ingewanden.*

VISCERALIA vocantur medicamenta, quae visceribus roborandis, ut officio suo expeditius fungantur, dicata sunt.

VISCIDA botanicis dicuntur *folia,* oblinita humore tenaci.

VISCIDUM vocatur humor tenax, concretus, solidis adhaerens, aut difficulter mobilis, per minorem actionem vitalem, spontanea corruptione natus. **Ge.** *Zähe Feuchtigkeit.* **Ga.** *Viscide.*

VISCUM, vel **VISCUS** est plantae genus parasiticum, fruticosum, non nisi aliis variis arboribus innascens, (Dioec. Tetrandr.) cuius variae dantur species. Quae apud nos frequentissime in quercubus et plurimis aliis arboribus provenit, est *Viscus quernus Pharm.* Viscum baccis albis *Bauh.* *Viscum album,* foliis lanceolatis, obtusis, caule dichotomo, spicis axillaribus *Linn.* Crescit ad altitudinem duorum cir-

citer pedem. Caules habet ut plurimum digiti crassitiei, duros, lignosos, compactos, graves, extus coloris fusci, rubri, intus albi, flavescentis. Plurimos germinat ramos lignosos, flexiles, intricatos, cortice viridi obtectos. Folia sunt bina opposita, oblonga, crassa, dura, Buxi foliis satis similia, sed aliquantulum longiora, venosa, coloris viridis flavescentis. Flos, seu potius calyx, est monopetalus, pelviformis, quadrifidus, verrucis conspersus, tanquam apicibus pulverem effundentibus. Ovarium alio a flore loco natum, tenerum, quatuor foliolis succinctum, fit bacca subrotunda, glutine plena, mollis, alba, splendens, foeta semine plano et cordiformi. Per totam hyemem viret haec planta. Nascitur et propagatur ad modum aliarum plantarum parasiticarum e semine quocunque modo in ramos variarum arborum delato, in earumque cortice radices, vix tamen satis conspicuas, ad vegetationem tamen sufficientes, agente. Ligno Visci querni, licet qualitatis tantum sit graveolentis et mucilaginosae, nec nisi viribus inviscantibus pollere videatur, singulares a remotissimis temporibus virtutes nervinae antepilepticae tributae sunt, et adhucdum a quibusdam tribuuntur Datur vel in pulvere, vel in decocto. Sunt, qui viscum corylinum, vel tiliaceum querno praeferendum censeant, vi solidis suffulti rationibus. Baccae drasticae dicuntur. E baccis, vel etiam corticibus aqua maceratis atque contusis extrahitur substantia glutinosa, *Viscum aucuparium* dicta Ge. *Vogelleim*, quae externe applicata viribus resolventibus et emollientibus pollet, doloresque podagricos mitigare dicitur. [Contra epilepsiam, inprimis infantum, aliosque morbos spasmodicos et convulsivos infantum, mulierumque valde efficacem esse, probant experimenta, in Voigtelii *Arzneimittellehre.* Vol. II. sect. 2. p. 244. s. allata: Vid. et Pfünde *observ. de spasmis tonicis Visco albo persanatis.* Jen. 1783.] Gr. ἰξὺς, et ἰξία. Ge. *Mistel, Vogelleim, Ginster.* Ga. *Guy* A. *Missel,* sive *misseltoe.* B. *Mistelboomtje.*

VISITATIO vocatur medici ad aegros ingressus, ut morbos eorum inquirat, iisque diaetam et remedia praescribat. — Dicitur etiam de inspectione officinarum pharmaceuticarum, auctoritate magistratus a physicis urbis instituta, u bona medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum conditio exploretur. — Vocatur sic etiam exploratio gravidarum.

VISUS est sensus, quo ex materiae lucis in retinam san oculi impingentis motu lumen et colores ab anima percipiuntur, vel est mutatio facta in oculis nostris per radios lucis ab obiectis externis reflexos, propagata ad sensorium commune, cuius anima sibi conscia est. Concurrunt ergo ad visum integritas oculi, debita radiorum reflexio et illapsus in retinam, integritas nervi optici et sensorii communis. Gr

ὄψις. Ge. *Gesicht*, *Sehvermögen*. Ga. *Vue*. A. *Seeing*, *sight*. B. *Gezigt*.

VITA est in corpore naturali motus fluidorum per debitos suos canales, ope cuius id corpus evolvitur, nutritur atque conservatur. Hoc sensu etiam plantae *vegetativam vitam* vivere dicuntur, quippe in quibus secundum leges adhaesionis fluida per tubulos moventur, plantamque nutriunt. *Vita* vero *animalis* est is status corporis animalis, in quo fluida, a causa interna, scilicet a corde propulsa, per vasa sua moventur. Hinc *actiones vitales* dicuntur, quae proxime ad hunc fluidorum motum progressivum faciunt, ut pulsus, et in adultis simul respiratio; *vitalia* vero *viscera*, quae his actionibus inserviunt, ut cor et pulmones. Graec. *βίος*, *ζωή*. Ge. *Leben*. Ga. *La vie*. A. *Life*. B. *Leven*.

VITALIA, i. q. *cardiaca*.

VITALIS FACULTAS est ea corporis animalis facultas, qua actiones vitales peraguntur, vel est actio in corpore excitata, qua mediante homo vivit, quaeque peragitur, ipso vel inscio, vel involuntarie; qualis est motus cordis, arteriarum, respiratio, et actio systematis nervosi ex hac parte.

VITALIS INDICATIO est cognitio conditionis morbi et virium vitalium, quae in homine, cui medicinam facit medicus, nunc praesens est, et conclusio inde facta, quae docet delectum opportunorum remediorum, quae vel augendis, minuendis, vel conservandis, aut restituendis viribus vitalibus conducunt pro scopo praesenti requisito; habetur autem cognitio illius conditionis praesertim ex pulsu et respiratione.

VITALIS FOETUS, s. PARTUS medicis dicitur infans, qui non tantum vivus editur, sed ob maiorem etiam integritatem virium, organorum membrorumque perfectionem et soliditatem in vita perfecte potest subsistere, ut septimestris, octimestris etc. *Vivus* vero *partus* dicitur, qui vivus excluditur, et exclusus per aliquot momenta in vita potest subsistere, ob immaturitatem tamen diu vivere, vitamque continuare non valet.

VITEALIS, vide *Helxine Cissampelos*.

VITELLINA BILIS, vide *Bilis*.

VITEX, s. *Agnus castus*, est arbuscula, quae habet ramos longos, flexiles, fractu difficiles, cortice cinereo tectos. Folia sunt longa, angusta, acuta, lanuginosa (Didynam. Angiosp.). Calyx monophyllus quinquedentatus. Flores sunt monopetali, tubulosi, in spicas congesti. His succedit fructus sphaericus, in quatuor loculamenta divisus, continens semina obrotunda, grisea, Coriandrinis fere paria magnitudine, coloris grisei, saporis acris aromatici. Gr. *ἄγνος*, id est, *castus*, item *λύγος*, *vimen*, propter invictam fere ramorum exilitatem, unde forte nomen viticis, a vincio. Vide

Agnus castus. Ge. *Keuschbaum.* Ga. *Agnus castus.* A. *Chaste-tree.* B. *Kuisch-boom.*

VITICELLA, vide *Bryonia.*

VITICULAE non palmites, aut sarmenta sunt, sed flagella, quae vitis modo repentia longe lateque vagantur, ac vicinos frutices nacta sic intricant eos, ut iis perinde, quasi pedamentis, abutantur: vel scandentia suis irretiunt claviculis, quibus quasi digitis adhaerent, quales in Nasturtio indico, Cucurbitis et plerisque aliis similibus inveniuntur. — Aliis *viticulae* sunt stolones proxime ad radicem erumpentes, quae in terram defixae rursus radices agunt, plantasque multiplicant. Ge. *Ableger.* Ga. *Rejetton.*

VITILIGO est macula corymbosa, seu ex minoribus maculis composita, cum depressione cutis, ubique corporis obvia, seu quasvis indiscriminatim corporis partes, non simu omnes, afficiens. Eius variae species sunt. Gr. ἄλφος, ub color est albus, subasper et non continuus, ut quaedan quasi guttae dispersae esse videantur, Morphaea alba Arabum, Alguada Avicennae. [Vide supra *Alphus* p. 73.] Interdum etiam latius et cum quibusdam intermissionibus serpit *Μέλας* colore ab hoc differt, quia niger est, et umbrae similis. Caetera eadem sunt. *Λευκὴ* habet quiddam simil alpho, sed magis albida est, et altius descendit, in eaque al bi pili sunt, et lanugini similes. Omnia haec serpunt, sed i aliis celerius, in aliis tardius. Cutis vulnerata sanguinei non fundit. Refertur quoque huc *vitiligo hepatica, epheli Celsi,* quae distinguitur maculis amplis flavo-nigrescentibus quae non nudas, ut lentigines, sed tectas partes afficiunt ut inguina, dorsum; suntque palmae magnitudine, non rar periodice revertuntur, cuticulaeque levem desquamationei afferunt. *Vitiligo* volunt dici vel a vitio, vel a vitulo, *Fest* teste. Ge. *Weisse Räude.* Ga. *Gratelle blanche, morphé chaleur du foye.* A. *White leprosy.* B. *Quaad zeer, witt schurftheid.*

VITIS est arbuscula, quae habet caulem tortuosum, ol ductum cortice fisso, rubicundo, sarmenta plurima long fragilia, veluti brachia, dimittentem, quibus vicinas arbor et pedamenta apprehendit. Folia sunt ampla, varie lacinia ta, ut ficus, alia maiora profundius incisa, quandoque a pediculum usque in lacinias acutas divisa; alia tenuiora, ali crassiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata, alia a tactum duriora, alia molliora, alia laevia, alia subhirsut Calyx quinquedentatus, minimus. Flos est rosaceus, pe tapetalus, staminibus quinque praeditus (Pentandr. Monog. Ovarium in fundo floris natum, tuba brevi, pilosa instr ctum, fit bacca mollis, pulposa, succulenta, rubra aut alb unilocularis, seminibus plurimis, plerumque quatuor foet Fructus et flores in racemos congeruntur. Provenit in to

orbe temperato. Ex uvis immaturis *syrupus agrestae* conficitur, qualitatis adstringentis. Uvae maturae acido-dulces, simulque lubricantes et sublaxantes sunt. [Folia vitis, acerbo et adstringente sapore praedita, chemice disquisita multum principii scytodepsici et acidum tartaricum continere reperta sunt. Contra diarrhoeas, haemorrhagias cum uteri atonicas, tum alias, catarrhosque chronicos pulvis e foliis vitis, in umbra siccatis paratus, a nonnullis medicis commendatus est.] Vide *Passulae*, *Vinum*. Nomen forte a vinciendo, quod arbores etc. claviculis vinciat, vel quod invitetur ad uvas pariendas. Vel dicitur a vino ferendo. Gr. ἄμπελος, ab ἅμα, *una*, et πηλὸς, *ion.* pro οἶνος, *vinum*, hinc οἰνοφόρος, *vinum gerens:* ab οἶνος, *vinum*, et φέρω, *fero*. Ge. *Weinstock*, *Weinrebe*. Ga. *Vigne*. A. *Wine*, *vine-tree*. B. *Wyn-stok*.

VITIS IDAEA est species *Vaccinii* (Octandr. Monogyn.). *Vaccinium vitis idaea* racemis terminalibus nutantibus, foliis obovatis, revolutis integerrimis, subtus punctatis *Linn.* Vitis idaea foliis subrotundis, non crenatis, baccis rubris *Bauh.* Planta fruticosa, quae habet ramos tenues, cortice viridi obductos. Folia sunt oblonga, ampla, in margine nonnunquam leviter incisa, saporis adstringentis. Flores monopetali, campaniformes, globoso ovario innati, coloris albi, subrubicundi. Flori succedit fructus mollis, seu bacca umbilicata, succo plena, iuniperino fere similis, magnitudine Pisi, rubra, sapore adstringenti acido, cui grana immerguntur multa, parva, lutea. Radix lignosa, tenuis, repens. Baccis qualitas refrigerans et attenuans est, hinc in febrium aestu commendantur. Condita cibi loco adhibentur. Proveniunt abunde in sylvis Europae. Ge. *Kronsbeeren*, *Preuselsbeeren*, *Grandenbeeren*. Ga. *Airelle rouge*, sive *ponctuée*. A. *Red whorts*, *whort le berries*. B. *Myrtil*, *roode kraakbessen*, *vosse bessen*.

VITIS ALBA, seu **VITALBA** contracta voce, dicitur non modo, quod vitem sativam foliis utriculisque referat, verum etiam, quod fructum in exiguae uvae similitudinem, acinis licet raris confirmatum, producat. Vide *Bryonia* et *Clematis viorna*.

VITIS NIGRA, Gr. ἄμπελος μέλαινα, nigra dicitur vitis a radice nigra, et quod vitis similitudinem obtineat.

VITREA TABULA, vide *Diploë*.

VITREUS HUMOR, vide *Humores oculi*.

VITRIFICATIO est operatio chymica, qua silices contusi, metalla, vel cineres, ope vehementissimi ignis in substantiam vitream reducuntur. Ge. *Verglasung*. Ga. A. *Vitrification*.

VITRIOLUM est substantia mineralis salina, nata ex connubio *acidi* gravissimi, quod universale, catholicum, vel

etiam *vitriolicum* dicitur, et quarundam partium metallicarum, formans crystallos rhomboidales, in igne cum spuma liquescens, tum in substantiam siccam pulverulentam abiens, in sedecim aquae partibus solubilis, saporis austeri, nauseosi. Varia sunt eius genera, pro indole minerae, quam in se continent, differentia; praecipua autem, quorum hoc tempore est existimatio, sunt primo *caeruleum*, sapphiri instar, compactum, ut saccharum candum, tactu siccum, *Hungaricum* vocant; vel *Cyprium*, aut Gallicum ex agro Lugdunensi. Est hoc *vitriolum cupri* caeruleum nativum *Wall.* [Hodie appellatur *cuprum sulphuricum*, sive *sulphas cupri*. Ga. *Sulfate de cuivre.* Ge. *Schwefelsaures Kupfer.* Venale solet nunquam a ferro penitus liberum esse.] *Vitriolum cyprium* cupri caeruleum dodecaëdron *Linn.* Secundo *subviride*, herbacei coloris, magis granulatum, grumosumque instar salis communis, paulum unctuosum, manuique tangentis adhaerens, quale *Goslariense*, *Suecicum* etc. Scilicet *vitriolum ferri* viride nativum *Wall.* *Vitriolum martis* viride hexaëdrum *Linn.* quod passim e pyritis et fodinis ferri extrahitur. [Vocatur nunc *ferrum sulphuricum*, sive *sulphas ferricus.* Ga. *Sulfate de fer.* Ge. *Schwefelsaures Eisen.*] Tertio *album*, in formam parvulorum panum effictum, tactu siccum. Est hoc *vitriolum zinci* album nativum *Wall.* *Vitriolum album* dodecaëdrum prismaticum *Linn.* [Recentioribus *zincum sulphuricum* sive *sulphas zinci* audit. Ga. *Sulfate de zinc.* Ge. *Schwefelsaurer Zink.*] *Caeruleum* de cupro participat, *viride* autem de ferro, *album* de zinco et plumbo. Vitriola sunt vel nativa, sive fossilia, vel artificialia, sive factitia; nativa varia reperiuntur, alia ex ferro, quae colore viridi praestant, ex aere alia, quae caerulea plerumque amoenitate commendantur; caetera metalla vix soluta in fodinis apparent, quia illorum solventia, nitri acida, vel marini salis spiritus, rarissime reperiuntur in fodinis; unde auri, argenti vivi, plumbi, stanni, succi soluti, vel concreti, nunquam fere aut raro tantum inveniuntur. Omne ergo fossile vitriolum, quod erutum hactenus, ex solo ferro, aere aut zinco habetur. Solvens martis et veneris idem *acidum*, scilicet *vitriolicum*, igne violento inde separatur titulo *spiritus*, aut *olei vitrioli*, quod etiam ex alumine et sulphure obtineri potest. Factitia fiunt vitriola, quoties sales acidi, inprimis vitriolicum, metallis, quae solverunt, adhaerent, et in salinam formam cum iis concrescunt. Vitriolorum usus, praeter oeconomicum et tinctorium, in medicina amplissimus est. Praeter enim acidum contentum etiam pro diversa indole metalli coniuncti viribus coagulantibus, vomitoriis, cathaereticis, adstringentibus et obtundentibus pollent, et pro varia praeparatione diversos admodum effectus exserunt. Spiritus, vel acidum vitrioli potentissime putredini sanguinis resistit.

Adiecto spiritu inflammabili dulcificatum, vel in aetherem, naphtham, vel aquam Rabelianam mutatum, carminativum, temperans et subadstringens evadit. *Colcothar*, seu metallum et terra post abactum [vehementissimo igne] acidum remanens, exsiccans est, septica et subadstringens. [In vitrioli fodinis, v. c. Goslariae, post acidi sulphurici e vitrioli minera destillationem, aut post minerae vitrioli elixivationem obtinetur. Nomen germanicum est *Braunroth*.] Hinc plurima prostant in officinis e vitriolis praeparata medicamenta. Gr. *χάλκανθον*. Arab. *Concantum, Calcant, Alcalcadis*. Ge. *Vitriol, Kupferroth*, [*Kupferwasser* olim vocabatur ferrum sulphuricum, quoniam illud ex aquis sulphatem cupricum continentibus (*Caementwasser*), quae in fodinis cupriferis e solutione cupri generantur, praecipitato omni cupro obtinebatur.] Ga. *Vitriol*. A. *Copperas*. B. *Vitriool, koperrood*. — *Vitriolum* nomen accepisse videtur a vitro, quia vitrum aliquatenus, modo purum fuerit, refert.

VITRUM ANTIMONII, vide *Antimonium*.

VITRUM RUTHENICUM, vide *Selenites*.

VITRUM SATURNI est substantia vitro similis, quae nascitur, dum *lithargyrium*, ad nimiam eius penetrabilitatem minuendam, cum subtripla silicum, vel arenae portione funditur. Usus est docimasticus. Ge. *Bleiglas*.

VITTA [apud Romanos vocabatur fascia, qua crines vel serta circum capita religabantur; a recentioribus autem anatomicis] pars tunicae amnios dicta est, quae capiti infantis foeminini, cum in lucem prodiit, adhaeret; nam in masculis *galea* appellatur. Vide *Galea*. Ge. *Helm*.

VIVIPARA vocantur animalia, quae foetus vivos pariunt, distinguuntur que ab oviparis, quorum foetus ex ovis, extra corpus depositis et fotis, prodeunt.

VLCERATIO, vide *Exulceratio*.

VLCUS est solutio continui, successive facta, a materia erodente ortum ducens, in mollibus corporis partibus, cum imminuta magnitudine, vel iactura substantiae, et humoris cuiusdam corrupti effluxu, quo partes solidae ulceri iunctae roduntur. Differt igitur a vulnere, quod ibi sit solutio recens et cruenta, hic vero plerumque purulenta, ichorosa, ibi sit causa solvens illico, et externa, laedens; hic autem causa lentius solvat, interna, et erodens inveniatur; vulnus igitur antiquum et purulentum erit ulcus. Plerumque autem oritur a causa interna, et confluentibus ad partem quandam acribus humoribus, quae cutis vasa corrodunt; unde plerumque ichor tenuis effluit, pro cuius maiori minorive acrimonia variae eius nascuntur differentiae, hinc diversa etiam accepit epitheta. Gr. *ἕλκος*. Ge. *Ein Geschwür, Eiterstock, Eiterbeule*. Ga. *Ulcère*. A. *Sore, ulcer*. B. *Een zweer, zweering*.

[**VLE**, gr. *οὐλή*, *cicatrix*, ab *οὖλος*, *integer, sanus*. Be-

nedict (*Augenheilk.* Th. III. p. 226.) male voci notionem *tuberis, ulceris* tribuit. Denotat autem *ule* eam corneae obscurationem, quae ab ulcere corneae sanato et cicatricem relinquente pendet. Ge. *Reine Hornhautnarbe.*]

[VLITIS est gingivae inflammatio. Ab οὖλον, *gingiva.* Ruf. Ephes. *de part. c. h.* p. 49. τὰ δὲ περὶ τούτους (ὀδόντας) περιέποντα σαρκία, οὖλα. Anon. *introd. in anat.* p. 127. τὸ δὲ πολυφυὲς (τοῦ στόματος) οὖλον. Σαρκικὰ δὲ ταῦτα· ἐντὸς δ' ὀδόντες ὀστέϊνοι,]

VLMARIA, *Pharm. Barba caprae* floribus compactis *Bauh. Spiraea ulmaria*, foliis pinnatis, impari maiore lobato, floribus cymosis *Linn.* (Icosandr. Pentagyn.) est planta, quae habet caulem tres pedes circiter altum, rectum, angulosum, ramosum, excavatum, coloris rubicundi, purpurascentis. Folia sunt oblonga, in margine incisa, rugosa, et superius viridia instar Ulmi, inferius alba. Calyx monophyllus, semiquinquefidus. Flores sunt parvi, rosacei, pentapetali, in racemos congesti, odoris grati. Pistillum floris fit fructus, ex plurimis vaginulis membranaceis intortis, et in capitulum congestis, compositus, semineque foetus ut plurimum singulari et exiguo. Radix digiti crassitiei est, odora, extus nigra, rubro-fusca intus, plurimis fibris rubris instructa. Crescit locis udis iuxta flumina et similia loca. Qualitatis est substypticae et fragrantis, viribusque adstringentibus et diaphoreticis gaudet. Datur in infuso: prostat etiam aqua destillata. Planta a pecoribus vix tangitur. Nomen habet ob Ulmi foliorum similitudinem: alias *regina* vocatur *prati*, idque quia ob folia explicata, ut et flosculos nitidos, caput inter prata extollit. Ge. *Geissbart, Medefuss, Geissfuss, Wiesenkönigin.* Ga. *Reine des prés, barbe de chevre, l'ormiére.* A. *Meadow-sweet, queen of the meadows.* B. *Reinette, geiten-haard.*

[VLMINE appellatur materia quaedam peculiaris, in humo, terra bituminosa, ulmis aliisque arboribus putrescentibus reperiunda, multumque similitudinis habet cum principio scytodepsico et acido gallarum. Sprengelius Gottingensis, qui de ulmine copiosissime exposuit in Kastneri *Arch.* VII. 163. et VIII., illam acidae naturae esse contendit, quamquam colore, conditione, qua in crystallos cogi nequeat, aliisque rationibus multum ab omnibus acidis vegetabilibus recedit. A Vauquelino in succo indurato, e cortice Ulmi campestris exsudato, detectum principium *ulmines* nomen accepit. Fechnerus (*Rep. d. org. Chem.* I. 2. *p.* 620—628.) de ulmine copiose egit. Cons. supra *Humus.* Ge. *Ulmin, Moderstoff Humussäure.*]

VLMUS, *Ulmus campestris* et *Theophrasti Bauh. Ulmus campestris* foliis duplicato-serratis, basi inaequalibus *Linn.* (Pentandr. Digyn.) est arbor valde procera, valde ramosa,

cuius truncus est crassus, cortice fisso, aspero, flexili obductus, extus coloris cinerei, intus albidi; lignum durum, flavum. Folia sunt satis ampla, rugosa, venosa, oblonga, in margine incisa, acuta. Calyx est monophyllus, turbinatus, quinquefidus, persistens, interne coloratus; corolla nulla. Pistillum in centro floris fit fructus membranaceus, seu foliaceus, veluti cordiformis, in cuius meditullio capsula pyriformis posita est, membranacea pariter, semine foeta eiusdem formae. Haec arbor frequenter satis in pagis Europae crescit. Foliorum decoctum vi adstringente pollet et vulneraria. Cortex medius, qualitatis mucilaginosae, aqua salsa decoctus in doloribus arthriticis et ascite prodesse dicitur. Alia quoque *Ulmi* species apud nos vulgaris est, quae *sativa* dicitur, foliis ovatis acuminatis, duplicato-serratis, basi inaequalibus. Gr. *πτελέα*. Ge. *Kleinblätterige Ulme, oder Rüster*. Ga. *Ypreau*. A. *The small leaved elm*. — Eius semen *Samera* vocatur. Putatur dici, quia si viminibus salicis, aut ulmi ligaveris, increscens vitis se ipsam praecidit. Quidam dici putant ab uligine, quia circa uliginosa loca crescit. Vel ab *ὕλη*, *materia*, quia fabris lignariis materiem praebet. Ge. *Ulmenbaum, Ilme, Ypern, breitblättrige Rüster, Rüstbaum, Essenbaum*. Ga. *Orme, ormeau*. A. *Elm-tree*. B. *Olm-boom, ypen-boom*.

VLNA, *focile maius*. Gr. *πῆχυς, προπήχιον*, est os cylindricum inter brachium et carpum, hinc in partem superiorem, inferiorem et mediam, vel corpus, dividitur. Parte superiori cum humero per *γίγγλυμον* articulatur; ideo habet ibidem processus et sinus. Processus sunt duo oblongi, et quasi triangulares, asperi, ut ligamenta articulum valide ambiant. Anterior et superior minor, qui *coronoides* appellatur, humeri sinum subit, posterior crassior, amplior, gibbus, inaequalis, in obtusum angulum desinit, et humeri sinum posteriorem subit. Vocat *Galenus ὠλέκρανον, Hippocrates ἀγκῶνα*, Latini *gibberum*. In medio horum est magnus sinus, seu cavitas, instar semicirculi, unde dicitur *σιγμοειδής*; habet adhuc alium sinum laevem externum, lateralem, pro radii capite. Parte inferiore abit in capitulum, in margine gibbum, laevi cartilagine obductum; connectitur cum carpo tum per mediam cartilaginem, tum per processum acutum, ideoque styloidem dictum; unde ligamentum oritur, cubitum carpi articulo firmans. Pars media, vel corpus, plures musculos extensores et flexores fulcit, et praeterea per ligamentum interosseum radio adnectitur. Ge. *Kleine Röhre am Arm*. Ga. *Os du coude*. A. *The elbow*. B. *De elle pyp*.

VLNARIS MUSCULUS, vide *Cubitaeus*.

[**VLNARIS NERVUS** sive **CUBITALIS** oritur una cum nervo cutaneo interiore et nervo cutaneo medio maximam partem a nervo cervicali octavo et a nervo dorsali primo;

contribuit quoque nonnihil nervus cervicalis septimus. Tandem ad carpum dividitur in ramum dorsalem et volarem.]

VLTRAMARINUM est pigmentum pretiosum caeruleum, quod praeparatur ex *lapide lazuli*, aliquoties ignito et in spiritu vini extincto, tum in tenuissimum pulverem trito, et maioris splendoris causa, cum massa resinosa, tumque aqua subacto, et lixivio alcalino, tumque rursus aqua abluto. Usus est pictorius. Nomen habere creditur, vel quod primum ultra mare ex India ad nos adlatum sit, vel quod undas maris colore superet. Eius mentionem primus fecit *Alexius Pedemontanus*. Ge. *Ultramarin*. Ga. *Outremer*.

VLVA est herba palustris habens fructificationes in membrana vesiculari, absque fronde, (Cryptogam. Alg.) Dicitur forte ab uliginosis, seu aquosis locis, in quibus reperitur. Ge. *Wassermoos*. Ga. *Feuille de mer*. A. *Sea grass, sedge*. B. *Zee mos, wier*.

VMBELLA est floris, seminisve pedamentum, in plures digestum longiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuo radiantur, singulique vel florem, vel semen sustinent, in orbem circumactum. Graeci hunc floris habitum σκιάδιον, Latini vero, quoniam umbellae, qua mulieres vultum vindicant a sole, et aestum arcent, circinatam effigiem gerit, umbellam dixerunt. Hinc plantae dicuntur *umbellatae*, vel *umbelliferae*, quae flores sic dispositos ferunt. Est vero *umbella* vel *simplex*, pedunculis omnibus ex uno eodemque receptaculo ortis; *composita*, omnibus pedunculis apice umbellulas gerentibus; *universalis*, ex pluribus simplicibus composita; *partialis*, umbellula, pars universalis; *prolifera*, umbella plus quam decomposita. Alii tamen notas proprias plantarum umbellatarum ponunt tantum in ipso flore rosaceo, sive circinato, sive aliter disposito, modo calyx abeat in duo semina sibi invicem adhaerescentia, dum viridia sunt, sed disiuncta, cum ad maturitatem pervenerint, ut in *Angelica, Aniso*, *Foeniculo* etc., fieri solet. Ge. *Schirmtragende Pflanzen*, *Dolden*. Ga. *Fleurs en parasol*.

VMBILICALIS FUNICULUS continet praeter urachum, vix in hominibus apertum, tria notabilia vasa sanguinea, ductu tortuoso decurrentia, duas scilicet arterias, venarum instar tenues, atque unam venam, cuius diameter ad minimum uniuscuiusque arteriae duplum est; insuper corpore spongioso, seu celluloso, quod ipsis tutum transitum praebet, componitur. Hoc corpus spongiosum, subcartilagineum, satis mobile et non facile comprimendum, membrana cum amnio placentae continua succinctum est, sub qua infinitarum cellularum compages se prodit, in quibus humor pellucidus, viscosus, magna copia reperitur; quo continuo affluente, huius funiculi flexibilitas, quae foetus motui obsequi debet, conservatur, et a cuius maiori minorive quantitate crassities, ve

tenuitas huius partis dependet. In huius funiculi umbilicalis longitudine, quae homini, quam ulli bestiae, maior est, a sedecim ad viginti quatuor pollices, conspiciuntur aliquot quasi varices, sive vesiculae sanguine plenae, nodorum similitudinem habentes, ex quorum numero et situ varia superstitiosa credulae obstetrices divinare solent. Valvulis quidem hi nodi tribui non possunt, cum nullae adsint, omnisque materia his vasis iniecta facile utrumque iter percurrat, et in foetum, vel in placentam subeat. Videntur ergo nodi, ut spirae, effectus esse sanguinis cum impetu impulsi, neque iter liberum reperientis. Huius funiculi crassities circumcirca digitalis est, aliquando tamen tenuior, vel crassior. Vide *Funiculus umbilicalis,* et *Vasa umbilicalia.* [Ruf. Eph. *l. c. p.* 45. falso funiculum umbilicalem e duabus arteriis, totidemque venis et uracho compositum esse putat.] Ge. *Nabelschnur, Nabelstrang.* Ga. *Cordon umbilical.* A. *Navelstring.* B. *Navelstreng.*

VMBILICUS, *umbo*, Gr. ὄμφαλος, *ῥίζα γαστρὸς Aristoteli* est umbo in medio abdominis situs, cui in foetu funiculus umbilicalis coniungebatur, qui post partum abscinditur, unde exsiccatus post quintum diem sponte decidit, et cum integumentis concrescit. Regio ad manum transversam undique circa umbilicum *regio umbilicalis* dicitur. Ge. *Der Nabel.* Ga. *Le nombril.* A. *The navel.* B. *De navel.*

VMBILICUS id in fructibus est, quod in iis medium vel prominet, vel conditur; et cui antea calyx deciduus insedit; hinc huiusmodi *fructus umbilicati* dicuntur.

VMBILICUS MARINUS s. **VENERIS** est operculum, planum, ab una parte rubrum, ab altera fuscum, formam umbilici habens, cochleae marinae umbilicatae striatae in mediterraneo mari habitantis, [cui nomen *Turbo cochlus.*] Qualitatis est terreo-calcareae, viribusque absorbentibus pollet. Nullius in medicina hodie usus est. Ge. *Meerbohnen.* Ga. *Nombril marin.* A. *Sea-navel.* B. *Zee-navel.*

VMBILICUS TERRAE, vide *Cyclamen.*

VMBILICUS VENERIS et caeterae herbae, quae *umbilici* nomen ferunt, dicuntur sic a foliorum similitudine cum umbilico humano. Plerumque vero hoc sub nomine intelligitur Cotyledon foliis peltatis *Roy.* Cotyledon luteum, umbilicatum, spicatum, radice repente maius *Moris.* *Cotyledon umbilicus veneris* foliis cucullato peltatis, serrato-dentatis alternis, caule ramoso, floribus erectis *Linn.* (Decandr. Pentagyn.). Calyx est monophyllus, semiquinquefidus, minimus; corolla campanulato-tubulata, semiquinquefida, laciniis revolutis; capsulae quinque, oblongae, ventricosae, acuminatae, univalves, longitudinaliter introrsum dehiscentes; semina plurima, parva. Folia sunt rotunda, peltata, concava, crassa, succulenta. Contusa et applicata viribus

refrigerantibus et resolventibus gaudent. Ge. *Gemeines Nabelkraut.* Ga. *Nombril de Venus, cotylier ombiliqué, escudes.* A. *Navelwort, kidneywort, wall pennywort.* B. *Venus navel kruid.*

VNCIA est duodecima pars librae medicinalis; continet uncia drachmas octo. Gr. *ὀγκία.* Ge. *Eine Unze, zwei Loth.* Ga. *Once.* A. *Ounce.* B. *Een once, twee lood.*

VNCUS idem quod *hamus* et *hamulus.* Inprimis hamus, in arte obstetricia ad foetum extrahendum adhibendus, ita vocatur. Ge. *Haken.* Ga. *Crochet.*

VNDEMIA, i. q. *oedema.*

VNDOSUS PULSUS est pulsus tardus, mollis et magnus, in quo tamen arteria tota simul non videtur attolli, sed inaequaliter, plus in una, quam in alia parte, motu vero continuato instar aquae fluctuantis progrediens. Hic pulsus denotat morbos nimio humore corpus irrigantes, febres scilicet quotidianas, et continuas has, quae perpetuis sudoribus hominem labefactant, itemque leucophlegmatiam. Tum in hisce febribus, tum etiam in aliis, sudorem antecedit indicialem, si quidem plures sunt ictus alti et vehementes, notaeque concoctionis cernuntur. Ge. *Der wellenförmige Puls.* Ga. *Pous ondoyant.* B. *Golfagtige ader-slag.*

VNEDO putatur esse *Mespilus;* quidam tamen illud nomen *Arbuto* attribuunt. Gr. *ἐπιμηλὶς*, quae etiam ab Italis rusticis vocatur *unedo,* estque quasi Malus sylvestris, inde nomen habens, quod plures edi non possunt. Est Arbutus folio serrato *Bauh.* *Arbutus unedo,* caule arboreo, foliis glabris serratis, baccis polyspermis, tuberculis seminum exasperatis *Linn.* (Decandr. Monogyn.). Calyx est quinquepartitus, obtusus, persistens; corolla monopetala, ovata quinquefida; bacca subrotunda, quinquelocularis, polysperma. Habitat in sylvis Europae australioris. Folia et fructus viribus adstringentibus pollent. Ge. *Erdbeerbaum, Meerkirschenbaum, Hagapfelbaum.* Ga. *Arbousier commun.* A. *Strawberry-tree.*

VNGARICUS MORBUS, sive **HUNGARICUS** est species febris epidemiae malignae, plerumque cum nimio capitis dolore, delirio, aut angina periculosissima invadens aliquando cum petechiis, sive maculis pulicaribus. Vide *Febris hungarica.* [Vid. Gruneri *antiq. morb. p.* 120. qui Dan. Sennerto, adserenti, Hippocratem iam huius febris mentionem iniecisse, accedere videtur. Anno cIↄIↄLXVI, quo milites in Hungaria hac febre corripiebantur, morbus iste medicorum Europae attentionem movit.]

VNGUENTUM, ab *ungere* est medicamentum externum quod consistentiam linimento paulo crassiorem habet, et pro vario fine ex variis ingredientibus constat; cuique varia ad curandos morbos internos saepe admiscentur. Vocatur etiam

Unguen Plin. Gr. Ἄλειμμα et Ἄλειφαρ. Ge. *Salbe.* Ga. *Onguent.* A. *Ointment.* B. *Zalf.*

VNGUICULI, i. q. *alabastri.*

VNGUIS, Gr. ὄνυξ, est pars corporis animalis, epidermidi continua, flexilis, alba, dura, digitos ab externis iniuriis defendens, et quodammodo exornans, et attactum firmans, eorum extremitati dorsali imposita. Radix eius ligamento cuidam iungitur, et ob vicinos adsitosque ei nervos sensilis est. Constitui videtur ex collectione papillarum cutanearum, dense sibi invicem adhaerentium et in longitudinem excurrentium. Omni sensu per se caret, qui tamen intra eum, et circa ipsius radicem est exquisitissimus; mollis est in parte cute tecta, sed ubi nudus aëri exponitur, firmior et solidior; abscissa ex similis materiae penu continuo renascitur et anterius protruditur. *Apices* unguium sunt, qui ultra carnem exseruntur, ἀκρωνυχίαι, sive extremitates; partes, quae praeciduntur, *segmina unguium* dicuntur; partes sub ungue, κρυπτὰ, pars alba et semilunaris radici proxima, *lunula*, ἀνατολή, sive exortus, et ἄργεμος, ab albedine: ipsa initia eorum cuti adnata, ῥιζώνυχες, unguium *radices* vocantur; latera ῥᾶγες καὶ κορυφαὶ, rima et vertices; anguli, γονίαι, maculae albae, νεφέλια, nubeculae et cicatrices albae. Vide *Pterygium.* Ge. *Ein Nagel an Händen und Füssen.* Ga. *Ongle.* A. *A nail.* B. *Nagelen.* — *Unguis* etiam dicitur abscessus inter lamellas corneae. [Hac in re errat Blancard. Nam sub pterygio intelligenda est excrescentia alba, variae crassitudinis, unde a Beerio (*Augenkrankh. II. p.* 636.) in *tenue* et *crassum* distinguitur, quae corneam oculi ex parte obtegit, et non nisi admodum raro cum ulcusculo coniuncta est. Quare non debet id, quod raro morbo huic accidit, ad naturam eius referri. A. *Web.* Ga. *Taye, ongle* sive *onglet de l'oeil.* Ge. *Fell auf dem Auge, Flügelfell.*]

VNGUIS ODORATUS, vide *Blatta byzantia.*

VNGUIS OS est ossiculum maxillae superioris tenue, planum, in cantho oculi maiore situm, quod ad orbitae cavum constituendum concurrit, et sinum habet, qui in canalem nasalem ducit. Ge. *Nagelbeinchen, Thränenbein.* Ga. *L'os unguis.* B. *Nagel beentje, traan beentje.*

VNGUES in rosis et foliatis floribus intellexerunt veteres imas suorum foliorum partes, quibus in capite suo cohaerent, decoloresque dependent, vel unguis infima pars foliorum Rosae alba appellatur. In genere nunc botanicis dicitur *unguis* corollae polypetalae pars inferior, receptaculo affixa. Mensura vero *unguicularis* iis est, quae longitudine unguem humanum aequant.

VNGULA est substantia cornea, extremitati pedum animalium quadrupedum, aut solidipedum, (Mononyches) aut bisulcorum (Dyonyches) adnata, et firmiori incessui inser-

viens. Qualitatis est terreo-gelatinosae. Singulares tamen ei virtutes antepilepticas, et praecipue *ungulae alcis,* tribuit credulitas. [Chemica analysis in ungula equina easdem partes constitutivas invenit, quae cornubus insunt, hoc uno excepto, quod ab ungula equi acidi galactici praesentia absit. In centum autem cornuum partibus Iohnius destillationis ope deprehendit pinguedinis odoriferae 1, materiae animalis, per principium scytodepsicum praecipitandae 8, substantiae corneae 90, acidi galactici liberi, variorumque salium, cum ex illo, tum ex aliis acidis et kali atque calce compositorum, ferrique 1.] Ge. *Der Huf.* Ga. *La corne, le sabot, l'ongle.*

VNGULA, ὄνυξ *Hippocr.* est uncinus, seu hamus, educendo mortuo foetui comparatus. Embryorectes *Tertulliano* dicitur lib. de Anima [c. 25.], nisi placeat eo loco reponere ex *Galeno* ἐμβρυοθλάστης, sic enim ille nominat, aut ἐμβρυουλκὸς, qua voce *Hippocrates* utitur, a quo idem instrumentum etiam ἑλκυστὴρ, item *πίεστρον,* lib. de mulieribus, et ἰχθύη dicitur. [ὄνυξ Hippocrati (*de superfoet. p.* 462. *sq. to. I. ed. Lips.*) est instrumentum e ferro fabrefactum, quod pollici manus obstetricantis medici, ut unguis digito, applicatum, ad dissolvenda foetus mortui, nec naturali modo ex utero expellendi, membra, minime autem ad extrahendum foetum, adhibebatur. Posteriori usui inserviebat ἐμβρυουλκὸς. Paul. Aeg. *lib.* 6. *c.* 74. *p. m.* 203. aut ἑλκυστὴρ. Hippocr. *de mul. morb. I. p.* 702. *to. II. ed. Lips.* Blancardi coniecturam, qua in Tertulliano pro embryorecte embryothlasten scribi cupit, equidem non omnino probaverim. Ἐμβρυορήκτης enim potest quoque instrumentum significare, quo embryonis membra confringi possunt. Ad Hippocratis *l. c.* respicit Galenus in *gloss. Hippocr.* s. v. ἰχθύην· ῥίνης θαλαττίας δέρμα ξηρόν. *Δύναται δὲ καὶ τὸν σιδηροῦν ὄνυχα δηλοῦν, ᾧπερ εἰς τὰς ἐμβρυοτομίας χρώμεθα διὰ τὴν πρὸς τὰς λεπίδας τῶν ἰχθύων ὁμοιότητα,* in quibus verbis Spohn. *de extrem. Odyss. parte.* Lips. 1816. p. 134. pro *εἰς* legi frustra malebat *περὶ.* Nam *χρᾶσθαί τινι εἴς τι* saepius apud Xenophontem occurrit, cuius loquendi formulae exempla e Xenophonte collegit Sturzius in *lex. Xenoph.*] Ge. *Haken.* Ga. *Un crochet.*

VNGULA CABALLINA est *Tussilago* seu *Farfara.* Sic dicta scilicet, quod istius plantae folia equinae ungulae persimilia sint. Vide *Tussilago.*

VNGULA OCULI, i. q. *pterygium.*

VNICORNU: credebatur olim cornu esse unicum in fronte animalis quadrupedis ingentis nascens; eique singulares virtutes antepilepticae et cordiales tribuebantur. At rectius hodie scitur, nullibi repertum esse huiusmodi animal quadrupes, admodumque dubiam eius hucusque esse existentiam. Quod passim a curiosis asservatur, aut in officinis sub nomine *unicornu veri* prostat cornu durissimum, album, prae-

longum atque spirale, *unicornu marinum* est, dens scilicet, vel cornu, animalis marini, *Narhwal,* ad cetacea pertinentis, in Oceano septentrionali habitantis, quod est *Monoceros piscis Will. Monodon monoceros Linn.* Spiraculis supra caput; pinnis pectoralibus, caudalique horizontalibus absque unguibus; dente in maxilla superiore exserto, praelongo, recto; fistula in vertice. Hoc cornu qualitatis est insipidae, inodorae, terreo-gelatinosae; hinc, licet antiquiora quaedam remedia antepileptica ingrediatur, vix tamen alias, quam absorbentes et demulcentes, vires possidet. [Nunc scimus, hunc monodontem in maxilla superiore duos dentes admodum longos, interdum octodecim pedum superantes longitudinem, rectos et spiraliter contortos in iuvenili possidere aetate, quorum tamen alteruter plerumque procedente aetate excidere solet.] Gr. *μονόκερως*. Ge. *Einhorn, Narhwal, Seeeinhorn, Zweizahn.* Ga. *Unicorne,* vulgo *Licorne de mer.* A. *Sea unicorn.* B. *Eenhoorn.*

VNICORNU FOSSILE, EBUR FOSSILE: hoc sub nomine hodie intelliguntur ossa quorumcunque animalium, casu in terram demersa, et per diuturnitatem temporis in substantiam calcaream mutata. Reperiuntur passim, at plurima in Sibiria, Russis *Momotovakost* dicta. Qualitatis sunt substypticae et absorbentis. [Synonyma sunt *Spodium fossile, Zoolithus, Trichechi rosmari.* Copiose de illo egit Schröter in *Litholog. Lex.*] Ge. *Gegraben Einhorn.* Ga. *Unicorne fossile.*

VNIFLORA dicitur *gluma,* vel calyx graminis, unicum florem amplectens.

VNILABIATUS dicitur *flos,* vel corolla monopetala ringens, cui labium superius deest; ut in Teucriis videtur.

VNILATERALIS vocatur *racemus,* in quo flores omnes ad alterum latus inserti sunt.

UNIVALVIS est *gluma* unica constans squama; *Spatha univalvis,* uno latere dehiscens.

UNIVERSALE dicitur *involucrum,* umbellae universali subiectum. Vide *Umbella.*

UNIO, seu **MARGARITA,** aut **PERLA** est concrementum calcareum, in Ostreis, Myis, Mytulis et forte aliis conchis nascens. Ob vires insignes olim valde laudabatur. Sed si res intimius inspiciatur, acidum tantum temperant, uti et mater perlarum et omnia conchylia faciunt. Vide *Margarita.*

VOLA est postbrachialis pars interna manuum, *palma* dicta, Gr. *δῶρον,* [Poll. onom. II. 157. *δῶρον* inter mensuras refert, quae a manu desumuntur. Eustath. in Homer. p. 450. *ὄνομα μέτρον, ὅ ἐστι τὸ τρίτον τῆς σπιθαμῆς,* significare *δῶρον* ait.] *Κοῖλον χειρὸς,* [*κοιλότης τῆς χειρὸς,*] *θέναρ,* [Non tota vola hoc nomine insignitur, sed, teste

Poll. *onom.* II. 143. *τὸ ἔνδοθεν τῆς χειρὸς σαρκῶδες, ἀπ τοῦ μεγάλου δακτύλου μέχρι τοῦ λιχανοῦ.* Alii tamen alite vocis notionem definiunt, v. c. Ruf. Eph. *p.* 50.] *Pinc Schol.* Item *Vola* est concavitas pedis, Gr. *κοτύλη*, [qui *κοτύλη* sit, exposuit Ruf. Ephes. p. 32. *τῶν λαγόνω κοιλότητες, κοτύλαι.* Poll. *onom.* II. 185. *κοτύλας ἂν εἴποι τὰς τῶν περὶ τοῖς ἰσχίοις ὀστῶν κοιλότητας, ᾗ τῇ κεφαλ τῶν μηρῶν εἰσιν ἐνηρμοσμέναι.* Quae longe absunt a vol pedis.] *Κοῖλον ποδός.* Ge. *Die Höhle an der Hand* odc *Fuss.* Ga. *La paume de la main.* A. *The palm* sive *th hand.* B. *Het hol van de voet, palm van de hand.* Vid *Thenar.*

VOLATICA, i. q. *lichen.*

VOLATILIA sunt, quae ad minimum calorem facile avo lant et hinc in destillatione, vel sublimatione ante ipsa partem aquosam aufugiunt; uti sunt omnes spiritus et sali volatilia, mercurius etc. Hinc *volatilisatio* dicitur muta tio corporis, quod ignis vim eludit, in eum statum, ut, me diocri calore accedente, sublime petat, vel avolet.

VOLSELLA, seu **VULSELLA** et **ACANTHOBOLU** [*ἀκανθοβόλος* apud Paul. Aegin. 6,32 pro instrumento chirur gico occurrit, quo spinae aliaque corpora peregrina e cor pore nostro eximi possunt.] Gr. *μαδιστήριον*, [i. e. volsella pilis evellendis destinata,] *τριχολαβὶς, τριχολάβιον*, est in strumentum, quo pilos prehensos radicitus e corpore exstir pant; seu forceps chirurgica, quae pro vario usu varia form est. Ge. *Kornzängchen, Rupfzängchen.* Ga. *Pincette.* A. *A pair of pincers.* B. *Een hair-trekker, nyp-tang koren-tang.*

VOLVA est calyx fungi membranaceus; estque *volv* vel *approximata*, ad capitulum accedens, vel *remota*, a ca pitulo spatio recedens. Ga. *Bourse.* B. *Kraag.*

VOLUBILIS: sic vocatur species Ipomoeae, a circum volvendo nomen habet, quod iuxta crescentibus plantis, sti pitibus etc. circumvolvendo adhaeret.

VOLUBILIS botanicis dicitur *caulis* plantarum, spiralite adscendens super alia corpora.

VOLUMEN CHIRURGICUM est idem, quod *fascia ascia lis*, s. octodecim capitibus instructa, qua in fracturis com plicatis utimur. Ge. *Achtzehnköpfige Binde.* Ga. *Bandage dix huit chefs.*

VOLVULUS, vide *Iliaca passio.*

VOMER est os impar, maxillae superioris distinctum a ethmoide, cum eius tamen processu medio septum nariun osseum constituens et duabus lamellis constans. Ge. *Da Pflugschaarbein.* Ga. *Le vomer.*

VOMICA: latiori quidem significatione omnium viscerun apostemata hoc nomine a quibusdam denotantur; propri

vero vomica est tuberculum in pulmone natum praeter naturam membrana propria inclusum, pure plenum; ortum a quacunque causa partem pulmonis prius inflammante, dein suppurante, sed tamen ita, ut pus in membrana quadam, quae simul crescit ac extenditur, contineatur, nec sputo excernatur. Aliquando in initio ita latet, ut nihil fere doloris, aut molestiae, percipiatur, nec tussim, nec febrem inducat; postea vero sensim aucta, vasa aërea pulmonis angustando respirationem difficiliorem facit: vasa sanguifera vicina comprimit, quin sanguini praeterfluenti effluvia sua imprimit, proinde febricula, tussis sicca cum inquietudine et marcore succedit, tandem illa ad plenitudinem aggesta et diuturna concoctione in pus sincerum maturata, cystin disrumpens, vel solvens, pus sacculo inclusum, vel, quod frequentius est, solum eiicitur, sive per asperam arteriam, et tunc aeger prae copia puris saepe illico suffocatur, sive in cavum thoracis, cumque *empyema* sequitur. [De derivatione vocis aut a *vomendo*, quod scil. saniem vomat, aut a graeco *φῦμα*, quod saepe ap. Hippocr. vomicam denotat, vid. Trill. opusc. to. III. p. 288.] Ge. *Lungengeschwür*. Ga. *Vomique, abcés dans le poumon*. A. *Impostume of the lungs*. B. *Longezweer*.

VOMICA NUX, NUCES VOMICAE sunt semina orbiculata, compressa, satis magna, cornea duritie, colore cinereo, arboris in Malabaria et Zeylona habitantis. Est haec arbor Cucurbitifera Malabariensis, Ienopliae foliis rotundis, fructu orbiculari rubro, cuius grana sunt *nuces vomicae* officinarum *Pluk. Caniram Hort. Mal. Strychnos nux vomica*, foliis ovatis, caule inermi *Linn.* (Pentandr. Monog.). Calyx est quinquepartitus, minimus, deciduus; corolla monopetala, quinquefida; bacca fragilis, globosa, glabra, maxima, unilocularis, pulpa plena, semina villosa, villis versus peripheriam radiantia. Haec semina qualitatis sunt inodorae, [odor debilis quidem, at ingrate balsamicus,] amarae tamen et venenatae. Commendabantur olim ut insigne alexipharmacum et specificum antifebrile. Rectius tamen hodie ob indolem virosam inter remedia maxime infida ponuntur, et ab eorum usu a plurimis abstinetur, licet alii ea in variis morbis desperatis commendent. [Principium illud narcoticum, quod ab inventoribus eius Pelletiero et Caventou *strychnines* nomen accepit, hoc modo obtinetur: extracto spirituoso aqua soluto tamdiu acetas plumbicus additur, quam diu praecipitatio locum habet. Peregrinis particulis hoc modo separatis remanet strychnine cum aliqua principii colorantis et acetatis plumbici superabundantis quantitate commixta. Gasis hydrothionici ope plumbo separato fluidum per filtrum traiicitur atque cum magnesia coquitur, ut acido acetico liberetur. Praecipitatum hac ratione obtentum, e

strychnine et brucine constans aqua frigida abluitur, denuo que alcohole, ut magnesia residua proscribatur, solvitur. Post evaporationem remanet strychnine et brucine cum materia colorante coniuncta. Ut strychnine pura obtineatur, tota massa in pauca dilutioris alcoholis quantitate solvitur, quae brucinen materiamque colorantem in se recipit, strychnine in pulveris forma relicta. Pulvis iste alcohole fervente solutus lenta evaporatione in crystallos abit, quae quo saepius solutio et crystallisatio repetitur, eo puriorem sistunt strychninen. Praeter duas materias alcaloides, brucinen et strychninen, continet quoque vomica nux peculiare acidum *isaguricum* dictum. Venenatas strychnines vires observationibus experimentisque comprobarunt Jo. Andr. Buchner (*Toxicologie. Zw. verm. Aufl. p.* 230.) et Orfila (*Allgem. Toxicol. Th. II. p.* 319—321). Cons. E. Magendie *Vorschr. z. Bereit. u. Anwend. ein. neu. Arzneim. herausg. v. Dr. G.* Kunze *VI. Ausg. p.* 11—14.] Canibus, felibus, corvis aliisque animalibus carnivoris praesentissimum sunt venenum, eaque convulsionibus enecant, nec in eorum corporibus dissectis laesione insigni, aut causa mortis apparente. Ge. *Krähenaugen.* Ga. *Noix vomique.* A. *Vomiting nut.* B. *Kraan-oogen, braak-nooten.*

VOMITORIUM est medicamentum internum, cuius vehementi irritatione materia in stomacho contenta, violento motu per gulam in os et ex eo eiicitur, adeoque motus peristalticus plane invertitur. Vide, quid de *vomitu* mox dicetur. Conf. *Emetica.* Gr. *ἐμετικόν.* Ge. *Ein Brechmittel.* Ga. *Un émétique, vomitif.* A. *A emetic, puke.* B. *Een braakdrankje.*

VOMITUS, Gr. *ἔμετος*, ab *ἐμέω*, *vomo.* Est ventriculi, oesophagi et musculorum abdominalium, praecipue rectorum, convulsivus motus, quo versus superiora contrahitur ventriculus, pyloro occluso, et fundo ac lateribus in se coactis versus sinistrum orificium, atque compressis omnibus vi musculorum abdominalium, unde per partes convulso etiam oesophago ab imo ad fauces, contenta, si quae sint in cavitate, expelluntur in os et ultra. Hinc in vomitu anxietas, dolor in cordis et ventris regione, respiratio nonnihil est impedita, facies rubet et tumet saepe, caput distenditur, labia tremunt, sudor exprimitur, si vomitus diu durat et identidem recurrit, ut solet. Nam vomitio haec per vices repetit, unde contentorum eiectio una vice maior, altera minor est. Neque enim respiratio concedit diuturnam convulsionem et quasi tetanum, sed sursum actus ventriculus ab inspiratione aliisque causis brevi deorsum urgetur, licet mox revertantur convulsiones, quae rursus remittunt; atque in tali vicissitudine vomitus fit. Distinguitur vomitus in idiopathicum, sympathicum, criticum, symptomaticum; et familiaris est illis, qui-

bus systema nervosum mobile, oriturque a quacunque irritatione, ut ab ebrietate, fastidio, cibis vel potibus acribus, venenis, vermibus, emeticis, catharticis, in gravidis, vulneribus cerebri, tussi, passione hysterica, turbato spirituum nervosorum motu, viscerum inflammatione, laesione, eorumque dolore, ut in colica, ileo, nephritide, febribus etc. Estque vel rei ingestae, vel muci naturalis, vel sanguinis excretio; qui tunc subniger est et grumosus, quo ab haemoptysi distinguitur, nec immediate ex ventriculi vasis proficiscitur, sed potius ex alio viscere, vel intestinis tenuibus, eo deferur etc. Ge. *Das Erbrechen, Uebergeben.* Ga. *Vomissement.* A. *Vomiting, puking.* B. *Braaking, spouwing.*

VOPISCUS dicitur is, qui ex duobus conceptibus, uno abortu excluso, ad partum legitimum reducitur. [Plin. *hist. nat. IV. c.* 10. vopiscos appellatos esse auctor est e geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu. Ad quem locum Dalecamp. *opiscos* legendum esse coniicit, quasi ὀπίσθιον, quod alterum pone sequatur. Salmas. in *exercit. Plin. p.* 24. aliam vocis derivationem proposuit ab ὦπις, e quo cognomine Dianae ὑποκοριστικῶς ὠπίσκος, adiectoque digammate Aeolico βωπίσκος formetur. De cuius derivationis probabilitate iudicent alii.]

VORTICOSA VASA: ita a *Nic. Stenonis* et aliis venae choroideae tunicae vorticoso ductu procedentes vocantur.

VRACHUS est canalis in foetibus brutorum satis quidem conspicuus, membranosus, figurae depressae, crassitiei circiter acus textoriae, coloris placenta obscurioris, a fundo vesicae exiens, transiens infra amnion, recta usque ad cervicem allantoidis, pervius, vel saltem transitum urinae permittens, intra aliquot dierum spatium ex substantia mucosa in veram membranam mutatus. Est autem in iis verus ductus urinarius: transmittit enim ex vesica in allantoidem urinam a sola vesica foetus in utero haerentis per tantum temporis spatium non retinendam, atque post foetus editionem in substantiam ligamentosam facessit, et vesicae pro suspensorio cedit. Coniungitur umbilico et vesicae fundo. At in foetu humano urachus quidem nunquam non adparet, ex fundo vesiculae urinariae ad funiculum usque umbilicalem, et in eius aliquam certe partem productus, verum angustior, quam in bestiis et in filamenta fissus, paucos post pollices evanescit; neque unquam incisorum aliquis in foetu humano per funiculum totum prosecutus est, aut in ea parte vidit, qua hic placentam adit. Gr. ὀυραχὸς, [quae vox non ab τὸ οὖρον et ἔχω, sed immediate ex οὖρον derivanda est.] Ge. *Das Blasenband,* oder *Schnur, Harnschnur.* Ga. *Urache.* A. *Urachus.* B. *Blaas-band.* [Galen. οὐραγὸς i. e. ὁ τὸ οὖρον ἄγων. Vid. Foës.]

VRANIA est *Iridum* nomen, a colore et figura iridis coelestis; *οὐρανὸς* enim coelum est.

[**VRANISCORRHAPHE**, ab *οὐρανίσκος*, *tentorium rotundum*, *palatum*, idem quod *Uranorrhaphe.*]

[**VRANORRHAPHE**, ab *ὀυρανὸς*, *coelum*, quae vox, teste Rufo *p.* 49. *τὸ ὑπεράνω τῆς γλώσσης περιφερὲς* significat eam chirurgicam operationem denotat, qua palatum fissum coadunatur. De ea instrumentisque, ad perficiendam eam hucusque inventis, scripsit F. R. Th. Schwerdt. diss. in. c. IV. tabb. aen. Berol. 1827. 4. qui libellus in vernaculam linguam versus, et praefatione Graefii auctus prodiit 1829.]

[**VRANOTOMUS** a Graefio vocatur instrumentum, cuius ope in operatione suturae palati fissi margines fissurae vulnerantur. Constat e tubo metallico, cuius cavitas cestrum continet, quod cochleae ope, per alteram tubi extremitatem transeuntis, versus fundamentum ligneum, virgae ferreae satis firmae ad tubi latus ferruminatae adhaerens, fortiter apprimi potest. Vide C. F. Graefe *die Gaumennaht* in Ej et Ph. de Walter *Journ. d. Chir. u. Augenheilk. I.* 1. *p.* 10—13.]

VRCEOLARIS, et **VRCEOLA** vocatur *Parietaria,* quod detergendis urceolis vitreis polleat. Vide *Helxine.*

[**VREA**, a Ruellio iun. 1773. inventa, hoc modo praeparatur. Vas, in quo urina ad syrupi consistentiam leni calore inspissata est, aut aqua frigidissima immittitur, aut glacie circumdatur, tuncque sensim aequale volumen acidi nitrici concentrati sub continua agitatione adfunditur. Crystalli ureae nitricae sic formatae aqua frigida ab adhaerentibus liberi acidi partibus liberatae intra chartae emporeticae folia siccatae aqua tepida solvuntur, et acido nitrico per kali carbonicum neutralisato, urea a kali nitrico ope spiritus vini 40° B. separatur, qui lente evaporatus ureae crystallisandi spatium concedit. — Ab omnibus peregrinis particulis liberata urea coloris albi, saporis refrigerantis et parum acris, odorisque est nullius, facile spiritu vini et aqua solvitur. — Secundum Fourcroy et Vauquelini experimenta urea ex oxygénii 28, 5 nitrogenii 32, 5, carbonii 14, 7 et hydrogenii 11, 3. composita est. Ga. *Urée.* Ge. *Harnstoff.*]

VRENS botanicis dicitur plantarum *caulis*, mucronibus puncturas inflammatorias efficientibus adspersus.

VRENTIA, vide *Pyrotica.*

VRETER est vas fistulosum et membranosum ab utroque rene emissum, ex eius pelvi oriundum, fere cylindricum, interdum inaequale, scilicet in diversis locis angustius. Fabrica in universum persimplex est, ut aegre in homine membranae distinguantur, quippe quas nimis stricta cellulosa tela uniat, neque musculosae fibrae facile ostendantur; adeo ut totus ureter uniformi, robusta satis membrana fiat, quam ex vesicae nervosa tunica evidenter continuam habet, intimo

velamento obductam, quod alibi villosa dicitur, hic leve est, obscure, siquidem vere, porosum. Exterius densa cellulosa tela est, in qua vasa multa repunt, in pelvi conspicua et in uretere. Hic canalis, in se quidem dilatabilis, in statu sano nullam praeternaturalem extensionem passus valde angustus est, unde fit, ut sibi commissus fere clausus existat, donec materia secreta in pelvim ad superandam vim contractilem satis virium acquirat, unde liquor secretus non ilico ex pelvi effluere potest, quod in hunc finem factum videtur, ne liquor ipso momento, quo in pelvim stillat, effluat, sed ibidem continuo adsit, ut papillarum oscula hunc liquorem secernentium humectet, et impediat, ne prae siccitate concrescant. Haec fistula, ut ad vesicam, in quam terminatur, perveniat, utitur primo recto, mox vero ad anteriora flexo itinere, sub peritonaei lamella decurrens, in posteriorem et inferiorem vesicae partem, duorum digitorum ab alterius renis inserto uretere, uti et a cervice distantia. Ergo in talem locum, ubi mutationibus vesicae, modo plenae, modo vacuae, minime obnoxius est, inseritur; tunc oblique deorsum inter tunicas vesicae spatio parvi digiti procedit, et ibi intima vesicae membrana penetrata suam urinam infundit. Haec mirabilis insertio, nullo operculo, vel valvula praedita, retrogressum urinae ex vesica in ureterem omnino impedire valet, oblique intra vesicae membranas se aperiens; unde urina a renibus vesicae traditur. Multis ureter gaudet arteriis et venis, nervisque, qui a plexu renali et lumborum oriuntur. *Vena alba Celso* dicitur. Nomen habet ab *οὖρον, urina*. Ge. *Harngänge*. Ga. *L'ureter*. A. *The ureter*. B. *Een pis-leider, pis-buis*.

URETHRA, vel **FISTULA**, Gr. *οὔραχος, οὐρήθρα, πόρος οὐρητικός*, [Ruf. Ephes. *p.* 31. Nimis strictam voci notionem tribuit Poll. onom. II. 171. qui *τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον· οὗ τὸ τρύπημα, οὐρήθραν* dici asserit.] est meatus urinarius, quo ex vesica per penem, vel vulvam, sive pudendum muliebre, urina excernitur. Inservit quoque seminis eiectioni. In initio suo per duo foramina vesiculae seminales, quum opus fuerit, se exonerant, iisque ductus prostatae glandulae plurimis foraminibus circumsistunt, quibus *veru montanum* interponitur. Canalis est mirae structurae; constat binis membranis, ubi primo prodit ex vesica, cuius protractio tantum videtur, sed his deinde interponitur *corpus cavernosum*, sive fungosum, quod inter binas has lamellas decurrit, et in viris circa utramque extremitatem sensibilius, quam in medio, inter finem prostatae et unionem corporum cavernosorum est crassissimum, ibique *bulbus urethrae* vocatur, dein toto decursu gracilius, ad anteriora penis crassescit, et extrorsum flexum, linquit in medio apertum os urethrae, in glande, deinde vero constituit substantiam cavernoso-spongiosam glandis, ter-

minatam in eminenti eius fimbria circa nexum praeputii. In cavum suae fistulae recipit emissaria obliqua ex glandulis Cowperianis, Littrianis etc., confectum humorem blandum, praecipue flaccido veretro, dimittentia in usus necessarios superficiei interiori urethrae. Tum et plurima hic patent oscula maiora, minora. Haec fines sunt canaliculorum sub urethrae membrana, eructantes humorem blandum, quo lubricatur meatus, et a concretione defenditur. Urethrae progressus in viris non est rectus, sed singulari modo progreditur, per anfractus descendit, assurgit, incurvatur, descendit, et variis sui decursus locis in latitudine sua etiam variat. In foeminis multo brevior, rectior et amplior est, et in superiore parte pudendi muliebris finitur. Ge. *Harnröhre.* Ga. *L'urethre, conduit de l'urine.* A. *The urinary passage.* B. *De pisgang.*

[**URETHRITIS** est inflammatio urethrae. Ab *οὐρήθρα, canalis, urinam e corpore educens.* De ea exposuit Swediaur *to. II. p.* 424. Ge. *Harnröhrenentzündung.*]

[**URETHROSTENOSIS** est abnormis angustia urethrae, qua urinae missio solito frequentior et diuturnior efficitur; urina filo tenui aut bifurcato prodit: dysuria, ischuria et alysmus gravis et constans est. Alia incommoda, quae hoc concomitantur malum, enumeravit Swediaur *l. c. II. p.* 388. A Gr. *οὐρήθρα,* et *στένωσις, coarctatio.*]

URETICA, i. q. *diuretica.* Gr. *ὀυρητικά.*

[**URICUM ACIDUM**, a Scheelio anno 1776. detectum, obtinetur, si sedimento urinae tepida aqua solutum kali affunditur, huicque miscelae acidum muriaticum additur. Hoc acido cum kali coniuncto acidum uricum sub squamularum tenuium albarum, veluti mater perlarum splendentium forma praecipitatur, quae sapore odoreque omni carent, atque fervente aqua solutae laccam musam rubefaciunt. Ga. *Acide urique* seu *lithique.* Ge. *Harnsäure.*]

URINA est magna veterum mensura, continens vini quadraginta libras, et triginta quinque olei circiter. (??)

URINA, vide *Vron.*

URINA PERICARDII, vide *Aqua pericardii.*

URINALIS HERBA dicitur *Linaria*, quia urinam pellit, sic vocatur.

URINARIA FISTULA, i. q. *urethra.*

URINOSA sunt medicamenta alcalina volatilia, ut spiritus salis ammoniaci etc., quae externe nervos afficiunt et excitant, unde in affectibus comatosis laudatissima sunt.

URINOSUM SAL, URINOSUM PRINCIPIUM est substantia alcalina volatilis, in urina, aliisque corporibus, praecipue animalibus, contenta, inde tum putrefactione evolvenda, tum addita calce, vel alcalinis fixis, per sublimationem separanda. [Si urina, inprimis putrida, destillatur, in exci-

pulum prodit fluidum, ammonio carbonico dives. Sin destillatio residui, ad extracti consistentiam inspissati, continuatur, idem ammonium carbonicum solida in forma in sublime rapitur. Ga. *Sel d'urine volatil.* Ge. *Flüchtiges Harnsalz.*]

URITIDES, s. *Margaritae oculi,* sunt pustulae in cornea ortae urentem dolorem excitantes.

UROCRISIS, i. q. *urocritica.*

UROCRITERIUM est iudicium de urina, quatenus scilicet per eius quantitatem, colorem, consistentiam atque contenta, multa, quae tum ad habitum corporis, tum indolem morbi, signa cruditatis et coctionis pertinent, satis certa conclusione cognosci possunt. Ex *οὖρον, urina,* et *κρίνω, iudico.*

UROCRITICA sunt signa, quae ex urinis observantur. Ex *οὖρον, urina,* et *κρίνω, iudico.*

UROMANTES est, qui ex urinis aliquid divinare valet. Ex *οὖρον, urina*, et *μάντις, vates.*

UROMANTIA, vide *Urocriterium.*

URON, *Urina, Lotium, οὖρον* et *οὔρημα,* est excrementum serosum a sanguine in renibus, cum multo sale, pauco oleo, terra et spiritu separatum, per tubulos uriniferos in papillas renales, et ex iis in pelvim effusum, inde per ureteres ad vesicam delatum, in qua servatur, donec quantitate, vel acrimonia sensum molestiae excitans convenienti tempore et loco excernatur. Color urinae ab oleo resoluto, sapor praecipue a sale medio pendet, quem recens notabili quantitate continet; odor a principio alcalino volatili, vel etiam ammoniacali; hinc in carnivoris longe, quam in herbivoris, urina foetidior. In urina putrescente longe magis id alcali volatile evolvitur, et per sublimationem prodit. At et putredine sola generantur praeter sal culinare, crystalli obscurae, quae ulterius depuratae, *Sal microcosmicum,* vel *essentiale urinae* constituunt, amaricans cum sensu frigoris, in ferro candente spumescens, vapores alcalinos eructans, et in materiam vitro similem abiens, certo tamen acidam, in aqua solubilem, et addito alcalino sale in sal medium mutandam. Addito huic materiae principio inflammabili, destillationeque per retortam instituta generatur *phosphorus urinae.* Plura forte adhuc circa indolem et vires peculiaris huius salis latent. Sunt, qui urinam iumentorum, immo et humanam, ieiuno ventriculo epotam, nauseosam quidem, at summe aperitivam medicinam commendent. Externe tum in fomento, tum in cataplasmate, cum furfuribus applicata, potenter resolvere atque discutere dicitur. [Hic corporis animalis liquor maximopere compositus est. Quam ob rem non mirum est, quod chemicorum et antiquiorum, et recentiorum analyses magnopere a se invicem recedant. Berzelii disquisitio, inter omnes diligentissima, in mille urinae partibus inesse docuit

aquae 933,00, ureae 30,10, kali sulphurici 3,71, natri sulphurici 3,16, natri phosphorici 2,94, natri muriatici 4,45, ammonii phosphorici 1,65, ammonii muriatici 1,50, acidi lactici liberi, zomodmi, materiae animalis, in alcohole solubilis, et ab hoc non separandae ureae 17,14, calcis et magnesiae phosphoricae, cum minima, non determinanda calcis fluoricae quantitate, 1,00, acidi urici 1,00, muci vias urinarias obducentis 0,32, et denique terrae silicinae 0,03. Ex hac analysi patet, urinam maiorem acidi sulphurici quantitatem, quam sanguis aliive corporis animalis partes continere. Acidi galactici praesentiam in urina praeter Berzelium nemo demonstravit.] Ge. *Der Harn, Urin, Wasser*. Ga. A. *Urine*. B. *De pis*.

UROSCOPIA est urinae inspectio. Ab *οὖρον, urina*, et *σκοπέω, inspicio*.

UROSCOPIUM, i. q. *matracium*.

URSUS est animal quadrupes, (Mammal. Fer.) praecipue in sylvis Europae borealis habitans, cui dentes primores superiores sex, intus excavati, alterni; inferiores sex, laterales duo longiores lobati, secundarii basi interiores; laniarii solitarii, conici; molares quinque, vel sex, primo laniariis approximato; lingua laevis; membrana nictitans; nasus prominens, penis scatens osse recurvato. Felli inspissato unguentis stomachicis addito singularis virtus contra anorexiam tribuitur. Pinguedo, vel axungia, cosmetica est et emolliens. Rarior utriusque usus. Ge. *Bär*. Ga. *Ours*. A. *Bear*. B. *Beer*.

URTICA est plantae genus, (Monoec. Tetr.) cuius species maxime vulgares habent caules plus minusve altos, quadratos, rigidos, lanugine pungente tectos, excavatos, ramosos. Folia in caule bina opposita, oblonga, plus minusve ampla, Melissam referentia, acuta, in margine incisa, spiculis urentibus obsita sunt. Flos est apetalus, stamineus; mas, calyci tetrapetaloidi, cruciformi insidens ut plurimum; in medio caliculi habens stamina aliquando quatuor, quandoque plura; cum nectario urceolato, minimo. Testiculi in foliacea plana dissiliunt. Fructus plerumque in planta non florifera fit vel capsula bivalvis, semine foeta, et aliquando in globulos congesta, vel volsella semen comprehendens, tuba filamentosa instructa, vel calyx connivens: sed et ovaria in planta mare inveniuntur; unde fiunt Urticae mares, foeminae et hermaphroditae. Radix fibrosa, repens, coloris flavescentis. Plures dantur Urticae species, quarum praecipue duae in usum medicum adhiberi solent, scilicet: Urtica urens pilulas ferens *Bauh. Urtica pilulifera* foliis oppositis, ovatis, serratis, amentis fructiferis, globosis *Linn.* et Urtica urens maxima *Bauh. Urtica dioica*, foliis oppositis cordatis, racemis geminis *Linn.* Qualitas quidem utriusque

urens tactu, ceterum oleracea et insipida, succum tamen continent viribus aperitivis, diureticis et vulnerariis pollentem; hinc tum hic succus recenter expressus, tum foliorum infusum in ictero, nephritide, haemoptysi et phthisi commendatur. Abunde crescit haec planta in ruderatis Europae nomenque habet ab urendo, quod pruritum pustulasque igni similes excitet. Gr. ἀκαλήφη; ab α priv. καλὴ et ἁφὴ, quia non bona tactu, et pruriginem excitet. Item κνίδη vocatur, a κνίζειν, quod vellicet, pungat, a suo morsu sensum lacessat. Ge. *Nessel*, *Brennnessel.* Ga. *Ortie.* A. *Nettles.* B. *Netelen.*

URTICA MARINA, [*Actinia*], est animal marinum ad Vermes mollusca pertinens, cuius corpus est gelatinosum, orbiculatum, depressum, os subtus centrale; estque vel *fixa,* scopulis maris basi adhaerens, vel *errans.* Habitat in mari mediterraneo; contrahit se rigens, ac praeternatante pisciculo, frondem suam spargit, complectensque devorat. Nomen ei datum est, quod ad contactum in manu pruritum excitet. [A. *The animal flowers*, *sea-anemone, sea-nettle.* B. *Zee-netel.*] Ge. *Seenessel,* [*Seeanemone.*] Ga. *Ortie de mer*, *ortie marine*, [*cul d'ane.*]

URTICA MORTUA, vide *Lamium.*

[**URTICARIA** est morbus cutaneus, qui a Willano ad tertium systematis sui ordinem relatus est. Hoc autem sub nomine maculae s. tubercula intelliguntur, quae cum vehementissimo pruritu citissime prorumpunt, in apice alba, basi inaequali eaque rubra cincta, in frigore evidentiora, intra breve tempus evanescentia, interdum cum febre stipata, de qua sub Vrticata febris. Nomen inde deductum fuit, quod cutis, hoc morbo affecta, similem adspectum offert, quasi urticis caesa esset. A. *The nettle-rash.* B. *Brandnetelkoorts, netelzucht.* Ga. *Fièvre ortiée.* Ge. *Nesselfieber*, *Nesselsucht.*]

URTICATA FEBRIS, seu **PURPURA URTICATA** vel *Scarlatina urticata Sauv.* est febris exanthematica, in qua papulae urticarum puncturis similes cum insigni pruritu erumpunt. Plerumque periculi expers est. Ab *essera* (Ga. *Porcellaine*) differt parvitate pustularum, quae in essera latiores sunt et pruritu carent. Conf. *Purpura.*

URTICATIO est operatio chirurgica, qua membra corporis urticis recentibus percutiuntur, ad calorem nempe revocandum, praecipue in paralysi, aliisque huiusmodi morbis. [De multiplici urticationis usu in medicina videndus Hartmann. in diss. *de salutari urticat. in divers. morb. usu.* Francof. a. M. 1789. et Schwarz in Hufel. *Journ. d. pr. Heilk. XV.* 2. *p.* 153. ss.] Ge. *Peitschen mit Nesseln.*

USNEA est muscus, ossibus, vel arboribus adnascens. Proprie tamen sumitur pro musco calvariis humanis incre-

secente. Est ille Lichenoides vulgatissimum, cinereo-glaucum, lacunosum et cirrhosum *Dill.* *Lichen saxatilis* imbricatus, foliolis sinuatis, scabris, lacunosis, scutellis folio concoloribus, vel etiam *Lichen omphalodes Linn.* (Cryptogam. Alg.). Huic singulares contra epilepsiam et haemorrhagias virtutes tribuit superstitio, hinc etiam unguentum armarium ingreditur. *Usnea* est vox Arabica. Ge. *Moos, Flechte.* Ga. *Usnée humaine,* sive *des plantes.* A. *Moss.* B. *Mosch.* — A variis vero *Lichenes* omnes *filamentosi* nomine *Usneae* insigniuntur.

USTILAGO ab urendo dicitur. Vide *Rubigo.*

USTIO est, quando res in cineres rediguntur, ut arte salis ex vegetabilibus elixivatio fiat. Vel ut res melius in pulverem redigantur, uti fit in cornu cervi calcinando. — *Ustio* chirurgis quoque familiaris, quando cauteriis actualibus urunt. Ge. *Verbrennung.* Ga. *Brulure,* sive *action de bruler.* A. *Burning.* B. *Branding.*

USTULATIO est operatio chymica, vel metallurgica, qua fossilia, praecipue glebae metallicae, igni exponuntur et torrentur, sicque a partibus volatilibus, cumprimis sulphure et arsenico, liberantur, et fusioni aptiora redduntur. [A. *Torrefaction*, *roasting of ores.*] Ge. *Das Rösten.* Ga. *Torréfaction,* [*grillage de mines*, *rotissage.*]

UTERI LIGAMENTA, vide *Ligamenta uteri.*

UTERINA in genere sunt, quae uteri morbis medentur; hinc non tantum emmenagoga, sed nimium etiam mensium fluxum compescentia, nec non antihysterica, ita vocantur. Vide *Antihysterica.*

UTERI OSCULUM, vide *Osculum uteri.*

UTERI PROCIDENTIA, s. **PROLAPSUS**, vide *Procidentia uteri.*

UTERUS, *loci, matrix*, Gr. *δελφὺς, ὑστέρα,* [*μήτρα,* quae tres uteri denominationes a Poll. *onom.* II. 221. commemorantur], *νηδὺς, Hesiod.* et *Homer.* *γονὴ Hippocr.* [cf. Foësii *oec. Hipp. p.* 140. *a.*] *ἀγγεῖον κυητήριον Galeno.* Est pars organica, cava, homini crassissima, pyriformis, in abdominis inferiori parte, pelvi dicta, mulierum sita, quae in fundum, corpus et collum dividitur. *Ligamenta* duo *lata* et totidem *teretia,* s. *rotunda* habet. Cingitur exterius tunica satis valida, quae propago est peritonaei, cuius ope vicinis partibus adnectitur. Substantiam obtinet nervosam, fibrosam et maxime vasculosam; crassities variat pro aetate et tempore gestationis foetus: in recens natis vix drachmam pendens, in maturae aetatis foeminis ultra duas uncias. In collo osculum habet transversim oblongum, ex cuius cavitate menses profluunt, et per quod conceptio et partus contingit; anterius vesicam habet, posterius intestinum rectum, quae ipsi instar pulvina-

rium inserviunt, ut a duritie ossium, quae cavitatem pelvis efformant, laedi non possit. Vasa accipit numerosissima, tam arteriosa, quam venosa, ex spermaticis, hypogastricis et iliacis, quae ad eius fundum et latera, innumerabilibus ramificationibus, tortuoso flexu decurrunt, et copiosis anastomosibus inter se iunguntur. Ge. *Die Mutter, die Bärmutter.* Ga. *La matrice.* A. *The womb, matrix.* B. *De baar-moeder, lyf-moeder.*

UTRICULARIA, s. *Lentibularia* quorundam, est plantae genus calyce diphyllo, corolla monopetala ringente, nectario corniculato, e basi petali producto, (Diandr. Monogyn.) capsula globosa, magna, uniloculari, polysperma. Species in fossis nostris et paludibus maxime frequens est *Utricularia vulgaris Linn.* nectario conico, scapo paucifloro: Millefolium aquaticum lenticulatum *Bauh.* Rarior eius in medicina usus est. Sunt tamen, qui externe scopo roborandi et refrigerandi commendent.

UTRICULUS a botanicis saepe sumitur pro capsula, vel loculamento, plerumque vero significat in plantis vasculum liquore secreto repletum.

UVA, i. q. *Cion.*

UVA CRISPA frutex est, scilicet *Grossularia* simplici acino, vel spinosa sylvestris *Bauh.* *Ribes uva crispa* ramis aculeatis, baccis glabris, pedicelli bractea monophylla *Linn.* (Pentandr. Monogyn.). Planta in hortis nostris sat frequenter obveniens. Fructus qualitatis acido-dulcis et refrigerantis est. Vide *Ribes.* Volunt dici ab intortis, fereque in circulum versis, foliis et acinis, quos producit. Latinius forte *Uva intorta* nuncuparetur. Ge. *Kräuselbeeren, Stachelbeeren.* Ga. *Groseilles.* A. *Gooseberry.* B. *Kruis-beziehoom, stekel-bezien, kroes-bezien, knoezelen.*

UVAE PASSAE, vide *Passae.*

UVA URSI est *Arbutus uva ursi* caulibus procumbentibus, foliis integerrimis *Linn.* (Decandr. Monogyn.). Calyx est quinquepartitus, obtusus, minimus infra germen; corolla monopetala, ovata, ore quinquefido, laciniis parvis, revolutis; bacca subrotunda quinquelocularis; semina parva, ossea. Habitat passim in Alpibus et collibus sabulosis; proxime ad Vaccinium accedit, a quo situ receptaculi floris vere distinguitur. Folia huius plantae qualitatis saltem videntur stypticae et inodorae, hinc coriariis receptissima sunt. Verum a tempore abhinc haud adeo longo foliorum tum pulvis, tum decoctum, ut singulare remedium contra calculum, aliaque viarum urinariarum vitia, passim felici cum successu adhibetur. [Vide supra p. 150.] Ge. *Bärentraube, Sandbeere.* Ga. *Raisin d'ours, bousserole.*

[**UVATIO** a Foresto (*obs. XI.* 24.) vocatus est corneae oculi tunicae morbus, qui alias *ceratocele*, aut *hernia corneae*

aut *staphyloma corneae pellucidum* vocari solet. Quae quidem denominatio, si retinenda, non nisi rariori huius mali formae, Benedicto (*Augenkr. III. p.* 242.) iudice, tribui debet, quae non aequalem, sed aciniformem corneae extensionem offert.]

UVEA MEMBRANA, s. **TUNICA**, **ACINIFORMIS TUNICA**, et **UNIFORMIS** est pars anterior *choroideae*, tunicae corneae subiecta, et per hanc conspicienda, cuius facies anterior colorata, *Iris* dicta, tota vasculosa, varii coloris est, unde varii oculorum colores in homine: facies posterior lenti obversa nigro pigmento obducitur. [Errant, qui hanc membranam ipsius membranae choroidis continuationem habeant. Nam nervis instructa, hincque sensu praedita est, quod secus in choroide est.] Ipsa tunica foramine in medio pertusa est, quod *pupilla* [seu *pupula*] vocatur. Vide *Choroidea, Iris, Pupilla, Camerae oculi.* Ge. *Das Traubenhäutchen.* Ga. *L'uvée.* A. *The grapelike coat, uvea.* B. *Druif-bezie-vlies.*

UVULARIA, vide *Laurus Alexandrina.*

VULNERARIA, vide *Traumatica.*

VULNERARIA est Loto affinis, Vulneraria pratensis *Bauh. Anthyllis vulneraria* herbacea, foliis pinnatis inaequalibus, capitulo duplicato *Linn.* (Diadelph. Decandr.). In nonnullis officinis eius loco *Anthyllis montana Linn.* asservatur. Habet haec planta caules pedem altos, tenues, rotundos, villosos, aliquantulum rubicundos, incurvatos. Folia ei bina sunt, costae adhaerentia, Galegam referentia, sed magis medullosa, in parte inferiore villosa, in superiore albescentia, flavescentia, viridia, saporis dulcis, subacris. Flores in summitate ramorum crescunt in umbellam dispositi, papilionacei, vel leguminosi, flavi. Calyx est tubulatus, turgidulus, lanuginosus, coloris argentei. Flori succedit siliqua brevis, foeta semine subrotundo, in calyce membranaceo floris recondita. Radix est longa, recta, lignosa, nigricans, saporis leguminosi. Haec planta crescit in montibus. Nomen a virtute vulneraria, quae ei, perperam forte, tribuitur, obtinuit. Ge. *Wundklee, gelber Hasenklee,* [*grosser Katzenklee, gemein Wundkraut.*] Ga. *L'anthyllide vulneraire.* A. *Kidney vetch,* [*common anthyllis, ladies finger.*] B. *Gemeen wond-kruid.*

VULNUS a *vellendo* dictum, utpote vulnerata membra in contrarias quasi partes dividens et divellens: definitur solutio continui, externo aliquo instrumento, scindente etc., recens in parte facta, cum cutis apertione; estque varium, tam ratione loci et partis affectae, (unde aliud nervi est, aliud carnis), quam instrumenti infligentis, unde, si ab aliquo acuto caesim illud fiat, *sectio*, vel *incisio,* si vero ab acuto punctim fiat, *punctura*, vel *punctio* dicitur. *Absolute* vel *casu* et ne-

glectu aegri, aut chirurgi *letale*, vel *sanabile*, quoque in medicina forensi distinguunt. Gr. *τραῦμα* et *τρῶμα*. Ge. *Eine Wunde*. Ga. *Playe*. A. *Wound*, *hurt*. B. *Een wonde*.

VULPES est animal quadrupes, (Mammal. Fer.) in antris Europae, Asiae et Africae habitans, ab Ill. *Linnaeo* ad canes relatum. Est scilicet *Canis vulpes*, cauda recta, apice albo. Corpus flavo-rufescens; aures rectae; maxillae albae; pedes antice nigrescentes. Degit in antris, quae fodit animal astutissimum; saevit in agnos, anseres, gallinas, aviculas, non accipitres, foetidioresque; colligit stercora animalium; fragrat ambrosiaco odore supra basin caudae. Pulmonibus singularis virtus pectoralis tribuebatur, satque diu vulgus Loboc de pulmone vulpis laudibus celebravit, cuius fere nunc usus exolevit. Pinguedo, vel axungia, et oleum vulpinum coctum adhucdum ad articulorum contracturas commendatur. Ge. *Fuchs*. Ga. *Renard*. A. *Fox*. B. *Vos*.

VULSELLA, vide *Volsella*.

VULTUS, i. q. *facies*.

VULVA: ita *pudendum muliebre*, sive foramen maius dicitur, infra os pubis in foeminis positum. Vide *Cunnus*.

VULVA CEREBRI est hiatus longitudinalis in parte posteriori ventriculi tertii cerebri sub commissura posteriori cerebri, in ventriculum quartum hians.

VULVARIA est species foetidissima Chenopodii, *Chenopodium vulvaria* foliis integerrimis rhombeo-ovatis, floribus conglomeratis axillaribus *Linn*. Atriplex foetida, vel olida, *Bauh*. Habitat in Europae cultis oleraceis. Laudatur a nonnullis ut remedium antihystericum, et in officinis Angliae syrupus eius prostat. Ge. *Stinkende Melde*, *Buhlkraut*, *Schaamkraut*. Ga. *Arroche puante*, [*l'ansérine fétide*.] A. *Stinking goosefoot*, *stinking blite*. B. *Stinkende melde*, [*stinkend ganzevoet*.]

UVULA, vide *Cion*.

UVULAE CASUS, s. **PROLAPSUS**, vide *Cion*.

UVULARIA est *Ruscus hypoglossum Linn*. foliis subtus floriferis sub foliolo, s. *Laurus Alexandrina*, cuius folia olim ut adstringens in uvulae prolapsu commendabantur. Sed iam inter obsoleta numeranda. [B. *Getongde muisdoorn*. Ga. *Le laurier à longuette*, *double langue*. Ge. *Zäpfchenkraut*, *Zungenkraut*.]

W.

WINTERANUS, s. **MAGELLANICUS CORTEX**, s. *Canella alba* quibusdam, est cortex, foris integumento cinereo fungoso, inaequali, fisso et multis rimis hiante obductus, intus solidus, densus, brunus, arboris, ut vulgo credebant, in Iamaica et Carolina habitantis, quae est Canella foliis

oblongis, obtusis, nitidis, racemis terminalibus *Brown.* *Winterania canella Linn.* (Dodecandr. Monogyn.) flore pentapetalo, albo, racematim congesto, baccis polyspermis. Sed recentissimae observationes docent, speciem arboris, ex qua cortex Winteranus verus obtinetur, a Canella alba plane differre. Crescit enim ea tantum in terra Magellanica, et a Cl. *Banks* et *Solander,* qui hanc arborem nuper examinarunt, *Winterana aromatica* vocatur, quae autem ad Polyandriam *Linn.* refertur. Canella alba vero proprie ex *Winterana canella L.* oritur, quae in Iamaica crescit. Huius cortex magis albus est, quam *Cortex winteranus*, s. *magellanicus,* qui brunum colorem ostendit. Qualitas corticis est subamara, aromatica, fragrans, vique stomachica et carminativa pollet. Specificum in scorbuto frigido habetur. Nomen habet a praefecto classico, *Wintero,* qui primus hunc corticem in Europam attulit. [Recentissimae observationes docuerunt, verum corticem Winteranum a Drymide Forst. provenire, quae arbor ad class. XIII. ord. 7. pertinet. Sed ob summam eius raritatem non amplius in officinis, et vix in collectionibus medicamentorum simplicium invenitur hic cortex. Winteranae aromaticae cortex a Canellae albae cortice differt principio adstringente. Infusi enim aquosi flavescens color a ferri sulphate in obscure caeruleum, fere nigrum colorem mutatur. Vid. Pfaff. *Syst. d. mat. med. IV. p.* 205. et A. Richard's medic. Bot. Th. II. 1040. et 1138.] Ge. *Winters Amerikanische Gewürzrinde.* Ga. *Ecorce de Winter*, *ecorce caryocostine.*

WORMIANA OSSICULA sunt ossa parva incerti situs, figurae et numeri, quae in quibusdam craniis inter suturas, praesertim lambdoideam et sagittalem, reperiuntur et vicinis ossibus per suturas iuncta sunt. Ob figuram etiam a quibusdam *Ossa triquetra* dicuntur. [Male: nam facile cum osse triquetro carpi confundi tunc possunt.] Ge. *Zwickelbeinchen.* Ga. *Os surnuméraires de la tête.*

X.

X ℥. in quibusdam scriptis medicis denotat unciam, vel etiam numerum denarium.

XANTHIUM est plantae genus flore composito a fructu remoto, (Mon. Pent.) cuius species officinalis habet caulem sesquipedem altum, angulosum, villosum, punctis rubris notatum, ramosum, in latum se extendentem. Folia sunt Bardanae, sed minora, viridia, in margine incisa leviter saporis acris et aromatici. Flores masculi sunt flosculosi; e floribus foemininis fit fructus oblongus, aculeatus, vestibus adhaerens, in duos acutos rigidosque mucrones desinens qui distinctis loculis duobus totidem grana oblonga condit

Radix est parva, alba, fibris satis crassis instructa. Haec lanta crescit contra parietes, et in paludosis locis exsiccais. Species, quae apud nos provenit, rarissime tamen in sum medicum adhibetur, est Lappa minor, vel Xanthium Dioscoridis *Bauh. Xanthium strumarium* caule inermi, foiis cordatis trinervatis *Linn.* Qualitatis est luteo-tinctoriae, marae et subacris, viribusque diaphoreticis, adstringentius et pellentibus gaudere dicitur. Ge. *Kleine Kletten, Betterläuse, Spitzkletten.* Ga. *Petit glouteron,* [*lampourde, peite bardane.*] A. *The lesser burdock.* B. *Kleine klitten, litjes.*

XENECTON, i. q. *zenechdon.*

XENICON, Gr. *ξενικὸν,* sic appellatur illud venenum, uo olim utebantur venatores Celti Galli, quibus tum audicat *venenum cervarium,* quod tam praesentis erat virtutis, ut, uamprimum cervus, vel animal, sagitta hoc lurido veneno incta laederetur, concideret et confestim accurrere venatoes necesse habuerint, ne virus illud penitus per totum corus dispergeretur; carnemque circum adiacentem telo excierint; quam effodere solebant circumquaque circa vulnus d spithami latitudinem, ut tuti essent a veneno. Hoc experimento itaque clare evincebant, quod loca in corpore humao a venenatis animalibus laesa illico largiter undiquaque xscissa, non habeant venenum tam cito dispersum, ac proude hoc modo optime curabilia sint. Veneni huius antipharmacum dicuntur esse folia quercus, vel fagi, applicata llico locis vulneratis. Convenit itaque natura et effectu cum eneno Lamsacensi et Tucanensi, quo Americae meridionais incolae in venatione utuntur.

XERAPHIUM est medicamentum adversus capitis et menti xanthemata utile. [A gr. *ξηρὸς, aridus.* Num terminatio vocis a verbo *ἅπτομαι, tango,* sit derivandum, ut sit medicamentum, quod tactu aridum est, non definio. Vox occurrit *in Aetii tetr. IV.* 5. 3. *c.* 13. Paul. Aeg. III. c. 3. p. 56. eius loco utitur voce *ξηρίον* sc. *φάρμακον,* quod interdum addi solet.]

XERASIA est capillorum vitium, quando lanuginis instar apparent et velut pulvere conspersi. [Definitio haec totidem verbis exhibetur ab auctore *defin. med.* in Galen. to. XIX. p. 431.] Inter species *Alopeciae* referri debet.

XEROCOLLYRION est collyrium siccum. [A gr. *ξηρὸς, siccus*, et *κολλύριον.*]

[**XEROMA** vocat Benedict. *Augenkr. Th. I. p.* 179. alterum stadium blepharophthalmiae glandulosae. A gr. *ξηρὸς.* Sed nullum occurrit in scriptore graeco huius vocis exemplum. Quare praestat recepta xerophthalmiae denominatione uti.]

[**XEROMYCTER** est narium cavitatis exsiccatio. A gr.

ξηρὸς et μυκτὴρ, nasi interna facies, olfactus sensus sedes. Hoc nomine insignit Benedict. *l. c. p.* 247. illud dacryocystitidis apostematosae stadium, quo punctis lacrymalibus occlusis nares exarescunt.]

XEROMYRUM est unguentum desiccans, sive compositio ex aromatis, pro suffitu, amuletis etc. constans: adhibetur quoque adversus foetorem axillarem. [A gr. ξηρὸς et *μῦρον, unguentum.*]

XEROPHTHALMIA est arida et sicca lippitudo, vel *ophthalmia sicca* nonnullorum, in qua nullus quidem tumor in palpebris, rubedo tamen et pruritus in tarsis sunt; lacrymae vix ullae, palpebrae noctu conglutinantur, luxque ab aquis reflexa vix toleratur. A *ξηρὸς, aridus,* et *ὀφθαλμία, oculorum inflammatio.* Ge. *Ein trockner Augenfluss, wo sie nur roth sind.* B. *Drooge oog ontsteeking.*

XERODES est sicca corporis dispositio. [Graec. *ξηρώδης, qui exarescit.* Vox Hippocratica est, vario modo a variis tentata, de quo cons. Castell. *lex. p.* 753.]

XIPHIUM, sive **GLADIOLUS** est species *Iridis,* et quidem Iris bulbosa, latifolia, caule donata *Bauh.* Iris caulescens, foliis margine conniventibus, corollis imberbibus *Roy. Iris xiphium* corollis imberbibus, floribus binis, foliis subulato-canaliculatis, caule brevioribus *Linn.* (Triandr. Monogyn.). A foliorum similitudine dictus, a *ξίφος, gladius.* Habet folia longa, lata, mollia, coloris viridis, pallidi, aut albescentis. Flos et fructus sunt iridis. Radix bulbosa, seu ex pluribus tunicis constans, externe nigricans, interne alba, saporis dulcis, viribus emollientibus gaudet. Crescit haec planta in regionibus calidis, ut in Hispania. [Ga. *L'iris bulbeuse.* Ge. *Die zwiebelartige Iris, Schwertellilie.*]

XIPHOIDES est *cartilago* pectoris mucronata, inferius sterno adhaerens, ipso tenuior et flexilior, in acumen ex lato abiens, adeoque ensi similis. Ex *ξίφος, ensis,* et *εἶδος, forma.* Ga. *Der schwerdtförmige Knorpel.* Ge. *Cartilage xyphoide.*

XYLAGIUM est lignum sanctum. [A graec. *ξύλον, lignum,* et *ἅγιος, sanctus.*]

XYLOALOES est lignum aloës, vide *Agallochum.* Ge. *Paradies-* oder *Aloëholz.* Ga. *Du bois d'aloes.* A. *Aloes-tree.* B. *Paradys-hout.*

XYLOBALSAMUM est frutex, vel sarmentum, aut surculus balsami. Amputabatur enim ab incolis, et vendebatur propterea, quod eo decocto in unguentis vice opobalsami multi uterentur; etiamsi ex toto balsamo minima illi inesset odoris gratia. Vide *Balsamum.*

XYLOCASSIA, sive **CASSIA LIGNEA**, vide *Cinamomum.*

XYLON, sive *Gossypium* est planta indica, modo frutiosa, modo herbacea, (Monadelph. Polyandr.) ad malvaeas accedens, cuius calyx duplex, exterior monophyllus, emitrifidus, interior monophyllus, obtuse quinquefariam marginatus, cyathiformis; corolla constans e petalis quinue basi coalitis; capsula subrotunda, acuminata, quadriocularis, quadrivalvis; semina plurima, ovalia, lana invouta. Abunde ad nos ex India lana adfertur, cuius usus texorius est. Oleum e seminibus expressum summopere in arilura, ancylosi, contractura aliisque membrorum vitiis comnendatur. Ge. *Baumwolle.* Ga. *Cotton.* A. *Coton.* B. *Boom-woll, catoen.* — Barbaris et Arabibus *Cotum* et *Bombax*, seu *Bombasum.* Linum eius *Cotonium* vulgo vocaur, sicut lanugo ipsa *Cotonum:* ab huius generis planta *vestes xylinae,* et *lina xylina* nominata sunt. Iurisconsulti *anam* hanc *ligneam* nuncupant: *ξύλον* enim *lignum* est. Vide *Gossypium.*

XYLOSTEUM, Chamaecerasus dumetorum, fructu genino rubro *Bauh. Lonicera xylosteum* pedunculis bifloris, baccis distinctis, foliis integerrimis pubescentibus *Linn.* Pentandr. Monogyn.), est arbuscula, Periclymeno satis siuilis, habens caules mediocriter crassos. Lignum est alum, durum; rami rotundi, corticem initio rubicundum, postea albescentem habentes. Folia sunt oblonga, mollia, viridia, albescentia, aliquantulum lanuginosa; pedunculi binis format calycem constantem binis foliolis maioribus, quauorque brevioribus, quorum duo hinc inde maioribus interpountur. Calyci huic gemina ovaria innascuntur rotunda, in apice suo coronata caliculo quinquefido, emittuntque ex centro sui fastigii tubam longam, apice globoso donatam. Flos apici ovarii, intra calycem innatus, monopetalus, oblongus, tubulosus, campaniformis, quinquefidus, laciniis, fere aequaliter profunde sectis, expansus, quinque staminibus ex pariete interno tubulosae partis floris enatis praeditus. Flori succedunt baccae gemellae, molles, semineque foetae compresso et subrotundo. Haec arbuscula crescit in sepibus, montibus et sylvis Europae frigidioris; dicitur quasi lignum osseum. Vocatur quoque *Cerasus canina.* Ex *ξύλον, lignum*, et *ὀστέον, os.* Ge. *Gemeine Heckenkirsche, Strützen,* oder *Striesen, Purgierkirsche, Schiessbeere.* [Longe plura nomina collegit Nemnich. Th. II. p. 443.] Ga. *Chamaecerasus des haies,* [*le chevre feuille des buissons.*] A. *Fly honeysuckle.* B. *Honds-kerssen, beenhout.*

XYMPHYSIS, i. q. *symphysis.*

XYNTASIS, i. q. *syntasis.*

XYRIS [est nomen plantae, a Dioscor. IV. 22. descriptae, quam Sprengel. post Matthiolum pro Iride foetidissima habet. Haud dubie inde nomen nacta est, quoniam eius folia

figuram novaculae repraesentant. Nam *τὸ ξυρὸν novaculam* denotat.] sic appellantur folia Gladioli, ob rasorii, vel ensis figuram. — *Xyris* etiam est planta indica, scilicet Gramen iunceum brasilianum, capite ovali squamoso florido *Moris.* Gladiolo lacustri accedens Malabarica, e capitulo botryoideo florifera *Pluk.* *Xyris indica Linn.* (Triandr. Monogyn.). Spica est subrotunda, squamis subrotundis flores distinguentibus; Gluma bivalvis parva; corolla tripetala; capsula intra calycem, subrotunda, trilocularis trivalvis; semina plurima minutissima. Vide quoque *Gladiolus.*

XYSTER est scalprum rasorium, radendis ossibus aptum. A *ξέω*, s. *ξύω*, *rado.* [Dein collyrii cuiusdam nomen est, contra palpebrarum aspritudinem commendati a Paulo Aeg. VII. 16.]

Y.

YANTHOI sunt tumores duri, colorati, pertinaces, qui sine suppuratione ac desquamatione diutissime permanent, velut tubercula scirrhodea, ac praecipue in facie propullulant. Vide *Vari.* Ge. *Finnen.* Ga. *Bourgeon.* A. *Pimples.*

YAW GUINEENSIUM, *Epian,* vel *Pian Americanorum* est morbus contagiosus, apud Guineenses et Americanos endemius, aliquando congenitus, cuius praecipuum symptoma est frequens exortus fungorum rubi idaci fructus colore figuraque referentium, unde nomen Africanum *Yaw,* quod idem sonat ac Frambaesia. His symptomatis se adiungunt ulcera dysepulotica, exostoses, caries, ancyloses, macies etc. Vide *Frambaesia.*

YPSILOIDES OS, est idem quod *os hyoides.*

YVA MOSCHATA, vide *Iva moschata.*

YUCCA est plantae genus in America habitans, flore liliaceo, (Hexandr. Monogyn.) scilicet calyce nullo, corolla campaniformi, sexpartita, capsula oblonga, trifida, obtuse triangulari, triloculari, trivalvi, polysperma. Species quae apud nos frequenter in hortis et hybernaculis colitur est Yucca foliis Aloës *Bauh.* *Yucca gloriosa* foliis integerrimis *Linn.* Eiusdem, ac Aloë, qualitatis esse putatur vix tamen in usum medicum adhibetur. [A. *The Adam's needle.* Ga. *Yca.* Ge. *Die prächtige Yukke.*]

Z.

Z olim significabat *Sescunciam,* plerisque octavam unciae partem, vel *denarium,* hoc est *drachmam,* vel *semisicilicum*

Ex veteri quadam aenea tabella constat, *duellam* fuisse, quae tertia unciae pars octonis scrupulis terminatur.

ZANTHOXYLUM, Zanthoxylum spinosum, Lentisci longioribus foliis, Evonymi fructu capsulari *Catesb.* *Zanthoxylum clava Herculis Linn.* foliis pinnatis, est arbor in America habitans, calyce quinquepartito colorato, corolla nulla, (Pentandr. Tri-tetra-pentagyn.) capsulis numero germinum convergentibus in globum pedicellatum, seminibus solitariis, protuberantibus. Haec arbor in omnibus suis partibus qualitatis est fragrantis, subaromaticae. Decoctum foliorum, seminum et corticis ut specificum in odontalgia laudatur. Est et alia species in China habitans, cuius flores semper tantum tres, nunquam quinque stylos habent, scilicet *Zanthoxylum trifoliatum*, foliis ternatis *Linn.* [A. *The tooth-ach-tree.* Ga. *Le clavalier.*] Ge. *Zahnwehbaum, Herculesbaum.*

ZAPHARA, vel **ZAFFERA** est [productum calcinatae minerae cobalti, qua operatione, sulphure et arsenico dissipatis, oxydum cobalti impurum remanet, quod cum dupla fere ponderis quantitate silicum, subtiliter pulveratorum, zafferam praebet.]

ZARATHAN secundum *Avicennam* species est cancri mammas occupantis, unde vocatur *Cancer spurius.* Proprie enim est tumor durus, tactui inaequalis ob scabrosa cacumina et valles, dolorem comitem habens, nunc remittentem, nunc vero exacerbatum, et ardorem molestum nonnunquam simul. Videtur itaque hoc nomine indigitari cancer mammarum quidem verus, ast non exulceratus, in quo interdum dolor percipitur, quando nimirum materia stagnans a causa quacunque resolvitur in ichorem, acris fit, et de novo partem nondum mortuam aggreditur et exedit. Dum vero illam prius inflammat, ardoris sensum excitat.

ZARSA PARILLA est Smilacis asperae species, a similitudine nomen accepit, quam cum Smilace aspera habet, quae Hispanis *Zarca parilla*, seu rubus viticula dicitur. *Zarsa* enim iis *rubus* est, *parra* vero *vitis,* hinc *parilla viticula.* Vide *Sarsaparilla.*

ZEA, Gr. *ζέα* et *ζεία,* vocatur etiam *spelta* Italis. Latinis *semen,* idque a praestantia frugis appellarunt; dictum quoque ab *Homero* [v. c. Iliad. *β'* vs. 548. *ζείδωρον ἄρουραν*: alii derivant *ἀπὸ τοῦ ζῆν,* quod vitam sustentat. Nonnulli a *ζέω, ferveo,* quod, dum solis fervescit vi, mortalibus donet omnia. Vide *Spelta.* Ge. *Dinkelkorn, Spelz.* B. *Spelt.*

ZEDOARIA est radix e China et extremis Indiae finibus allata, tuberosa, brevis, compressa, foris cinerea, intus candida, quando cortex exterior est detractus, paucis fibris intertexta, saporis amaricantis aromatici, odoris fragrantis, ad Camphoram aliquantum accedentis. Planta est Indica,

Malankua *Hort. Mal. Kaempferia rotunda*, foliis lanceolatis, petiolatis *Linn.* (Monandr. Monog.) Spatha est simplex, hinc dehiscens, monophylla; corolla monopetala, tubus longus, tenuis, limbus planus, sexpartitus; capsula subrotunda, trigona, trilocularis, trivalvis. Variae partes eiusdem radicis sub nomine *Zedoariae longae, rotundae*, et rare etiam *tuberosae*, prostant. Putatur esse *Zerumbeth Serapionis* vel *Geidwar Avicennae.* Vide *Cassumuniar* et *Zerumbeth* Qualitatis est acris et aromaticae, viribusque stimulantibus calefacientibus, nervinis, stomachicis, sudoriferis, emmenagogis et anthelminthicis gaudet, variaque remedia composita ingreditur. Paratur in officinis e Zedoaria essentia aqua, spiritus, oleum et extractum. Ge. *Zittwer, Zittwerwurz.* Ga. *Zedoaire bulbeuse, gingembre sauvage.* A. *Zedoary.* B. *Ronde zedoar, Blockzedoar.*

[**ZEINE** nominatur materia peculiaris in seminibus Zeae Mays reperiunda, de qua vide Mays.]

ZENECHDON, seu **ZENEXTON** est vox Arabica, et idem est, ac si diceres *Diarsenicum*, seu compositio ex arsenico; arsenicum enim cum Arabum *arsenes*, *zenech* et *zene* idem sonat; per aphaeresin, *senium* pro *arsenicum, zenech* pro *arsenech;* et sic *zenechdon* pro *diazenech* dicitur Idem quod amuletum. *Zenechdon Helmontii* est amuletum contra pestem e bufonibus praeparatum.

ZENEXTON, i. q. *zenechdon.*

ZEOPYRON est frumenti species inter *zeam*, et *πυρὸν* sive *triticum.* Ge. *Dünkelgerste, nackte Gerste, Speltweizen, Himmelsgerste.*

ZERNA, i. q. *lichen.*

ZERUMBETH SERAPIONIS, vide *Zedoaria.* — *Zerumbet* etiam est Zingiber latifolium sylvestre *Herm.* Katoi Inschi-Kua *Hort. Mal. Amomum zerumbet,* scapo nudo spica oblonga obtusa *L.* (Mon. Monog.). Habitat in India orientali. Qualitatis est aromaticae calefacientis. [A. *The broadleav'd ginger.* B. *Wilde gember.* Ga. *L'amome sauvage.* Ge. *Wilder Ingwer, Zerumbeth.*

ZERZERA est febris maligna, amphimerina phricodes quae ab *hemitritaeo* differt, quod quotidie rigores longi paroxysmos comitentur. Vide *Querzera.*

ZIBEBAE, vide *Passulae.*

ZIBETHUM est substantia sebaceo-oleosa, mellis, vel butyri consistentia, albicans, aut e flavo nigrescens, qualitatis ambrosiacae, fragrantissimae, cum oleis aethereis et unguinosis uniendа, nec in menstruis spirituosis, nec aquosis solubilis, ea tamen fragrantia sua imbuens, praecipue per destillationem, tritura cum mucilagine aquae miscibilis Reperitur haec substantia in folliculo magno intus glanduloso, extus piloso inter anum et genitalia utriusque sexus ani

malis Indiae, quod dicitur animal zibcthicum *Hern.* *Viverra zibetha* cauda annulata, dorso einereo nigroque, undatim striato *Linn.* (Mammal. fer.). Animal est formae inter lupum et vulpem mediae; corpus oblongum; rostrum obtusum; dentes primores superiores sex, paralleli, intermedii paulo breviores: alternis interioribus: laniarii solitarii, utrinque distantes: molares acuti, denticulati: aures tectae, breves: corporis pili secundum dorsum longiores, cinereo nigroque undati, rigidiusculi: lingua retrorsum aculeata: pedes subtus nudi, ungues quinque canini; cauda felis annulata. Materia in folliculis secreta et accumulata, aut ab animalibus feris in sylvis frictione ad arborum truncos excutitur, et ab incolis sollicite colligitur, aut ab animalibus cicuratis provide auriscalpio eximitur, et ad nos transmittitur. [Cum zibethum frequentissime adulteretur, de partibus, hanc materiam pinguedinosam constituentibus, per analysin chemicam extractis non possumus omnino certi esse. Boutron-Charlard chemice in hanc materiam inquisivit, cuius integritas ipsi certissime affirmata erat, invenitque eam constare e libero ammonio, steatine, elaïne, muco, resina, oleo volatili, pigmento flavo, kali carbonico et sulphurico, calce phosphorica et ferro. Cons. Dulk. *die Preuss. Pharmac. Th. I. p.* 891—895.] Usus frequentissimus in odoramentis: fragrantia saepe foeminis adversa. Eximiae praeterea ei vires exanthematicae, diaphoreticae, nervinae, aphrodisiacae et anodynae inesse creduntur. In dolore colico praesenti saepe cum levamine umbilico inungitur. Dicitur et *Civetta* et *Zibetta.* Ge. *Zibeth.* Ga. *Civette.* A. *Civet.* B. *Civet.*

ZIBETHUM CABALLINUM idem est, quam excrementa equina, quorum succum recenter expressum interdum credula plebs ut remedium eximium contra insultus hystericos et epilepticos commendat.

ZIBETHUM OCCIDENTALE *Paracelso* dicuntur excrementa humana.

ZINCUM est semimetallum, quod extrahitur e mineris variis v. c. mica, s. zinco, sulphure ac ferro, vel plumbo, mineralisato, colore obscuro, particulis micantibus *Wall.* vel *zinco mineralisato*, compacto, subsquamoso *Linn.* Zincum omnium semimetallorum minime fragile, fereque malleabile est, septuplo aqua ponderosius, coloris ex albo coerulei, in igne sat celeriter liquescens, flamma viridescente flagrans, et partim sub forma vaporis albi avolans, aliaque metalla auferens, omnibus metallis miscibile, in omnibus acidis solubile. Vide *Vitriolum album.* [Crystallos format quadrilateras et acuformes; a fortibus mallei ictibus dissilit, quae fragilitas sub caloris gradu 205 tanta est, ut in pulverem redigi possit, in mortario ferreo, ad hunc caloris gradum calefacto, tusum, maximam autem ductilitatem sub 100—150°

monstrat. Pondus zinci fusi specificum = 6,861; malleati aut quacunque alia ratione compressi = 7,1908. Calori 360° expositum funditur, qui si eo usque augetur, ut ferrum albide candefiat, zincum, vasis clausis contentum, ebullit, et destillari potest. Prostant in officinis flores et cineres zinci, qui externe adhibiti egregie exsiccant, hinc in collyriis optime contra lippitudinem, aut inspersione contra intertriginem applicantur. Recentiores flores zinci ad pauca grana in convulsionibus, epilepsia etc. commendant. [Notandum est, sub huius medicamenti usu omnia acida diligenter vitanda esse.] Cuprum albo colore tingit, hinc Aurichalcum oritur. Ge. *Zink*, *Spiauter*. Ga. *Zinc*. A. *Zink*, *spelter*. Conf. *Tutia*.

ZINGIBER radix est tuberosa, ramosa, brevis et paululum compressa, pallida, fibris crebrioribus dotata, saporis aromatici acerrimi fervidi, instar piperis, admodum fixi, firmiterque inhaerentis, odoris aliquantulum fragrantis. Haec radix geniculatis repit internodiis; singulis annis folia emittit Iridis, aut Gladioli in modum, crescit copiose in India orientali, unde ad nos adfertur. [Cum copiosissime in provincia Coreae, *Gingi* s. *King-ki* nominata vicinisque regionibus crescat, nomen inde deductum esse fertur. Aliam autem nominis ex arabica lingua derivationem exhibet Kraus, aut a *zenedsch* sive *zindsch*, i. e. vehementissima sitis, aut a *zin-dshi* i. e. *regio arenosa Aethiopiae*. Diosc. II. 189. zingiberis mentionem fecit, ad q. l. vid. Sprengelius.] Variae sunt species zingiberis, quae tantum differunt ratione fibrarum, quo vero plures ei fibrae, eo ignobilius, quo pauciores, eo praestantius. Planta ipsa est Inschi *Hort. Mal. Amomum zingiber* scapo nudo, spica ovata *Linn.* (Monandr. Monogyn.). Spathae ei sunt plures, partiales, simplices, imbricatae; corolla monopetala; tubus brevis, limbus tripartitus, laciniis oblongis, medio maiori, sinu huic opposito patentiore; nectarium monophyllum, lacinias petali vix superans, eiusdem sinui maiori insertum; pericarpium coriaceum, subovatum, trigonum, triloculare, trivalve. Radix colligitur foliis plantae arescentibus et postmodum ad solis ardorem, aut in fornacibus exsiccatur. A quibusdam luto, creta aut rubrica obducitur, ut eo melius praeservetur; hinc prostabat *zingiber album* et *rubrum* ita dictum, non quod sint duae distinctae species, sed tantum coloris externi, ab adspersa creta, vel rubrica provenientis, ratione. [Bucholzius, qui zingiber album chemice disquisivit, centum eius partes continere invenit olei aetherei tenuis, flavescentis, aquae innatantis, odorem zingiberinum spirantis, saporisque ab initio mitis, serius parum acris et amari, 1,56, aromaticae acrisque resinae mollis, 3,60, materiae extractivae, in alcohole solubilis, calefacientis, nonnihilque amarae, 0,65, materiae extractivae acidiusculae et acris, in

alcohole non solvendae 10,15, materiae extractivae gummosae, alcali caustici ope separatae, 26,00, gummi 12,05, amyli, adraganthinae similis, 19,75, adraganthinae 8,30, fibrae ligneae 8,00, et aquae 11,90.] Qualitatis est longe minus, quam pro acrimonia fervida putes, calefacientis, viribus tamen eximiis stomachicis atque stimulantibus pollet: hinc in diarrhoea, apepsia, dysorexia, hysteria et tussi stomachica commendatur, pluraque remedia composita ingreditur. Datur vel in pulvere, vel condita, cum, vel sine brodio. Dicitur quoque *zinziber*, aut *gingiber*. Ge. *Imber, Ingwer*. Ga. *Gingembre*, [*l'amome des Indes*.] A. *Ginger*, [*narrow-leav'd ginger*.] B. *Gember*, [*gengber*.]

ZIRBUS, Arab. idem quod *omentum*.

ZIZANIA *Linnaeo* est plantae genus fructu a flore apetalo remoto in eadem planta, (Monoec. Hexandr.) in quo masculi flores infra foemineos, gluma bivalvis, foliolis lanceolatis, muticis; foeminei flores in superiori parte paniculae; gluma bivalvis, clausa, valvula exteriori maiori, cava, longa, in aristam longam desinente, valvula interiori minori, lanceolata, plana; semen unicum, oblongum, in gluma persistente inclusum. Planta haec in America habitat. — Ab aliis vero *zizania Lolium temulentum* vocatur, cuius semina ad panificium, vel usum cerevisiarium, mixtim adhibita, noxias, stupefactivas ac inebriantes vires exserere dicuntur; gallinis esca gratissima. Gr. quoque *αἶρα* et *ζιζάνιον*, frumenti vitium. Derivatur itaque nomen a *σῖτος* et *ἰζάνειν*, quod frumento insideat. [A. *The annual darnelgass, darnel*. B. *Dolyk, lolyk, duizelend dolyk*.] Ge. *Taumelkorn, Trespe*. Ga. *Yvraie annuelle*.

ZIZYPHA, **ZIZYPHUS** et **ZIZIPHUS** est Iuiubarum arbor (*Rhamnus zizyphus Linn.*) cuius truncus est tortuosus, instructus cortice aspero, inaequali, striato. Rami duri, spinosi. Folia sunt oblonga, aliquantulum dura, obtusa, coloris viridis, splendentis, leviter in margine incisa. Calyx monophyllus, quinquefidus. Flos est rosaceus, pentapetalus, staminibus multis praeditus. Ovarium in fundo calycis instructum tuba longa, donata apice globoso, fit fructus olivae magnitudine, ruber, callo pulvinato, minus spisso, sicciore, condens ossiculum rugis minus profundis ornatum, in quo nucleus plerumque unus, utrinque acuminatus, inclusus pulpae molli, fungosae, saporis mellei et vinosi. Ex Barbaricis tractibus in Italiam translata est. Italis *Susine*, unde procul omni dubio *Zizyphus* derivari debet. Vide *Iuiubae*. [A. *The iuiube-tree, shining-leaved rhamnus*. B. *Joben-boom*.] Ge. *Rothe Brustbeeren, Juiuben, welsche Hagbutten*. Ga. *Juiubes*.

[**ZOAGRIA** (*τὰ ζωάγρια*) sunt praemia, iis soluta, qui alius hominis vitam servarunt. Inprimis ea sic vocabantur, quae tribuebantur illis, qui militibus graviter vulneratis ex acie

clatis omne auxiliorum genus adhibebant, ut eorum vitam servent; sic Eustath. ad Homer. p. 623. *κοινῶς τὰ ζωάγρια τὰ διδόμενα ἐν πολέμῳ ὑπὲρ τῆς ζωγρήσεως λύτρα.* Villoisonum in *Prolegom. ad Homer. Iliad. p.* 61. b. laudat Schneider. in Lex. sed praeter solum vocabulum *ζωαγρίων* ad eius illustrationem quod pertineat, nihil ibi allatum est.]

ZOANTHROPIA, MELANCHOLIA ZOANTHROPIA est species *melancholiae,* in qua homines se in animalia, ut lupos, ursos, feles etc. transmutatos esse sibi persuadent.

[**ZOMODMON.** A *ζωμὸς, iusculum carnis,* et *ὀδμὸς, odorus.* Vide *Osmazomium.*

[**ZOIATRIA** est morbis animalium brutorum medendi scientia. A gr. *ζῶον, animal,* et *ἰατρεία, medendi facultas.* Is, qui hanc facultatem, sibi comparatam, exercet, *zoïatri* nomine insignitur. Ge. *Thierheilkunde, Thierarzt.*]

ZONA, a *ζωννύω, cingo,* est ea pars corporis, qua cingimur. Item *zona,* vel *zoster*, *herpes periscelis* [s. potius *perisceles* (*περισκελὲς*, crura ambiens] Graecorum, [*Circinus* Plin. *Zona ignea* Fr Hoffm. *ignis sacer* s. *hieropyr* (*ὑερὸν πῦρ*) Vogel] est herpes farinaceus siccus et simplex, qui poplitem, ubi zona vinciri solet, infestat. *Zona*, vel *zoster* est etiam erysipelas, quod truncum corporis occupat, modo thoracem, modo scapulas, modo latera et costas; frequenter etiam inferius oritur, et medium corpus tanquam cingulum cingit, atque totum amplectitur; subnascuntur vesiculae quaedam flavescentes nonnunquam, sed saepius livescentes, quae instar herpetis, cuius speciem maxime referunt, corrodere solent et vehementem pruritum excitant. [A. *Shingles.*] Ge. *Der feurige Umlauf,* [*der Gürtel.*] Ga. *Jarétiere, zone, ceinture dartreuse.*] B. *De rode omloop.*

ZONA etiam saepe idem significat, quam *bracherium.*

ZONA COLI est pars transversa coli.

ZOOGONIA est animalium perfectorum generatio, qua vivi foetus excluduntur. Ex *ζῶον, animal,* et *γονὴ, genitura.*

ZOOLOGIA est scientia, quae docet corpora regni animalis secundum characteres debito modo in classes, ordines, genera et species distribuere, simulque historiam animalium, scilicet modum generandi, incrementum, nutrimentum, mores et instinctum, aliaque huc pertinentia explicat. Ge. *Die Lehre von den Thieren, Zoologie.* Ga. *Zoologie.*

[**ZOONOMIA** vocatur ea physiologiae corporis animalis doctrina, quae de legibus vitae exponit. In universum autem considerat ea maxime communia vitae phaenomena, praecipuasque colligit causas, quae eam ab ipsius initio usque ad mortem immutare valent. A gr. *ζωὴ, vita,* et *νόμος, lex.* Vide inter alios Er. Darwin *Zoonomie od. Gesetze des organ. Leb. A. d. E. mit Anm. v.* J. D. Brandis. Hann. 1795—99. 8. Thl. I—III.]

ZOOPHYTA sunt corpora naturalia integrum ordinem

constituentia, scilicet animalia composita, in bivio animalium et vegetabilium constituta, quae stirpe vegetante efflorescunt, radicata pleraque caulescunt, multiplicata vita ramis, gemmis caeduis, metamorphosique florum animantium, sponte sese moventium, in capsulas seminiferas transeuntium; ac si plantae essent zoophyta sensu motuque destituta, et zoophyta verae plantae, sed systemate nerveo, sensus motusque organo instructae *Linn.* Sub hoc ordine plura genera plurimaeque species comprehenduntur. Ge. *Thierpflanzen.* Ga. *Zoophytes, plantes animales, animaux plantes.* A. *Plant-animal.*

[**ZOOTICA MATERIA.** Vide supra sub *Emulsine p.* 567.]

ZOOTOMIA est animalium artificiosa sectio. Ex *ζῶον, animal,* et *τέμνω, seco.* Ge. *Zergliederung der Thiere, Zootomie.*

[**ZOOTYPOLITHI** sunt lapides, quibus imagines variorum animalium impressae sunt. A gr. *ζῶον, animal, τύπος, forma,* et *λίθος, lapis.*]

ZOPISSA, vide *Pix.*

[**ZOSTER.** Gr. *ζωστὴρ, cingulum,* a *ζωννύω, cingo.* Vid. *Zona.*]

ZOSTERA est planta marina, ab aliis ad Algas relata, Alga angustifolia vitriariorum *Bauh.* Alga marina graminea angustifolia, seminifera, ramosior *Rai. Zostera marina Linn.* (Gynandr. Polyandr.) folii basi vaginante, spadicem includente, perianthio nullo, corolla nulla, filamentis pluribus, supra germina spadiei insertis, pericarpio membranaceo, monospermo. Habitat in littore maris mediterranei. Vitriarii cineribus eius utuntur. Ipsa planta vulneraria et exsiccans est. Ge. *Meergras,* [*Seetang, Strandgras.* A. *The grass-wrack.* B. *Zeewier, zeegras.*] Ga. *Algue,* [*chien dent marin.*]

ZOSTERA, de morbo, vide *Zona.*

ZOTICA est facultas vitalis. A *ζώω, vivo.* Vide *Vitalis facultas.*

ZURUMBETH et **ZERUMBETH** est species Zedoariae, quae radicem habet rotundam et globosam, et affertur cum Zedoaria longa. Vide *Zedoaria.*

ZYGOMA, ZYGOMATICUM OS, OS IUGALE est os figurae aliquantum quadrangularis, in utroque latere partem maxillae superioris constituens, orbitae angulum externum formans, ossi frontis, maxillari superiori et ossi temporum apophysibus suis adnexum, cum cuius ultimi ossis processu zygomatico *zygoma* s. *iugum* proprie format: parte convexa maxime in facie prominens, et in tabidis maxime conspicuum. Sub parte concava processum coronoideum maxillae inferioris et tendinem musculi temporalis instar iugi transmittit, unde quoque nomen obtinuit. A *ζυγὸς, iugum.* Ge. *Das Jochbein.* Ga. *L'os zygomatique, l'os de la pomette.* A. *Yok-bone.* B. *Het jok-been.*

ZYGOMATICI MUSCULI in utroque latere duo sunt, maior scilicet et minor. *Maior* oritur a coniunctione ossis iugalis cum apophysi zygomatici ossis temporum, et ventre

satis gracili descendit, inque angulum labiorum inseritur, et os oblique sursum trahit. *Minor* supra zygomaticum maiorem ab osse iugali oritur, et musculo incisorio iunctus labio superiori inseritur, idque elevat. Ge. *Der grosse und kleine Jochmuskel.* Ga. *Les muscles zygomatiques.*

ZYGOMATICUS PROCESSUS, APOPHYSIS ZYGOMATICA est processus satis longus atque gracilis portionis squamosae ossis temporum antrorsum vergens, cum osse iugali per suturam coniunctus, et cum hoc *jugum,* s. *zygoma* constituens. Ge. *Der jochförmige Fortsatz des Schlafbeins.* Ga. *L'apophyse zygomatique.*

ZYMOMA, vide *Fermentum.*

ZYMOSIS, vide *Fermentatio.*

ZYMOTECHNIA est ars, vel scientia, variis auxiliis fermentationem promovendi, ut nova substantia generetur: vel in genere est scientia legum fermentationis.

ZYTHOGALA, i. q. *possetum.*

ZYTHUM, i. q. *cerevisia.*

Ad paginam 1162.

[**PLATINUM** novum metallum, quod 1741. e Brasilia primum in Europa innotuit, et partim purum, partim cum aliis metallis, Palladio, Rhodio, Iridio et Osmio, quae itidem nova sunt, nec non cum auro, mercurio, cupro, plumbo, aliisque rebus coniunctum ad nos adfertur. Nomen ab hispanica voce *plata* i. e. *argentum,* unde diminutiva *platiña* formatur, deducitur. Nunc non in America meridionali solum, sed et in montibus Altaicis Rossiae tanta in copia invenitur, ut monetae inde sint cusae. Hoc rossicum platinum non ob copiam tantum, qua colligitur, sed etiam propterea memoratu dignum est, quod novum idque quintum continet metallum, ab inventore Osanno, professore quondam Dorpatensi, nunc Herbipolitano, *pluralium* (quasi *pl. ural.*) seu *pluranium* denominatum. — Color puri metalli aut cusi, aut fusi, fere argenteus, languidior tantum, est; pondus specificum malleati (sit venia verbo) pro diversa vi, qua aut malleis, aut aliis machinis, vehementissimam pressionem exercentibus, tractatum est, variat intra 20,857 et 23,543; duritie ferrum superat, cupro cedit; ductilitate, si aurum argentumque exceperis, reliqua metalla omnia vincit; purum nec calore caminorum aerariorum summo fundi potest. Duos oxydationis gradus platinum subire posse, Berzelius docuit: alterum enim oxydum continere reperit 7,5 p. C. oxygenii, alterum 13,954: illudque nigro colore, hoc flavido-fusco, quasi ferruginoso conspicuum esse. — Denique vi sua insigne est metallum, qua in pulverem, et in laminas filaque tenuissima redactum, nec non in quibusdam praeparatis combustionem variorum gasium, ratione adhuc incognita, efficere potest. Ga. *Platine.* Ge. *Platin.*]

INDICES.

INDEX PROSODICUS.

A.

Crithămum.
Crommy̆on.
Crotaphītes.
Crymōdes.
Cryptogamīa.
Crystallĭna.
Crystalloīdes.
Cubēbae.
Cuboīdes.
Cucŭma.
Cucŭmer.
Cucŭmis.
Cucŭpha.
Cucurbĭta.
Cucurbitĭni.
Cumīnum.
Cupŭla.
Curcūma.
Cuscūta.
Cyănus.
Cyăthus.
Cyclāmen.
Cyclamĭnus.
Cyclophorīa.
Cydonĭa.
Cyēma.
Cymīnum.
Cyanthĕmis.
Cyanthropīa.
Cynobotăne.
Cynōdes.
Cynorrhŏdos.
Cynosbătos.
Cypĕrus.
Cyphōma.
Cyphōsis.
Cyrtōma.
Cyrtōsis.
Cyssăros.
Cystītis.
Cystocēle.
Cystotomīa.
Cytĭnus.
Cytĭsus.

D.

Dacryōdes.
Dacry̆on.
Dacty̆lus.
Daemonomanīa.
Daphnoīdes.
Datŭra.
Decandrĭa.
Defrŭtum.
Deldoīdes.
Dendroīdes.
Dendrolachăna.
Dendrolibănus.
Dendromalăche.
Dentăgra.
Dentidūcum.
Deuteropathīa.
Diabētes.
Diabotănon.
Diabrōsis.
Diacary̆on.
Diachorēma.
Diachorēsis.
Diachy̆lon.
Diacinēma.
Diacodĭon.
Diacŏpe.
Diacopraegīa.
Diacrĭsis.
Diadelphīa.
Diadŏche.
Diadōsis.
Diaerēsis.
Diagnōsis.
Dialy̆sis.
Diamarenātum.
Diamōron.
Diandrīa.
Diapedēsis.
Diaphoenĭcum.
Diaphorēsis.
Diaphthŏra.
Diaphy̆sis.
Diaplăsis.
Diapnoë.
Diapyēma.
Diarrhŏdon.
Diarthrōsis.
Diascordĭum.
Diaspăsis.
Diastăsis.
Diastŏle.
Diatessăron.
Diathĕsis.
Diazōma.
Dichophyĭa.
Dichotŏmi.
Dicotyledŏnes.
Dicrŏtus.
Didy̆mi.
Didynamīa.
Digitālis.
Digynīa.
Diobŏlon.
Dioecĭa.
Diorthōsis.
Diōta.
Dipetălus.
Diphry̆ges.
Diploë.
Diplōma.
Diplopīa.
Dipsăcus.
Diptĕra.
Dipyrēne.
Dipyrītes.
Dipy̆ros.
Distĭcha.
Distichiăsis.
Districhiăsis.
Diurēsis.
Docimasīa.
Dodecadacty̆lum.
Dodecandrīa.
Dodecapharmăcum.
Dolābra.
Dolĭchos.
Doronĭcum.
Dragēta.
Drosĕra.
Drosomĕli.
Dryoptĕris.
Drypĕtes.
Dulcamāra.
Duodēnum.
Dysaesthesīa.
Dyscinesīa.
Dyscrasīa.
Dysoecoĭa.
Dysenterīa.
Dyslochĭa.
Dysōdes.
Dysodīa.
Dysorexīa.
Dyspathĭa.
Dyspepsīa.
Dysphagīa.
Dysphonīa.
Dysthymīa.
Dystichiăsis.
Dystocīa.
Dysurīa.

E.

Ebĕnum.
Ebŭlus.
Ecchylōma.
Ecchymōma.
Ecchymōsis.
Ecclĭsis.
Eccŏpe.
Eccrĭsis.
Echinopŏda.
Echīnops.
Echinŏpus.
Echīnus.
Eclampsīa.
Ecly̆sis.
Ecphysēsis.
Ecphy̆sis.

Ecpneumatōsis.
Ecptōsis.
Ecpyēma.
Ecpyēsis.
Ecsarcōma.
Ecstăsis.
Ectŏme.
Ectopīa.
Eilēma.
Eilĕos.
Eispnŏë.
Elaeosacchărum.
Elaeoselīnum.
Elaphīa.
Elaphoscorŏdon.
Elăte.
Elatīne.
Elcŏsis.
Elēma.
Eleochrȳson.
Elephantiăsis.
Elĕphas.
Elichrȳson.
Ellebŏrus.
Elleborīne.
Elōdes.
Elȳmus.
Elytroīdes.
Embăsis.
Embrŏche.
Embrȳon.
Embryulcīa.
Emĕtos.
Emmenagōga.
Emmenīa.
Emmŏton.
Empeirīa.
Empĕtron.
Emphysēma.
Emphȳton.
Empirīa.
Emplattomĕna.
Empneumatōsis.
Emprosthotŏnos.
Empyēma.
Empyocēle.
Empyomphălus.
Enaeorēma.
Enarthrōsis.
Encephălon.
Encephalocēle.
Encheirēsis.
Enchūsa.
Enchymōma.
Enchymōsis.
Enchȳta.
Encŏpe.
Endēmus.
Endivīa.
Enēma.
Energīa.
Engizōma.
Enischomĕna.
Enneandrīa.
Enteradēnes.
Enterenchȳta.
Enterītis.
Enterocēle.
Enteroepiploocēle.
Enteromphălos.
Entĕron.
Enteroperistŏle.
Enterorrhaphīa.
Enterosarcocēle.
Enthlăsis.
Entypōsis.
Enŭla.
Enurēsis.
Epanadiplōsis.
Epaphaerēsis.
Ephēlis.
Ephemĕra.
Ephidrōsis.
Epiăla.
Epicheirēsis.
Epicophōsis.
Epicrăsis.
Epicrīsis.
Epicrūsis.
Epicyēma.
Epidĕsis.
Epididȳmis.
Epididymītis.
Epidrŏme.
Epigenĕsis.
Epigenēma.
Epigenomĕnon.
Epigonătis.
Epimēlis.
Epinyctīdes.
Epiphaenomĕna.
Epiphŏra.
Epiphȳsis.
Epiplegīa.
Epiplerōsis.
Epiplocēle.
Epiploītis.
Epiplomphălum.
Epiplŏon.
Epiporōma.
Episemasīa.
Episphaerīa.
Epistăsis.
Epistomīa.
Epistrŏphe.
Epistrophēus.
Epithēma.
Epithȳmum.
Epōmis.
Epomphălum.
Epŭlis.
Equisētum.
Eranthĕmum.
Erīca.
Ericētum.
Erigĕrum.
Erinacēus.
Erīnus.
Eriophŏrum.
Erōsa.
Erotomanīa.
Errhīna.
Erūca.
Eryngīum.
Erysīmum.
Erysipĕlas.
Erysipelatōdes.
Erythrodănum.
Erythroīdes.
Eschăra.
Escŭlus.
Esŏche.
Essĕra.
Esthiomĕnos.
Esŭla.
Esurīgo.
Ethmoīdes.
Euchrŏa.
Euchȳlos.
Euchymīa.
Eucrasīa.
Euemĕrus.
Euexīa.
Eugēos.
Euōdes.
Evonȳmus.
Eupathīa.
Eupatorīum.
Eupepsīa.
Euphorbīa.
Euphorīa.
Euphrasīa.
Euphrosȳne.
Euporīa.
Eusemīa.
Eusitīa.
Eustomăchus.
Euthanasīa.
Euthypŏros.
Eutŏcos.
Eutŏnos.
Eutrophīa.
Exaerēsis.
Examblōsis.
Exanastomōsis.
Exanīa.
Exanthēma.

Hyderōdes.
Hydĕros.
Hydragōga.
Hydrargȳros.
Hydrargyrōsis.
Hydrenterocēle.
Hydrōa.
Hydrocardīa.
Hydrocēle.
Hydrocephălus.
Hydrocrīthe.
Hydrōdes.
Hydrolapăthum.
Hydrŏmel.
Hydromētra.
Hydromphălum.
Hydronŏsos.
Hydropēge.
Hydrophobīa.
Hydrophthalmīa.
Hydropĭper.
Hydropyrĕtos.
Hydrosacchărum.
Hydroselīnum.
Hydrothōrax.
Hygiēa.
Hygrocirsocēle.
Hyoīdes.
Hyoscyămus.
Hyothyroīdes.
Hyperōon.
Hyperostōsis.
Hypersarcōsis.
Hypochȳma.
Hypochȳsis.
Hypocophōsis.
Hypodĕris.
Hypodĕsis.
Hypogastrocēle.
Hypoglottĭdes.
Hyponȳchon.
Hypophĕon.
Hypophŏrae.
Hypophȳsis.
Hypophthalmīa.
Hypostaphȳle.
Hypostăsis.
Hypothĕnar.
Hypothĕsis.
Hypozōma.
Hypsiloīdes.
Hyssōpus.
Hystĕra.
Hysteralgīa.
Hysterĭca.
Hysterītis.
Hysteroloxīa.
Hysteromanīa.

I.

Iacēa.
Ianĭtor.
Iasmīnus.
Ibēris.
Ichoroīdes.
Ictĕrus.
Idiopathīa.
Idiosyncrasīa.
Iejūnum.
Ilĭa.
Impetīgo.
Incŭbus.
Indĭcans.
Indĭgo.
Intercalāres.
Intercīsus.
Intertrīgo.
Intrītum.
Intŭbus.
Inŭla.
Isătis.
Isatōdes.
Ischophonīa.
Ischurīa.
Isochrŏnos.
Isopȳrum.
Iugāle.
Iugŭlum.
Iuiŭbae.
Iulēpus.
Iupĭter.
Iusquiămus.
Iuxtangīna.
Ixīne.

K.

Kajĕbut.
Karăbe.
Kelotomīa.
Koelīa.

L.

Labdănum.
Lachănum.
Lacrȳma.
Lactūca.
Lactumīa.
Lacūnae.
Ladănum.
Lagochȳlus.
Lagōpus.
Lambdoīdes.
Lampsăna.
Lanūgo.
Lapăthum.
Lappāgo.
Larĭcis.
Lathȳris.
Lathȳrus.
Latĭca.
Laudănum.
Lavendŭla.
Laureŏla.
Laurocerăsus.
Lazŭli lapis.
Legūmen.
Lentigĭnes.
Leontiăsis.
Leontŏdon.
Leontopetălon.
Lepidoīdes.
Lepidoptĕra.
Leporīnus.
Leptopitȳron.
Leucanthĕmum.
Leucōēnus.
Leucolachănum.
Leucōma.
Leucomorīa.
Leucophăgum.
Leucophlegmatīa.
Leucopĭper.
Levistĭcum.
Lexipyrēton.
Libănos.
Libanōtis.
Libanōtos.
Lichănus.
Lienterīa.
Ligŭla.
Ligustĭcum.
Liliăgo.
Liliasphodĕlus.
Lilĭum.
Limodōrum.
Limonāda.
Liparocēle.
Lipōma.
Lipopsychīa.
Lipothymīa.
Lipyrīa.
Lithiăsis.
Lithoīdes.
Lithopaedĭon.
Lithotŏmus.
Livĭdus.
Lobāta.
Lochĭa.
Lonchītis.
Longănon.
Lonicēra.
Lordōsis.
Lorĭpes.
Lujŭla.

O.

Oblīquum.
Obstīpum caput.
Obŏlus.
Obry̆zum.
Obtūsum.
Occĭput.
Ochēma.
Ochthōdes.
Ocĭmum.
Ocrĕa.
Odontăgra.
Odontalgīa.
Odontiăsis.
Odontogly̆phon.
Odontoīdes.
Odontolĭthos.
Odontophyīa.
Oedēma.
Oenogăla.
Oenōdes.
Oenomĕli.
Oenothēca.
Oesophăgus.
Oesy̆pus.
Officīna.
Olĕa.
Olecrănum.
Olēne.
Olibănum.
Oligophŏros.
Oligotrophĭa.
Oligotrŏphus.
Olīva.
Oly̆ra.
Omāsus.
Omŏgra.
Omoplāta.
Omphalocēle.
Omphălus.
Onăgra.
Oncotomīa.
Onītis.
Onobry̆chis.
Onōnis.
Opālus.
Ophiăsis.
Ophioxylum.
Ophioscorŏdon.
Ophītes.
Ophthalmīa.
Ophthalmiăter.
Ophthalmoptōsis.
Opisthocyphōsis.
Opobalsāmum.
Opopanăcis.
Opopănax.
Orbĭta.
Orchotŏmus.
Ordeŏlum.
Oreoselīnum.
Orgănum.
Origănum.
Orleāna.
Ormĭnum.
Ornithogălum.
Ornithŏpus.
Oroboīdes.
Orthocōlon.
Orvăla.
Orvietānum.
Orȳza.
Oscheocēle.
Ossifrăgus.
Ostăgra.
Osteocŏpus.
Osteogenīa.
Osteosarcōsis.
Osȳris.
Otalgīa.
Otenchy̆ta.
Ovipărum.
Oxălis.
Oxycēdrus.
Oxycrătum.
Oxycrocēum.
Oxygăla.
Oxylapăthum.
Oxy̆mel.
Oxynosēma.
Oxyrhegmīa.
Oxyrhodĭnum.
Oxysacchărum.
Oxytartărus.

P.

Pabŭlum.
Pacheablephăra.
Pacheablepharōsis.
Pachȳtes.
Paedarthrocăce.
Paedotrŏpha.
Paeonĭa.
Palaety̆rus.
Palātum.
Palindrŏme.
Paliūrus.
Palmītes.
Palpēbrae.
Pampĭni.
Panacēa.
Panăces.
Panchymagōga.
Pancrĕas.
Panicŭlus.
Panĭcum.
Panophobīa.
Papăver.
Papŭlae.
Papȳrus.
Paracentēsis.
Paracŏpe.
Paracūsis.
Paraly̆sis.
Paramĕsus.
Paraphimōsis.
Paraphonīa.
Paraphrenēsis.
Paraphrenītes.
Paraphrosy̆ne.
Paraplegīa.
Pararthrēma.
Parastătae.
Paremptōsis.
Parencephălos.
Parenchy̆ma.
Parenchymăta.
Parĕsis.
Paristhmĭa.
Parnassĭa.
Paronychĭa.
Paropīae.
Paroptēsis.
Parotĭdes.
Parthĕnis.
Parūlis.
Passerīna.
Pastināca.
Pathēma.
Pechiăgra.
Pectĭnis.
Pegănum.
Pelecānus.
Pelorĭa.
Peltālis.
Pemphigōdes.
Pemphix, gen. ĭgis.
Pensĭlis.
Pentadacty̆lon.
Pentagynīa.
Pentamy̆ron.
Pentandrĭa.
Pentapetălus.
Pentapharmăcum.
Pentathĕton.
Pepŏnes.
Perfoliāta.
Perfŏrans.
Perforāta.
Periclymĕnum.
Perinyctĭdes.
Periŏdus.
Peripherĭa.
Periphimōsis.
Periplŏca.

Peripneumonīa.
Peristĕron.
Peristromăta.
Perisystŏle.
Perittōma.
Perizōma.
Pernĭo.
Perōne.
Persĕa.
Persīca.
Petăle.
Petaloīdes.
Petasītes.
Petīgo.
Petroselīnum.
Peucedănum.
Pezīza.
Phacĭa.
Phacōtos.
Phaenomĕna.
Phalacrōsis.
Phalangītes.
Phalangōsis.
Phalăris.
Pharmacīa.
Pharmacopōla.
Pharmăcum.
Pharyngĕtrum.
Phasēlus.
Phaseŏlus.
Phegopȳrum.
Phellodrys.
Phiăla.
Philanthrōpos.
Philiătros.
Philiăter.
Phillyrēa.
Philonĭum.
Phimōsis.
Phleborrhagīa.
Phlebotŏmus.
Phlegmagōga.
Phlegmasīa.
Phlegmōne.
Phlegmonōdes.
Phlogōsis.
Phlyctaenōdes.
Phosphŏrus.
Phragmītes.
Phrenēsis.
Phrenĭcae.
Phrenitiăsis.
Phrenītis.
Phriciăsis.
Phricōdes.
Phthiroctŏnon.
Phthiriăsis.
Phyllirēa.
Phyllītis.
Phymatōdes.
Physălis.
Physălos.
Physconīa.
Physēma.
Physēsis.
Physēter.
Physocēle.
Physocephălus.
Physōdes.
Physomētra.
Picrochŏlus.
Pictōnum colica.
Pilŭla.
Pinĕa.
Pipĕris.
Piperītis.
Pistacĭa.
Pistolochīa.
Pituīta.
Pityriăsis.
Pityroīdes.
Pityūsa.
Pladarōsis.
Pladarōtes.
Plantāgo.
Platănus.
Plethōra.
Pleurītis.
Pleurodȳne.
Plumacĕoli.
Plumbāgo.
Plumōsus.
Pneumatocēle.
Pneumatōdes.
Pneumatomphălus.
Pneumatōsis.
Pneumonīa.
Pnigītes.
Podăgra.
Poliăter.
Polĭum.
Polyadelphīa.
Polyandrīa.
Polyanthĕmum.
Polydipsīa.
Polygăla.
Polygamīa.
Polygonătum.
Polygŏnum.
Polygynīa.
Polypetălus.
Polyphagīa.
Polypharmăcon.
Polyphŏra.
Polypŏdes.
Polȳpus.
Polypyrēnae.
Polysarcīa.
Polytrĭchum.
Polytrophīa.
Pomātum.
Pompholygōdes.
Pomphŏlyx.
Populāgo.
Popŭlus.
Porcellāna.
Porocēle.
Poromphălus.
Porōsis.
Porphyrītes.
Porrīgo.
Portulāca.
Possētum.
Potamogĕton.
Prasīna.
Presbytīa.
Priăpus.
Primōres.
Primŭla.
Probŏle.
Procondȳli.
Proctalgīa.
Proctītis.
Prodrŏmus.
Proēgumĕna.
Prognōsis.
Prolĭfer.
Propāgo.
Propathīa.
Prophăsis.
Propŏlis.
Proserpināca.
Prospheromĕna.
Prosphȳsis.
Prostăsis.
Prostăta.
Prostēthis.
Protogăla.
Protopathīa.
Prurīgo.
Prurītus.
Psammodĕa.
Pseudacŏrus.
Pseudoacacĭa.
Pseudoselīnum.
Psilōthron.
Psoralĕa.
Psoriăsis.
Psorophthalmīa.
Psydracĭa.
Psyllĭum.
Ptarmīca.
Pterigoīdes.
Pterigōma.
Pterigostaphylīni.
Ptilōsis.
Ptisăna.

emispecŭlum.
emitĕres.
empervīvum.
enecĭo.
epĭae.
eptāna.
erapĭas.
erapīnum.
erĭcum.
eriŏla.
erpentīna.
erpīgo.
erratŭla.
errŭla.
ertŭla.
esamoidĕa.
esămum.
esĕli.
esquicyăthus.
esquihemīna.
esquiobŏlus.
essĭle.
eutlomalăche.
agonăgra.
alagōga.
alochus.
ălon.
bĭlus.
cilĭcus.
lerītis.
gmoīdes.
īgo.
ĭqua.
nāpi.
năpis.
ncīput.
hy̆lis.
ēnes.
iăsis.
ōnes.
ărum.
anĭon.
nectītes.
cotrīna.
lānum.
lāris.
lēus.
līda.
lidāgo.
mnambŭlo.
achītes.
phīa.
phronistēres.
arganōsis.
argănum.
athomēla.
atĭle.
ergŭla.
ermatocēle.

Spermiŏla.
Sphacelōdes.
Sphacĕlus.
Sphaerītis.
Sphaerocephălus.
Sphagitĭdes.
Sphenoīdes.
Spināti.
Splenalgīa.
Splenītis.
Splenocēle.
Steatōma.
Stegnōsis.
Stenochorĭa
Stenothorăces.
Sterilĭtas.
Sternohyoīdes.
Sternoidēi.
Sternomastoidēi.
Sternothyroīdes.
Stigmăta.
Stipŭlae.
Stoechădis.
Stolōnes.
Stomacăce.
Stomacīa.
Stomăchus.
Storăcis.
Strabŏsitas.
Strangurĭa.
Stratiōtes.
Strobĭlus.
Struthioptĕra.
Struthĭum.
Stiloceratohyoīdes.
Stilohyoīdes.
Styrācis.
Subligacŭlum.
Sulvŏla.
Succāgo.
Succĭdus.
Succīnum.
Succīsa.
Succolāta.
Succotrīna.
Succŭbus.
Sudamīna.
Suffersūrae.
Suffītus.
Suffrutĭces.
Suffumigabălum.
Sugillāta.
Sulphŭris.
Superligāmen.
Superligŭla.
Surcŭlus.
Surdĭtas.
Sutūra.
Sycaminĕa.

Sycamīnos.
Sycōma.
Sycomŏrus.
Sycōsis.
Symbebecōta.
Symmetrīa.
Sympathīa.
Symphonīa.
Symphy̆sis.
Symphy̆ton.
Symptōma.
Synaetīa.
Synarthrōsis.
Synchondrōsis.
Synchy̆sis.
Syncĭput.
Syncŏpe.
Syndesmōsis.
Syndrŏme.
Synechīa.
Syngenesīa.
Synizēsis.
Synneurōsis.
Synŏcha.
Synŏchus.
Syntăsis.
Syntenōsis.
Synthĕsis.
Synymenēsis.
Syphĭlis.
Syringītes.
Syringotomi.
Sirōnes.
Syssarcōsis.
Systēma.
Systŏle.
Syzygīa.

T.

Tabācum.
Tacamahāca.
Tagētes.
Taleŏli.
Tamarīce.
Tanacētum.
Taraxăcum.
Tartărus.
Templīnum.
Tenacŭlum.
Tentīgo.
Terebinthĭna.
Terĕbra.
Terēdo.
Tersĕra.
Testicŭlus.
Testūdo.
Tetănus.
Tetrapetăla.
Tetrapharmăcum.

INDEX

VERBORUM GRAECORUM.

A.

N.

Ξ.

O.

Π.

P.

T.

Y.

Φ.

Χ.

Ψ.

Ω.

Deutsches Register.

A.

C.

F.

I.

K.

L.

N.

S.

T.

U.

V.

W.

Y.

Z.

INDEX GALLICUS

A.

B.

C.

D.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

Q.

S.

U.

V.

INDEX ANGLICUS

A.

C.

D.

E.

I.

Q.

R.

S.

T.

U.

Y.

Z.

INDEX BELGICUS

A.

E.

H.

I.

L.

M.

N.

P.

Q.

S.

T.

W.

Corrigenda.

Quamvis magna diligentia et sollicitudo in emendandis vitiis typographicis adhibita fuerit, tamen plura, quam optaverim, relicta fuisse deprehendi, cum qui in calce libri conspiciuntur, quinque indicum conficiendorum causa, Blancardus esset pervolvendus. Haec ut Lectorum benevolentia indulgenter condonet, etiam atque etiam rogo. Pag. 13. lin. 21. lege *maple tree*. Pag. 16. lin. 19. leg. *klaaverzuuring*. Pag. 19. l. 7. leg. *Douwworm*. Pag. 27. l. 7. leg. *hanging*. Pag. 50. l. 38. leg. *Looseness o. th. theeths*. Pag. 52. l. 27. leg. *Liverwort*. Pag. 89. l. 16. leg. *stalk*. Pag. 130. l. 37. leg. *medicines*. Pag. 137. l. 29. leg. *meminisset*. Pag. 142. l. 2. ab imo leg. *koortsigheid*. Pag. 143. l. 33. leg. *Water*. Pag. 152. l. 6. ab imo leg. *Das-look*. Pag. 169. l. 4. leg. *jigt*. Pag. 173. l. 27. leg. *pouls*. Pag. 182. l. 31. leg. *Doradille*. Pag. 185. l. 10. leg. *Kootpeul*. Pag. 190. l. 4. leg. *hoofddraagende*. Pag. 195. l. 36. leg. *Hasel-nut*. Pag. 196. l. 22. leg. *seu toeneeming*. Idem locum habet p. 571. lin. 3. ab imo, p. 660. lin. 26. p. 1070. lin. 2. Pag. 214. l. 31. leg. *Zwaarhorigheid*. Pag. 219. l. 1. ab imo leg. *thrift*. Pag. 225. l. 37. leg. *birch*. Pag. 234. l. 22. leg. *βλίτος*. Pag. 235. l. 30. leg. *Welriekende*. Pag. 244. l. 14. leg. *Waterpatich*. Pag. 270. l. 23. et 24. leg. *hoofd*. Pag. 277. l. 22. leg. *wolleblad*. Pag. 285. l. 19. leg. *tendrons*. Pag. 306. l. 4. leg. *Giroflée*. Pag. 316. l. 2. deleantur verba: *herbe aux chats*. Pag. 332. l. 8. leg. *Griottier*. Pag. 334. l. 29. dele comma post *european*. Pag. 337. l. 8. ab imo leg. *Rouvre*. Pag. 361. l. 3. leg. *honds*. Pag. 363. l. 5. ab imo leg. *Chymie*. Pag. 367. l. 11. et 15. leg. *Hemlock*. lin. 16. leg. *kervel*. Sic quoque lin. 6. ab imo legendum. Pag. 401. l. 2. leg. *Egyptische*. Pag. 406. l. 35. leg. *heavy and long*. Pag. 453. l. 7. ab imo leg. *haane*. Pag. 464. l. 3. ab imo leg. *ὠλέκρανον*. Pag. 486. l. 2. dele alterum *Seidelbast*. Pag. 493. l. 29. leg. *riddersporen*. Pag. 497. l. 15. leg. *Galeni*. Pag. 508. l. 17. leg. *Uitwaasseming*. Pag. 528. l. 22. post *La grande* excidit *serpentaire*. Pag. 534. l. 16. leg. *zweeren*. Pag. 630. l. 33. pro *semen* leg. *senex*. Pag. 686. l. 13. leg. *arbrisseau*. Pag. 692. l. 25. leg. *Goutte*, et sic quoque p. 810. p. 1038. l. 19. p. 1170. l. 16. Pag. 719. l. 5. ab imo post *exemplum* excidit *se*. Pag. 737. l. 20. leg. *Dompte*. Pag. 752. l. 12. leg. *arssmart*. Pag. 755. l. 3. post *Virginity* pro-ponendum est comma. Pag. 806. l. 24. leg. *flambe*. Pag. 873. l. 12. ab imo leg. *λιθοτέρετρον*. Pag. 874. l. 11. leg. *oorlapje*. Vol. II. Pag. 940. l. 26. et 35. leg. *μήνιγξ*. Pag. 961. l. 5. ab imo leg. *arm zwagtel*. Pag. 983. l. 5. leg. *Attrape*. Pag. 1018. l. 27. leg. *Cat-eyed*. Pag. 1056. l. 26. leg. *pease*. Pag. 1094. l. 25. lege *drooge floving*. Pag. 1102. l. 6. ab imo leg. *foot-bath*. Pag. 1138. l. 7. leg. *mullein*. Pag. 1142. l. 28. leg. *louse evil*. Pag. 1160. l. 15. ab imo leg. *Fusssohle*. Pag. 1161. l. 10. et 15. ab imo leg. *platane*. Pag. 1162. l. 7. leg. *ἀρχοντικὸν*. Pag. 1170. l. 10. leg. *blaauw*. Pag. 1244. l. 5. ab imo leg. *stright*. Pag. 1277. l. 4. ab imo leg. *Roodmaakende*. Pag. 1303. l. 16. ab imo leg. *bloedkruid*. Pag. 1310. l. 14. leg. *vleeschig*. Pag. 1339. l. 6. ab imo dele comma post *pointed*. Pag. 1442. l. 11. leg. *the*.